CLARISS. VIRI D.

# HIE. ZANCHII

## OMNIVM OPERVM THEOLOGICORVM

### Tomi octo.

*I. De tribus Elohim, Æterno Patre, Filio, & Spiritu S. vno eodémque Iehoua, partes duæ, seu libri 13.*

*II. De Natura Dei, seu de Attributis, libri 5.*

*III. De operibus Dei intra sex dies creatis, libri 15.*

*IIII. De primi hominis lapsu, de Peccato, & de Lege Dei, cap. 28. Opus solidum, primam tractatus de Redemptione partem continens.*

*V. Comment. in Hoseam Prophetam.*

*VI. In Epistolas ad Ephesios, Philippenses, Colossenses, Duas ad Thessalonicenses, & in primam Iohannis.*

*VII. Miscellaneorum partes duæ, seu libri tres, quibus accesserunt orationes, sententiæ & theses de reformandarum Ecclesiarum ratione.*

*VIII. De incarnatione Filij Dei libri 2. De sacra scriptura tractatus. De Religione Christiana fides. Compendium Doctrinæ Christianæ. Ad Ariani libellum responsio. Ad W. Holderum responsio. De diuinatione. Epistolarum libri 2. Orationes de materijs Theologicis. Aduersus P. Gonedzium Tritheitam. Admonitionis Neostadianæ duo capita vindicata. Variæ Theses Theologicæ. De diuortio, nouísque nuptijs, libri 2.*

Singulis tomis INDICES QVINQVE subiuncti sunt. 1. Capitum. 2. Locorum S. Scripturæ. 3. Rerum, phrasewn & vocum obseruatu dignarum. 4. Testimoniorum, ex Ecclesiasticis scriptoribus præsertim, desumptorum. 5. Quæstionum & Responsionum illustrium.








Sumptibus Samuelis Crispini.

M. DCXIX.

# EDMVNDO GRINDALLO ARCHIEPISCOPO EBORACENSI, ANGLIÆQVE PRIMATI AMPLISSIMO:

HIERONYMVS ZANCHIVS, GRATIAM ET Pacem à Deo optimo Maximo P.

***

MAGNA profectò est Reuerendissime Antistes Edmũde, hominum, cùm in alijs plerisque omnibus rebus agendis, tum maximè in eo studio deligendo & persequẽdo, in quo suam quisque gloriam & felicitatem consistere iudicat, vanitas, stultitia, insania. Vt non immeritò Salomon, omnium suo tempore hominum sapientissimus, scriptum reliquerit, & hominem vanitatem esse vanitatum omnium maximam, & stultorum infinitum esse numerum. Cùm enim ad summam duæ res, de ipsius quoque Salomonis sententia, quærendæ nobis sint in hac vita, quibus in rebus sita est tota hominis salus, ac felicitas, vna quidem, vt verũ, à quo sumus, per quẽ seruamur, in quem tendimus, Deum cognoscamus cognitũque timeamus, hoc est, debito & legitimo cultu colamus: altera verò, vt mandata eius seruemus, hoc est, vt vitam hanc ex ipsius voluntate, non etiam sic & sanctam non simulatè, sed in ipsius conspectu, transigamus: rarus admodum numerus eorum mihi esse videtur, qui in vtriusque rei studium ex animo incumbãt. Sed plerique omnes, omnes nimirum, qui spiritu Dei destituti sunt, suas cogitationes, consilia, studia, conatus, vires ac neruos in quiduis aliud intendunt: quàm vt aut Deum verè cognoscant, & timeant, aut vitam suam, ad eius voluntatem, in verbo reuelatam, conforment. Alij enim toti in hoc sunt, vt disquirant, inuestigent, intelligant omne, quod fit sub cœlo: multamque scientiam, tum rerum à Deo conditarum, neglecto earum auctore: tum eorum, quæ ab hominibus geruntur, aut scribuntur, abiecta cura cum illis honestè iustèque viuendi, sibi comparent: quòd in hac multiplici rerum cognitione, veram existiment consistere hominis beatitudinem. Ita miseri homines, sine pietate in Deum, sine charitate in proximum, & verò etiam sine bona in seipsis conscientia: in hac vana scientia, tanquam in supremo bono acquiescentes, & sibijpsis perbellè placentes, nihil præterea ad summam felicitatem sibi deesse putant: cùm tamen vel in ipso studio sese augendi scientia, tot miseri sint: quippe qui, quò plus scientiæ acquirunt, eò etiam plus sibi laboris & afflictionis spiritus addunt. Alij sunt, qui præterquam quod prioribus similes, Deum cognoscere non curant, deque altero nihil sunt seculo soliciti: toto etiam hoc studio varias comparandi scientias contemto, omnem id dant operam, vt omni procul animi tristitia atque molestia, in magna lætitia & gaudio, cum bona tum corporis valetudine, tum sui nominis existimatione, præsentem hanc vitam, commodam, quietam & tranquillam, pace cũ omnibus, quoad eius per ipsos fieri potest, seruata, traducant: quòd hoc demum vitæ genus, verè beatum & felix esse censeant. Ac proinde talis vitæ degendæ causa: & quascunque possunt, sine aperta cuiusquam iniuria, sibi suisque colligunt opes: & ab omnibus illis rebus, quæ animi quietẽ turbare, aut corporis valetudini obesse, aut boná de se famá inquinare possunt, diligenter cauent. Verùm hi quoque miseri & vani sunt homines. Nã, vt taceam, quòd rerum humanarũ scientiá contẽnere, summæ est stultitię: & vt etiá silentio prætereá, quòd sine vera Dei, & Christi cognitione neq; omnẽ animi tristitiá, cruciatumq; inprimis conscientiæ vitare: neque contrà, veram lætitiam solidumque gaudium sibi comparare quis potest: an non ipsis quoque perinde atque alijs tandem moriẽdum fuerit: & ita præsens ipsorum felicitas finem est habitura? Tunc verò, & ea, quæ ab ipsis congesta sunt, & ipsi qui congesserunt, cuius erunt? Ergo neq; isti vanitatis & stultitiæ nomen euadere possunt: cùm totá hanc ipsorũ curá, iá Christus stultitiam, quàm Salomon vanitatem appellet afflictionemque spiritus: quæ causa est, vt licet ijs omnem etiá addas rerum cognitionẽ, in cuius studiũ superiores toti incumbunt, nihilominus tamen futuri sint semper miseri, & infelices, nisi accedat vera Dei cognitio, & serium eius colẽdi studiũ. His tamen duobus stultorum generibus multò insaniores & infeliciores illi profectò sunt, qui præterquam quòd nihili faciunt tum cognitionem Dei, tum tot tantarumque rerum, quæ partim à Deo conditæ sunt, partim quotidie fiunt, & per homines geruntur, atque scribuntur scientiam: nihil etiam curant, quid pium aut impium sit, æquum vel iniquum, honestum vel turpe: sed posthabita omnis pietatis, æquitatis, honestatis ratione, toti in hoc intenti sunt, vt quo iure, quáve iniuria, diuitijs affluant, potentia emineant, & multis cuiusuis generis, magnisque voluptatibus toto corpore perfruantur, homines palàm scelerati, atque perditi. Quasi verò in hoc flagitiosissimo vitæ genere, quod magis belluas quàm

homines decet:humana felicitas,vllo modò consistere possit. Nam etiamsi iustè,honestéque ea omnia consequi possis:tamen sine Dei timore,totum istud, mera fuerit vanitas. Vadam (inquit Salomon) & affluam diuitijs,& fruar bonis:& vidi hoc quoque esse vanitatem. Quantò verò magis,si accedat etiam impietas, atque iniquitas, & turpibus tete tradas libidinibus constringendum? Neque verò certè minor est hypocritarum amentia, atque vanitas, qui cùm reuera Deum ignorent, nullo synceto eius timore teneantur, intusque non minùs pleni sint fœdissimarum iniquitatum, quàm sepulchra ossibus fœtentium mortuorum:sese pro omnium sanctissimis venditant,merita iactant,omnia arcana Dei consilia sese tenere gloriantur,confidunt se duces esse cæcorum,lucem eorum qui sunt in tenebris,eruditores insipientum,magistros infantium, qui denique posteaquam nihil non scelerum ac flagitiorum,tum animis suis conceperunt,tum externo etiam opere,quantum per hypocrisin licuit,perfecerunt,tamen totum illud putant se suis vanis superstitionibus compensare,vitamque æternam sibi promereri posse,quasi verò aut Deo possit illudi, aut nostræ iniquitates tam parui sint momenti, leuisque ponderis, vt nostris puerilibus nugis expiari tollive possint. Quanta est obsecro hæc cæcitas atque insania?

Etsi verò quatuor hæc hominum genera,plena sint,vt appatet,stultitiæ & vanitatis:illi tamē mihi omnium,non dicam vanissimi & stultissimi,sed amentissimi & deploratissimi esse videntur,qui bellum illudq; apertum cum Filio Dei suscipere audent. Quid enim insanius, quàm contra illum pugnam instituere,eiusque iram aduersus te prouocare,cui minus par sis viribus,quàm catellus elephāto,aut leoni:imò quàm lutum figulo? vt meritò dixerit Iesaias, Væ insurgenti in factorem suum. Quis rex (inquit Christus) proficiscens ad committendum prælium aduersus alium regem, non sedens prius consilium init: an possit decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus eum adoritur? Quæ verò comparatio inter vires Christi filij Dei omnipotentis,eiusque vnigeniti:& inter vires filiorum hominum, aut esse, aut excogitari potest? Pater meus (inquit Christus) maior omnibus est.Ego autem & Pater vnum sumus.Et Pater ad eum,Sede (inquit) ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.Et alibi:Sceptro ferreo confringes eos,veluti vasa figulina comminues eos.Et in Apocalypsi ei datur,quòd exierit vincens,vt vinceret. Quis igitur victoriam contra Christum sperare queat? Est enim (vt ait Iob) sapiens corde,& prævalidus viribus:cui,qui se peruicaciter opposuit,huic nunquam feliciter cecidit. Proinde optimo iure Paulus summæ arguit insaniæ eos,qui sese Christo opponere audent:in hæc scribens verba,An prouocamus Dominum? num fortiores illo sumus? Annon verò manifestum Christo bellum faciunt,hostesque eius apertos sese profitentur,qui suas in eum stringunt linguas & calamos:vt his suis armis, eum è solio Deitatis ac maiestatis ipsius,quantum in eis est,deturbent:contendentes,talem ei maiestatem & gloriam neque deberi,neque conuenire? Si ergo omnes Christi hostes, & quicunque ei resistunt,tandem succumbant,pudefiant,sceptro eius ferreo conterantur,& pedibus eius subijciantur oporter:quæ tandem est horum vecordia,qui aduersus eius Deitatem & gloriam arma sumunt? Annon vident,quidem tandem exitum habuerint omnes Simones,Cerinthi,Ebiones, Samosateni, Arij,Photini, & alij Christi hostes.

Cæterum duo sunt horum Christi hostium genera.Quidam sunt,qui eum nunquam, quid reuera sit,nouerunt:quales permulti sunt inter Iudæos:& plerique omnes Turcæ. Certè neque ij quidem euadent,quin suæ stultitiæ,qua negligunt cognoscere Christum,pœnas dent suo tempore.Effunde iram tuam (inquit David) in gentes,quæ te non nouerunt:de ijs tamen propriè non loquimur in præsentia.Alij sunt qui Christum non solùm verum Deum esse ex verbi diuini prædicatione nouerunt:sed ei quoque tanquam vero Deo,noui que fœderis auctori, suum dederunt nomen, & signo fœderis obsignati sunt.Quos propterea Christianos appellare solemus: quanquam Christo,in doctrina de æterna eius Deitate aduersantur.Quorum sane duo etiam sunt ordines,vnus eorum,qui simpliciter seducti:alter eorum, qui seductores appellari possunt,& debent.Illi,licèt in horum castra transierint,non pugnant tamen contra Christum,nec alios seducunt: nec verò etiā pertinaces sunt in sententia.Quippe qui in eam aut nondum verè descenderunt,sed dubitant: aut non descenderunt ex animo, sed religione quadam: quòd videlicet sophismatis seductorum decepti, metuant,ne si Christum,vt verum æternumque Deum confiteantur & colant, blasphemi tandem & idololatræ deprehendantur. Hi, quanquam nullam honestam habere excusationem potest tam turpis,vel defectio,vel dubitatio,inter deploratos tamen,haberi non debent:propterea quòd si illo liberentur scrupulo,metuque blasphemiæ atque idololatriæ:spes sit fore, vt in rectā viā ad Christum,tanquam verum Deum colendum,reuocentur: quemadmodum nonnullorum exempla, tam noua quàm vetera recensendo, ipsius Christi veri æternique Dei beneficio, possemus confirmare. Quo fit,vt stultum sit,de omnibus eandem proferre sententiam: id quod neque hic à me fieri, testatum volo.Etsi enim omnes maximæ accuso & leuitatis & perfidię,violatique iurisiurandi:discrimen tamen agnosco inter simpliciter seductos,& seductores:homines,& diabolos.

Alter itaque ordo,in quem propriè nostrum stringimus calamum,eorum est,qui pręterquā quòd perfidè & pertinaciter contra suum iusiurandum à Christo defecerunt: reliquos quoque omnes,ad eandem defectionem suis & verbis & scriptis solicitare,corruptis,sacrilegéque ad hanc rem cōtortis scripturis,non verentur.Annon verò sunt perfidi contra Christum rebellatores, qui eum pro suo vero æternoque Deo agnoscere amplius nolunt,cui tamen vnà cum eius Patre, & Spiritu, tanquam vero Iehouæ,noui fœderis auctori, eiusdem fœderis sacramento obsignati fuerunt: & in cuius tanquam veri Dei fidem,cultum,obedientiam,sanctè iurarunt? Est enim res certissima. Ecclesiā Christi,quotquot vnquam baptizauit,eos semper in Patris,Filij,& Spiritus sancti,tanquā in vnius veri Dei Iehouæ nomen baptizasse,neque vnquam voluisse,quempiam in alterius,quàm in veri Iehouæ nomen baptizare. Quemadmodum nec in Ecclesia Iudaica, quisquam vnquam potuit circūcidi,nisi in nomen Iehouæ,à quo recipiebatur in fœdus. Fatentur hoc,licèt inuiti,ipsi etiam Aduersarij, si

rij, si non verbis, saltem reipsa: dum totam Ecclesiam accusant erroris in hoc dogmate, Patrumque omnium testimonia, & Conciliorum reijciunt auctoritatem. Quo fit, vt fateri etiam cogantur, aut se non fuisse verè baptizatos: (quomodo enim fuit verum Baptisma, si in illius, tanquam veri Iehouæ nomen baptizati sunt, qui verus non est Iehoua?) eoque se debere cum Anabaptistis rebaptizari: idque mutata Baptismatis forma, in nomen scilic. Patris, solius Iehouæ: & in nomen Filij, puri hominis: & in nomen Spiritus sancti, simplicis Dei energiæ: & ita, quem promittunt cultum, vel soli Patri promittere, vel etiam nudo homini & virtuti minimè ὑφισαμένῃ: aut si volunt se fuisse verè baptizatos, necesse est fateantur, se perfidè baptismo renunciasse, dum negant, illum esse verum Iehouam, in cuius tanquam veri Iehouæ nomen baptizati fuerunt: aut si neutrum placet, redeant igitur ad Christum, eumque nobiscum, vt vnum verumque cum Patre, & Spiritu Sancto, Deum colant, adorent. Sed vereor vt hoc faciant: cùm sese pertinaces esse apertè declarent. Annon verò pertinaces sunt in rebellione, Christique abnegatione, qui præterquam quòd nulla volunt totius Ecclesiæ, eaque constanti, confessione & auctoritate moueri: omnia etiam, licet permulta & perspicua Scripturarum testimonia, de vera & æterna Christi Deitate, studiosè eludunt: ne ijs conuicti cogantur veritati assentiendo, ad Christum redire: eumque tanquam verum Iehouam colere & adorare? Porrò dum non contenti sua defectione, alios quoque ad eandem modis omnibus solicitant veritatem negando, & mendacium suadendo: annon idem faciunt officium, quod etiam de principio fecit ipsorum patens Sathan, pater mendacij in omnibus mendacibus: qui quoniam in veritate non perstiterat ipse, alijs quoque eandem rebellionem persuadere, suis semper conatus est, atque conatur mendacijs? Sed non propterea desinet Christus esse id quod est, licet multi desinant ij esse, qui erant: si tamen erant, qui esse videbantur: neque veritas ipsa tolli potest mendacio, quanquam per mendaces multi à veritate abducantur.

Hi itaque illi sunt, quos omnium dico esse hominum non vanissimos solùm & insanissimos, sed etiam perditissimos, sceleratissimos, deploratissimos: cùm tamen videri velint omnium sapientissimi atque sanctissimi. Nam si quis Solem cupiat ita prorsus obscurari, vt non amplius suum hominibus lumen communicet, & hac de causa eidem meridie è medio cœlo lucenti, tenebras, varijs in terra excitatis aduersus illum fumis, offundere conetur: quis hunc hominem, non, vt publicum totius humani generis hostem sceleratissimum, oderit: & simul etiam non, vt hominum vanissimum, atque stultissimum, qui ea tentet, quæ prorsus ἀδύνατα sunt, rideat? Haud dissimiles, nisi etiam execrabiliores & insaniores, sunt ij nostri publici Christianæ religionis hostes: Turcicæ autem paulatim promouendæ studiosi. Deus lux est, dicebat Iohannes. Ego sum lux Mundi, aiebat Christus. Et ipse est lux vera, inquit Baptista, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum: eoque à condito orbe lucens atque illuminans. Et idem a Prophetis Sol iustitiæ appellatur: Mundo in salutem æternam donatus. Hæc autem lux Deitatis Christi lucet in cœlo omnibus sanctis Angelis: lucet in terris omnibus electis fidelibus: lucet subtus terram, ita vt etiam Dæmones eum cognoscant: & ei, tanquam Iehouæ, genua flectere cogantur. In Scripturis verò, tanquam in laterna posita est, ac lucet ista lux, & in finem vsque seruatur: vt harum prædicatione, in totum orbem, ad omnes Gentes perferri possit. Quid verò hi nostri Antichristi? Lucem hanc extinctam cupiunt: atque vt ne luceat amplius, nihil non agunt. Verùm enimuerò suis fucis vanisque fumis, nunquam efficient stulti atque amentes, vt aut Christus desinat esse lux vera, verusque Iehoua: aut hæc lux eripiatur Angelis, electisve hominibus, ita vt qui filij sunt lucis, in tenebras pertrahi possint: aut denique vt ex Scripturarum laterna lux ista tollatur. Nihil autem agunt vani perditique homines filij tenebrarum: nisi quòd & sese quales sint, manifestè produnt, & alijs sui gregis hominibus, reprobis scilicet Hypocritis adiumento sunt, vt posita hypocrisi sese palàm cognoscendos præbeant. Annon verò sacræ literæ ea de Christo manifestè prædicant: quæ non nisi in verum Deum Iehouam competere possunt? Annon eum vocant verum & proprium Dei Patris Filium, eumque vnigenitum? Quomodo autem verus est Dei Patris Filius, si non verè ex Patre genitus est? Quomodo etiam proprius, si non ex propria Patris substantia, sed ex aliena procreatus est? Quomodo verò vnigenitus, si non solus est ex Patre genitus? Solus autem ex Patre genitus non est, si homo tantum est natura: in qua certè multos habet fratres, perinde filios Dei per gratiam, quanquam imparem, atque ipse est: si gratiâ duntaxat Filius est Dei. Annon etiam disertè & simpliciter eum vocant Deum, Deum verum, Deum magnum, Deum benedictum super omnia in secula? Quorsum verò sese torquent isti serpẽtes, ex primo illo oriundi, vt hæc torqueant nomina, si amant, vt videri volunt amare, Christum? Hoccine est diligere ex toto animo Christum, totum te in hoc versari, vt eum veræ Deitatis gloria, quam ab omni æternitate accepit, à Patre nascendo, spolies? & quæ ad eius Deitatem astruendam plana ac perspicua sunt, ex varijs contortisque glossematis contra totius Ecclesiæ fidem, contra propriam etiam fortè tuam ipsius, si vllam tamen habes, conscientiam, ita vt torquere: vt omnem libentiùs admittas absurditatem, & Scripturarum corruptelam, quàm vt debitam Christo gloriam ijs nominibus attribui patiare? Egregios scilicet Christi amicos, haud absimiles illis, qui eum genibus flexis Regem Iudæorum per ironiam vocabant salutabantque: interim tamen, propterea alapis & bacillis eum cædebant, quia se Regem Iudæorum esse docuerat: cùm quæ de se Rege, deque suo Regno dixerat Christus, ea facilè & potuissent & debuissent ita interpretari, dictisque Propheticis confirmare, vt intelligerent Regem eum esse spiritualem, eiusque regnum esse cœleste; non autem de hoc Mundo.

Tales planè sunt nostri Francisci Dauidis & Blandratæ lumina scilicet Mundi. Quia Apostolus ait, si quis non diligit Dominum Iesum, sit anathema maranatha: idcirco nunquam minimèque ferent, vt Christum dicantur non amare: multò verò minus, eius esse hostes prædicentur. Interim verò quid non effugiorum, latebrarum, & sophisticæ meditantur die ac nocte, aduersus omnia etiam luculentissima Scripturarum loca, quæ non contorta, sed plano sensu intellecta, veram æter-

namque diuinam naturam Christo, sanctoque eius Spiritui perspicuè attribuunt? Scripsit Cicero amicitiam nihil aliud esse, nisi omnium diuinarum humanarumque rerum cùm beneuolentia & charitate summam consensionem. Quis igitur hîc est amicitiæ locus: vbi ne consentitur quidem, vt illis simpliciter verbis Christum nominemus, quibus eum appellauit Spiritus sanctus: hoc est, quibus Christus seipse, per Spiritum suum in Apostolis, nominauit: nomine scilicet Dei veri, Dei magni, Dei qui est super omnia benedictus: Dei qui redemit Ecclesiam suo sanguine: Denique Dei qui manifestatus est in carne? Has enim similésque locutiones, aut simpliciter de Christo intelligi negant: aut mirabiliter, quæ ipsorum est audax impudentia, corrumpunt: vt non talis Deus esse Christus intelligatur, qualem hæc prædicant nomina.

Dicant quidquid velint κακοδαίμονες, hanc procul dubiò inuident Christo gloriam: quòd vetus Iehoua, in Scripturis prædicetur, & vnà cum Patre sanctoque eius Spiritu, pro vno & eodem Deo in Ecclesia habeatur, inuocetur, colatur, adoretur. Nam quum diligenter apud me perpendo, quid nam illud causæ sit, à quo ad hanc contra Christum inprimis pugnam impellantur hæc monstra: nullam aliam videre possum, nisi quia spiritu Sathanæ afflati, & inflati: sicut ille perpetuo Christi odio afficitur, & omnem ei gloriam inuidet: sic isti exeduntur, quòd videant Christum pro vero Deo Iehoua in Ecclesia adorari & prædicari. Nam dicere nequeunt, nisi velint impudenter mentiri, (quod tamen si faciant, non debet vsque adeò mirum videri) se ad hoc, ab amore erga Christum adduci, sicut antè ostensum est. Amor enim verus efficit, vt quibuscunque potes in laudem & gloriam eius, quem amas, sine mendacio, & citra cuiuspiam iniuriam vti: ea liberè, & sine vllo metu vsurpes: tantum abest, vt contra amati honorem, ea torquere verus possit amicus. At neque sine mendacio, neque sine Patris iniuria, Christum appellari posse contendunt: idque pertinaciter. Se itaque & tanti mendacij corrigendi, & gloriæ Patris vindicandæ causa: dicta scripturarum, in quibus Christus vocatur Deus, aut Iehoua, interpretari de Deo, qui non natura, & ab æterno, vt Pater: sed gratia, & officio Deus sit in tempore. Verùm quis hos homunciones constituit iudices verborum Spiritus sancti, & vindices gloriæ Patris, aduersus gloriam Filij? Quæ porrò isthæc est audacia, Spiritum sanctum, & Patrem ipsum perstringere mendacij? Id quod certe faciunt, dum simplicia planaque eius verba, de æterna Christi Deitate, suis putidis commentis corrigere non verentur. Quis enim Christum vocat Iehouam, Deum verum, Deum magnum, vitam æternam, quæ semper fuerit apud Patrem: nisi Spiritus sanctus, nisi Pater ipse, & Filius, qui omnes vnus planè & idem Iehoua, in Prophetis semper & Apostolis locutus est? Cur addunt verbo Dei, vt quem ille vocat simpliciter & absolutè Deum verum: ipsi miseri homines, cum non alia ratione Deum esse audaciter impudenterque contendant, quàm officio, quàm plenitudine donorum, quàm gratia & priuilegio? quod sanè nil aliud est quàm negare id, quod affirmat S. S. in Iohanne, eum esse verum Deum.

Quæ verò fit Patri iniuria, quòd Filium eius verum, proprium, & vnigenitum, de eius propria substantia genitum esse dicas: eoque non minus hunc quàm Patrem, verum Deum esse prædices? Imo contrà, iniuria afficitur Pater maxima atque intolerabili, si eum gignere è sua propria substantia Filium potuisse neges: & simul turpissimi mendacij notam ei inuris, si talem Filium ex eo natum esse inficieris: cùm id disertè ac perspicuè affirmarit Pater, & per se, & per Apostolos: vt in hisce libris luce clarius demonstratur. Quid igitur, inquies, sibi volt quod ait, gloriam meam alteri non dabo? non est hæc sanè vox Patris tantùm sed & Filij, & Spiritus sancti, qui vnus sunt Iehoua. Ac si Patris etiam solius fuit sermo: nomine tamen ALTERIVS, neque Filius, neque Spiritus sanctus intelligi possunt: quos non solùm à Patre omnino inseparabiles esse, verùm etiam vnum cum Patre demonstramus esse Iehouam. Sed quicquid à Patre alienum est, ad eiusque essentiam non pertinet: illud nomine ALTERIVS significatur. At cùm dicebat Pater, NON DABO, iam communicata erat Deitas, ab omni sc. æternitate, Filio, & Spiritui sancto. Quare quòd veram Deitatem damus Filio, & Spiritui sancto: id neque cum mendacio fit, neque cum vlla Patris iniuria. Nam & Scripturæ id docent: & nihil tamen propterea Patri detrahitur. Imo cum maximo potiùs illud fit Patris honore: quia præterquam quòd ipsius omnipotentia stabilitur, verus quoque Pater esse prædicatur, qualis haberi, & prædicari vult. Egregiam verò horum hominum erga Patrem obseruantiam, & singulare gloriæ illius vindicandæ studium: qui dum Filium ex Patris essentia natum esse negant, eoque illum pro vero Deo agnoscere nolunt, Patrem simul propria spoliant gloria. Quæ est enim alia Patris, qua Pater est, gloria, quam vt sit verus Pater, ex propria Filium substantia generans? Ita sapientes isti diuinique Prophetæ: missi ad nos è cœlo, vt Ecclesiam in præcipuo fidei articulo reforment, & gloriam Patri, hactenus ei iniquè & sacrilegè ereptam, Filióque iniustè traditam, vindicent: verum Deum, verum Patrem esse negando, nullum nobis relinquunt verum Deum. Vbi enim Pater non est verus, & æternus, æternum & verum habens Filium: ibi cum Prophetis & Apostolis, totaque Dei Ecclesia nullum esse verum Deum, dico, aio, proclamo, protestor. Nam qualem quis Filium statuit: talem & Patrem prædicat. Si nullum, nullum: si verum, verum: si æternum, æternum: si Deum, Deum. Quare si Filium nolunt pro vero & æterno agnoscere Deo: nec Patrem habeant verum & æternum, oportet. Ita totius veræ Deitatis euersores esse, Nebulones isti, conuincuntur. At est vnus duntaxat Deus. Quasi verò Filium extra Patrem collocemus, vt alius sit ab illo Deus. Et quasi qui Filium prædicant verum Iehouam sancti Prophetæ, atque Apostoli: ijdem etiam non disertè doceant, Patrem, & Filium, non duos, sed vnum tantùm esse Iehouam: à quo, per quē, & in quē omnia.

Sed stupidi simul & superbi Aristarchi, censores Scripturarum, reformatores Cœli & Terræ, imò etiam, si placet, Dei: quod non capiunt, negant: & quod placet, supponunt: suoque capite Deum & metiuntur, & mentiuntur: ac pro suo captu, nouum, euerso vero atque æterno fabricantur. Verus enim & æternus Deus, sine sua æterna sapiẽtia ex se genita, & sine suo æterno spiritu ex se procedente, qui vera sit substantia, intellectu, & voluntate prædita, esse non potuit, aut potest. Cùm autem isti Numen illud æternum, sua tali æterna sapientia, suoque tali subsistente spiritu spolient:

quid

quid aliud obsecro agunt, nisi quod mutilum Deum, Mundo proponunt: & ex vero Deo, monstrum efformant? Hæc est scilicet admirabilis, stupenda, diuina, & ab omnibus suscipienda sapientia: quam noui isti Dij è cœlo attulerunt. Pudeat, pudeat eos vel Solem ipsum intueri: aduersus cuius Creatorem & gubernatorem bellum suscipere tam impudenter ausi sunt. Nam bellum apertum ab eis indictum fuisse toti Christi Ecclesiæ, tanquam ei, quæ veram æternamque Deitatem, Christo & Spiritui sancto, falsò & cum Patris iniuria, iam inde ab Apostolis huc vsque attribuerit: testantur putidi ipsorum libri. Hanc enim etiam ob causam, doctrinam hanc, quam ab Apostolis, & Prophetis, vt nos demonstramus, acceptam, à Patribus omnibus confirmatam, & in Ecclesia receptam, atque in hoc vsque tempus continuatam, & in finem vsque mundi, inuitis Diabolis continuandam, tuemur, doctrinam Antichristi, eos appellare non pudet: Patribus omnibus, ad hanc doctrinam partē quod attinet, sub eius vexillo collatis, Ignatio, Iustino, Irenæo, Tertulliano, Clemente, Cypriano, & reliquis deinceps, quotquot ad hanc vsque diem, doctrinam, & fidem de Deo à Patribus illis explicatā, & in Concilio Nicæno confirmatam, sequuti sunt, atque tutati. Verùm bellum hoc eos habere susceptum cum ipso etiam Christo, & cum Spiritu sancto, & ex consequenti cum Patre: res ipsa apertè vt vt illi verbis diffiteantur, docet. Partim quia finalis causa huius belli, illis est, vt Filio & Spiritui sancto illam eripiant apud homines, æternam Deitatis gloriam, quam Prophetæ primùm & Apostoli, deinde tota Ecclesia in illis agnouerunt, & adorarunt: ac proinde vt Patrem sua substantia i. sapientia, substantialique spiritu spolient, & ita æternum esse Patrem negent: partim etiam, quia nihil adimere Filio possunt, quin illud etiam eripiant Patri, quando omnia, quæ sunt Patris, eadem etiam Filij sunt: & vicissim quæ Filij, eadem & Patris esse dicuntur. Ita communes hostes, Patris, Filij, Spiritus sancti, & totius Ecclesiæ, deprehenduntur esse hi nostri Gigantes, qui bellum Deo indixerunt. Quare cùm nullo modo dicere possint, se ad hoc bellum Ecclesiæ inferendum, ex amore erga Christum permotos fuisse: neque certè id se fecisse, aut ex zelo, quo mirum in modum affici videri volunt, gloriæ Patris, aut ex amore studioque veritatis, iactare possint.

Causam quidem non postremam, quæ ad hæc incendia Ariana renouanda, & ad Templum non Dianæ, sed Christi, (vt cupiunt) concremandum, illos agitauit ac flammauit: fuisse œstrum ambitionis inanisque gloriolæ, qua cupiuerunt & cœpiunt videri in primo summoque articulo fidei, eoque in fundamento religionis, reformatores esse: ego minimè dubito: cùm hic sit omnium hæreticorum communis morbus. Sed hanc primam & principem esse causam, qua ad tam audax facinus, viles homunculi adducantur: mihi persuadere non possum. Qui enim sola cupiditate gloriæ affecti, aliquid aggrediuntur, hos ego non iudico tam destitutos esse iudicio, vt aliquid audeant, quòd non solùm nullo modo obtineri posse præuideant, sed ex eo potiùs intelligunt plus sibi accessurum esse dedecoris, quàm honoris. Est autem manifestum omnibus ijs, qui aliquo vel mediocri valent iudicio, & sacrarum literarum ignari prorsus non sunt: fore omnino impossibile, vt qui bellum Christo indicit, is vllam sibi inde gloriam comparare possit. Qua in re exemplis eorum omnium qui idem quod isti antea tentarunt, confirmari facilè possunt. Nam si ab vltima antiquitate historias repetamus: videbimus profectò, quotquot bellum inferre tentarunt maiestati Christi: eos omnes tandem turpiter fuisse prostratos, & debitas suæ audaciæ pœnas dedisse. Nunquid enim, inquit Apostolus, fortiores illo sumus? Censeo igitur aliam subesse causam, quæ ad tam nefandum scelus hos homines impellat: nempe quod spiritu Sathanæ agitantur: qui sicut ipse æterno Christi odio exeditur: sic efficit, vt isti malè eidem Christo velint, & Deitatis gloriam inuideant. Vnde enim fit, vt Sathan, Christo semper insidietur? nimirum ex odio aduersus illum. Docet hoc Deus, quum serpenti dixit, Ponam inimicitias inter te & inter semen mulieris. En causam omnis mali. Tu insidiaberis calcaneo eius. En odij effectum. Parat autem insidias Christo Diabolus per sua membra, in quibus efficaciter operatur, Tyrannos, Hæreticos, Hypocritas, palàm sceleratos. Christus ipse hoc idem apertè confirmat, quum ait de Pharisæis, Nunc autem oderunt me & Patrem meum. Alibi verò scribitur, Inuidia Diaboli mortem in orbem terrarum introijsse. Et Christus de Iuda loquens, causamque tam audacis illius sceleris significare volens, non indicauit auaritiam: sed ad spiritum vsque Sathanæ in eo habitantem, tanquam ad principem causam peruenit: & idcirco vocauit eum Diabolum. Mihi itaque dubium non est, quin cur tam in hoc tempore post Seruetum, discipuli eius, Frācisci Dauidis, Blandratæ, & similes fæces, quàm olim Arij, Sabellij, arma aduersus Filium Dei sumserunt: hæc ipsa quam ante dixi principalis fuerit causa: nempe, quia odio Christi, ex spiritu Sathanæ accensi, inuident illi hanc Deitatis gloriam, quam ei à Patre datam, & à Prophetis atque Apostolis prædicatam, vident in Ecclesia credi, agnosci, adorari. Sic Ignatius in Epistola ad Antiochenos, quæ nona est, eos qui Christum, vnum cum Patre Deum esse negant, vocauit Diabolos, ijs vtens verbis: πᾶς οὖν ὅστις ἕνα καὶ μόνον θεὸν καταγγέλλει, ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος, διάβολός ἐστι, καὶ ἐχθρὸς πάσης δικαιοσύνης. Et Tertullianus contra Praxeā, nihil à Iudæis differre docet, quicunque ita vnū Deū cōfitentur: vt Christū non agnoscant in hoc vno Deo. Certū est Iudæos hoc cū primis morbo Sathanico laborare & enecari: quòd inuideant Christo hanc æternam, quā nos prædicamus Deitatem. Quæ cū ita se habeāt: apparet nihil esse hoc hominū genere vanius, insanius, infelicius, deploratius.

Proinde hoc altero hostium, tanquam deploratissimorum, ordine contemto, prioris, hoc est, eorum, qui aut tantùm hærent, aut licèt sententiam mutarint, non id tamen fecerunt ex odio Christi, eoque nec pertinaces sunt: aliqua nobis habenda est ratio. Nā etiā Christus horū causa venit in mūdum: non autem propter reprobos, nisi quatenus voluit eos suo aduētu inexcusabiles reddi. Ad hos itaque minimè negligendos fratres, qui scrupis blasphemiæ & idololatriæ premuntur, æquū est vt nostram parumper conuertamus orationem: quò liberati illo metu, alacriori animo ad totum hunc librum perlegendum se conferant: & ad Christum, vnum cum Patre, & Spiritu sancto Deum, colendum redeant. Non est cur metuas, frater, quisquis es, qui metuis, ne aut blasphemus, aut idololatra esse conuincaris: si Christum, non minùs, quàm eius Patrem, Deum esse confitearis:

& eodem cultus genere, tam vnum, quàm alterum, imò vtrumque simul colas. Contrà potiùs, si verum æternumque Deum eum esse neges, blasphemus fueris. Cedò enim mihi, quandónam Apostolus se fuisse blasphemum scribit? quum infidelis esset, negans Iesum non tam esse Christum, quàm proprium Dei Patris Filium, verúmque Deum: & quum hanc ob causam persequeretur Ecclesiam, quæ illum vt verum Deum, adorabat inuocabatque. Dicendo itaque se tunc fuisse blasphemum, quum talis esset aduersus Christum: contrà, apertè docet se tum demum à blasphemia resipuisse, quum prædicauit, & defendit Iesum esse Christum, Filium Dei proprium, verumque Deum, Deum magnum, Deum supra omnia benedictum. Hinc luculenter apparet, quis blasphemus dicendus sit, & quis non dicendus. Blasphemus est, qui negat, nō autem qui confitetur, & prædicat, Iesum Christum verum esse æternumque Deum. Annon Prophetæ eum prædicarunt Deum Iehouam, & Apostoli Deum verum? Num ideò Prophetæ & Apostoli blasphemi sunt, imò Spiritus sanctus in Prophetis & Apostolis? At inquies, Præceptores nostri aiunt hæc & similia dicta, sic esse intelligenda: vt nihil aliud doceant, quàm Christum esse Deum ex officio, plenitudineque donorum: & quidem talem effectum esse Deum, postquam factus est homo: nō autem quòd Deus sit natura & ab æterno. Nouimus hæc ab illis dici: sed quàm verè, in hisce libris apparebit. Nos enim contra ex verbo Dei demonstramus, Christum prius, hoc est, ab æterno fuisse Deum: deinde in tempore factum esse hominem. Vnus autem nobis est magister, semper & solus audiendus Iesus Christus: qui locutus est in Prophetis, & Apostolis, vt Petrus & Paulus docent. Quæ verò est horum interpretum auctoritas: qui membra quidem Ecclesiæ sunt, à qua ita turpiter defecerunt, vt apertum ei bellum faciant? Qualis porrò est ipsorum interpretatio: quæ neque ex sacris literis vllum habet testimonium, neque cū analogia fidei consentanea est? Nam neque vllæ scripturæ docent, Christum factum esse Deum postquam genitus est homo, eóque Deum esse officio, non autem natura: sed contrarium nos ex illis apertè euincimus. Neque item talis istorum hominum interpretatio cum summa fidei doctrinæque Apostolicæ, vbi confitemur Christum Filium Dei esse vnigenitum consentanea est. Qua ex voce manifeste colligitur, Christum, si solus genitus est ex Patre, ex Patris substantia genitum esse, eóque verum esse Deum. Quid igitur causæ est, cur propter priuatam, eamque impiam, & manifestè contortam, vnius aut alterius noui obscurique hominis interpretationem, à recepta, perque omnia secula retenta in Ecclesia Christi deficias fide?

At detrahi aiunt Patri, si alij præter eum, eandem æternam, veramque Deitatem tribuas. Ita sanè, si alij, hoc est, ab ipsius substantia alieno: minimè verò, si alij in eadem essentia personæ. Patrem enim in primis & κατ' ἐξοχὴν credimus & confitemur verum, æternumque Deum: deinde, & Filium, & Spiritum sanctum. Imo ideo Filium verum æternúmque Deum dicimus: quia Pater eius, ex quo natus est, verus est & æternus Deus. Filius autem ab ipso Patre inseparabilis est: quia semper in Patre Filius. Tantum igitur abest, vt quia Filium credimus & confitemur verum esse Deum, quidpiam detrahamus Patri, vt potius hac ratione Patrem supra omnia euehamus, & κατ' ἐξοχὴν Deum verum prædicemus. At hoc pacto duos à nobis fieri Deos contendunt. Minimè verò facimus: cùm vnam & eandem, vtriusque essentiam, ac Deitatem prædicemus: vnumque Iehouam esse fateamur, licèt plures, distinctosque Elohim esse concedamus. At hoc ἀδύνατον est. Ἀδύνατον vocas quod ita se habere docet verbum Dei? Audi Israel, Iehoua אלהינו Iehoua vnus est. En plures Elohim omnesque nostros: vnum autem Iehouam. At hoc capere non possum. Hæc totius mali causa est: tua nimirum cæcitas, cum animi supercilio coniuncta. Sed num ideò tibi negandum est, quod Deus affirmat quia illud quomodo se habeat, percipere nequis? Huic morbo medicinam facit Christus optimam quum ait, si velimus eius esse discipuli, debere nos abnegare nos ipsos: atque in primis quidquid prudentiæ in nobis est, quæ cum Dei verbo ex diametro pugnat; Ea enim est, vt Apostolus docet, inimicitia aduersus Deum. Atque hoc est sabbathum, quod ita apud Prophetas vrgetur, vt nihil sceleratius illis sit, quàm Sabbathi violatio. Est enim audiendus Dominus, non autem prudentia carnis nostræ. Hoc extra omnem est controuersiam, illum non esse blasphemum, qui Christum pro tali agnoscat, habeat, confiteatur Deo: qualem Spiritus sanctus in Prophetis atque Apostolis esse pronunciat. Pronunciat autem eum esse Deum verum, Deum magnum, Deum supra omnia benedictum: & Iehouam esse, sicut & Patrem. Quam igitur metuis blasphemiam? Atque hinc quoque manifestum fit, alterum scrupulum nempe, si Christum vt verum Deum adores, colas, inuoces, idololatriæ, vanissimum esse. Si enim blasphemus non est, qui Christum pro vero, æternoque Deo agnoscit, ac prædicat: neque etiam idololatra esse potest, qui eum, vt talem Deum adorat & colit, maximè cum accedat & Patris præceptum, & omnium piorum totiusque Ecclesiæ exemplum. Pater enim iubet, Christum Filium suum, etiam ab Angelis omnibus, adorari: id quod & ab Angelis, & à piis omnibus semper est factum, & fiet in finem vsque seculi, inuitis Diabolis, & in sempiternum: quemadmodum in ipso etiam Apocalypseos libro perpulchrè docetur. Neque est, cur sophista aliquis excipiat, esse quidem Christum adorandum: verùm non vt æternum Deum, sed vt Deum officio & factum: neque eo adorationis genere, quo Pater adorandus est, sed longè alio. Vbi enim Scripturarum istam legis distinctionem? & cur tu diuidis, quod Deus coniunctum vult? eodem certè adorandi verbo, & ex eodem Psalmo vtitur Pater apud Apostolum, de Filio dicens, & adorent eum omnes Angeli eius, quo verbo & in quo Psalmo Dauid vsus est de Patre dicens, Adorate eum omnes Angeli eius. Quid tu igitur (malùm) alium cultum, aliamque adorationem assignas Filio, & aliam Patri? Imò ne Christus quidem ipse, alio se honoris genere honorandum esse, ex voluntate Patris docuit, quàm Pater honorandus sit, sed eodem planè, quum dixit, Ideò omne iudicium datum esse sibi à Patre, vt omnes honorent Filium, καθὼς honorant Patrem: neque alia in se fide credendum, aliâve spe in se sperandum esse, quàm qua etiam in Patrem credere, & sperare debemus. Creditis in Deum (inquit) & in me credite. Nec denique alio inuocationis genere Christum, & alio Patrem inuocandum esse,

docuerunt

docuerunt Apostoli. Omnes autem, vt dictum est, homines, & omnes hominum actiones, religiones, & cultus, non ex hominum glossematis & distinctionibus, sed ex sua simplici doctrina iudicaturus est Christus iustus iudex. Ad extremum quomodo cohæret Antichristorum doctrina, Christum esse Deum, non natura, neque æternum, sed officio, & in tempore factum, eoque longè alium à Patre Deum: & tamen eundem, vt talem Deum, nescio quo adorationis genere esse adorandum? aliter certè docet Spiritus sanctus, quum simpliciter ait: Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Sic enim legunt LXX. Interpretes, πρόσφατος. Et Moses obijcit Israelitis, quod sacrificarint Dijs חדשים nouis, quos non nouerunt Patres eorum, quo loco docetur, caueri lege Dei, ne vllus recens Deus, hoc est, non æternus, adoretur, colatur, inuocetur. Aut igitur Christus nullo modo adorandus est, vtpote Deus recens, & Deus alienus: aut æternus sit, & ea re, vnus idemque cum Patre Deus oportet. Certum est, ab ijs, qui Christum negant æternum, & docent in tempore eum factum esse Deum: mundo obtrudi recentem, alienumque à vero Iehoua Deum: eoque plures Deos doceri, vnum æternum, alterum temporalem: vnum rerum omnium factorem, alterum factum, quo quid execrabilius, & magis horrendum excogitari potest? Iterum dico: aut Christus æternus est, idemque cum Patre Deus Israel: aut recens, & alius à Patre Deus. Constat enim in scripturis, Christum appellari Deum. Si illud primum: non est igitur aut blasphemus, aut idololatra; qui eum pro tali confitetur Deo, & colit. Si alterum: impijssimè itaque & contra mandatum Iehouæ agit, eoque blasphemus & idololatra est, quicunque Christum vt talem admittit Deum, eumque adorat, in eum credit, in eum sperat, eum inuocat, per eum iurat. Æternum enim est, firmumque & ad omnes pertinens, Iehouæ præceptum: Ne feramus in Ecclesia, neque adoremus Deum recentem, atque alienum. Qualis igitur obsecro doctrina est aduersariorum, qui Christum, Deum esse prædicant, & adorandum docent, quia sic liquidò tradunt Scripturæ: & interim eundem negant, tum æternum esse, tum vnum eundemque cum Patre Deum: quia sic docet Seruetus? Ita apparet, si Scripturæ omnes inter se sunt consentientes, & veræ: nihil esse certius, quàm neque blasphemiam, neque idololatriam esse metuendam illis, qui Christum tanquam verum, æternum, eũdemque cum patre Israelis Deum, confitentur & colunt.

Sed quid (inquies) si fortè Christus in die Iudicij, inexcusabilem ignorantiam mihi obijciat: debuisse nimirum me dicta Prophetarum & Apostolorum de sua Deitate, deque se adorando ita interpretari, vt alio modo illum esse Deum crederem, eoque alio cultus genere adorandum, quàm sit Pater? Istud minimè tibi est metuendum, frater, nisi velis, Scripturas, vt iam dictum est, secum pugnare: & tibi recentem, alienumque proponere Deum. Ac semper habebis, quo te ante tribunal Christi tuearis: nempe hunc in modum. Neque tu, ô Domine Iesu Christe, discrimen hoc mihi indicasti, neque Ecclesia tua: vt alio sanè modo Deum te esse crederem, aliove cultu adorarem, quàm Patrem tuum. Cur ergo debuissem ego quidpiam tuo addere verbo, in fraudem gloriæ tuæ? præsertim cùm tua gloria nihil cum Patris gloria pugnet: sed vnam & eandem esse, tu ipse per Prophetas & Apostolos apertè docueris: & hanc fuisse voluntatem Patris significaueris, vt sicut honorabam Patrem, sic etiam honorarem te Filium. Ego item ex tuorum Prophetarum & Apostolorum doctrina, persuasum habui, te mihi non minùs amandum fuisse ex toto corde, & ex tota anima, quàm Patrem tuum, qualis autem fuisset obseruantia erga te mea, si dicta de tua Deitate, alio modo voluissem, quam quæ de Patre tuo erant, interpretari: cùm nõ minùs legerem, te Iehouam & Deum verum esse, quàm de Patre prædicent Scripturæ? Equidem iudicaui, & rectè scio iudicaui, me falli non potuisse, si te pro tali Deo agnoscerem, & colerem: qualem te prædicarunt Prophetæ & Apostoli. Id quod etiam nunc persuasum habeo, & semper habebo: quia errare non potui, tuum purum putum sequendo verbum, nisi tu quoque per Apostolos docendo, aut erraueris ipse, aut me fallere volueris. Sed neque error in te tuamque doctrinam cadere potest: neque tu potes quempiam fallere, sicut neque falli. Quòd si qui falluntur, suo vitio falluntur, quippe qui falli volunt: dum verbi tui puritate non contenti, sua illud sibi tenebricosa carnis sapientia, obscurum obtectumque reddunt: corde à te auerso, quiduis aliud in tuis Scripturis, quàm te quærentes. At quibus cor à te conuersum est, & te vnum quærunt, in simplicitate sermonis tui acquiescentes: ij, vtpote liberati naturali velamine per Spiritum tuum, errare de verbis tuis fallive non possunt. Quid verò si (vt quod omnino ἀδύνατον est, liceat mihi ad extremum per concessionem dicere) quid, inquam, si ego coram te conuincar, ô Domine Iesu, errasse, & ideò errasse, quia cum tota tua Ecclesia tuum simpliciter verbum secutus sum, nunquid proptereà huiusce me erroris debeat pœnitere? Certè non potest, malo enim simplici tuo verbo duce errasse, & errando te vt verum Deum glorificasse: quàm humano ingenio eruditus, tuum sermonem in fraudem honoris tui glossando, plus quàm postulabat pietas, sapuisse: & plus sapiendo, te minùs, quàm aut doctrina tua postulare mihi videbatur, aut meus erga te amor, & tua, in quam me recepisti amicitia flagitabant, honorasse. Huc accedit quòd vt non potuit te plus amare, quàm debebam: ita noui ex verbo tuo, me non potuisse plus tibi, quàm ex officio tenerer, honoris deferre. Illud enim me non latebat, ita honorandum esse Filium: sicut honoramus, honorareque debemus Patrem. Neque credidi te inclementiorem & inhumaniorem esse, quàm sint inter homines viri boni. Quis autem Princeps tam agrestis & barbarus sit, qui de aliquo suo, suique obseruantissimo famulo conqueratur: quòd nimiùm se amarit, quòd nimis benè de se senserit, quòd denique nimiùm se ciuiliter honorarit?

Certè sicut non nimis angustè, atque humiliter credimus, & loquimur, de tua humana natura; qua Filius es Mariæ primogenitus, quum te hac natura per omnia, excepto peccato, matri nobisque omnibus similem, tuo ex verbo prædicamus: ita neque possumus nimis amplè nimisque magnificè de tua sentire Deitate: cuius respectu, Filius es Dei vnigenitus: si ea te omnino æqualem esse Patri, ex tuo Apostolicoque sermone iudicamus, & profitemur. Quòd si etiam hanc ob caussam, nimirum, quia te æterna Deitate æqualem esse prorsus Patri, imò vnum & eundem cum Patre Deum,

ideò credere volui, & glorificare, quia sic non tam mihi, quàm toti tuæ Ecclesiæ visi sunt sensisse & docuisse Prophetæ & Apostoli tui, dandæ mihi sint pœnæ: non grauabor eas luere. Mihi enim satis est quòd animo, quantum potui sincero, te amaui & honoraui, sicut te honorandum esse ex tuo ipsius diuino sermone iudicaui. Ac noui illud perspectumque habui, suis commodis grauiter angi, non amici, sed seipsum amantis, esse: veri autem esse amici, sine vllo sui vel commodi, vel incommodi respectu, illius, quem ames, honorem, gloriam, salutem quærere. Vtut igitur mihi res cadat, hoc ego duco summæ felicitatis loco: quòd gloria & maiestas tua mihi fuit, & in sempiternum erit cordi.

Cedò, si quis hoc præditus animo, & hac responsione munitus, sese ad tribunal æquissimi Iudicis Christi sistat: fierine vnquam poterit, vt is propter talem de Christo fidem & confessionem, ab ipso Iudice Christo vel accusetur, vel damnetur blasphemiæ? Absit hæc ab animo tuo, ô Frater, tam sinistra de Christo æquissimo, humanissimo, & clementissimo, tamque iniqua cogitatio. Præsertim cum scriptum sit: Ego diligentes me, diligo. Et, Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum. Cui enim ille fecisse iniuriam dici poterit, qui id, quod suprà diximus de Christo, senserit, prædicauerit, atque ingenuè confessus fuerit? Christóne ipsi? Minimè verò. Tum quoniam id de eo credidit, prædicauit, & confessus est: quod sancti Prophetæ & Apostoli, iudicio totius Catholicæ Ecclesiæ, omnino sensisse & credidisse videntur: tum etiam, quia, licet sanctorum Prophetarum & Apostolorum verba in alteram etiam sententiam, quam scilicet aduersarij nostri sequuntur, intelligi possent: tamen in eam potiùs inclinare piè voluit, quæ, præter quàm quòd toti semper Ecclesiæ, tanquam vera & genuina, probata fuit: plus etiam honoris Christo tribuit, quàm in eam, quæ minùs. Metuẽdane hic fortè est offensio Patris? At is non tàm parùm amans Filij sui vnigeniti est, vt aut hanc ei gloriam inuidere, aut ijs qui eum quàm potuerunt maximo affecerunt honore, succensere possit. Præsertim cùm Filius hanc docuerit esse ipsissimam Patris voluntatem, vt omnes honorificent Filium, sicut etiam honorificant Patrem. Deinde tanta est inter Patrem & Filium consensio: vt quem Filius non condemnat, eum nec Pater ipse queat condemnare. Et qui habet Filium, is & Patrem habet, nempe propitium, ait Iohannes. Neque verò est, cur aliquis vel Anthropomorphita, vel Eutychianus, vel alius quispiam, hac, quam antè posuimus, concessione, ad sua somnia, ex nudo Dei verbo, nulla admissa eius interpretatione, stabilienda, abutatur: cùm longè diuersa sit ratio eorum locorum, quibus illi ad imponendum abutuntur: & eorum, è quibus nos æternam Christi Deitatem colligimus. Illa enim figurata cùm sint, puta cùm dantur Deo humana membra, & similia: vt nudè accipiantur, non ferunt aliæ apertæ Scripturæ, quæ sine vllo loquentes tropo prædicant Deum esse spiritum: atque ita de reliquis. Testimonia verò de Deitate Christi, cùm nulla sint figurata, omnia eundem pariunt sensum, quem nos ex verbis, citra humanam glossam, colligimus: imò quem vniuersa nobis adfert Scriptura: & ideò ea in re nullo modo errare possumus. Sed ideo suprà vsi sumus concessione quadam, quam tamen diximus esse ἀδύνατον, vt quàm bona sit nostra causa clariùs ostenderemus: eoque nihil esse periculi, si quis Christum, vt verum æternumque cum Patre Deum adoret, sicut pro tali adorandum esse tradunt Scripturæ, doceremus. Nam, etiamsi sacræ literæ tantùm docerent, Christum esse Deum, & (vt docent) verum Deum sine vlla addita declaratione, nimirum vel ea, quam Antichristi fingunt: vel etiam ea, quam nos cum Ecclesia sequimur: tamen, bona conscientiâ, eandem ipsi cum Patre Deitatem tribueremus: quia hunc sensum parit τὸ ῥητὸν, quod certè ipsorum non fauet glossis: quippe quæ detrahunt Christo, quod ei τὸ ῥητὸν luculenter tribuit. Iam verò cùm totus consensus Scripturarum, nostram interpretationem probando, illorum glossam repudiet: quid certius esse potest, quàm nos nō solùm non peccare, Scripturas de Deitate Christi sic accipiendo, vt accipimus: sed contra potius nos grauissimè peccaturos, si aliam interpretationem, quàm quæ immediatè ex talibus dictis sese offert, comminiscamur? Quapropter, vt ad rem redeam, & vt iam tandem aliquando finem de hisce rebus, hic dicendi faciam: nihil est per se tutius, nihil Patri æterno gratius, nihil Filio eius honorificentius, nihil denique nobis salutarius: quàm si Christum, & credamus, & agnoscamus, & confiteamur, & colamus, vt verum, vt æternum, vt eundem cum Patre Deum, quẽadmodũ semper huc vsque constanter credidit & fecit tota eius Ecclesia.

Ac sicut qui vera Dei cognitione, quæ in solo habetur Christo, contemta, alijs in rebus huius Mũdi, suum collocant studium, vani sunt ac stulti: qui verò hanc cognitionem hostiliter etiam persequuntur, omnium insanissimi, & deploratissimi sunt: sic qui eam firmè retinent, inque ea acquiescũt, eoque Christum, vt verum cum Patre Deum legitimè colunt: hi omnium prudentissimi, sapientissimi & felicissimi sint, necesse est. Norunt hoc omnes pij, & reipsa sentiunt. Nouit etiam optimè, Dei beneficio optimus meus (vt de alijs taceam) Illustrissimus Princeps Fridericus, Elector Palatinus, &c. Id quod neminem latere confido: quippe cuius eximia, & verè Christiano Principe digna pietas, iam diu toti orbi Christiano nota atque perspecta est. Is enim quicquid habet, (citra autem omnem adulationis suspicionem, à qua alienissimus sum, hæc sicut à me scribuntur, sic etiam ab omnibus accipiantur, rogo: tantùm enim in gloriam Dei hæc refero) quicquid inquam, habet, & potest, pro ea, qua donatus est à Domino gratia, totum illud, sicut res ipsa per se loquitur, in hoc cum primis impendit, vt Apostolica doctrina propagetur, & purus Dei cultus in Ecclesijs conseruetur, eaque ratione regnum Christi per totum terrarum orbem amplietur. Huius rei causa, cùm tota pridem de religione doctrina, in ipsius ferè Ecclesijs, fuisset, eius iussu, Dei autem beneficio per doctos ipsius Theologos aliosque viros pios, renouata, cultusque repurgatus: alibi verò, & maximè in Polonia, & in Transsyluania, doctrina de æterna Deitate Christi oppugnaretur, & varia per Germaniam scripta contra hoc fidei Christianæ fundamentum spargerentur: mihi paulò pòst, quàm huc ab se ex Rhetia vocatus venissem, iniunxit, vt hanc de Deo doctrinam explicarem confirmaremque: & aduersariorum tum sententiam refutarem, tum argumenta refellerem. Nuper enim theses, Albæ Iulæ disputandæ, huc missæ fuerant. Harum itaque

theseωn

thesewn occasione factum est, vt hæc περὶ τῆς ἁγίας τριάδος scribendi prouincia mihi traderetur. Miro enim desiderio tenebatur, teneturque pius Princeps, sanè de hoc præcipuo in primis articulo, at tum de alijs quoque omnibus, doctrinæ ita & in suis Ecclesijs conseruandæ, & aduersus hæreticos defendendæ, & vbique terrarum orbis Christiani retinendæ: vt ad ipsos quoque Turcas omnesq; barbaras nationes, quoad eius fieri possit, longissimè, latissiméque propagetur: idque tum ad gloriam Christi, tum etiam, vt omnes fieri participes æternæ salutis possint. Sanctum, veréque Christiano principe dignum desiderium. Sed neque sanctissimis Dei mandatis, ab omnibus obtemperatur. Et D. Paulus multa bona conabatur: sed pios illius conatus sæpe impediebat Sathan. Ego verò, licet maluissem ab aliquo alio, me doctiore (non deerant autem illustrissimo Principi) hanc suscipi prouinciam: ac licet etiam de hoc mysterio, post multa, & magna, eaque præclara aduersus hæreticos, Patrum volumina: multos quoque libros à nostris non minus doctè, quàm piè conscriptos fuisse, & in omnium manus iam peruenisse, non ignorarem: tamen cur iniunctum munus detrectare noluerim, multis illisque grauissimis adductus fui rationibus. Atque in primis quòd præter mandatum mei Principis, cui non obtemperare non poteram: sciebam etiam teneri pios omnes ex officio pro sua quemque virili, gloriam Domini nostri Iesu Christi tueri ac promouere. Quantò minus igitur ego, qui non solùm vt Christianus homo, verum etiam vt Theologus professor, idem omnino debebam recusare tam honestum, pium & debitum potui laborem? Adde quod vt summæ est vanitatis, atque insaniæ aduersus Christum pugnare: ita persuasum habebam, me in nullius reprehensionem incurrere meritò posse, si iussus à meo Principe, fretus verò Christi gratia, in certamen pro eius gloria cum hostibus descendere, calamo auderem. Charitas quoque Christiana, id postulabat: vt nimirum fratribus, iam futuris, quàm præsentibus, opem aliquam aduersus seductores Antichristos, tuendæ partim veritatis, partim suæ ipsorum salutis caussa, pro mea virili adferrem. Quibus accedit, quòd Academia quoque nostra non parum fuit hac de re solicita: propter honorem Dei, & nostrarum Ecclesiarum. Ac iucundum & optabile est pio cuique viro, publicum ac sempiternum suę in Christum fidei, & pietatis testimonium in Ecclesia relinquere. Neque illud mihi silentio prætereundum est, quod ex ijs quæ hactenus diuina prouidentia mihi in Ecclesia contigerunt, quæque à Pelagianis, Eutychianis, Seruetianis, Libertinis, propter defensionem doctrinæ Christianę, piorumque Ecclesiasticorum ordinum perpessus sum: videbar quasi videre, me ad hanc pugnam diuinitus vocari. Nam neque mihi, sicut nec Iehosuæ sacerdoti apud Zachariam, defuit Satan: qui modò per cuniculos, vt hypocrita insignis, modò aperto Marte, vt miles furiosus, adoriretur: impediendæ ædificationis domus Dei causa. Eò verò libentiùs, & diligentiùs ad hoc scriptionis genus, animum adieci, meum: quòd etiam antequam huc venissem, me ad hoc argumenti genus tractandum, & literis committendum, non semel & iterum, neque frigidè ac perfunctoriè, hortatus fuerat Clauennæ cum essemus, clarissimus, & multis nominibus colendissimus in Christo frater, fidus in gubernatione Ecclesiæ collega, meorum laborum & afflictionum strenuus comes, Vlysses (quem honoris causa nomino) Martiuengus, Comes Barchensis, vir verè nobilis atque illustris, sanguine, animo, virtute, pietate.

Ad extremum illa accedit ratio, quòd cùm ab amplissima Academia nostra destinatus essem cōmunibus Theologiæ locis explicandis, huiusce officij ratio postulabat, vt post explicatum locum de Scripturis, haud perfunctoriè de Deo differerem, disputarem, conscriberem: non tam in præsentium auditorum, quàm etiam in absentium lectorum vtilitatem. Quæ res in caussa quoque fuit, cur, quod potuissem paucis aliquot septimanis compendiosiùs meis tradere auditoribus: ad multos menses, publicæ vtilitatis causa, extrahere coactus fuerim. Neque enim à me fieri aliter poterat: qui multis de causis, ad Ecclesiæ emolumentum spectantibus constitueram hac, quam Lectores videbunt, vti methodo, rationeque docendi. Etenim principio vniuersa Biblia percurri: ac quæ de diuina Filij & Spiritus sancti natura occurrerunt testimonia: eorum præcipua (quis enim omnia paucis potuisset complecti?) quàm potui diligentissimè examinaui, & examinata fusè in schola explicaui: quanquam permulta hic à me concisè, & duntaxat summatim posita sunt. Deinde in hunc etiam finem percurrendi mihi fuerunt vetustiores, & præcipui Patres: qui de hoc argumento aduersus hæreticos suorum temporum differuerunt ac disputarunt: nempe vt & hæreticorum illorum sophismata præcipua: & contrà, Patrum ad illa responsiones, sed ad Dialecticam breuitatem contractas, in medium proferrem, atque ita lectores indè perspicuè cernerent, quæ à nouis Antichristis contra sanam doctrinam adducuntur argumenta: ea ferè ex veteribus fuisse collecta, & à Patribus ipsis refutata: vt nil ferè à nouis adferatur, quod non priùs fuerit à veteribus excogitatum. Legenda mihi præterea fuerunt, quanquam magno cum stomacho, nouorum Arianorum & Photinianorū inepta deliria. Atque hoc possum affirmare, in horum scriptis, nihil à me lectum fuisse, quod aliquid saltem habeat acuminis: sicut multa habuerunt veterum hæreticorum libri. Omnia enim sunt vel vetus κράμβη centies repetita, vel nouæ ineptiæ. Vnus tantùm est quem proprio nomine non exprimo, quia neque eius liber impressus est, neque apertè in aduersariorum castra transijt: sed ideò Mediatorem voco, quia visus est velle controuersiam hanc inter nos & aduersarios componere: quæ tamen nullo modo componi potest: Cùm omninò aut liberè fatendum sit, aut ingenuè negandum, Christum verum & æternum esse Deum, & itidem Spiritum sanctum: Imò vtrumque vna cum Patre, vnum tantùm esse Iehouam. Is, inquam, vnus acutè de hoc dogmate disputauit, in libello manuscripto: quem etiam totum, quanquam non eo ordine, quo scriptus est, sed ad meam methodum accōmodatum, refutaui. Scripsi ergo de vno vero Deo, æterno Patre, Filio & Spiritu sancto, libros tredecim. Et scripsi non tam aduersus omnis generis hæreticos, qui Christi, & Spiritus Sancti Deitatē oppugnāt, vt aut ora illis obturētur, aut saltē inexcusabiles reddātur: quàm in gratiā Electorū, vt salui fiāt. Quę causa est, cur in cōfirmatione doctrinæ, nō solū quę demōstratiuè & necessariò è locis scripturarū colligūtur argumēta, ijs vsus sim: sed etiā, quæ probabiliter colligi inde possūt, ea vsurpare


non dubitarim. Iacto enim firmatoque apertissimis, firmissimisque verbi Dei testimonijs fundamẽto: quæ deinceps adferuntur, licet non vsque adeò firma sint, ad confirmationem tamen non parùm habent firmitudinis apud Electos, quibus omnia cooperantur in bonum: & qui quæcunque ad gloriam sui Seruatoris Iesu Christi illustrandam pertinent, ea libentissimè legunt, & ad sese in fide cõfirmandos auidè amplectuntur. Nam idem fecisse Apostolum non semel video: vt (ne multa adferam exempla breuitatis causa) quum ad confirmandam doctrinam de Iustificatione per fidem, sine operibus Legis, firmissimis antè probatam rationibus: allegorijs etiam ad extremum vtitur, duarum vxorum Abrahami, liberæ scilicet, & ancillæ: duorumque liberorum ex illis susceptorum. Habent enim etiam hæc apud pios suam gratiam, & suum pondus: postquam firmissima præcesserunt argumenta. Quare non erit, cur superbi Aduersarij me carpant, si non semper vtar apertis demonstrationibus. Tot, scio, & talibus vtor: quæ satis superque faciunt ad eos summæ impietatis, perfidię, & blasphemiæ conuincendos. Ex reliquis, non parum vt confido vtilitatis & consolationis, capient Electi: quorum gratia propriè hos scripsi libros. Scribo enim quatuor hominum generibus: primum illis, qui licet Christum nondum cognoscant, donandi tamen aliquando sunt eius cognitione per ipsius gratiam: eoque propositam veritatem non reijciunt. Deinde illis, qui tametsi, cùm antea eum norint, postea sententiam mutarunt seducti: pertinaces tamen non sunt: sed hoc animo adhuc sunt affecti, vt si demonstrata veritate liberentur scrupulis, quibus premuntur, vt antè dictum est, blasphemiæ, & idololatriæ: ad pristinam fidem redire parati sint. Tertiò illis scribo, qui licet à priori sententia non planè recesserint: sophismatis tamen Diabolorum labefactati, hærere incipiunt. Demum illis, qui quanquam in vera sententia firmi permanent: imbecilliores tamen sunt, & imperitiores, quàm vt veritatem pro ipsius dignitate, aduersus hæreticos per sese tueri possint. His omnibus scribo, quia omnes iuuandi sunt, cùm ab errore liberari, & in ipsa veritate confirmari possint, & cupiant. Nam illis, qui ita & firmi sunt in fide, & exercitati in Scripturis, & periti sophisticæ hæreticorum, vt non solùm alios docere, sed & aduersarios refutare facilè possint, non scribo: quia opera mea opus non habent. Tantùm verò hos etiam rogo, vt libros meos legere non grauentur: & me, si quid monendum esse censent, amicè moneant.

Cùm verò hi mei libri aliquibus essent, quò plus eis accederet apud lectores auctoritatis, dedicãdi: Tu cum primis, & illustris Comes Bedfordiensis, mihi ex multis, quos isthic habeo amicos, occurristis: quorum vni priorem: alteri posteriorem partem, in memoriam sempiternam pietatis vestræ, & obseruantiæ erga vos meæ, consecrarem. Cui enim (vt de priori dicam, & priùs) dicari à me potuerunt rectiùs ij libri, atque commodiùs, quàm tibi, Edmunde, viro pietate, virtute, dignitateque in Ecclesia Dei illustrissimo? Libri enim, in quibus defenditur gloria Christi, eaque doctrina super quam Ecclesia fundata est, & in cuius cognitione salus Electorum consistit, quæque summa est sacrarum literarum, aptiùs mitti non potuerunt, quàm ei, cui etiam maximè cordi est (vt esse debet) Christi maiestas: cui Ecclesiarum multarum cura, ac gubernatio commissa est: qui earum sibi creditarum salutem, (vt eius postulat officium) promouere studet: qui denique ita in Scripturis exercitatus est, & quænam fuerit perpetua Ecclesiæ fides, ita ex historijs tenet, vt cùm de tota Christiana doctrina, tum de ea maximè, quæ in hisce meis traditur libris, iudicare, & rectè quidem iudicare facilè possit. Quis enim nesciat honestum æquumque esse simul & Ecclesiæ vtile, vt libri, qui sunt de Christo, Christi amantibus: qui sunt de fundamento Ecclesiæ, Ecclesiæ ædificandæ, ac promouendæ præfectis: qui de doctrina salutis, quibus oues Christi pascendæ in vitam æternam, commissæ sunt: quorum denique iudicium è sacris literis petendum est, sacrarum literarum peritis mittantur? Duo siquidem præcipui sunt fines dedicandorum librorum: Vnus vt libri qui scribuntur, eorum quibus inscribuntur, auctoritate apud omnes muniantur: eoque digni qui ab omnibus legantur, statim inspecto nomine eius, cui nuncupantur, facilè iudicentur, & habeantur. Hoc autem tum maximè obtinetur, quum ijs libri mittuntur, quorum & vehemens amor erga causam, qua de in talibus libris agitur: & excellens de eadem re scientia, omnibus nota est atque perspecta. Amore enim causæ fit, vt maximè velint: cognitione verò, vt omninò possint de libris, qui ad ipsos mittuntur, an digni sint, qui prodeant in lucem; nec ne digni, iudicare. Hinc verò quis non vel audito, vel inspecto tantum eius, cui librorum dedicatio fit, nomine: statim in eam veniat sententiam, librum illum non posse non esse optimum, in eo scientiæ genere, qua de est inscriptus: cum nuncupatus sit viro, qui & in ea scientia excellat, & erga eam optimè sit affectus: vt non facilè sit passurus talem librum sui etiam nominis nuncupatione probari, qui sibi non probetur? Ita quiuis etiam intelliget, non facilè ausurum fuisse auctorem, tali tantoque viro librum dedicare: nisi optimè nouisset, hunc eo fuisse dignissimum. Hæc est auctoritas, quæ libris accedit apud lectores, ex dignitate eorum, quibus dedicantur. Ac videmus viros excellentes, qui non munera ambierunt, sed auctoritatem suis conciliare libris cupiuerunt, solitos fuisse suas lucubrationes consecrare, non tam principibus potentibus, quàm viris virtute & scientia illustribus. Quibus si etiam accedat potentia, eò illis libentiùs consecrantur: quòd hæc quoque potentia ad auctoritatem libris conciliandam, plurimum valeat. Sic Aristoteles suos περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως libros, doctissimo, & erga philosophiam optimè affecto Alexandro, Regi potentissimo: sic Lactantius suas de Religione Institutiones Constantino non minus Christianè docto, quàm pio & inuicto Imperatori, dedicarunt. Sic alij pariter alijs. Alter finis est, vt quibus inscribuntur libri, penes eos etiam ijdem sint instar perpetui monitoris à quo sui in sempiternum moneantur officij: cum videant hoc honore se præter alios fuisse affectos vt digni habiti sint, quibus de præclara aliqua scientia libri consecrarentur. Sic præter exempla adducta Aristotelis & Lactantij, ipse etiam Cicero libros de officijs ad suum misit filium. Sic (vt etiam ex nostris vnum citem) Lucas Euangelista ad Theophilum suos.

Ego verò Reuerendissime Præsul, qualis ac quantus sit tuus erga Christum amor, totius pietatis fundamentum: quæve in sacris literis exercitatio tua: quibus duabus rebus fieri non potest,

vt aut velis, aut possis; eos tibi dicari libros, qui non omninò ad veram Christi gloriam pertineant, & cum scriptis Propheticis atque Apostolicis consentanei sint, perferre: facilè & libenter explicarem, nisi duo me ab hoc faciendo officio fortiter arcerent: modestia nimirum tua, quæ efficit, vt non libenter feras, tuas tibi in faciem laudes celebrari: & nimis illustris rei ipsius veritas, qua fit vt iniuria potiùs tuis fiat virtutibus, si illis per sese splendentibus, addere velim lumen orationis meæ, quàm vt aliquid eis accedere possit laudis, atque honoris: quasi verò illæ opus habeant vllius hominis prædicatione. Ergo vt silentio prætercam tuum ab ineunte ætate pietatis studium: vt nihil dicam de insigni animi fortitudine, qua aliquot annorum exilium, & quæ illud comitantur incommoda, propter Christum sustinuisti: vt nullam etiam mentionem faciam vitæ, quam & domi & foris ita christianè cum omni modestia, & morum suauitate, traduxisti, vt omnium bonorum virorum animos tibi conciliaueris: vt nullum denique verbum faciam de tua, cùm in alios pios viros, tum in me charitate & liberalitate: illud vnum saltem mihi liceat, si non laudibus explicare, saltem vno verbo dicere: nempe te post reditum in patriam reseratis iam totius regni foribus, beneficio Dei, & clementia pijssimæ Reginæ Elisabethæ, omnibus, qui propter Euangelium in Germania & alibi exulabant: te, inquam, in patriam reuersum, non sine causa, nec sine tuis meritis statim creatum fuisse Londinensem Episcopum: ac aliquot post annos, Archiepiscopum Eboracensem. Neque enim ita temerè post Ecclesiarum in isto regno reformationem, vt aliàs nunc eliguntur Episcopi, sed ad canonem Apostolicum, priùs examinatur, si quis sit ἀνεπίληπτος, μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, νηφάλιος, σώφρων, κόσμιος, φιλόξενος, διδακτικὸς, & quæ apud Apostolum sequuntur. Oportuit ergo te etiam, antequam ad episcopale munus vocaueris, ab ijs virtutibus, quas exigit Apostolus, haud prorsus fuisse vacuum: multò verò ornatiorem te fuisse necesse est, quum ex Episcopo Archiepiscopus creatus es, & Angliæ primas. Nisi enim in priori illo officio te verum præstitisses Episcopum: quis nesciat ad istud alterum, longè grauius & amplius te minimè euehendum fuisse? Istud ergo totum illustri argumento omnibus esse debet: te talem esse virum, cui consecrari non debeant de Religione libri, nisi qui Christo digni sint. Ita solum tuum nomen, non nisi magnam libris hisce meis conciliare auctoritatem potest. Hoc cum viderem, nō potui non eos tibi dicare: præsertim, cùm hoc etiam postularent tua in me merita: & mea erga te obseruantia, adeoque erga totam tuam gentem singularis amor, flagitaret. Non possum enim dissimulare id, quod res est, ex ijs, quos noui pios Anglos, præsertim, quibuscum mihi intercessit amicitia & familiaritas, quum simul essemus Argentinæ, inter quos tu quoque non postremus fuisti: me erga reliquos non paruo affectum esse amore: deprehendi enim, & reipsa in vobis sensi, præter eximium pietatis studium, acumen ingenij, ad bonas literas propensionem, aliasque magnas virtutes, & dona Dei ingentia: summam etiam humanitatem, & singularem cùm erga alios tum maximè erga pios & literatos liberalitatem. Quibus duabus potissimùm rebus, hominum animi deuinciri solent: sicut contrà, inhumanitate & auaritia abalienari. Adde, si placet, ad extremum, quòd hanc meam dedicationem, futuram tibi non ingratam, & cogitabam ego, & certiorem me fecit Hēricus noster Knollus, tui obseruantissimus, mihi amicissimus: quem tu præter nobilitatem, propter summam etiam pietatem ac probitatem, doctrinæque elegantiam, & morum suauitatem, aliasque multas magnas virtutes, meritò charissimum habes. Te itaque rogo, Reuerendissime, optiméque Grindalle, vt tu vnus omnium tuorum nomine, hoc exiguum munus, tanquam certum sinceri amoris erga te, totamque tuam gentem, mei, grato animo (vt te confido facturum) accipias. Dominus Iesus, cuius causam his in libris pro mea virili tutatus sum, te, reliquosque sui amantes, diu incolumes, ad suam ipsius gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem seruet. Heidelbergæ, Calendis Septembris,

M. D. LXXII.



# HIERONYMVS ZANCHIVS,
## CHRISTIANO LECTORI GRATIAM, ET PACEM P.

*PRÆTER ea, quæ in Epistola ad Archiepiscopum scripsi: quam epistolam à te quoque, Christiane lector, velim, vt par est, legi: quippe quæ ad omnes pertinet, quibus cordi est gloria Christi, & sua ipsorum salus: hæc etiam te monitũ volo, quæ ad faciliorem clarioremque totius de Deo doctrinæ, quæ in hisce libris tractatur, pernecessaria sunt.*

*Tredecim sunt, vt vides, libri: quorum octo priori, reliqui posteriori parte continentur. Huiusce autẽ partitionis ac dispositionis hæc mihi fuit ratio: quòd totius doctrinæ explicationem ac confirmationem seorsum à refutatione, ponendam esse iudicaui, vt veritas priùs sine vllo sophismatum contrariorum impedimento, piis persuadeatur, quam ad exceptiones & sophismata aduersariorũ, quibus nonnunquam imbecilliorum mentes turbantur, & labefactantur, examinanda ac refutanda veniatur. Deus quoque distinxit lucem à tenebris: diemq; à nocte. Et vt benè percepta luce, faciliùs cognoscuntur tenebræ: sic cognita, & persuasa veritate, sine magna difficultate mendacium intelligitur: & quibus ipsum tegitur, sophismata à veris argumentis discernuntur.*

*Quia itaq; tutiùs & vtilius descenditur ad pugnam cum hostibus, si benè simus armati, quã inermes: idcirco volui prius animos piorum: veritatis cognitione, ac persuasione munire, quam eos in prœliũ cum aduersariis mecum adducerem. Hæc ratio est, cur in duos Tomos distinguere totum opus constituerim: in quorum altero veritas, & veritatis confirmatio: in altero quidquid opponitur veritati, veritatisque demonstrationi, separatim collocaretur. Doctrinæ porrò summa hæc est, vnum tantum esse verum, & æternum Deum, tribus Elohim, seu personis, verè distinctum, Patre, Filio, Spiritusancto: quorum quisque ita Deus est, Iehoua, vt non multi tamen sint Iehoua, sed omnes simul vnus tantùm Iehoua. Quæ summa explicata, in quinque resoluitur propositiones: quarum prima, de vno solo est Deo: Altera de numero, deque vera ὑποστάσει τῶν Elohim seu personarum in Deo: Tertia de reali horum trium ὑφισταμένων distinctione: Quarta, de vera & æterna cuiusque Deitate: Quinta ac postrema de vna & eadem omnium οὐσίᾳ. In primo itaque libro continentur προλεγόμενα, in totam hanc de Deo tractationem, vt quot hactenus & quænam fuerint de Deo sententiæ: vt de nominibus οὐσίας, ὑποστάσεως, & aliorum quæ in hac disputatione vsurpantur, &c. Deinde prima thesis explicatur, & confirmatur, vnum tantum esse verum, æternumque Deum. Altera, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vera esse ὑφιστάμενα, verasque personas. Et tertia, hos tres ita inter se esse verè & realiter distinctos: vt vnus non sit alter. Quarta quoque, ex parte explicatur & confirmatur: nimirum, proprium Christi Patrem, verum esse Iehouam. Alter liber multa & varia continet veteris Testamenti à Genesi vsque ad Malachiam, loca, eorumque explicationes: quibus demonstratur, Filium Dei Iesum Christum, agnitum fuisse Mosi, & Prophetis omnibus, pro vero & æterno Deo Iehoua. Acceditur deinde ad nouum Testamentum: ac in tertio quidem libro qui quasi προοίμιον quoddam est, variis modis & rationibus, partim necessariis, partim probabilibus ostenditur Christi dignitas, atque maiestas: eum videlicet non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, vt Ebion dicebat & deinceps alij: puram ve creaturam, puta, Angelum, vt Arrius docuit. Quartus liber post explicatos modos, quibus aliquis dici possit alicuius, atque in primis Dei Filius: testimonia adfert è cœlo, hoc est, Patris Spiritus sancti, Angelorum, Filijque ipsius; quibus demonstratur, Christum esse æternum æterni Patris Filium, ex Patris ipsius substantia genitum. Ita hic præter alia, multa ex Euangelio Iohannis capita explicantur. Eadem thesis confirmatur libro etiam quinto: sed testimoniis eorum, qui testificati sunt in terra, cum Sanctorum, Iohan. Baptistæ, Zachariæ, Apostolorum, aliorumque piorum: tum etiam impiorum, Iudæorum, Pilati, adeoque etiam Diabolorum: quibus omnibus accedunt tum argumenta quædam, ex principiis per se notis desumpta: tum testimonia antiquissimorum aliquod Patrum: vt totius Ecclesiæ consensus appareat huc vsque continuatus, de æterna generatione Filij ex Patris Dei substantia. In sexto libro primùm explicatis modis, quibus nomen Dei de aliquo prædicetur, demonstratur firmissimis rationibus, quum Christus in Scripturis vocatur Deus, nomen hoc de illo prædicari propriè & essentialiter: & doceri, illum esse Deum natura, non minùs quàm Patrem. Deinde Apostolicis testimoniis, quibus vocatur Deus, diligenter examinatis: idem abundè confirmatur. Vbi præter alia initium primi capitis Euangelij Iohannis, ita examinatur, vt hæreticorum omnium interpretationibus refutatis, orthodoxa Ecclesiæ confirmetur ac stabiliatur sententia. Septimus liber de Deitate est Spiritus sancti: quæ itidem testimoniis primùm veteris, deinde noui fœderis confirmatur. Ita thesis quarta, nempe, tam Filium & Spiritum sanctum, quàm Patrem, verum esse, æternumq; Deum, certissima esse demonstratur. Postremo prioris Tomi libro, luculentissimè eadem methodo defenditur, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum quanquam distinctæ sunt personæ, vnum tamen esse dumtaxat Iehouam.*

*In altero Tomo, liber primus continet προλεγόμενα, de causis hæreseon, de præcipuis paralogismis, qui ab antichristis contra sanam hanc de Deo doctrinam admittuntur: deq; eos refutandi ratione. Secundus habet responsiones, ad exceptiones & sophismata Samosateni, & Serueti, & aliorum contra secundam & tertiam thesim, de vera personarum ὑποστάσει ac distinctione. Tertio, ea quæ contra quartam, de naturali Filij æternaq; ex Patre*

*ex Patre generatione, déque vera eius Deitate adferri solent argumenta ab Arianis, & alijs, refelluntur. In quarto vindicatur à cauillis Macedonij omniúmque πνευματομάχων, Spiritus sancti æterna Deitas. In quinto, respondetur ad strophas Thritheitarum, & magis ac magis confirmatur, Patrem, Filium ac Spiritum sanctum, vnum tantum esse Iehouam. Denique contra Ochinum defenditur, doctrinam huius de Trinitate cognitionem, ad æternam salutem esse necessariam: quatenus ea scilicet traditur in sacris literis, & symbolis. Hæc summa est atque analysis omnium horum librorum.*

*In toto opere dedi operam perspicuitati, simul & quantum fieri potuit, breuitati. Nam quòd fortè prolixior aliquibus videbor prima fronte: id idem intelligent reprehendi non posse, vbi totum perlegerint librum: & cum amplissima argumenti maiestate, multitudinem locorum scripturæ sanctæ, quibus argumentum confirmatur, diligenter contulerint. In explicanda verò & confirmanda Apostolica doctrina, contineo me, vt debui, intra limites sacrarum litterarum: quippe quæ sola inter se collatæ, & ad prima fidei principia examinatæ, vim habent, & hæc & alia omnia vera, de religione dogmata, vtpote ex ipsismet scripturis accepta, confirmandi. Si quæ ex Patribus, nonnunquam afferuntur, illa eò tantum spectant, vt appareat consensus Ecclesiæ iam inde ab Apostolis, huc vsque continuatus. In colligendis sacrarum literarum testimonijs, non ea tantum obseruaui, quæ necessariò, sed etiam, quæ probabiliter concludunt, modo ad Christi maiestatem illustrandam pertineant. Probabilia enim cum necessarijs coniuncta, vim habent apud homines non contentiosos, demonstrandi præsertim in scripturis sanctis, vbi vis probandi, non ab argumentatis, sed ab auctoritate dicentis pendet. Placuit autem Spiritui sancto multa indicare magis, quàm apertè explicare: vt sint ceu αἰνίγματα quæ à Θεοδιδάκτοις tantùm, quorum causa locutus est, intelligantur. Qua in re, exempla mihi non desunt Apostolica: si ea velim in medium proferre. Similia, quibus explicandæ doctrinæ causa vtor, non adfero nisi tanquam aliquo modo similia: quibus vtcunque res ipsæ, quasi ob oculos positæ faciliores ad intelligendum, pijs auribus redduntur: non autem quòd prorsus ita se habeant res diuinæ, veluti similia, à rebus humanis desumpta, explicare videntur. Quid enim in rebus conditis reperiri potest, quod cum illa æterna diuináque maiestate, comparari vllo modo queat? Quòd autem sæpè vsus sum exemplo animæ humanæ, essentialésque eius facultates, tanquam partes animæ esse essentiales, quæ nil aliud realiter sint, quàm anima ipsa: & animam scribo nil aliud re ipsa esse, quàm facultates ipsas: id ideo facio, quia ad rem nostram maximè pertinet. Et non temerè facio, cùm huius sententiæ nec paucos, nec vulgares Philosophos habeam auctores: quanquam me non latet, quid hac de re alij præsertim scholastici, atque inprimis Aquinas, cùm alibi tùm in quæstionibus disputatis, scriptum reliquerit: vbi definit potentias animæ, neque substantiam esse, neque accidens, sed medium quiddam: quod quàm verum sit, meum non fuit in hisce libris disputare. mihi autem, satis fuit, explicandi vtcunque mysterij, de vna essentia & tribus personis, causa, eam sequi sententiam de anima vna & tribus eius facultatibus, quæ si non ab omnibus, à multis tamen & magnis quidem illis viris, tanquam vera certáque defenditur, ac proinde demonstrare, quod è scripturis credit, & docet Ecclesia Christi, de vno simplicissimo Deo, tribus personis tanquam tribus partibus essentialibus distincto, quæ tamen nihil aliud sunt τῷ εἶναι: quam ipse vnus simplicissimus Deus: illud non ita absurdum videri debere, quin idem in rebus etiam creatis, de magnorum virorum sententia ostendi possit. Ac quia tota huius controuersiæ definitio pendet ex scripturis orthodoxè, hoc est, per ipsas scripturas ad analogiam fidei, vniuersaliúmque probatorum Doctorum ab omni antiquitate, in hoc vsque tempus, consensionem, intellectis: idcirco in interpretandis scripturis, hanc secutus sum, quam dixi, methodum: quam scio veram, certam, & genuinam esse sacras literas interpretandi, rationem. Quæ causa est, cur quibusdam in locis à veterum Patrum sententia, recentiores sequutus: in alijs à recentiorum Doctorum explicatione, recesserim: vbi scilicet scripturis per scripturas, ad analogiam fidei, diligenter examinatis, aut illi, aut isti, mihi visi sunt scopum ipsum non attigisse: id quod tamen salua omnium dignitate, & reuerentia, facio modestè, quùm facere cogor. Quædam etiam sunt loca, quæ ita à me, ex recentiorum Doctorum sententia explicata sunt: vt tamen veterum quoque interpretatio optimè retineri possit: cum neque vis fiet verbis scripturæ, neque dissentanea sit ab alijs scripturis, & cum analogia fidei optimè consentiat: qualis est locus Baruchi. cap. 3. Ea (scilicet sapientia Dei, Christus) postea in terra visa est: atque inter homines versata. Cur enim non potest ad nomen Θεοῦ, referri vtrumque verbum sicut habet vulgata versio: post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est? Sic enim Græcè habet: οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν. ἐξεῦρε πᾶσαν ὁδὸν ἐπιστήμης (hic scilicet Θεὸς) καὶ ἔδωκεν αὐτὴν Ἰακὼβ τῷ παιδὶ αὐτοῦ καὶ Ἰσραὴλ τῷ ἠγαπημένῳ ὑπ' αὐτοῦ. Μετὰ τοῦτο ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη (nempe οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν) καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη. Ac si ita construamus, vt optimè construi possunt: locus fit illustrior ad probandam æternam Christi Deitatem, quippe cui attribuitur nomen Dei nostri: rerum creatio: Legis exhibitio: & tandem incarnatio. Quis enim alius Deus noster, in terra visus est, & cum hominibus conuersatus: nisi ille λόγος qui & Θεὸς apud Iohan. de quo subdit & ille λόγος caro factus est, & habitauit inter nos, & vidimus gloriam eius? Itaque nequis miretur, quod locum hunc nonnunquam cito iuxta vulgatam versionem: aliquando sicut alij de æterna sapientia interpretatus sum. Si quis miratur, quòd loco de Christo ex Apoc. Ego sum A & Ω principium & finis, dicit Dominus, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος ὁ παντοκράτωρ, addiderim nomen Dei, sic legens: λέγει ὁ κύριος ὁ Θεὸς: is sciat me id fecisse, quia quidam codices, ὁ κύριος habent ὁ Θεὸς. Vtrumque autem nomen, Christo attribuerunt Scripturæ, vt notum est, & sæpenumero vtrunque simul. Quod eadem ad probandam Christi Deitatem argumenta varijs in locis repetuntur: nemo, qui rectè sapiat, mirabitur: cùm hoc postularit methodus à nobis suscepta. Non enim constituimus agere certis argumentorum generibus vt alij: sed singula quæ de Christo loca sunt, priùs diligenter examinare, verúmque sensum ex scopo, ex antecedentibus & consequentibus, & ex vi verborum eruere, ac tum demùm, an inde verè colligatur, Christum verum esse Deum, necne, demonstrare, siue à proprietatibus personalibus, siue ab attributis, siue ab operibus, siue à cultu, siue à nominibus Dei, siue denique à pronunciatis, alijsve locis, ducantur argumenta. Hanc enim methodum iudicauimus Ecclesiæ vtiliorem: & ad id quod instituimus demonstrare, præsertim aduersus tales hæreticos, qui nihil aliud iactant, quàm simplicia scripturarum testimonia, commodiorem fore: quàm si nudis egissemus argumentis.*

# PRÆFATIO.

*In refutationibus dedimus operam, vt in singulis aduersariorum exceptionibus, atque sophismatis, paralogismos indicaremus, non certè, quod hanc disputandi rationem semper & simpliciter probemus, præsertim quum agendum est cum viris doctis, qui his opus non habent: sed ideò nos id voluimus facere in his libris, vt consuleremus simplicioribus: & vt vel pueri ipsi fallacias, strophas, imposturas, & imperitiam horum (si Deo placet) sapientissimorum diuinorúmque hominum faciliùs videant: eósque & diligentiùs omnes sibi ab ipsis caueant. Quæ res in causa quoque fuit, cur in posteriori parte, vbi cominus pugnandum erat, noluerim ῥητορικῶς, sed διαλεκτικῶς, hoc est presse, ac strictim cum ipsis agere.*

*Quum refutarem Lælij Socini impiam interpretationem, in primum caput Euangelij secundum Iohannem: idcirco subticui eius nomen, & nebulonem tantùm vocaui: propterea, quòd neque certo sciebam, hunc fuisse illius commentarioli auctorem, neque cum legeram eius nomen, in libris aduersariorum expressum. Nunc quia res est nimis manifesta, & illum Seruetiani in numerum suorum sanctorum piorúmque (scilicet) doctorum retulerunt: Ego quoque id tibi, lector, notum facio. Fuit is Lælius, nobili honestáque familia natus: benè græcè & hebraicè doctus: vitaque etiam externa inculpata: quarum rerum causa, mihi quoque intercesserat cum illo non vulgaris amicitia, sed homo fuit plenus diuersarum hæreseωn: quas tamen mihi nunquam proponebat, nisi disputandi causa: & semper interrogans: quasi cuperet doceri. Hanc verò Samosatenianam in primis annos multos fouit, & quoscunque porrò potuit in eundem pertraxit errorem. Pertraxit autem non paucos. Me quoque, diuersis, vt dixi, tentauit rationibus, si eodem posset errore, simul & æterno exitio, secum inuoluere: quemadmodum fecerat etiam antea Matthæus Gribaldus, & alij. Sed cùm illi omnes vidissent, me non solùm alienissimum esse ab hac blasphemia, verùm etiam receptæ in Ecclesia eiusque veræ sententiæ, haud frigidum defensorem: meæ tandem amicitiæ renunciarunt, & ipse, & reliqui: & ego vicissim, illorum. Pro qua re gratias ago immortales, Domino meo Iesu Christo, qui me in vera sui cognitione syncerum constanterque seruauit, cui laus & gloria in sempiternum. Bene vale. Heidelbergæ: Calendis Septemb. M. D. LXXII.*

HIERO-

# HIERON. ZANCHII
# DE VNO VERO DEO;
## ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS,

## LIBER PRIMVS.

*Verum Deum Iehouam, vnum tantùm esse, & hunc esse tres, אלהים verè inter se distinctos: proprium Christi Patrem, eius Filium, & vtriusque Spiritum. Ac Patrem, verum esse Iehouam.*

### CAPVT I.

### Variæ de Deo sententiæ. Qua ratione vera de Deo doctrina inuestiganda. Summa eorum, quæ de Deo tractanda sunt.

DVo sunt hominum genera, qui de Deo disputarunt, aut aliquid scriptum reliquerunt. Vnum est eorum, qui verbum Dei nunquam sunt professi: vti Gentes omnes, Barbaræque nationes. Alterum eorum, qui sacras literas professi sunt, & profitentur. Qui inter profanas gentes aliquid de Deo scripserunt, ij partim tanta sunt in varietate & dissensione constituti, vt molestum sit, eorum annumerare sententias: partim etiam tam impia, absurda atque obscœna tradiderunt, vt ea sine pudore & stomacho, neque audiri possint, neque recitari. Alij enim simpliciter Deum esse negarunt, vt de Diagora Melio, qui cognomento vocatur ἄθεος, & de Theodoro Cyrenaico scribit Cicero, de nat. Deor. lib 1. & de alijs alij. Alij dubitarunt, vt Protagoras: alij affirmarunt. Horum autem qui affirmarunt Deum esse, alij vnum tantùm agnouerunt: alij multos esse contenderunt. Atque horum, qui multos statuerunt Deos: alij, spiritus eos esse incorporeos dixerunt: alij corporatos putauerunt. Euseb. de præparat. Euang. lib 14. Et ex ijs non pauci, vt Ægyptij, Græci, & Romani cum primis, ipsos etiam homines demortuos, & quidem impuros, obscœnos, adulteros, & omni vitiorum genere insignes, in Deorum numerum retulerunt: alij ipsa etiam animantia ratione carentia, boues, serpentes, crocodilos, anseres, varia denique auium, piscium, ferarum, & aliorum animalium genera, tanquam Deos coluerunt, quemadmodum abunde videre est in ipsorum libris, & Apostolus ad Romanos testatur. Rom. 1. v. 23. Hi verò errores omnes inde profecti sūt, quòd homines animales, tam Spiritu Dei, quàm Scripturis destituti, de Deo, ex humanis tantùm ratiocinationibus, sapientiáq; huius seculi, & cogitârunt & disputârunt. Idque illis tum maximè contigit, posteaquam Deum, quem sese vltrò patefacientem vtcunque ex inspectione rerum conditarum nouerant, non glorificârunt, aut gratias ei egerunt. Inde enim factum est, vt euanuerint in suis ratiocinationibus, & obtenebratum fuerit insipiens cor eorum: & quum profiterentur se esse sapientes, facti fuerint stulti: itavt gloriam incorruptibilis Dei, non solùm in homines ipsos mortales, sed etiam in efformatas imagines corruptibilium hominum, & volatilium, & quadrupedum, & serpentum, facilè commutârint, quemadmodum scitissimè docuit Apostolus, Rom. 1. 23. Hinc illa stulta Deorum partitio apud gentes, in cœlestes, terrestres, infernos, marinos, fontanos, fluuiales, penates, lares, & alios innumeros. Hinc sanctissimi illi (si Deo vero placet) Dij, quos tanta veneratione coluerunt, vt impius ille, flagitiosissimúsque & penè parricida Iupiter, qui patrem regno expulit, & fugauit, qui innumeras virgines, & regium puerum stuprauit: vt obscœnus ille, & παιδεραστὴς Apollo: vt impurus, & ex flagitioso concubitu natus Æsculapius: vt adulter, homicida, & ferus Mars: fur & nebulo Mercurius: impuditus & pater ebrietatis Bacchus: infamis Ganymedes: sceleratus denique faber Vulcanus. Hinc & illæ honestissimæ scilicet Deæ: impudicissima, & Deorum atque hominum scortum, artísque meretriciæ auctor, alma Venus: inuida ac crudelis Iuno: obscœnissima Opis Lupa, Leæna, Faula, Flora, meretrices: Rubigo, Febris, Fornax, Muta, Caca, & multa alia Deorum atque Dearum millia. Hos Deos atque Deas coluerunt Gentes: posteaquam verum Deum noluerunt glorificare. Atque hæc summatim de erroribus gentium, déque horum errorum caussis. Qui vero scripturas siue omnes, siue partim professi sunt, atque profitentur: Horum alij optimè de Deo & senserunt & scripserunt, vt pij, quos nos sequimur, Patres: alij multa de eo impia & blasphema scripta reliquerunt. Hi autem in duos secantur ordines. Primus eorum est qui plures statuunt Deos. Nam alij absolutè & simpliciter duos senserunt & prædicarunt esse Deos, ingenitos, per se naturales, & sempiternos, sed sibi inuicem contrarios. Vnum enim causam esse bonorum omnium: quem hac de causa summum bonum appellârunt. Alterum, à quo omnia mala, quem ob eam rem vocarunt summum malum. Atque hi fuerunt, primùm statim post Apostolos, Gnostici, Carpocratis discipuli, & tandem Manichæi. Deinde Cerdoniani, & Marcionitæ, qui vnum Legis, alterum Euangelij auctorem & Deum appellârunt. Postremò Valentiniani, qui vnum nominarunt Profundum: alterum Silentium: seu (vt Græci vocant) βυθὸν καὶ σιγὴν vnde reliqui omnes Dij. Alij tres senserunt esse Deos, seu Spiritus, inter se non solùm distinctos, verùm etiam diuisos: Patrem, vnum: Filium alterum: Spiritum sanctum, tertium. Horum meminit & Augustinus Tom. 3. de agone Christi, cap. 15. Hæc hæresis adhuc aliquot habet sui defensores, quos meritò Tritheitas vocant. Atque hæc de primo ordine, nempe eorum, qui plures fingunt Deos. Secundus eorum est ordo, qui ita vnum nobiscum fatentur tantùm esse Deum, vt interim tamen in Deo tres siue hypostases, siue personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, aut simpliciter negent: aut saltem sua, tum Filium, tum Spiritum sanctum Deitate spolient. Atque in hoc secundo ordine sunt primùm Iudæi: hi enim, & hæc simul nomina in Deo non admittunt, Patris videlicet, Filij, ac Spiritus sancti: & multò minùs rem concedunt, nempe ibi esse vnum, qui genuerit, & qui hanc ob caussam vocetur Pater: & alterum, qui sit genitus, & ea re nominetur Filius: & tertium, qui ab vtroque procedat seu spiretur, & qui ideò vocetur Spiritus sanctus.

Deinde sunt in hoc ordine Noetiani, Sabelliani, Praxeani, & Hermogeniani. Hi enim nomina hæc in Deo admittũt, Patris, Filij, & Spiritus sancti, & hoc, quia ea nomina repetiuntur apertè in Nouo Testamento: sed rē ipsam tollunt. Nō enim admittunt esse tres hypostases, seu tria [illegible], tres scilicet res per se subsistentes, intelligentes, volentes, agentes. Sed dicunt eundem Deum, seu eandem rem iis tribus vocari nominibus, Patrem scilicet, Filium, & Spiritum sanctum, propter diuersos respectus. Ita aiunt Patrem factum fuisse hominem, & passum esse, quòd vnus atque idem sit, qui vocetur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et hac de causa appellati fuerunt Patrispassiani. Iis annumerantur Paulus Samosatenus, Photinus, Seruetus. Hi enim dicunt, Patrem quidem esse verum & æternum, ipsúmque Deum verum, sed Filium, seu λόγον ante incarnationem nō fuisse rem subsistentem: sed Ideam, conceptum, & sermonem Dei, ac tum demum cœpisse esse rem subsistentem, & verè Filium Dei, quum conceptus est in vtero virginis, & factus est homo, Spiritum sanctum etiam non esse rem subsistentem, sed virtutem Dei, qua in sanctis suis Deus operetur, eósque regat. Atque ita neque Filium, neque Spiritum sanctum volunt reuera esse Deum. Tertiò, in hoc ordine sunt illi, qui vtrumque dāt, & nomina, & res ipsas: sed tam Filium, quàm Spiritum sanctum, sua priuant natura, ac Deitate, suis verò singulos orbant proprietatibus. Dicunt enim tres quidē esse in cœlo, Patrem, λόγον, & Spiritum sanctum: sed Patrem solum, verum & æternū esse Deum: λόγον, Spiritum esse creatū à Patre: Spiritum verò sanctum, Spiritum esse à Deo, per λόγον, è nihilo factum. Ita duos sua spoliant deitate, singulos verò suis proprietatibus. Nam etiam Patrem negant verum esse Patrem, dum inficiantur ex eo verè genitum esse Filium. Hi fuerunt Ariani, & Macedoniani, quos Macedonianos, etiam πνευματομάχους appellarũt Græci Patres propterea quòd contra Spiritum sanctū pugnarent. Hæc est summa eorum, qui licet Scripturas sanctas, aut ex parte, vt Iudæi & Manichæi, & aliquot alij: aut in totum, vt alij hæretici, nobiscum profiteantur: de Deo tamen multa docuerunt & scripserũt impia & blasphema, quorum duos fecimus ordines: vnum eorum, qui plures statuunt Deos: alterum eorum, qui ita vnum fatentur esse Deum, vt tres personas aut diffiteantur, aut sua natura atque proprietatibus spolient. Vnde verò ij etiam errores? Inde sanè quòd aut intra limites sacræ Scripturæ minimè sese continuerunt: sed curiosè inquirere voluerunt, quæ Deus nō reuelauit: aut quę reuelauit, ea diligenter examinare, & iuxta analogiam fidei interpretari neglexerunt.

II. Ergo quum hæc ita se habeant, nobis de Deo tractaturis, si nolimus in huiusmodi blasphemos errores incurrere, cùm aliæ regulæ, quas aliàs de intelligendis & interpretandis Scripturis, diuinísque mysteriis à nobis traditas breui in lucem, vt confido, daturi sumus: tum maximè hæ duæ seruandæ sunt. Prima, vt de hoc tanto mysterio nihil cogitemus, nihil loquamur, nisi quantum Scripturæ ipsæ suppeditant, & iis simus contenti: nihil eorum, quæ ipse Deus noluit reuelare, perscrutando, & quæ patefecit, minimè negligendo. Secunda, vt Scripturas diligenter inuestigemus, & eas iuxta analogiam fidei per ipsas Scripturas interpretemur. Nam cùm multæ sint in Theologia difficiles sanè, & obscuræ quæstiones: ista certè, quæ est de Trinitate, sicuti est omnium maximè creditu necessaria: ita etiam omnium est cognitu difficillima & obscurissima, idque propterea, quòd nemo hominum, quamuis sanctissimorum ac sapientissimorum, assequi vnquam sua intelligentia potuit, aut potest, quid sit Deus: quemadmodū non solùm Simonides ille Philosophus, non minùs prudens, quā doctus, de se ipso liberè dixit, sed reliqui etiā omnes, tam profani quàm sacri Scriptores, ingenuè professi sunt.

Multò verò minùs intelligere quispiam potest, quo pacto tres sint inter se distincti, Pater, λόγος, & Spiritus sanctus, vt interim tamen non sint tres Dij, sed vnus tantùm Deus. Hæc enim omnem creatū superant captum, id quod etiam Seraphini apud Iesaiam apertè docuerunt: quum ad præsentiam diuinæ maiestatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti, duabus alis suas regerent facies: eo actu significantes, diuinæ maiestatis mysteria à nullius creaturę intellectu, ne ab Angelis quidem ipsis, posse comprehendi. Ac proinde admodum sobriè, & summa cum reuerentia, de hoc cœlesti mysterio esse & cogitandum, & loquendum. Hoc docuit nos Spiritus sanctus in Prouerb. cap. 25. v. 27. *Sicut* (inquiens) *qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimitur à gloria:* nempe si extra terminos Scripturarum eam velit scrutari & intelligere. Sic certè Patres omnes, tā Græci quàm Latini, quos ego legerim, idem confirmant. Etsi enim multa de Trinitate scribunt, idque ab hæreticis coacti: tamen omnes fatentur ingenuè de nulla re difficiliùs & periculosiùs posse, quàm de Trinitate disputari: quòd acies humanæ mentis ad tantā lucem non pertingat, vt tantum mysterium vnitatis & Trinitatis percipere possit, nisi quatenus è Scripturis per lumen Spiritus sancti colligi potest. Legatur Iustinus Martyr in libro, cui titulus est, Ἔκθεσις πίστεως περὶ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας, τουτέστι περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος. Posteaquam è Scripturis disseruisset de Trinitate, quantum per Scripturas & euidentissimas rationes è Scripturis collectas disputare licuit, tandem ait: *Vnitas in Trinitate intelligitur, & Trinitas in vnitate noscitur. Id verò quomodo fiat, nec alios scrutari velim, nec ipse mihi possum satisfacere.* Et concludit in hæc verba: *Nullo igitur modo, quum simus homines, possumus penetrare ad illam primam, ac beatam essentiam.* Neque aliter scripsit Tertullianus, De Trin. p. 598. *Quicquid omnino* (ait) *de illo* (Deo, qui trinus & vnus est) *retuleris: vim aliquam ipsius magis & virtutē, quàm ipsum explicaueris. Quid enim condignè de eo aut dicas aut sentias, qui omnibus & sermonibus & sensibus maior est?* Quid verò Augustinus? *Vbi quæritur* (inquit) *vnitas Trinitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.* T. 3. T. in lib. 1. cap. 3. Nec diuersa tum Ambrosius, tum Hilarius, & reliqui interpretes, scripta reliquerunt. Eant igitur Seruetiani & Tritheitæ, & glorientur, se optimè mysterium Trinitatis intelligere: & nihil in hoc esse difficultatis contendant, si Scripturis tantùm insistamus. Aliter certè, præter Patres, ipsi docuerunt Seraphini, qui ideò tegebant facies suas ad præsentiam tantæ gloriæ & maiestatis diuinæ, vt intelligeremus, ne ab ipsis quidem Angelis mysterium hoc perfectè percipi posse, & potiùs esse adorandum, quàm curiosè inuestigandum.

At cùm tam difficile sit ad intelligendū mysterium hoc, num igitur ab eo inuestigando, & vt intelligatur, quærendo, desistendum nobis est? Minimè verò, Deus enim iubet, vt scrutemur Scripturas, inter quas permultæ de hoc etiā sunt mysterio. Ioh. 5. 39. Sunt igitur & hæ diligenter nobis perscrutandæ. Ac proinde sicut de reliquis Christianæ doctrinæ capitibus, sic etiam de hoc, quærendū, loquendum, disputandum est: sed è Scripturis & intra terminos Scripturarum. Idem quoque docent Patres. Quare idē & nos facere non tam æquum, quàm necessarium est.

III. Vt autem contextum aliquem ę Scripturis sanctis clarum atque perspicuum de hoc mysterio Trinitatis, toti nostræ tractationi præponamus, vnde quæstiones tractandas colligamus, & quo tota nostra tractatio nitatur: iudicaui operæpretium me facturum, si locum illum D. Iohannis ex Epist. 1. cap. 5. breuiter explicem. Etsi enim ibi Apostolus ex professo non agit de Trinitate, sed de testibus, quibus confirmatur, Iesum esse verum Filium Dei, illúmque Messiam, de quo & Lex, & Prophetæ vaticinati fuerunt: tamen non obscurè tradit, & tres in cœlo esse siue hypostases, siue personas (nam de vocibus non contendam) Patrem, λόγον, seu Filium, & Spiritum sanctum, & hos tres, non tres esse deos, sed vnum tantùm Deum. Quare locus hic alienus non est à nostra tractatione de Deo. Audiamus igitur Apostolum.

*1. Iohannis 5. b 7.*

*Τίς ἐστιν ὁ νικῶν τὸν κόσμον, εἰ μὴ ὁ πιστεύων ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ,* &c. vsque ad vers. 13.

Qui in hunc locum scripserunt, omnes certis in capitibus inter se consentiunt. Primo quidem in scopo Apostoli: nimirum eum velle probare, Iesum esse illum, in quem vnicum recumbere debet nostra fides, vtpote verum Dei Filium, & seruatorem, à quo tota nostra pendet salus, & victoria contra mundum. Deinde verò Apostolum hoc probare duobus testium generibus: aliis, qui de cœlo: aliis, qui in terra illud testificentur. Tertiò, in testibus cœlestibus pulchrè consentiunt: hos nimirum esse, Patrem, Filium, & Spiritum sanctū. Nam primùm Pater de cœlo intonuit super Christum, in ipsius tum Baptismo, tū transfiguratione, dicens: *Hic est Filius meus dilectus,* Matt. 3. 17. & 17. 5. Deinde ipse Filius hoc idem perpetuò inculcauit, verum se esse Filium Dei. Postremò Spiritus sanctus, tum ante mortem, tum post mortem Christi, multis modis idem testificatus est. In Baptismo, quum super eum descendit in columbæ specie. Post Ascensionem, quum iuxta promissionē Christi, descendit super eius Apostolos: quum donabat fideles variis donis, iisque talibus, vnde posset liquidò agnosci Christū, propter cuius fidem Spiritus illa largiebatur dona, verum esse Filium Dei: vti erat donum linguarum, sanitatum, & reliquorū, quæ à Paulo tum in Epist. ad Ro. 12. 6. tum maximè in priore ad Cor. annumerantur, 1. Cor. 12. 8.

In iis igitur capitibus omnes interpretes consentiunt: sed

sed in testibus, quos dicit testificari in terra, hoc est, quid Apostolus intelligat nomine aquæ, sanguinis, Spiritus: non ita conuenit inter omnes.

Non me latet autem, quàm multæ tam à Patribus, quàm à nostri seculi doctissimis viris in hunc locum allatæ sint interpretationes; quas sicut non improbo, sic neque singulas recitare, operæpretium est. Vnam tantùm referam: quòd ea mihi videatur ad scopum Apostoli accommodatior & simplicior: cuius summa hæc est.

Per aquam intelligi nostri regenerationem, quæ fit per Spiritum Christi, cuius regenerationis typi fuerunt purificationes legales, & cuius testimonium est Baptismus. Per sanguinem ipsam Christi iusticiam, quæ nobis sanguine ipsius parta est: & quæ consistit primùm in remissione nostræ iniustitię & inobedientiæ: deinde in imputatione ipsius Christi iustitiæ & obedientiæ. Per Spiritum verò intelligit agnitionem Dei Patris in Christo, per Spiritus sancti testimonium, de quo Rom. 8.16. *Spiritus autẽ reddit testimonium spiritui nostro.* Confirmatur expositio loco Apostoli ex prioris ad Corinth. 1. 30. quum ait, ipsum factum nobis esse à Deo sapientiam, iustitiam, sanctificationẽ, redemptionem.

Quibus verò & quomodo hæc testificantur, Iesum esse Christum & Filium Dei, ac seruatorem? testificantur fidelibus, in quibus hæc insunt beneficia: hoc est, qui primo sentiunt se donatos spiritu seu cognitione Dei, per Spiritum sanctum testificantem, quòd simus filij Dei. Rom 8.16 qui deinde sentiunt in se aquam, hoc est regenerationem, per aquam Spiritus Christi factam: qui postremò se sentiunt sanguine Christi perfusos, & aspersos: hoe est, iustificatos. Fideles igitur habent in se hos tres testes.

Quomodo verò hoc testificentur, res est perspicua. Fideles enim sciunt hæc beneficia se habere à Christo, & per Christũ. Si autẽ Christus non esset verus Filius Dei, & seruator mundi, non posset hæc beneficia conferre. Ex his igitur, quæ in se sentiunt fideles Christi beneficia, concludũt, Iesum esse verum Dei Filium & seruatorem. En quomodo & quibus testificentur hi tres testes, Spiritus, aqua, sanguis, Iesum esse Christum illum Dei Filium. Quare beneficia, quæ hìc in terris à Christo, & per fidem in Christum accipimus (omnia enim ad tria reducuntur, nempe ad cognitionem Dei Patris, ex testimonio Spiritus Christi, ad sanctificationem ac regenerationẽ nostri per aquã spiritus Christi, ad iustitiã per sanguinẽ Christi) hæc, inquã, tria beneficiorum genera, quæ fideles à Christo accipiunt, & se accepisse sentiunt, sunt hi testes, de quibus dicit Iohannes: *tres sunt, qui testificãtur in terra spiritus, aqua & sanguis.* Hæc est grauis interpretatio: & minimè coacta, & facit ad scopum Apost.

I V. Interim non credo me rem facturum cuipiam ingratam, si meam quoque addam interpretationem, quam posteà expendant viri pij & docti. Neque enim absurdum est, si vnum & eundem locum Scripturæ sanctæ variè interpretemur, modò verba Spiritus sancti non torqueantur, & iuxta analogiam fidei fiat interpretatio.

Scopus itaque Apostoli est, demonstrare, vt dictum est, Iesum verum esse Filium Dei, illúmq; Christum seu Messiam, de quo vaticinati sunt Prophetę: ac proinde eum esse, in quem nostra fides tota debet recumbere.

Hic est scopus, vt quisque videre potest. Quum enim alij negarent Iesum esse Christum illum: ipse Iohannes contendit, hunc illum ipsum esse. Quorsum verò hoc? vt confirmentur fideles in fide Christi, pérque hunc seruentur, vti liquet ex versu 13.

Quomodo autem probat à testibus?

Primò, à testibus cœlestibus omni exceptione maioribus: Patre scilicet, Filio, & Spiritu sancto, quatenus nimirum extra nos testificati sunt de cœlo, vt anteà est declaratum, hi dicuntur cœlestes, quia è cœlo illa testimonia immediatè allata sunt: & à multis audita & visa.

Secundò, probat à testibus illis, quos ait testificari in terris. Quinam isti? Sunt tria oraculorum de Christo genera, quæ Iesus, dum adhuc omninò esset in terris, ostendit in se se completa esse. Sunt autem hæc tria in summa. Primum, Christum venturum vt Prophetam, qui cœlestem Euãgelij adferret doctrinam: eámque inter ipsas Gentes spargeret, vt esset lux quoque Gentiũ Ies. 49.6. Hanc cœlestem Euãgelij doctrinã sępè in Scripturis Spiritus sanctus aut cõparauit aquis, aut significauit per aquas. Iesaiæ 11 9. *Et replebitur terra scientia Domini: sicut aquis mare* (ipsum) *operientib.* & loquitur de prædicatione Euangelij, qua prædicatione exundatura erat cognitio Iehouæ, per totum terrarum orbem ad gentes. Ezechielis cap. 47. totum ferè est de his aquis, hoc est, de doctrina Euangelij, quã debebat Christus opera Apostolorum per totum terrarum orbem diffundere, eóque & de Spiritus sancti donis, quæ receptam Euangelij doctrinam consequũtur, & quæ aquarum nomine sæpe in Scripturis significantur. Vidit enim è templo aquas multas & magnas egredi ad Orientem, ad Occidentem, & Meridiem, & ait eas ita excreuisse, vt peruenerint sibi vsq; ad genua. Ac frequentissima est apud Prophetas locutio, stillare pro docere, & stillare aquam de cœlo, pro cœlestem tradere doctrinam, & stilla pro doctrina capitur, sicuti videre est apud Iob. cap 26. & 29. Ezech 20. & 21. Amos 7.16. & Deut. 32. *Stillet* (inquit Moses) *vt pluuia doctrina mea.* Hinc fit, vt in nomine Baptismi, sæpe doctrina etiam fidei, quam profitemur in Baptismo, intelligatur, vt Act. 19.3 Dubium igitur non est, quin sępe aquarum nomine intelligatur doctrina. Deinde prædixerunt Messiam venturum Pontificem qui sacrificium offerret pro peccatis, non suis, sed aliorum: & quidem, quòd deberet mori tali genere mortis, quali videmus Iesum mortuum esse, hoc est, prodendum eum fuisse à discipulo, ac vendẽdum triginta argenteis, percutiendum item esse pastorem, & dispergendum gregem, fodiendas ei manus & pedes, & inter iniquos crucifigendum. Hęc autem passio & mors nomine sanguinis significatur. Postremò prædixerunt eum venturum vt Regem, qui sua virtute hostes expugnaret, de illis triumpharet, & suum liberaret populum: eum item sua virtute die tertio resurrecturum à mortuis, signa editurum magna, inter quæ signa hæc etiam ponit Propheta Ies. 35.5. *tunc* (inquit) *aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Luc 7.22. Hæc cùm egerit Iesus suo Spiritu & potentia, vt Rex. qui in omnia imperium habet, omninò iis probauit se esse Messiã. Hæc autem virtus, potentiáque Regis Messiæ, nomine Spiritus intelligitur. *Iustificatus est in Spiritu* (inquit Apostolus 1. Ti. 3 16) hoc est, virtute sua, qua miracula edidit, qua resurrexit, qua debellauit hostes. qua totum sibi subiecit mundũ, declaratus est, & agnitus pro vero Deo: Sic Petrus, 3 18 *Viuificatus autem Spiritu, quo Spiritu etiam spiritibus* (id est, animis impiorum) *qui nunc sunt in carcere, prædicauit, olim immorigeris, quum semel expectarent Dei potentiam, in diebus Noe.* Ita Christus, Matt. 12. 28. *Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia,* inquit, *igitur peruenit in vos regnum Dei.*

En quomodo ab hoc Spiritu probat venisse Messiam, & Regem.

Cùm autem hæc omnia impleta sint in Iesu, hic in terris certè liquido testantur, non tãtùm fidelibus in animis ipsorum: sed toti orbi, modò velit oculos aperire, hunc Iesum esse Christum.

Tribus igitur testium generibus probat Iohannes (vt iam ad eius accedam verba) Iesum esse Christum.

Primùm à testibus de cœlo, hoc modo.

Ille est verus Filius Dei, & Messias, de quo Pater, & Λόγος ipse, & Spiritus sanctus è cœlo testantur, quod sit Messias, Filiúsq; Dei Neque enim Pater, Λόγος, Spiritus sanctus, possunt falsũ testari, cùm Spiritus, hoc est Deus, sit ipsa veritas.

Atqui de hoc Iesu testificati sunt hoc, Pater, Λόγος, & Spiritus sanctus. Ergo, &c.

Deinde idẽ confirmat à testibus è terra in hunc modum.

Qui venit primo, vt Propheta, per aquam, doctrinã scilicet Euangelij adferens, & per totum orbem, sicut prædixerunt Prophetæ, spargens, qui venit item, vt Pontifex, per sanguinem, talem scilicet obiens mortem, qualem Prophetæ vaticinati sunt obiturum Messiam, & quidem pro aliorum peccatis, vt Iesaias longè antè prædixerat, cap. 53. qui denique venit, vt Rex, per Spiritum, hoc est, per potẽtiam, qua talia miracula edat, qualia de Messia prædicta fuerunt per Prophetas: & qua hostes debellet, seipsum à morte excitet, mundum sibi subiiciat, Qui, inquam, ita venit, per aquam, per sanguinem, per Spiritum: is verus est Christus.

Atqui hoc modo venit Iesus iste. Nam primò venit per aquam vt Propheta: aqua scilicet Euãgelij se verum Messiam esse demonstrans, proinde, vt hoc confirmaret, solitus erat, ad perscrutandas Scripturas, quòd illæ de se testificarentur, auditores suos remittere Iohan. 3.39. Deinde venit per sanguinem, vt Pontifex, eámque obiit mortem, quam prædixerunt Prophetæ. Proinde videmus apud Euangelistas, postea quàm aliquid narrãrunt, de Christi passione, mox subdi testimonium ex Prophetis, hoc factum esse, *vt impleretur Scriptura.* Cur, obsecro, addunt hæc testimonia: vt ostendant ex hoc passionis genere, illum Iesum esse Messiam: iuxta hoc Iohannis argumentum. Denique venit per Spiritum, vt Rex, & suo Spiritu, id est, potentia, talia edidit miracula, quæ eum declararunt esse Messiam illum, de quo hæc fuerunt prædicta. Idcircò subinde suos ipse auditores ad hæc examinanda mittebat, vt, *Si mihi non creditis, operibus credite.* Iohan. 10. 30. *Opera quæ ego facio in nomine Patris, ipsa testimonium perhibent*

*us me.* Io.5.25. Et hoc Spiritu resurrexit à mortuis:& expugnatis hostib⁹,populũ suũ ex illorũ liberanit manib⁹:ibiq; totum terrarũ o bem subiecit,1.Pe.3.18.1.Cor.13.4.Eph.4.8.

Tertiò idem probatur à peculiari testimonio Dei,in cordibus fidelium,hunc in modum:

Ille est verus Messias,& Filius Dei, quo per fidem recepto,testimonium etiam Dei internum in nobis recipimus, hoc est, πληροφορίαν,certam, firmámque persuasionẽ de beneuolentia Dei erga nos:quod vt nos seruaret,miserit Filium in quo vitam posuerit:quemadmodum posteà, quale sit hoc testimonium,explicat. Sic enim promiserat Dominus per Prophetas,se effecturum,vt qui crederent in Messiam:ij haberent in se hoc testimonium,seu hãc πληροφορίαν, & certitudinem per Spiritũ sanctum de beneuolentia Dei. Huc illud Ieremiæ 31:33 *Dabo legẽ meam in cordibus eorum.* Item,*Cognoscent me omnes.* Quid verò est hæc cognitio,nisi testimonium Dei in nobis ipsis?Deinde si ille,in quem, vt in Filiũ Dei,credimus,non esset verè Dei Filius:Deus certè non daret credentibus in eũ,tale testimoniũ,quale dat. Non enim vellet nec posset dare testimonium mendacio. Ille igitur est Messias,quo per fidem accepto,recipitur etiam testimonium hoc à Patre.

Atqui talis est Iesus in quẽ credimus,Omnis.n.qui credit in hũc,tãquã in Filiũ Dei:habet hoc testimoniũ in se Dei: testimoniũ,inquã,certum,firmum,verũ,quo obsignatur externum verbi testimonium,hoc est, veritas,iã fide recepta: & magis ac magis agnoscimus,dominum esse veracem.

Ergo Iesus est verus Dei filius, & Christus.

Sequitur confirmatio à contrario , ad absurdum deducens:*Qui non credit Deo , mendacẽ eum facit,quia nõ credit testimonio,quod testificatus est Deus de Filio suo.* Sequitur explicatio huiusce testimonij,quod recipitur à fidelibus,& reiicitur ab infidelibus:nimirum summa Euangelij quod Deus velit nos saluos in vita æterna:verũ nõ alia ratione,quàm per Iesum Filium suum: ideò ait: *Est autẽ hoc testimonium, nempe quòd vitam æternã dedit nobis Deus , & hæc vita in Filio eius est.* Sequitur illatio:*Qui*(igitur)*habet Filium* (hoc est qui credit in Filium:habetur enim per fidem)*habet vitam. Qui non habet Filium Dei,vitam non habet.*

Atque hic quartum habemus argumentum, quo confirmatur Iesum esse Filium Dei,verúmque Christum.Est autem argumentum ab officio Messiæ quod sic formatur:

Qui à nobis fide receptus vitam cõmunicat æternam,is verus est Deus,aut etiam Christus. Hoc enim propium est Dei & Messiæ,sicut docent & prædixerunt Prophetæ,venturum illum vt nos viuificaret,Hos 6.2.

Atqui talis est Iesus,in quem, tanquam in Filiũ Dei credimus.Nam qui habet Filium,habet vitam æternam.

Ergò cùm videamus eos , qui recipiunt Christum per fidem , etiam recipere vitam æternam , & hoc sit proprium Messiæ, & Filij Dei officium : Sequitur Iesum verum esse Messiam.

Sic mihi videtur locus iste Iohannis haud incommodè posse explicari. Sic enim pulcherrimo argumentorum ordine probat Iohannes, Iesum verum esse Christum & Filium Dei:primùm duobus testium generibus,qui externè id testificati sunt:in cœlo quidem,Pater,λόγος, Spiritus sanctus.In terra autem,aqua,id est,doctrina Euangelij: quam Christus opera Apostolorum sparsit per totum terrarum orbem.Sanguis,hoc est,qualitas mortis, quam nõ pro suis, sed pro alienis peccatis obiit.Spiritus,hoc est,potentia suæ Deitatis:qua se variis effectis,quis esset, apertè declarauit. Secundò idem confirmat duobus aliis testimoniorum generibus , quæ internè testantur in cordibus fidelium: nempe,& μαρτυρία τοῦ θεοῦ,id est,πληροφορία,de doctrinaEuangelij quòd scilicet Deus pro sua beneuolentia vitam tradidit,& hanc in Christo:Et receptione æternæ vitæ, qua credentes in Iesum,donantur. Iudicium tamen esto viro rum doctorum.

V. Nunc ex hoc contextu has colligo de Trinitate propositiones,quæ postea explicandæ nobis sunt,& cõfirmandæ. Quarum prima est:vnum tantùm esse Deum. Nam in singulari numero ait : *testimonium Dei.* Altera , esse tres in cœlo res subsistẽtes,seu tria ὑφιστάμενα. Ait enim , *tres sunt in cœlo*,& cum Patre,quem nemo inficiatur verum esse ὑφιστάμενον, coniungit in eodem testium genere ipsum etiam λόγον, & Spiritum sanctum. Singuli autem,vt ostendimus, dederunt apertum suum quisque testimonium.Tertia,esse hos tres inter se verè distinctos. Ait enim esse *tres* ( testes) & scimus Patrem dedisse testimonium de Filio , tanquam de re à se distincta. Quarta,quemque horum verum esse Deum,alterum alteri per omnia æqualem. Nam postea quam dixisset , hos tres testificari in cœlo: horum singulorum testimonia appellat ex æquo testimonium Dei. Ergò quisq; Deus ex æquo,quare alter æqualis per omnia alteri.Quinta,non esse diuisos inter se,ita vt sint tres Dij, sed omnes esse vnum tantũ Deum:nam præterquam quòd hos tres dicit esse vnum, ipsorum quoque testimonium vocat testimonium Dei,nempe vnius.

## CAPVT II.

## De nominibus quæ in hoc articulo vsurpantur à Patribus, vnitate , trinitate, personis,essentia,ὁμοουσίᾳ.

CETERVM antequàm ingrediar ad explicandam hanc de Trinitate doctrinam , quædam etiam alia mihi præfanda sunt,nempe de nominibus οὐσίας,ὑποστάσεως,ὑφισταμένου, seu προσώπου, τριάδος,ὁμοουσίου.Nam iis vocibus sicut vsi sunt Patres,in tractando hoc argumento contra hæreticos: Sic nos quoque cogimur vti in explicatione huiusce doctrinæ, idque eandem ob causam, propter quam & Patres coacti fuerunt vti. Etenim sicut non probamus , vt vbi de rebus conuenit , ibi de vocibus disceptetur : ita non possumus non laudare, vt vbi propter ambiguitatem vocum, sanctæ Scripturæ periclitatur doctrina , ibi maioris explicationis gratia aliæ clariores vsurpentur voces , quibus vocibus & veritas apertiùs explicetur , & hæreses refutentur melius.

Tria autem de iis vocibus dicturus sum:

Primùm , tametsi totidem syllabis hæ omnes voces in Scripturis non legantur:à Scripturis tamen alienas nõ esse: quandoquidem rem ipsam in eis abundè, & perspicuè habemus.

Deinde,quia quidam negant nomina hæc reperiri apud illos veteres nascentis Ecclesiæ Patres,Tertullianum, Iustinum, Irenæum, Origenem,Lactantium:sed tantum in posteriorum libris legi,vt in Athanasio,Basilio, Augustino, & aliis eius temporis Patribus , ideirco ostendemus, etiam apud primos illos frequenter reperiri.

Postremò,quid hęc nomina Patribus significẽt, atque in primis quæ sit differentia inter οὐσίας & ὑποστάσεως.

Quod ad primum attinet,hæc nostra est sententia.

*Etsi hæ voces,de quibus est quæstio , syllabatim in Scripturis non inueniuntur, à Scripturis tamen aliena non sunt , tum quia res ipsas in eis habemus , tum quia ibi sunt voces,vnde hæ vera & necessaria consecutione colliguntur.*

Nam in scripturis habemus passim,tres esse in cœlo, Patrem,Filium,Spiritum sanctum. Quid igitur absurdi est,si ex hac voce *Tres*, colligamus substantiuum nomen Trinitatis?& sic argumentemur à Coniugatis:

Tres sunt in cœlo,Pater,λόγος, Spiritus S.& hi tres vnum sunt,hoc est,vnum,non tam consensione testimonij, quàm vnitate Essentiæ.

Ergo hæc Trinitas,Pater,Filius,Spiritus S.vnus est Deus? Et sicut Seraphim iis tribus occinunt, dicentes , *Sanctus, sanctus,sanctus Dominus Deus Zebaoth.* Ies 6 3. Sic nos hanc trium personarum vnitatem vocemus sanctam Trinitatem, an non etiam ab hac dictione θεός . deducta est hęc altera θειότης:qua vtitur Apostolus ad Col.2.9.

Idem dico de vnitate.Non est hæc vox VNITAS in Scripturis hunc in sensum:est tamen æquipollẽs. *Hi tres vnum sunt*,1.Ioh.5.7.*Ego & Pater vnum sumus*,Ioh.10.30 quid peccamus, si eadem coniugatorum regula vsi,sic dicamus:

Hi tres vnum sunt:

Ergo in Deo est vnitas horum trium,seu personarum?

Tertia vox,οὐσία,hoc est,Essentia,non est in Scripturis: at habemus rem et æquiualentem.Vnde Deus ait, suum nomen esse ὁ ὤν,*ille qui est*,Exod 3.14.Ab hac voce ὤν,deriuatur substantiuum.οὐσία En vocem æquiualentem. Rem etiam habemus necessaria consecutione.Si enim Deus est ὤν,habet igitur esse,& οὐσίαν.Christus verò ait:*Ego & Pater vnum sumus*,Ioh 10.30.hoc est,vnius potentiæ,eóque & essentię. Rem ergò habemus.

Ita de voce ὁμοούσιος dicendũ est:ab οὐσία , est ὁμοούσιος,sicut etiam ἐπιούσιος,quæ vox est apud Euangelistam Matth.6.11. *Da nobis panem* ἐπιούσιον.

Vox ὑπόστασις legitur in Scripturis in hac significatione, in qua nos vtimur.Apostolus ad Hebr.1. ait : Christum esse χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ,nempe Patris.

Nomen personæ,seu,vt Gręci vocant,τὸ πρόσωπον, in hac significatione , qua vtimur , cùm dicimus personam Patris,non habemus quidem , sed rem ipsam. Scriptura certè nominat Patrem, Filium, & Spiritum S. vt res inter se distinctas, indiuiduas, subsistentes, intelligentes, volentes, quemadmodum postea dicemus. Persona autẽ sic definitur: Est substantia indiuidua,intelligens,volẽs, incommunicabili,

bilis. Cur igitur non liceat à definitione ad definitum argumentari? hoc sanè modo:

Atqui talis est Pater.
Ergo, Pater est persona.
Talis est Filius.
Filius ergò est persona.
Talis est Spiritus sanctus:
Ergò & Spiritus sanctus est persona?

Coacti autem fuerunt Patres græci hac vti voce propter hæreticos, qui negabant hos tres, Patrem, Filium & Spiritum S. esse tres res distinctas, ita vt vna non sit altera: tam dicere tres Deos, prohibet Scriptura: vocare tres homines nō poterant: cum non sit homo nisi Filius, idque in tempore dicere tres res, non erat consultum. Non enim exprimitur hucmodo substantia indiuidua. Non sine causa igitur vsi sunt voce τῶ προσώπου. Quare etsi in Scripturis non habētur hæ voces iisdem planè syllabis: cùm tamen habeamus tum res ipsas, tum voces iis æquipollentes, vt declarauimus: consequitur immeritò has voces reiici ab hæreticis, tanquam à Scripturis alienas.

His addo testimonium Socratis, vt quæ diximus, confirmentur, Socrat. in histor. Eccles 3.c.7. cùm narrasset decretū Concilij Alex. περὶ ὁμοουσίας, in qua & Spiritus sanctus cōtinetur, nempe ipsum etiam esse Patri ὁμοούσιον, quemadmodum & Filius: subiicit hæc verba: *Non enim nouam quandam religionem à se excogitatam induxerunt* (Athanasius, Eusebius & alij patres illius Concilij) *in Ecclesia: sed qua inde ab initio, & Apostolica traditio habuit, & Christianorum sapientes euidenter philosophati sunt.* Atque hæc satis de primo.

II Quod verò attinet ad alterum apud ipsos quoque vetustissimos Patres hæc eadem nomina inueniri: manifestum est illis, qui eos vel à lim ne salutārunt.

Prodeat primo loco Iustinus Martyr, qui floruit in Ecclesia Christi sub Antonino, Anno Domini circiter 150. Is librum edidit, cui titulus est, Ἔκθεσις πίστεως. περὶ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας, ἤ τοι περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος, audis hic ὁμοούσιον, audis & ἁγίας τριάδος? Neque tantum in titulo iis vocibus vsus est, sed in ipso libro quàm sæpissimè. Primo folio in ipso initio repetit nomē τριάδος. Item habet nomen οὐσία, item ὑπάρξεως. ait enim præter alia, τὸ μὲν ἀγέννητον, καὶ γεννητὸν, καὶ ἐκπορευτὸν, οὐκ οὐσίας ἀλλὰ τρόποι ὑπάρξεως. Et paucis etiam explicat discrimen, quod est inter οὐσίας καὶ ὑπάρξεως. sæpe etiam repetit nomē ὑποστάσεως. Millies verò, vt ita dicam, vsurpat nomen προσώπου. Primo folio, & deinceps: & ait in Deo esse tria πρόσωπα.

Tertullianus, qui floruit circiter annum Domini 210. sub L.Sept.Seuero, cùm alibi, tùm maximè in libr. de Trinitate, & in lib. cōtra Praxeam sæpissimè iisdem vtitur vocibus Trinitatis, vnde facit alteri libro titulum, de Trinitate: Personæ, pag. 617. *Nolunt* (igitur) *hæretici* (Christum) *secundam esse personam post Patrem.* Item ibidem etiam pagina insequenti, plusquam sexies vsurpat nomen personæ. Vnitatis & Trinitatis nomine vtitur contra Praxeam, pagina 406. Item pag 409. Quid verò nomine Personæ intelligat, ipse definit. Legatur pag. 425. 427. 430.

Clemens Alexandrinus stromatum libr. 5. pag. 250. græcè vtitur nomine ἁγίας τριάδος, & ait eam aliquo modo agnitam à Platone fuisse.

Origenes etiam, Clementis discipulus, voce Trinitatis non semel vsus est. Tomo primo in Iesai. cap. 6 in ea verba: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus*: ait hic mysterium Trinitatis insinuari, & subinde repetit eandem vocem Dialogo de recta fide, in ipso initio vsurpat nomen Essentiæ, dicens. Christum esse eiusdem cum Patre essentiæ. Item in Apologia Pamphili Martyris pro Origene, apertissimè patet Origenem vsurpare has voces solitum fuisse.

Lactantius Firmianus ab iisdem vocibus non abstinuit. Præter alia loca legatur lib. 4. qui est de vera sapiētia, cap. 39. cui titulus est *de vnitate Patris & Filij.* Ecce vocem vnitatis. Item ibidem vtitur voce Personæ.

De aliis Patribus posterioribus non est cur dicamus, quia aduersarij fatentur illos iis vti vocibus Imò dicunt, harum vocum ipsos fuisse auctores, vt Athanasium, Basilium, & reliquos, Sed falluntur, vt anteà visum est.

Conclusum igitur est, hæc nomina Trinitatis, Vnitatis, Essentiæ, Personæ, primò quidem à Scripturis originem habere: deinde à Patribus omnibus, etiam vetustissimis, vsurpari. Eant igitur imperiti homines, & rideant has voces, dicántque non legi apud vetustos Patres. Quorsum verò hæc illi? vt reiectis iis vocibus ipsam quoque doctrinam damnent. Sic faciebant Ariani, reiiciebant doctrinam περὶ ὁμοουσίας Filij cum Patre.

Quomodo? dicendo has voces in Scripturis non reperiri: sed nuper ab hominibus fictas fuisse. Contra quos, quæ scripsit Theodoretus in historia Eccles. libr. 1. cap 8. nos eadem obiicimus nostris aduersariis. Apologia Theodoreti hæc est: *Qui autem obmurmurare solent. in Scriptura has voces non reperiri: stolida est refutatio. Qui enim ex alienis à Scriptura verbis struxere impietatem*, (sunt enim certe aliena à Scriptura hæc: DE NIHILO: &, FVIT ALIQVANDO, QVVM NON ESSET: iis enim verbis vtebatur Arius de Christo, quod scilicet esset ex nihilo) *queruntur, se de iis, qua in Scriptura non reperiuntur, quorum tamen est pia sententia esse damnatos. Ipsi enim ore suo, qua quasi in fimo repererunt, planè protulerunt è terra. Episcopi verò non sibi illas voces confinxere, sed testimonio vsi Patrum, ita perscripserunt. Fuerunt enim Episcopi veteres, ab hinc annos circiter trecentos triginta, vnus magna Roma, & alter vestra vrbe, qui redarguerunt asserentes creaturam esse Filium, & non coessentialem cum Patre: Neque hoc latebat Episcopum Cæsarea Eusebium, qui initio concursitauit cum Arianis, postmodum autem subscribens Nicæna Synodo, in suis etiam libris testatus est, & affirmauit, reperiri quosdam priscos, doctos, & spectatos Episcopos, & Scriptores, vsos coessentialitatis voce de Patre, & Filij diuinitate:* hæc ibi.

Non dissimulabò tamen, quid de iis duabus vocibus, ὑποστάσεως καὶ οὐσίας, decreuerit Concilium Alexandrinum, cui Concilio præter alios interfuit etiam Athanasius, & Osius ille Cordubensis. Statuit illud Concilium, quomodo ab iis vocibus abstinendum sit, & quomodo etiam vtendum. Referam verba ex Socratis historia Ecclesiastica, lib. 3. cap 7 *Quoniam verò nonnulli postea, hoc est, post Concilium Nicænum, hac de re, nimirum περὶ οὐσίας, καὶ ὑποστάσεως contendere, nugarique voluerunt, ob eam causam, in hac Synodo* (Alexandrina) *ista de οὐσία & hypostasi decreuerunt, Non esse de Deo hasce voces vsurpandas. Etenim οὐσίας ne nominatam quidem esse in sacris Scripturis, nomine verò ὑποστάσεως, Apostolum necessitate dogmatum esse abusum. Alia verò ratione voces istas vsurpandas decreuerunt, nempe quatenus opinionem Sabellij reiiciunt, ne angustia dictionum, quod triplici nomine dicitur, rem vnam esse putemus, sed vnumquodque horum nominum de Triade, in propria hypostasi diuinitatis consideratione capiatur. Hæc quidem tunc Synodus decreuit.* Hactenus Socrates. Pium certè decretum: nam certè probandum non est, vt in concionibus vsurpemus has voces, Essentiam, ὑπόστασιν, sed simpliciter vtendum est vocibus sacrarum Scripturarum, vt Deus, Pater, Filius, Spiritus sanctus, Deus vnus, Filius à Patre missus, & cæteris, quibus vnitas, & distinctio significatur. Cęterùm contra hęreticos omnino vsurpandæ sunt, vt refutetur sententia Sabellij & Arij: Videmus enim ex hoc decreto, Patres, & totam veterem Ecclesiam, coactam fuisse iis vti vocibus, ad hæreses ex Ecclesia propellendas, non ad noua dogmata (vt hæretici calumniabantur) extra Scripturam constituenda. Hac eadem de causa nostri hæretici non possunt has ferre voces: sed nos, vestigiis Patrum inhærētes, debemus illas retinere, vt hæreticorum dogmata facilius refellantur. Atque hæc de secundo capite satis supérque.

III Venio iam ad tertium: Nunc enim est explicandum, quid hæc nomina Patribus significent, atque in primis de οὐσίας καὶ ὑποστάσεως.

Duæ hæ voces, οὐσία (h.e. essentia) καὶ ὑπόστασις (hoc est substantia) admodum turbārunt Ecclesias Græcas, vt liquet in Historiis, & vt refert Sozomenus lib. 6, cap. 12. Hinc ille Canon Concilij Alexandrini, non esse vtendum iis vocibus de Deo, quum loquimur, nisi quis Sabellij opinionem reprehendere conetur. Qua de re scripsit etiam Socrates libr. 3. cap. 7. Magnæ enim controuersiæ inter Græcos fuerunt, an οὐσία καὶ ὑπόστασις. idem significent, Et si differunt inter se, quænam sit hæc differentia. Hac de re consulendi sunt præter alios ij loci in historiis. Socrates lib. 3. cap. 12. Ruffinus libr. 1. cap. 29. Sozomenus lib. 5 cap. 12. Cùm primis verò legenda est Basilij Epistola ad Gregorium Fratrem περὶ οὐσίας, καὶ ὑποστάσεως, & est epistola 43. Extat etiam hæc Epistola in volumine historiæ Ecclesiasticæ, Eusebij, Theodoreti. Ruffini, impresso Basileæ, pag. 531 Gregor. Nazianz. in Oratione de duobus Epiphaniorum luminibus est græcè. pag 232. Augustinus Tom. 3. de Trinitate, lib. 5. cap. 8 9. 10 Item lib. 7. cap 46. In eodem volumine hist. Ecclesiast. fol 530. extat tractatio Ioachimi Camerarij, περὶ οὐσίας, καὶ ὑποστάσεως. De iisdem vocibus Magister sententiarum lib. 1. dist. 23. 24. 25. 26. Thom. parte prima, quæstione 29 arti. 2.

Summa: οὐσία græcis id est, quo quídque est id, quod est, hoc est, natura rei omnibus in ea specie indiuiduis com-

munis: & ideò de omnibus indiuiduis illis, ex æquo prædicata, ὑπόστασις est id, quod quisq; est, sua singularitate, & proprietatibus, ab vnoquoque alio distinctus: & ideò indiuiduus & incõmunicabilis, seu ipsa res subsistens, quod Græci ὑφιστάμενον, Scholastici vocant suppositum, alij subsistentiam, alij substantiam. Exẽplum in nobis: Natura humana, qua sumus id quod sumus, nimirum homines, οὐσία est. Est enim vna omnibus hominibus communis, & ideò de singulis hominibus prædicatur, quia quisque homo est, & humanitate quisque sua, homo est. Quisque verò est ὑπόστασις quędam, certis proprietatibus ab aliis distincta, & ideò indiuidua, & incommunicabilis.

Sic etiam Latini senserunt. Legatur Augustinus de Trin. lib. 5. cap. 8. 9. 10. 11. Sic ipsi quoque scholastici definierunt ex Aristotele, Th. 1. p. quæstione 29. ar. 2. οὐσία significat quidditatem rei, quam definitio exprimit. Item ar. 3. essentia est id, quod significatur per definitionem. Definitio autẽ complectitur principia indiuidualia. ὑπόστασις verò est subiectũ vel suppositũ, quod existit in genere substantiæ: quod prima etiam substantia appellatur, hoc est, quod per se subsistit, vt hic homo, Petrus.

Est autem hîc notandum: Primò, essentiam non esse rem imaginariam, in mente tantùm existentem, vt εἴδη. Deinde non esse rem ab indiuiduis separatam, quasi ideam quandam, sed semper eam esse in indiuiduis inhærentem, & eam esse, qua ista constant, & subsistunt, ita vt si nulla essent istius speciei indiuidua: nulla etiam foret illius speciei essentia, seu natura. Humanitas enim, seu humana natura (vt aliquod adferam exemplum) quæ in genere complectitur & animam ratione præditam, & corpus organicum, est id, quo quisque homo, est homo. Sed hæc natura non subsistit extra homines: verùm ipsis inhæret hominibus, ita vt si nulli sint homines, nulla etiam esse possit humanitas. Sic in Deo, essentia diuina, non est aliquid extra Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum existens, quasi quoddam quartum, in quo contineantur hi tres, vt nobis falsò obiiciunt imperiti: sed est tota in ipso Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto: & id quidem multò excellentiùs, quàm humana essentia in nobis. Nam in singulis hominibus est finita: quæ causa est, vt etiam ipsi multi sint homines, & potiùs ὁμοιούσιοι, quàm verè ὁμοούσιοι, in singulis autem personis diuinis est tota, & infinita, eóque planè in singulis eadem: quæ causa est, vt verè sint ὁμοούσιοι non ὁμοιούσιοι, eoque vnus tantùm Deus. Quid enim est essentia Dei aliud, quàm ipsius natura, hoc est, deitas vel diuinitas? Quamquam græcis θεότης, & θειότης differunt. Illa enim vox naturam, hoc est, essentiam: hæc verò qualitatem significat: sed latini diuinitatem pro deitate vsurpant. Sicut igitur essentia hominis est ipsa humanitas, seu natura humana, ita essentia Dei nil aliud est, quàm ipsa deitas, seu natura diuina. Ac sicut cui tribuitur humanitas, eidem tribuitur humana natura, & essentia: ita cui diuinitas, vel melius græce θεότης, eidem etiam diuina essentia, seu natura. Quare sicut in quo dicimus esse humanitatem, eum verè appellamus hominem, & verus est homo: sic in quo verè dicimus esse θεότητα, is etiam verus sit Deus necesse est: quod certè Paulus ait de Christo Col. 2. 9.

Addo hîc verba quædam Basilij, quibus confirmantur, & illustrantur, quæ dixi: Et planum fit Patres minimè essentiam Dei extra personas posuisse. Sed sicut humana natura, seu humanitas, ratione quidem concipi potest, extra singularia, seu extra homines ipsos, verum esse, aut subsistere extra illos nõ potest: Ita etiam diuinam essentiã considerari quidem posse seorsim à personis, at esse & subsistere nequaquam: sed eam semper hærere in Patre, in Filio, in Spiritu sancto, & singulis totam, atque eandem. Basilij verba hæc sunt, in sermone contra Sabellium & Arium, pag 365. & 366. *Etiam si duo sint numero, tamen natura nõ sunt disiuncti: neque qui duos dicit, alienationẽ inducit. Vnus Deus, quoniam & Pater, vnus Deus, & Filius: & non duo dij, quoniam identitatem habet Filius ad Patrem: non enim aliam in Patre considero deitatem, & aliam in Filio: neque aliam naturam illam, & aliam hanc. Quò igitur inclarescat tibi personarum proprietas, numero seorsim Patrem, & seorsim Filium. Quò verò non in multitudinem deorum scindaris, vnam confiteris in ambobus essentiam. Sic & Sabellius cadit, & qui inæqualitatem docet, conteretur. Quum autem dixero vnam essentiam, non duos ex vno diuisos intelligo, sed ex principio Patris Filium subsistentem, non Patrem & Filium ex vna essentia superiore. Non enim fratres dicimus: sed Patrem & Filium confitemur. Essentia autem identitas est, quoniam ex Patre Filius nõ præcepto factus, sed ex natura genitus, non diuisus à Patre, sed manente perfecto, perfectè relucens.* Ex quibus etiam apparet, sicut apud nos non dicimus, humanitatem hominem, & patrem filium (actiones enim nunquam essentiis & suppositis tribuuntur) sic etiam in Deo. Hinc illud, *Deus de Deo, Filius ex Patre.*

Nunc dicendum de ὁμοουσίᾳ, quonam sensu Patres dixerint, Filium, & Spiritum sanctum esse ὁμοούσιον Patri, & sibi inuicem, non certè eo planè sensu, quo homines dicuntur inter se ὁμοούσιοι, quòd eiusdem sint naturæ, quanquam à se inuicem sint diuisi: verùm ita esse ὁμοουσίους intellexerunt, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, vt non solùm eiusdem sint naturæ, sed eadem etiam essentia, atque natura & deitate prorsus indiuisi, ita vt verè sint vnus tantùm Deus. Proinde rectè Constantinus ille magnus, in concilio Niceno, idcircò dixit Filium esse ὁμοούσιον Patri, quia nulla corporali actione, nulla diuisione, nulla recisione, ex Patre subsistat: & hanc esse diuinis & arcanis dictis dignam sententiam. Duobus enim Arianorum generibus occurrerunt Patres hac dictione, ὁμοούσιος. Primum illis, qui dicebant, Filium esse ἑτερούσιον, hoc est, à Patre quidem, sed non ex Patris essentia genitum, ἀλλ' ἐξ οὐκ ὄντων. Deinde illis, qui docebant, esse quidem ex Patris essentia, sed per traducem, vt etiam nos ex nostrorum parentum substantia: ac proinde similes quidem esse, & eiusdem naturæ, essentiam Filij, & essentiam Patris: verum minimè eandem esse numero essentiam, sed duas. Aduersus has duas hæreses Patres ex Scripturis definierunt, Filium & genitum esse ex ipsa Patris substantia: & vnam atque eandem prorsus esse Patris & Filij essentiam: propterea quòd Pater Filium gignendo hanc communicauit, non alienam, sed suam: non ex parte, sed totã eandémque prorsus essentiam: idque ratione imperceptibili & imperscrutabili, esse enim essentiam Dei infinitam, immensam, simplicissimam: ac proinde talem, quæ nec κατὰ μερισμὸν, nec κατὰ διαίρεσιν, nec κατὰ πρόβολον, nec denique vllo modo carnali communicari queat. Totũ hoc complexi vna sunt voce, ὁμοούσιος, & illa explicatione, *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri.* Atque hæc περὶ τῆς οὐσίας, καὶ ὁμοουσίας satis.

IV. Notandum verò etiã præter hæc nõnihil de vocabulo personæ. Primùm, duplex est causa, cur Latini, & deinde etiã græci maluerint vti nomine προσώπου, seu personę, quàm substantiæ, & ὑποστάσεως: vna quia quòd græci dicũt ὑπόστασιν latinis significat substantiã, nomẽ enim subsistẽtiæ, barbarũ est. Substantiæ autẽ vox, Latinis significat modò essentiã rei, οὐσίαν, modò ὑπόστασιν, h. e. rem ipsam subsistentem, vt Iohannẽ, Petrũ. Imo etiam Aristoteles duo facit genera substantiarũ, quarũ quasdam vocat primas substantias, vt sunt indiuidua in vnaquaque specie, vt Plato, Socrates, ij n. sunt res per se subsistentes, & ideo verè substantiæ. Alias verò secundas substantias, vt sunt genera, & species. Cùm igitur vox substantiæ ἀμφίβολος sit latinis: hinc factũ est, vt latini maluerint vti voce personæ, quum loquũtur de Trinitate, quàm voce Substantiæ.

Huc accedit altera causa, nẽpe quòd vox Hypostasis latiùs pateat quàm vox personæ: nam illa dicitur etiam de rebus inanimis, & ratione carentibus: persona autẽ tantùm de rebus ratione præditis. Canem enim, equum, lapides, vocare possumus ὑποστάσεις, καὶ ὑφιστάμενα: sed nunquam personas: homines verò, personas seu πρόσωπα. His igitur duabus de causis Latini maluerunt vti voce Personæ, quàm substãtiæ & ὑποστάσεως. Hinc factum est, vt posteà etiam græci exẽplo latinorum, dixerint esse vnã οὐσίαν, & tria πρόσωπα. Deinde notanda est duplex significatio personæ, aliquãdo significat qualitatẽ, qua alius homo ab alio homine differt, tum animo, tum corpore, tum extra positis, quæ Rhetores vocant attributa personæ. Sic docet Valla li. Elegant 6. ca. 34. Et hoc frequentissimũ est in lingua Latina, vt ipse ibi multis docet exemplis. Imò sæpe etiam in sacris literis in hunc accipitur sensũ hoc nomen Personæ: nẽpe, vt significet nõ substantiam, sed qualitatem, hoc est, externã laruã, vt cùm dicitur: οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ θεὸς, *Act.* 10. 34. & οὐκ ἔστι προσωποληψία παρὰ τῷ θεῷ *Rom.* 2. 11. Et quòd dominus iudicet ἀπροσωπολήπτως. 1. *Pet* 1. 17. Aliquando tamen significat etiam substantiam, hoc est, hominẽ ipsum. Cicero ad Atticum lib. 7. iubet, vt præter alia prospiciat, & videat, ecquæ pacifica persona desideretur. Et in Academicis, & in primo de Finibus, & in Familiaribus ad Appiũ. Sic igitur etiã pater, & Filius, & SS. tres personæ dicuntur, quia substantiæ sunt subsistẽtes. Quare immeritò Valla flagellauit Boethium, quòd in libro de Trinitate definierit personã, esse immutabilis naturæ indiuiduam substantiam. Sic etiam non minus imperitè, quàm impiè, Seruetus ille nebulo, ridet hoc nomen personæ in diuinis, quòd hoc nomen (inquit) non substãtiam, sed qualitatem, habitum, aut officij distinctionem significet, vt alia est persona serui, alia domini. Quasi verò quia

quia sæpe significat hasce qualitates, & officia. nunquam igitur significet substantias ipsas, hoc est, ipsos homines. Certe Tertullianus contra Praxeam, vir longè doctissimus, aliter accepit. pag. 409. Cùm sæpius fuisset vsus, & adhuc esset vsurus voce Personæ, tandem voluit explicare, quid hoc nomine intelligeret. De persona igitur Filij loquens, sic ait: *Quæcunque Substantia Sermonis* (id est, τοῦ λόγου) *fuit, illam dico Personam, & illi nomen Filij vendico: & dum Filium agnosco, secundum à Patre defendo.* Vides apud Tertullianum nomen personæ accipi pro substantia, non pro qualitate? Sensit enim vir ille in doctrina de Trinitate purissimus, Patrem verbum protulisse, ante omnem æternitatem (vt ita loquar) sicut quum etiam homo suum profert verbum. Sed verbum illud Dei non fuisse accidens vt nostra verba, sed substantiam, eàmque à Patre inseparabilem; vt posteà multis similibus demonstrat & explicat. Intellexit igitur Tertullianus in diuinis: personam esse substantiam indiuiduam, per se subsistentem, & incommunicabilem, quia scilicet Pater non potest esse Filius, nec contrà. Sic etiam alij Patres omnes. Iustinus, Irenæus, & quicunque vsurpârunt hanc vocē Personæ. Retinenda igitur est hæc altera personæ significatio, quatenus significat rem subsistentem. Proinde definitio personæ, quam adferre solent viri docti, retinenda est, vt pia, vera, & Scripturæ consentanea, totíque Ecclesiæ probata, quæ hæc est: Persona est substantia, indiuidua, intelligens, incommunicabilis. Ex iis verò omnibus, perspicuum iudico esse cuique factum, quid nomine οὐσίας & ὑποστάσεως seu προσώπου, & Patres intellexerint, & nobis in Ecclesia Dei intelligendum sit.

V. In summa, nomine Essentiæ, intelligimus cum Patribus illam θεότητα, seu diuinam naturam, æternam, simplicissimam, incorpoream, perfectissimam, immortalem, rerum omnium causam, quæ non est extra personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; sed in harum singulis tota existens, singulis cōmunis est, & de singulis ex æquo prædicatur: ita vt tam Filius verus sit, & dicatur Deus, & sic etiam Spiritus sanctus, quàm Pater. Personas verò intelligimus, ipsum Patrem, ipsum Filium, ipsum Spiritum sanctum, per se, hac cōmuni essentia subsistentes, indiuiduas, intelligentes, incommunicabiles, suísque proprietatibus inter se distinctas, sed minimè diuisas. Proinde simpliciter non placet, quod quidam scribunt, personas illas esse proprietates. Est enim magnum discrimen inter personam, & inter proprietatem personæ. Proprietas enim personæ, est propria subsistendi ratio. Persona est ipsa essentia diuina, proprio subsistendi modo distincta. Vt proprietas personæ Patris est esse ἀγέννητον, & generare; sed hæc proprietas non est ipsa Patris persona. Persona enim Patris, seu Pater ipse, est substantia per se subsistens, intelligens, volens, sua proprietate, seu suo proprio subsistendi modo, à Filio & Spiritu sancto distincta, ita vt possimus verè dicere, ipsum Patrem esse ipsam diuinam essentiam, non simpliciter, sed quatenus cum hac proprietate consideratur, quæ est, esse ingenitum, & generare: & ita Filium esse eandem essentiam diuinam, non simpliciter, sed quatenus cum hac proprietate huic peculiari cōsideratur, quæ est esse à Patre genitum: & Spiritum sanctum esse eādem essentiam diuinam, nō simpliciter, sed cum hac proprietate, quę est, esse à Patre & Filio, ἐκπορευτῶς, vt loquitur Iustinus. Quid enim est Pater? est Deus ingenitus, & generās. Quid Filius? Deus, non generans, sed genitus. Quid Spiritus sanctus? Deus, neque generans, neque genitus: sed à Patre & Filio procedens.

Simili, quo vtuntur Patres, hæc inter οὐσίαν & ὑπόστασιν differentia clarè explicatur atque illustratur. Natura humana, qua omnes sumus vnus homo, specie, est ipsa οὐσία, qua fit, vt etiam omnes simus ὁμοούσιοι, quia omnibus communis est natura: singuli verò, qui hac natura subsistimus, atque homines sumus, sumus personæ, nostris proprietatibus distincti, & incommunicabiles. Non enim potest Petrus esse Paulus. Hoc tamen est discriminis, quòd nos ita sumus inter nos distincti, vt etiam simus diuisi, ac proinde numero multi homines, in Deo autem non sic. Sunt quidem distincti, Pater, Filius, & Spiritus sanctus inter se, ita vt vnus non sit alius; verùm non sunt diuisi, sed coniunctissimi: Ita fit vt non sint tres Dij, sed vnus Deus. Vnde hoc discrimen? quia nos sumus creaturæ finitæ, eoque non tota, neque numero eadem in singulis hominibus est humana essentia. Illi autem tres non sunt creaturæ, eoque non sunt finiti: sed quisque infinitus, quisque immensus, ita vt Pater sit in Filio, Filius in Patre: & sic de Spiritu sancto: cùm sit impartibilis οὐσία. Quia igitur & eadem est omnium οὐσία & propter infinitatem, & immēsitatem separari nequeūt: ideo non possunt esse nec dici multi Dij, sed vnus Deus, vt posteà ad extremum fusiùs declarabimus. In præsentia satis hæc sunto pro explicatione huius discriminis, quod est inter nostras personas, & personas diuinas. Postremò, ex iis omnib⁹ liquet, quid Patres intellexerint nomine τῆς ἁγίας τριάδος: numerum scilicet harum trium personarū, Patris, Filij, Spiritus sancti, quos tres esse interpretātur numero personas, eoque inter se distinctas, non autem τριάδα Deorū. Ratio, quia non sunt inter se diuisi, nec diuidi possunt: ibi enim nulla materia: & ideò perfectè ὁμοούσιοι. Quum verò vnitatem dicunt, intelligūt vnitatem essētię, ideóque vnum Deum, non autem vnitatem personarū; quasi vna sit tantùm persona, quæ tribus nominibus significetur, vt Sabellius docebat. Dicimus quidē ἕνωσιν, vnionē personarū, quia sunt coniūctę & indiuisę sed nō possumus dicere ἑνότητα, vnitatem personarum, quia reuera sunt tres distinctæ.

Atq; hæc de his nominibus οὐσία, ὑπόστασις, τριάς, ἕνωσις, déque horum nominū vera significatione dicta sunto. Venio nunc ad singulas propositiones explicandas & confirmandas.

## CAPVT III.

## Vnum tantùm esse Deum, verum ὄν, rerum omnium causam. Et quomodo hæc sint intelligenda, probandáque.

### THESIS I.

*Verus Deus, vnus tantùm est, & non plures numero Dij.*

CVm dico & nomino Deum: intelligo illum æternum, inuisibilem, immortalem, simplicissimum, omnibúsque modis perfectissimū ὁ ὤν quem Scripturæ vocant Iehouam, à quo per se existente, alia etiam sunt, & existunt omnia. & per quem per se manentem reguntur, & sustentantur omnia; & in quem per se beatissimum tendunt, & diriguntur omnia: in quo & nos viuimus, mouemur & sumus: qui locutus est per Prophetas, dedítque Scripturas, & qui postremò manifestauit se in illo homine, qui vocatus est Iesus & Christus. Imò, qui tribus simul inter se distinctis, tanquam trium personarum, Patris, Filij, & Spiritus S. inter se distinctarum, signis, in Baptismo, Transfiguratione Iesu, sese apertè patefecit.

Neque verò hic definimus Deū, cùm definiri non possit: imo neque etiam describimus, cùm neq; perfectè & plenè describi queat, sed tantùm è Scripturis breuiter significamus, quid vocemus Deum.

Cùm verò addo, VERVM, hoc duplici facio de causa. Primùm, vt hunc distinguā à falsis Diis, quos homines animales sibi commenti sunt variis tēporibus, de quibus Apostolus 1. ad Cor. 8. 5. *Nā etsi sunt qui vocantur Dij, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodū sunt Dij multi, & domini multi,* (nēpe apud gentes) *nobis tamē vnus est Deus, qui est Pater ille ex quo omnia.* Deinde particula *Verus*, complector omnes diuinas perfectiones, & attributa, quæ, vt quis sit verus Deus, necessariò requirūtur: vti est æternitas, immēsitas, omnipotētia, omniscientia, infinita bonitas, misericordia, iustitia, & quæcunque in Scripturis de Deo vero prædicantur: nisi enim illa omnia sint, in Deo: Deus verus esse non potest.

Cùm autem dico *vnum*, intelligo vnum essentiâ quam Græci οὐσίαν vocârunt, & ea re, verè vnum numero. Etsi enim tres numero sint personæ, vnus tamen tantùm est numero Deus, tum quia vna est omnium infinita essentia, tum, quia ex consequenti omnes sunt inter se inseparabiles.

Ita hac particula, VNVS numero, occurritur illis, qui fatentur vnum esse essentia Deū, sed eo modo, quo & multi homines, nam etiā ij, essentia dicuntur esse vnus homo, interim tamen multi sunt homines: ac proinde volunt etiam tres illas personas vnum esse Deum essentia, hoc est, natura, sed numero tres reuera Deos. Vt igitur occurram huic errori, adieci negatiuè, *Et non plures numero Dij.* Ideò enim homines, multi sunt numero: quia ita distincti sunt inter se, vt etiam sint diuisi, & disiuncti à se inuicem: idque propterea, quòd cùm sint creati, sunt etiam finiti. Personæ autem illæ in Deo, sunt à se inuicem inseparabiles: ideò omnes sunt vnus tantùm numero Deus, quanquam hoc posteà fusiùs explicabitur in postrema propositione. Nunc, tantum loquor in genere de Deo, illum esse vnum numero idque cum primis, contra multitudinem Deorum Gētium

& antiquorum hæreticorum, Gnosticorum, Manichæorum, Valentinianorum, Marcionitarum.

II. Cõfirmatur vero Thesis testimoniis Scripturarum, Patrum, Philosophorum rationibus.

Moses, cùm de Deo loquitur, loquitur tantùm de vno, vt Genes. 1 à verbo creauit, in singulari numero. Item Deus, cùm loquebatur cum Patribus; semper de se, tanquam de vno loquebatur, *Ero Deus tuus.* Item, Patres cùm illum inuocabant, tanquam vni tantùm, suas fundebant preces. Idem patet à præcepto Dei: iubet enim se solum agnosci pro Deo: *Ego sum Iehoua, qui eduxi te de terra Ægypti: Non habebis Deos alienos coram me.* Idem à symbolo vnitatis Dei, voluit enim vnum duntaxat tabernaculum esse, vnúmque altare in sua Ecclesia, vt se vnicum esse Deum indicaret. Idem liquet à pronunciatis, expressis enim verbis prædicat, se esse vnum, & nullum alium præter se. Deuteron. 4. f. 35. 6 a. 4 32 f. 39. Ios. 2. b 11. c. Psalm. 18 c. 32. 1. Samuel. 2. a. 2. 1. Reg. 8. c. 23. 2. Reg. 5 d. 15. 1. Par. 17. c. 20. Ier. 37. c. 16. 41. a. 4. 44. a. 6. 45. a. 5. 46. c. 9. 48. b. 12. Dan. 3. g 96. Malach. 2. b, 10. Moses igitur & Patriarchæ, & Prophetæ vnum tantùm semper agnouerunt Deum, & eundẽ vnum inuocârunt. Christus itidem. & deinde Apostoli, nunquam plures, sed vnum duntaxat colendum, & inuocandum Deum docuerunt, & prædicârunt, Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies:* Et ita semper apud omnes Euangelistas docuit. Rom. 3. 1. Cor. 8. b. 6. Ephes. 4. a. 6. 1. Tim. 2. a. b. 5.

Neque aliter vnquam docuerunt Patres, & crediderunt Ecclesiæ Christi, iam inde ab initio, hoc est, à temporibus Apostolorum, in hunc vsque diem: ac semper omnes, vno & eodem ore, multitudinem Deorum, tam contra hæreticos, Gnosticos, Marcionitas, Cerdonianos, Valentinianos, Manichæos, quàm contra gẽtes idololatras fortiter, & constanter damnârunt, ac refutârunt. Aliquot indicabo auctores, & locos.

Ignatius, Epist. 9. ad Antiochẽses, hoc ex professo tractat, & scripturis confirmat, Pluralitatem deorum non posse admitti, & vnum esse Deum.

Iustinus sermonem habet adhortatorium ad Gentes pulcherrimum, piissimum, & plenum eruditione. Ibi euincit contra Gentes: Primò, vnum tantùm esse Deum: deinde, hunc vnum cùm sit inuisibilis Spiritus, & nullo modo corporeus, non esse igitur colendũ in imaginibus, neque carnali cultu, sed spirituali: Hoc autem probat apertis scripturarum testimoniis. Deinde auctoritatibus etiam sapientissimorum Poëtarum & Philosophorum inter Gẽtes confirmat: Item librum scripsit de Monarchia, in quo idem efficacissimè, ex ipsis etiam gentibus, demonstrat: Vnum tantùm esse Deum, vanos esse ipsos multos, quos gẽtes colunt Deos.

Clemens Alexandrinus idem argumẽtum doctissimè simul, & elegantissimè tractauit in Oratione exhortatoria: quam ipse quoque habuit ad Gentes, & est oratio lectu dignissima.

Tertullianus in suo Apologetico ad Gentes idem fecit, deridens Gentium deos ac religionem, & vnũ tantùm esse Deum demonstrans, quem colũt Christiani. Item in lib. de Idololatria. Item lib. 5. aduersus Marcionẽ, cùm alios illius errores, tum præsertim dogma de duobus diis, vno Legis, altero Euangelij fortiter confutat. Et in libro contra Praxeam, Christianos malle quęuis ferre tormenta, quàm plures vno dicere Deos esse.

Arnobius Lactantij præceptor, qui scripsit sub Diocletiano, omnium in Christianos crudelissimo hoste, idem tractat argumentum: scripsit autem libros septem aduersus Gentes, quibus acutè & eleganter refutat illorum de multitudine Deorum insanias. Nam octauus citra controuersiam non est Arnobij, sed M. Minutij Felicis, olim causidici Romani. Hunc enim citat Lactantius lib. 1. cap. 11. Institutionum.

Ergò M. etiam Minutius Felix, in libro, cui titulus est, Octauius, elegantissima, & acutissima breuitate, multitudinem Deorum gentilium, fortissimè refutauit.

Cyprianus tractatum scripsit, qui est numero quartus, titulum habet, De idolorum vanitate: hîc primùm refutat breuiter insaniam Gentium, de multis ipsorum Diis: deinde ostendit, non tantùm è Scripturis, verùm etiam testimoniis Philosophorum, vnum tantùm esse Deum. Ad hæc confirmat eandem doctrinam variis rationibus, item similibus ab hominibus, & aliis animantibus ductis, quibus perspicuum facit, sicut vnicuique regno, vnus tantùm conuenit Rex: sic etiam rerum omnium, quæ in cœlis, & terris continentur, vnum esse Regem, Deum: & prætereà nullum. Inde verò concludit, Christum vnum esse cum Patre Deum. Breuis est tractatus, sed lectu dignissimus.

Lactantius Firmianus, 1. lib. de falsa religione, elegãtissimè, & scitissimè refutat Gẽtium religionem, de multis Diis, atque vnum tãtum esse Deum demonstrat: nõ tantum testimoniis Prophetarum: sed etiam Poetarũ, & Philosophorum, & Sibyllarum: à 2 cap. vsque ad 20. Nam deinceps refutat illorum sacrificia, atque mysteria, vsque in finem. Secundo autem, idola.

Fecit idem postea Euseb. Cęsar. libris illis elegantissimis: quos, De præparatione Euangelica, inscripsit.

August. Tom. 5. de ciuitate Dei multis in locis eandem refutat Deorum multitudinem. Item Tom. 3 de fide ad Petrũ, cap. 4. 5. Item Tom. 6. contra Manichęos, de fide. cap. 7. Item Tom. 1 de moribus.

Ergò etiam Ecclesiæ Apostolicæ, post Apostolorum mortem, vnum agnouerunt esse Deum.

Sapientissimi quoque inter profanos Scriptores, tã Poetæ, quàm Philosophi, vnum tantùm agnouerunt, & confessi sunt esse Deũ: Orpheus, Homerus, Sophocles, Pythagoras, Plato, qui etiam Deum vnũ appellauit τὸ ὄν, nam quod aliquando multos fassus sit esse Deos, fecit id metu cicutæ, vt ait Iustinus. Item Æschylus, Philemon, Euripides, Menander. Horum testimonia, qui videre velit, legat Iustinum in libro de Monarchia, & in Oratione exhortatoria ad Gentes. Si quis plura etiam cupiat, legat Augustini Steuchi libros de perenni philosophia.

Quid? quod cum omni pugnat ratione plures vno statuere deos? Deus enim sua natura, semper est infinitus, & immensus: nec potest esse Deus: qui non sit infinitus, atque immensus, & qui non cœlum, & terram impleat: hæc enim est natura Dei.

Atqui non possunt esse multi immensi, & infiniti.

Non igitur multi Dij.

Ac si multi sint Dij, circumscripti sint necesse est: vbi enim fuerit vnus, alter esse non poterit.

Non potest autem Deus esse, qui potest circũscribi: idque proptereà, quòd sua natura immensus est, implens cœlum, & terram.

Non possunt igitur multi esse Dij.

Si item plures sint Dij, aliqua inter illos sit essentialis differẽtia oportet. Vnus enim ab altero, aliquo secernatur discrimine, opus est. Si autem sit differentia inter illos essentialis: ita vt vnus habeat, quod nõ habet alter: non poterũt igitur esse perfecti. Atqui Deus esse non potest, nisi sit omnibus numeris perfectus.

Denique, vnicuique regno, vnus tañtùm conuenit Rex. Est autem vnum tantùm Dei regnum: quod cœlo & terra continetur.

Legantur & hæ, & aliæ rationes, apud Athanasium in oratione contra Idola: præsertim pag. 27 28.

Atque hæc satis sunto, ad probandum vnum tantùm esse Deum, & ad refellendos in genere errores gentilium, & hæreticorum: de multitudine deorum. Quomodo autem hæc doctrina de vnitate Dei conueniat cum doctrina de tribus personis: postea id explicabimus. Demonstrabimus enim etsi sint tres personæ, non tamen tres esse Deos: sed vnum tantùm.

## CAPVT IV.

## De tribus Personis.

### THESIS II.

*Tres diuinæ semper fuerunt, & sunt in cælo ὑποστάσεις, quas Ecclesia Christi personas appellare consueuit: nempe Pater, λόγος seu Filius, & Spiritus sanctus.*

VOCO nomine hypostaseos, quia eodem Apostolus quoque in hunc eundem sensum vtitur, Hebr. 1. v. 3. Quid autem sit ὑπόστασις, anteà declaratum est: res scilicet, seu substantia per se subsistens, indiuidua, incommunicabilis: adde hîc, intelligens, viuens, agens, vt vera sit persona. Quòd verò addo, voci λόγος vocem Filij

cem Filij: id facio, maioris explicationis gratia, ne quis fortè nos accipere Λόγον existimet, sicut Seruetus accepit. Nomen enim Filij, melius exprimit substantiam ipsam, quàm nomen λόγου. Deinde, vt illis, qui negant Christum fuisse Filium Dei ab æterno, antequam in vtero virginis conciperetur: occurram. Christus enim ipse ait se exiisse à patre, & venisse in mundum. Fuit igitur, antequam susciperet carnem, Filius Dei Patris. Quum autem dico: Hos tres esse in cœlo: intelligo, κατ' ἐξοχήν, iuxta Scripturæ consuetudinem: quæ dicit Deum esse in cœlis, & cœlum esse Dei sedem, & thronum: & sic inuocamus Patrem, *Pater noster qui es in cœlis, &c.* quatenus scilicet in cœlis, & è cœlis clariùs se patefecit, quàm in terra: & perfectius regnat ibi, quàm hic. Interim non includo hos tres ipsi cœlo, sed fateor esse vbique: cùm illorum quisque sit immensus, & infinitus, vtpote Deus: iuxta illud: *An non cœlum, & terram Ego impleo? dicit Iehoua*, Ier. 23. 24. Nihil autẽ aliud sunt ij tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quàm ipse Iehoua, vt postea demonstrabimus.

Nunc igitur restat, vt hæc confirmemus: nempe, & esse tres in cœlo, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: & hos tres esse tres res, seu substantias per se subsistentes, intelligentes, volentes, indiuiduas, eóque veras personas.

II. Quis obsecro nesciat, qui creauit cœlum & terram, & quæcunque cœli, terræque ambitu continentur: eum veram esse substantiam per se subsistentem, intelligentem, volentem, agentem?

Atqui ij tres, Pater, Filius, Spiritus sanctus sunt ille Elohim, qui creauit cœlum & terram, de quo Moses: *In principio creauit Elohim Cœlum & Terram*, Gen. 1. 1. De Patre nemo inficiatur. De Filio liquet cùm alibi, tum inprimis ad Hebræos 1. 10. ex Psalmo 102. 29. Ad Filium enim refertur illud: *Et tu in initio, Domine, terrã fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*: vt alia omittam testimonia in præsentia. De Spiritu sancto, sicut etiam de Filio, liquidò apparet: quia, si Spiritus sanctus non creauit cœlum & terram, non est Deus in terra ferendus. Sic enim ait Iehoua per Hieremiam. 10. 11. *Dij, qui non fecerunt cœlum, & terrã, perdãtur è terra.* Atqui Spiritus sanctus Deus vocatur in Scripturis; vt postea planum fiet: Neque tamen talis est Deus, qui è terra perdendus sit. Quid etiam est, quod ait Moses Gen. 1. 2. de Spiritu Domini: *Spiritus Domini incubabat aquis*, omnia scilicet fouens, atque sustentans, nisi eum fuisse cum Patre & Filio, mundi creatorem: eóque veram personam? Deinde tam ille, qui ait Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: quàm illi, ad quos hoc dicit, personæ sint, seu res per se subsistentes, & intelligentes: necesse est. Quomodo enim ille posset loqui, & dicere: quanquam suo, hoc est, diuino modo faciamus, nisi res esset intelligens, per se subsistens. Quomodo etiam illi, quos alloquitur, possent audire, suo scilicet modo & ad creandum hominem, idque iuxta suam similitudinem, concurrere: nisi essent substantiæ per se subsistentes, atque intelligentes? Atqui ille, qui est locutus, Pater est: & illi, quos allocutus est, fuerunt Filius, & Spiritus sanctus, vnus, atque idem Deus cum Patre. Non enim allocutus est angelos, nec eos ad creandum hominem hortatus est: cùm non ad imaginem angelorum factus sit homo, sed Dei.

Ergo tam Filius, & Spiritus sanctus, quàm Pater, substãtiæ semper fuerunt, & sunt per se subsistentes, intelligentes, volẽtes, agentes. Quo etiam illud spectat: quod legimus, Iehouam dixisse, *Agite dum, descendamus, & confundamus ibi labium ipsorum, ne alter alterius labium percipiat*: Genes. 11. 7. neque enim isti plures, qui descenderunt, fuerunt angeli: sed Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Subiicit enim Moses: *Dispersit itaque illos Dominus ex illo loco.* Quis verò inficietur, illum, quem vidit Iesaias c. 6. in tanta gloria, & maiestate: cui Seraphini cecinerunt: *sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth*: qui mox alloquitur Iesaiam, dicendo: *Vade, & dices populo huic, Audiendo audite, & ne intelligatis, & videndo videte, neque cognoscatis*: Quis, inquam, neget, hunc fuisse rem per se subsistentem, intelligentem, volentem: cùm fuerit, & sit Iehoua? At is fuit Pater, vt omnes fatẽtur: fuit & Filius, vt docet Iohannes 12. 41. fuit & Spiritus sanctus, teste Paulo in Actis 28. 25.

III. At quia de Patre nemo dubitat, quin substantia sit perfectissima, pérque sese subsistens: de Filio verò & Spiritu sancto non ita: idcirco testimonia plura colligenda sunt, quibus idem propriè de Filio, & de Spiritu sancto, speciatim concludatur. Itaque de Filio hæc scripta reliquit Salomon: *Sapientia autem, id est, Filius Dei ibi loquitur: Per me Reges regnant.* Prouerb. 8. 15. Item ait, se semper fuisse cum Patre. Item concludit: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutẽ à Domino: Qui autem in me peccauerit, lædet animam suam.* Annon hæc omnia docent, eum veram esse personam? Adhæc qui cum Iacobo luctatus est, & locutus benedixit: persona aliqua per se subsistens & intelligens fuit. Genes. 32. 24. Liquet ab effectis, quæ non nisi à re subsistente præstari poterant. Cuius enim, nisi veræ personæ, actiones illæ, luctari, loqui, benedicere, esse potuerunt? illum verò non fuisse angelum creatum: docet Hoseas, 12. 3. Angelus ergo Iehouæ, Iehoua: hoc est, Filius fuit; quemadmodum etiam antiquissimi Patres, Irenæus, Iustinus, Tertullianus: & post hos Ambrosius, & alij interpretati sunt. Ab apparitionibus igitur, quibus apparebat ille Λόγος, ac Filius Dei, Patribus, & cum eis loquebatur in forma hominis assumpta, apparet, eum veram fuisse hypostasin: quæ illam humanam formam assumebat, & sustentabat. Idem liquet ab effectis, quæ ante sumptã carnem præstabat: vti erat præter alia, populum Dei comitari, alere, aquam præbere potandam in deserto. Hunc autem fuisse Christum docet Apostolus ad Corinthios: Quem etiam tentauerunt infideles, vt ipse ait Apostolus, 1. Cor. 10. 9.

Ex iis igitur liquidò apparet, ac perspicuè demonstratur: τὸν λόγον minimè fuisse quiddam inane, & sine substantia: sed verum ὑφεστηκός, veram substantiam: veram denique personam subsistentem, indiuiduam, intelligentem. Neque verò firmis vnquam rationibus euincetur, quin nomine Elohim cum nomine Iehouæ coniuncto, plures in Deo ὑποστάσεις, seu personæ, significentur, quemadmodum etiam antiquissimi Hebræi interpretati sunt: qua de re fusiùs posteà. Fuisse verò hanc Filij ὑπόστασιν, seu οὐσίωσιν, semper in cœlo cum Patre: inde ex veteri Testamento liquet, quod ipsa ait: *Dominus possedit me initio viarum suarum: ante opera eius tum eram: ab æterno ordinata sum*: hoc est, principatum habui, & quæ sequuntur. Prou 8. 22.

Atque hæc pauca ex veteri Testamento satis. Manifestiùs verò hæc confirmantur ex Nouo. *In principio erat Λόγος.* (ait Ioh. 1. 1) *& Λόγος erat Deus.* Quis igitur non videt, Λόγον semper fuisse personam apud Patrem in cœlo subsistentem? neque enim potuit esse Deus, nisi etiam fuerit æternus, & ab æterno subsistens. Quomodo verò Filius est à Patre genitus, si non sit substãtia per se subsistens? Fuisse autem semper, & ab æterno Filium Dei Patris, hinc manifestum fit, vt alia omittam testimonia: Quòd Deus semper voluit à suo populo Patris nomine inuocari, & pro Patre agnosci. Malac. 2. 10. Atqui, quibuscunque fuit Pater, fuit propter hunc λόγον, quatenus in hoc omnes sunt electi: in hoc omnes adoptati: & huius filiatione, omnes donati: vt Apostolus docet, Gal. 4. 5. Atque hæc est causa, cur sese primùm, deinde nos etiam filios Dei appellaret: & priùs hunc vocaret Patrem suum, deinde Patrem nostrum, Ioh. 20. 17. quia scilicet propter Christum, & nos, & alij omnes à condito orbe, facti sumus Filij Dei, communicata nobis Vnigeniti filiatione: vt etiam Iohannes confirmat: *& potestatem* (inquiens) *dedit eis, Filios Dei fieri, iis qui credunt in nomen eius.* Ioh 1. 12. Et Apostolus ad Colossenses 1. 15. eũ vocat πρωτότοκον πάσης κτίσεως: genitum nimirum ex Patre, antequã quicquam conderetur.

Cùm itaque λόγος semper fuerit Dei filius: Quis non videat luce clariùs, λόγον, de quo loquitur Iohannes, semper fuisse in cœlo personam, seu ὑπόστασιν, rem scilicet per se subsistentem. Io. 1. 1. & 5. 38. & Io. 1. 1. & 5. 7. quomodo etiam, per quem subsistunt omnia, is non per se subsistat? per λόγον autem, qui & Christus, omnia condita sunt, & subsistunt. Probat item Apostolus Christum fuisse πρωτότοκον πάσης κτίσεως: à creatione. *Quoniã* (inquit) *omnia per ipsum cõdita sunt*, Col. 1. 16. Et obseruandum, quod ait Apostolus: Christũ genitum fuisse, reliqua omnia condita, seu creata. Est. n. verbũ ἐκτίσθη: Filius igitur non est factus, seu creatus, sed genitus, nempe de substantia Patris: reliqua omnia per hũc genitũ, condita, creatáque sunt ex nihilo. Si igitur λόγος genitus est ex substantia patris: & per hunc genitum, omnia reliqua sunt condita: quomodo non fuit ipse semper ὑφιστάμενος, & persona subsistens? quid verò ad Hebræos de filio Dei ait Apostolus? *Non enim Angelos* (id est, formam ac semen Angelorũ) *sed semen Abrahæ assumit.* Heb 2. 16. Si assũsit: erat igitur res subsistens ille qui assũpsit, diuersa ab ea re quã assumsit. *Sic λόγος, caro factus est*: quia scilicet carnem assũsit. Io. 1. 14 Sic alibi: *Qui cùm in forma Dei esset, &c.* Phi 2. 6. Christus ergo erat in forma Dei, eoq; res diuina subsistẽs, antequam sumsisset formam serui. Christus etiam ante carnem sumptam, populũ Dei regebat; comitabatur per desertum: pascebat: potum dabat: quomodo hæc fieri potue-

runt ab eo, qui non esset res per se subsistēs? Qui homines reconciliat Deo, qui regenerat, qui seruat, qui illorum preces defert in conspectum Patris, is persona sit necesse est. An non verò Christus hæc in electis præstabat, etiam ante incarnationem? Reconciliabat enim Patri, iustificabat, regenerabat, in eorum cordibus per fidem habitabat, seruabat, peccata remittebat, preces eorum Patri offerebat. Nam hæc sunt officia Mediatoris, & Pontificis Christi: vt abunde ex Scripturis demonstrari potest, maximè ex epistola ad Hebræos 13 8. *Christus autem heri, & hodie, & idem etiam in secula. Heri*, de toto tempore præterito, à condito orbe: *Hodie*, de præsenti: *In secula*, de toto futuro. Sensus autem est Christus, qui hodie suos fideles seruat, Patri reconciliat, renouat, regit: idem omnes à condito orbe, quicunque seruati sunt, seruauit, reconciliauit, iustificauit, regenerauit, & in finem vsque mundi idem faciet officium, fideles semper ipse seruando. Est enim semper: & fuit, & erit idem Christus Mediator, & Pontifex, non otiosus, sed semper in suis operans, suámque exerens virtutem. Quomodo autem hæc præstabat, hæc efficiebat, hæc operabatur, si non erat res per se subsistens? Ipse etiam sic Patrem alloquitur, Ioan. 17.5. *Pater glorifica me ea gloria, quam habui apud te, priusquam hic mundus existeret*. Extitit ergo ipse, antequam mundus existeret, si tunc hanc habuit, quam hic, vt homo, petit gloriam. Quoties vero ait, se exiisse à Patre, & venisse in mundum? Venit autem, quum factus est caro. Ante igitur erat ὑφιστάμενον. Quid & illud? *Antequam Abraham fieret, ego sum*? Ioan 8 58. Quomodo posset hæc verè dicere, si nō fuisset substantia per se existēs, antequam Abraham nasceretur? Non me latet ad hæc loca, & argumenta multa excipi ab hæreticis: verùm ad has exceptiones in posteriori parte respondebimus. In præsentia satis esto, cōfirmatā esse τοῦ Λόγου ὑπόστασιν, talibus locis, quales piis, & eruditis hominibus satis sunt ad cognoscendam veritatem.

IV. Quædam hic etiam de ὑποστάσει Spiritus sancti, addam. Spiritus sanctus est verus Deus, vt posteà demonstrabimus: Ergò verum ὑφιστάμενον. Apparuit, descendit, requieuit super Christum, in specie columbæ: Matt. 3.16. Fuit igitur hypostasis, quæ speciem columbæ assumsit, & sustentauit. Descendit super Apostolos in forma linguarum ignearum: Act. 2 3 Erat igitur ὑφιστάμενον. Apostolus vero ita de Spiritu sancto scribit: *Alij per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ per eundem Spiritum: alij fides, qua scilicet edere possit miracula per eundem Spiritum: alij prophetia: alij genera linguarum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult*, 1. Cor. 12 8. Quomodo hæc operatur Spiritus sanctus, si non est verum ὑφιστάμενον? Quomodo diuidit, prout vult, si non est persona intelligens & volens? Est enim notanda illa particula, *Prout vult*: non est igitur actio Dei, sed Deus agens: neque virtus Dei, qua agit, sed substātia, quæ pro sua libera agit voluntate. Idem Apostolus, Act 20.28. *Attendite vobis* (inquit) *vniuersóque gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos: ad regendam Ecclesiam Dei*. Si Spiritus sanctus constituit illos in Ecclesia, non alios: qui fieri potest, quin persona sit iudicio prædita & voluntate? *Qui sunt filij Dei* (inquit Paulus Rom 8 14) *aguntur à Spiritu Dei*. Spiritus igitur est persona, iudicio prædita, quæ sua virtute agit & regit electos pro suo iudicio. Item ait Gal. 5.22. *Fructus autem Spiritus, charitas, pax patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Quare fructus Spiritus vocantur? Quia Spiritus sanctus hos profert in ipsis fidelibus. Si etiam Spiritu viuimus: Spiritus igitur est, viuificare. Si obsignat fideles: nouit ergo suos. Ep. 4.30. Idem largitur gratiam: differt ergo gratia à Spiritu sancto: quia hæc ab illo. Act. 2.38. Proinde etiam Apostoli, gratiam, & pacem in Ecclesiis precantur tam à Spiritu sancto, quàm à Patre, & à Iesu Christo. Ap. 1. 4.2. Cor. vlt. Ergo non minùs persona est Spiritus sanctus, quàm pater: Idem, docet fideles: ideò Christus ait: Luc. 12 12. *Spiritus sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere*. Item Matt. 10. 20. *Non vos estis* (inquit Christus) *qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: hoc est, qui dat vt loquamini. Sic in Actis, 2 4. *Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Si Spiritus sanctus dabat pro suo arbitrio Apostolis & aliis, vt variis loquerentur linguis: Ergo persona est intelligens & volens. Item, *Arguit mundum de peccato*. Io. 16.8. Quomodo verò? per Apostolos, externè: sed internè per se ipsum, penetrās corda. Apostolus verò ait, Rom. 8 26. *Quid petamus, nescimus: ipse autē Spiritus interpellat pro nobis*: hoc est, facit, vt agnoscamus, & interpellemus. Est igitur persona intelligens, & faciens vt intelligamus. Attribuitur disertè iudiciū Spiritui sācto ab Apostolis, quū aiunt, *Visum est Spiritui sancto, & nobis*, Act. 15. 28. Spiritus igitur sanctus præditus est iudicio non minùs, quàm Apostoli. Attribuitur cognitio. *Nemo nouit* (inquit Paulus) *quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*, 1. Cor. 2.11. Datur ei auditio, & annunciatio. *de meo* (inquit Christus) *accipiet, & annunciabit vobis*. Item: *Quæcunque audiet, loquetur*. Ioan. 16. 13. & 14. Prænotio item, & prædictio rerum futurarum. *Quæ ventura sunt* (ait Christus) *annunciabit vobis*. Ioh. 16.13. Sic Petrus: *Spiritus Christi prænunciauit in Prophetis, quæ ventura erant passiones*. 1. Pet. 1.11. Attribuitur etiam eidem (vt antea diximus) voluntaria donorū distributio: *Diuisiones sunt donorum*: (inquit Apostolus) *idem autem Spiritus*. Item: *hæc autem diuidit singulis prout vult*, 1. Cor. 12 4. & 11. Apertū facit discrimen Apostolus inter Spiritum distribuentem pro suo arbitrio, & inter eius dona ab ipso distributa. Ille igitur substantia agens & volens: hæc qualitates sunt. Attribuitur ei imperiū in homines. Spiritus enim sanctus dixit: *Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod assumsi eos*, Act. 13.2 Quis autem potest imperare, nisi persona intelligens, volēs, auctoritate prædita? Vnctio, & missio. Ies. 61.1. *Spiritus Domini super me* (vt hominem) *propter quod vnxit me: pauperibus euangelizatum misit me*. Quomodo verò hæc cadunt in rem quæ per se non subsistat, nō intelligat, non velit, non agat? Nihil est ea Philosophorū regula certius, *Actiones sunt suppositorū*: hoc est, ὑφισταμένων. Neq; Christus eum vocat consolationem, sed consolatorem, & quidem alium à se distinctum, Paracletum tamen: Ioha. 14.16. & 15.26. & 16.7. nimirum, substantiam, viuentem, agentem, consolantem, non minùs quàm Christus ipse fuit illis persona consolans, docens. Creatio item humanæ naturæ in Christo datur Spiritui sancto apud Euangelistas. Luc. 1.35. Quomodo autem rei non subsistenti, attribui subsistentis rei creatio potest? Ad hæc: Eiusdem generis testes esse docet Iohannes, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, quum ait: *Tres sunt, qui testimonium dāt in cœlo, Pater, Λόγος, & Spiritus sanctus*. 1. Ioh. 5.7. Vt ergo Pater vera est persona: & vt Λόγος Christus, vera est persona: sic Spiritus sanctus vera sit persona necesse est. Postremò, symbolo fœderis, quod est Baptismus, perinde obsignamur Spiritui sancto atque Patri & Filio. Eadem enim planè verborum forma, & eodem Aquæ elemento, & eadem prorsus actione baptizamur in nomen Spiritus sancti quibus etiam in nomen Patris, & Filij. Vt ergo Pater vera est persona: & Filius Iesus Christus, vera persona: ita Spiritū sanctum veram esse personam, oportet. Cui enim symbolo fœderis obsignamur: ab eo etiā in fœdus recipimur: nec fas est, aut permittitur nobis, vt ei obsignemur fœderis signo, à quo in fœdus nō recipiamur. Sic populus Dei, Abraham scilicet, & semen eius, in veteri Testamento, non obsignabantur: neque licebat obsignari signo fœderis, hoc est, circumcisione, nisi Iehouæ, à quo etiam in fœdus recipiebantur. Eadem verò est nostra cōditio, quæ & illorū, in hac parte, hoc est, in fœderis substantia: neque ab eo præcepto, quo iubebantur illi, soli Iehouæ circumcisionis symbolo obsignari, eximimur nos, nisi quòd circumcisio in Baptismum mutatur. Col. 2.12. Quare manifestum est, nos nō posse fœderis symbolo obsignari, nisi illi, à quo in fœdus recipimur. Quæ autem stultitia est, dicere, nos in æternum, vitæque æternæ fœdus, recipi à re, quæ non subsistat, quæ non viuat, quæ non agat, quæ voluntate & intelligētia prędita non sit? Quid enim in fœdus nos recipit: is vocat se אל & אלהים & שדי & יהוה: is viuit, is loquitur, is promittit, is ait: *Ego Deus tuus, & seminis tui post te generationibus sempiternis*. Ergò, aut in nomē Spiritus sancti nemo baptizandus est: aut necessariò fatendum est, Spiritum sanctum non minùs esse substantiam, æternam, viuentem, voluntate & intelligentia prędita, cōque veram personam, denique אל, quàm sit Pater & Filius: quomodo enim in eadem baptizandi forma cum persona Patris, & cum persona Filij coniungatur Spiritus, qui non sit itidem persona? si verò Spiritus Patris persona est, à Patre distincta: quidni & Λόγος, Filiúsque Patris, etiam ante assumtam carnem vera erat persona? Credo hoc argumento, pio cuique viro, & veritatis amanti, ita satis fieri: ad probandam veram, non solùm ὑπόστασιν, καὶ οὐσίαν αἰώνιον, verùm etiam τὴν θεότητα Filij & Spiritus sancti, vt pluribus sibi opus non esse optimè intelligat. Imò verò ita euincitur hac probatione, vtriusque Deitas, vt ab hęreticis nullo modo infirmari possit. Itaque plura hîc non addam. Si quis verò Fidem, confessionémque Veteris, & Catholicæ Ecclesiæ requirat (quam fidem qui contemnit, is tanquam indignus, quo cum vllum faciamus verbum, abigendus à nobis est) legat Irenæum in libr. 1. capite 2. legat ἔκθεσιν πίστεως, περὶ τῆς ἁγίας, καὶ ὁμοουσίου τριάδος apud Iustinum. legat Tertulliani libros de Trinitate: & contra Praxeam. Vetustissimi sunt isti Pa-

tres

tres discipuli eorum, qui Apostolos audiuerunt: ac proinde non possunt referre nisi fidem, quam Apostoli prædicârunt. Sed de personis tribus, satis huc vsque.

## CAPVT V.

## De vera & reali Patris, Filij, & Spiritus sancti inter se distinctione.

POSTEAQVAM satis abundè, atq; perspicuè demonstratũ à nobis est è sacris literis, eũ, qui dicitur Pater, & eum qui appellatur Filius, seu Λόγος, & eum, qui vocatur Spiritus sanctus, non esse res inanes, neque intellectus, & cognitionis expertes: sed veras substantias per se subsistentes, viuentes, intellectu, & voluntate liberóque iudicio præditas, eóque veras personas: posset aliquis Noetus, Sabellius, Praxeas, excipere, quæcunque adduximus è Scripturis, loca, ea de vno, & eodem intelligi, qui modò Pater, modò Filius, modò Spiritus sanctus appellatur. Hunc autem esse veram personam se non inficiari: verum hinc minimè sequi esse tres res inter se distinctas: ac proinde non esse constituendum vnum, qui Pater vocatur, & alterum, qui Filius, & tertium, qui Spiritus sanctus appelletur. Demonstrandũ igitur nobis est in præsentia, Patrem, Filium, & Spiritũ sanctum, quos ostendimus res esse subsistentes, esse etiam inter se verè & realiter distinctos, ità vt vnus non sit alius. Hæc igitur esto hac de re Thesis.

### THESIS III.

*Hi tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ita sunt inter se verè & realiter distincti, vt vnus nõ sit alius.*

II. CVm dico esse distinctos verè & realiter: non intelligo essentialiter (vna enim omnium est essentia) sed personaliter. Id quod perinde est, atque si dicas, vnam personam non esse aliam: Patrem non esse Filium: neque Filium Spiritum sanctum. Quemadmodum neque Petrus est Paulus, neque Iacobus est Iohannes. Sed hoc discrimen inter hos, & illos obseruandum est: quòd ij sunt inter se distincti, ita vt etiam ab inuicem sint diuisi, quo fit, vt non solùm multæ sint personæ, verùm etiam multi homines. Quid ita? quia creati & finiti. Pater autem, Filius, & Spiritus sanctus distincti tantùm sunt, non autem diuisi, Idque propterea, quòd quisque ipsorum infinitus est atque immensus. Proinde multæ quidem sunt personæ, sed non multi Dij, vt postea demonstrabimus. Est autem hæc Thesis manifestissima.

III. Principiò quoties in Scripturis sanctis aperta horum trium simul fit mentio, toties etiam inter se eos esse distinctos apertè significatur. Nam si multi sunt: ergò etiam distincti. Alioquin si vnus esset alius, non essent multi, sed vnus. Deinde in illis loquutionibus, nempe, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1.26.* Itẽ, *Descendamus & confundamus labium ipsorum. Gen. 11.7.* Item, *Ecce Adamum factum quasi vnum ex nobis: Gen. 3.22.* in iis, inquam, loquutionibus ostendimus, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum contineri. Ij enim sunt Elohim: quorum vnus introducitur loquens, reliqui verò, qui audiant. Atqui necesse est distinguatur ille, qui loquitur, ab illis, quibus loquitur. Pater igitur, Filius, & Spiritus sanctus distinguũtur inter se. Verùm huiuscemodi testimonia clariùs, & frequentiùs in Nouo occurrunt Testamento. Aliquot igitur Noui Testamenti loca, eáque aperta, de personarum diuinarum distinctione, breuiter nobis percurrenda sunt. Apud Matth 3.16. Pater sese patefecit voce, dicens: *Hic est Filius meus.* Filius carne: est enim ibi humano corpore. Spiritus verò sanctus in specie columbæ. Non potest autem vnus atque idem fuisse, qui simul illa voce, & humana carne, & specie columbæ sese patefecerit. Quomodo igitur hic aperta non apparet distinctio? Christus verò apud Iohannem promittit, se missurum Spiritum sanctum, à Patre. *Ioh. 14.26. & 15.26. & 16.7.* Fieri autem nequit vt idem sit mittens, & missus. Nec minùs perspicuè hanc indicãt distinctionem ea, quæ Christus instituit de Baptismo, quum iussit credentes expressè in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti baptizari. *Matt. 28. 19.* Apostolus autẽ ad Galatas ita scriptũ reliquit: *Misit Deus* (nempe Pater) *Spiritum Filij sui in corda vestra. Gal. 4.6.* Anteà verò dixerat, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Hic etiam apparet alium esse Patrem, qui mittit: & alium esse Filium, alium quoque Spiritum sanctum, qui mittuntur. Sic etiam Iohannes disertè hanc docet personarum distinctionem, quum ait: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Λόγος, & Spiritus sanctus. 1. Iohan. 5.7.* Posteà verò comparat hoc testimonium diuinum, cum testimonio hominum, & ait: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei* (hoc est, illorum trium) *maius est.* Quis non videat Apostolum distinguere hos tres testes inter se, sicut tres homines testes inter se distinguuntur? Voluit enim concludere, sicut in ore duorum, aut trium testium humanorum stat omne verbum: sic etiam verissimum esse testimonium illud cœleste, quòd fit trium numero testium: quorum vnus non est alius, licet vnum, & idem omnes testificentur. Idem planè antea docuerat dominus Iesus quum dixerat se non esse solum, qui de se testetur, sed Patrem quóque de se idem testificari. *Ioh. 8.8.* Ac proinde probat suum testimonium esse idoneum, quia non vnius sit, sed duorum testimonium. Infinita sunt huius generis loca in Scripturis, quibus Filius à Patre, & à Spiritu sancto, & vicissim isti ab illo distinguuntur. Quid enim illo loco clarius, vbi Ioannes scribit, Λόγον fuisse apud Deum (nempe Patrem) & deinde scribit, non hunc Deum, apud quem erat Λόγος, sed Λόγον ipsum factum esse carnem? *Ioh. 1.1.14.* Fuit igitur Λόγος à Patre semper distinctus, & alius: etiam ante assumptam carnem. Denique omnes Apostoli, & Euangelistæ passim hanc in suis libris distinctionem, quæ est inter Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, ita perspicuè tradiderunt, vt non possim satis mirari, qui fieri potuerit, vt Noetus, Sabellius, Praxeas, hanc non viderint: sed tantam commenti fuerint confusionem, tanquam claram lucem sepelire voluerint.

IV. Hanc verò semper fuisse totius Ecclesiæ doctrinam, præter Scripturas, à nobis allatas, liquet etiam è scriptis Patrum omnium, & ex symbolis Ecclesiarum, Apostolico, Nicæno, Constantinopolitano, Athanasiano & aliis omnibus: neque verò opus est illa recitare: neque Patrum testimonia in medium afferre, ne in re perspicua nimis immoremur. Duos tantùm Patres vetustissimos, qui ex professo hoc tractant argumentum, indicabo. Primus est Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone Iudæo: ibi enim ex professo demonstrat apertissimis Scripturarum testimoniis, alium etiam, à Patre, esse Deum. Sic enim loquitur: sed nomine alius Dei intelligit aliam personam quæ Deus est. Neque enim sentiendum est, Iustino duos fuisse Deos, cùm de industria contrarium doceat, in exhortatione ad gentes, in libro de Monarchia, in libro de Trinitate, & alibi semper. Vocabit igitur alium Deum ipsum Filiũ. Quod sit alia à Patre persona, & ea quidem Deus. Alter est Tertullianus in libro contra Praxeam. Ibi enim ex studio refutat hæresim Praxeæ, qui dicebat eandem esse personam, quæ tribus nominibus appellaretur, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Tenenda igitur est hæc doctrina de vera, & reali diuinarum personarum inter se distinctione: & tali quidem distinctione, qua fit, vt Pater non sit Filius, nec Spiritus sanctus: nec vicissim Filius Pater, aut Spiritus sanctus: ac proinde neque ipse Spiritus Pater sit, aut Filius.

## CAPVT VI.

## De trium personarum, atque in primis de Patris Deitate.

### THESIS IV.

*Horum trium, nimirum Patris, Filij, seu Λόγου, qui est Christus, ac Spiritus sancti: quisque verus est Deus.*

CVm Patrem dico: Patrem Christi proprium intelligo, primum scilicet in Iehoua אל atque personam. Iehoua enim non est vnus tantùm אל vel Germanicè אלוה sed plures Elhoim, quemadmodum apertè in scriptis Mosis, & Prophetarum passim videre est. Quorum postea numerum & nomina Deus Λόγος in carne manifestatus est, hoc est, Christus apertè reuelauit, Docẽs illos Elhoim tres esse: Patrem, vnum: Filium, alterum: & tertium, Spiritum sanctũ: vt non immeritò Iohannes Baptista dixerit, *Deum nemo vidit vnquam, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis, Ioh. 1.18.* Enarrauit enim ἐξηγήσατο: hoc est, explicauit non solùm vnum esse Deum Iehouam, qui & Elhoim, eiúsque voluntatem, id quod certè fecit ab initio mundi: verùm etiam quotnam sint isti Elhoim, & quæ illorum nomina patefecit. Id quod speciatim præstitit, posteaquam ipse fuit manifestatus in carne. Hic igitur Patris nomine, primum אל patrem scilicet Christi proprium intelligo. Id quod diligenter notandum est.

Etsi enim hæretici omnes plenis fatentur buccis, Patrem verum esse Deum: si tamen interrogentur, quemnam Deũ Patrem vocent? respondebunt, ipsum commune omnium numen & Deum Iehouam, à quo omnia, per quem omnia,

in quem omnia, ac proinde, qui est omnium Pater, minimè autem admittent, esse certam aliquam personam quę Deus sit, & quæ proprius sit Christi Pater: sicut neque reuera cōcedunt, Christum proprium esse alicuius certæ personæ quæ Deus sit, & quæ proprio nomine vocetur Pater, Filiū. Id quod inde liquidò apparet, quia solum Patrem Christi, verum Deum esse concēdunt. Interim tamen, Christus totus in hoc est apud Euangelistas, vt doceat, non numē simpliciter, sed certam personam in cœlo, suum proprium esse, & propter se, reliquorum etiam electorum Patrem: cuius etiam hanc ob causam se proprium, & vnigenitum vocat Filium. Et huc spectant omnia, quæ de suo Patre profert testimonia. In summa, quum hæretici dicunt, Christi Patrem, verum esse Deū: in prædicato (vt scholasticè loquar) nobiscum consentiunt. At in subiecto dissentiunt: cùm nomine Patris, non accipiant certam in Deo personam, quæ Pater sit Christi: sed in genere totum, vt ita loquar, numen & Iehouam intelligant: in quo tamen numine & Iehoua etiam Filius & Spiritus sanctus: non autem solus Pater, comprehenduntur, quemadmodum etiam nomine Animę, non tantùm facultas intelligens: verùm etiam sentiens, & vegetans intelliguntur.

Nunc tenemus quemnam Patris nomine intelligamus: & quemnam Patrem in hac thesi, Deum esse prædicemus.

II. Ad secundam personam quod attinet, eam tribus expressi nominibus, Λόγου, Filij, Christi, idque propterea quòd iis etiam tribus nominibus passim in Scripturis nominatur. Ergo quum testimonia è Scripturis proferam, quibus eius Deitatem confirmem: obseruandum fuerit, iis tribus nominibus eandem personam significari: quanquam aliquod etiam est inter hæc nomina discrimē. Nam illa duo priora, huic personæ æterna sunt. Semper enim fuit Λόγος, & Filius Patris. Tertium verò, quia nomen est officij, conuenit ei propriè, postea quam carnem nostram assumpsit: factúsque homo, vnctus est in Sacerdotem, Prophetam, & Regem, Spiritu sancto. Quum igitur nominamus Christum, intelligimus illum Λόγον, seu Filium æternum, æterno ex Patre natum, sed iam hominem factum. Quare quum demonstrabimus, hunc Christum verum esse Deum: non eò torquendæ erunt nostræ probationes, quasi tātùm probemus, hunc Christum hominem factum esse Deum, quemadmodum Seruetus, & eius discipuli faciunt Nam & ipsi docent, hunc digito ostensum Iesum, primùm quidem esse Messiā, deinde esse Filium Dei, postremò esse Deum. Sed qualem Filium Dei? Adoptionis gratia, & duntaxat propter conceptam, virtute Altissimi, eius carnem ex Virgine. Minimè autem, quòd ex Patris substantia ab æterno genitus sit. Qualem etiam Deum esse fatentur? Deum factum: Deum temporalem, Deum per priuilegium, vt ipsi loquuntur, quì ante incarnationem nihil fuerit substantiale aut subsistēs, eóque nec verus Deus. Nos autem, quum dicimus, Christum esse verum Deum, intelligimus, hunc, qui iam homo factus est, ita nunc esse Deum, vt etiam quum tantùm esset Λόγος, verus semper fuerit Deus.

III. Postremò notandum est, hac locutione, VERVS DEVS, nos complecti omnes Dei perfectiones, seu omnia quæ Deo in Scripturis attribuuntur, sine quibus Deus esse non possit: vti præter alia est æternitas, immensitas, omnipotentia, & id genus alia. Neque enim potest verus esse Deus, nisi sit æternus, immensus, omnipotens. Denique intelligimus illum, qui est naturâ Deus: oppositus illis, qui (vt Apostolus loquitur Gal. 4.) naturâ non sunt dij. Proinde quum demonstrabimus Filium & Spiritum sanctum verum esse Deum, simul etiam iisdem testimoniis demonstratum volumus, vtrumque esse cum Patre naturâ Deum æternum, immensum, omnipotentem, per omnia coæqualem: ita vt vnus non sit maior & perfectior altero.

IIII. Nunc accedo ad Confirmationem: ac primùm quidē de Patre, deinde de Filio, postremò de Spiritu sancto, quæ iam explicauimus, firmis Scripturarum testimoniis, demonstrabo. PATREM CHRISTI PROPRIVM, VERVM ESSE DEVM. Multa de Patris Deitate testimonia proferre supervacaneum est, quando in confesso apud omnes est, hunc verum esse Deum. His igitur paucis, quæ subiiciam, contenti esse debemus. Iohānes sic suum exorditur Euangelium: *In principio erat Λόγος, & Λόγος erat πρὸς τὸν θεόν.* Ibi autem nomine Dei, proprius Christi Pater intelligitur: vt 1. Ioh. 1. explicatur. Pater igitur verus est Deus. Et Christus apud eundem Iohan. *Sic Deus* (inquit) *dilexit mundum, vt Filium suū vnigenitum dederit, &c. Ioh 3.16.* Hic etiam, nomine Dei, Pater Christi intelligitur. Et alibi: *Ascendo* (inquit) *ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, Ioh. 20 17.* Pater igitur Christi proprius, qui & noster, propter ipsum Christum, factus est pater, verus est Deus. Denique in Oratione idem Christus proprium suum alloquens Patrem, sic ait: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, te esse illum solum* (hoc est, vnicum) *verum Deum, Ioh. 17.3.* Est igitur Pater ille verus Iehoua, quē Prophetæ vnicum esse prędicarunt: atque ita verus est Deus, vt fons sit totius Deitatis. Quod verò vniuersæ Scripturæ docent, idem etiam tota semper Ecclesia, in primis, & ante omnia, confessa est, nempe Patrem Christi, verum, & sempiternum esse Deum, quemadmodum etiam in omnibus fidei Symbolis, quæ vnquam conscripta fuerunt, planissimè docetur. Ad reliqua igitur progrediendum est, quæ propter hæreticos, ampliori opus habent confirmatione.

*LIBRI PRIMI FINIS.*

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS,

## Liber Secundus.

*Τὸν Λόγον, Iesum Christum, ita Angelum esse Iehouæ, vt verus sit Iehoua, ex veteri Testamento.*

### CAPVT I.

### Quàm vtilis, & necessaria sit doctrina, de vera æternáq; Christi Deitate. Qua ratione confirmanda illa sit. Explicatio argumenti primi, ex loco Gen. c. 1. ducti à creatione: ad huius doctrinæ probationem.

SICVT superuacaneum esse diximus, velle multis probare, Patrem esse verū Deum, idq; propterea, quòd nemo hominum est, qui hoc audeat inficiari: Ita multis & testimoniis, & argumentis, hoc nobis de Christo, eius Filio, necessariò demonstrandum est: idque propterea, quòd in omnibus Hæreticis, & Antichristis, Diabolus iam inde ab initio, in hoc vnum semper omnes suas vires atque neruos intendit: vt Christum tum è suo deturbet solio, tum è nostris dispellat cordibus: modò diuinam, modò humanam eius naturam, modò etiam officium non minùs acriter, quàm pertinaciter oppugnando. Hic est ille Spiritus in Antichristo mendax, de quo Iohannes: *Et quis* (inquit) *est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Hic est Antichristus, negans Patrem & Filium, 1. Iohan. 2.22.* Antichristi certè nostri, haud simpliciter negant Patrem, hoc est, Deum: Sed quatenus negant, Christum Filium esse ex eius substantia genitum, eóque verum & natura Deū: negant etiam ex consequenti, Deum verè esse Patrem. Neque enim propriè Pater est: si non habeat Filium è sua substantia genitum: & ea re Deum. Subdit autem Ioh. dicens: *Qui non habet Filium, ne Patrem quidem habet.* Hinc efficitur: Qui negant, Filium esse natura Deum: hac ducti (vt Seductores aiūt) ratione, quòd velint Patri, summo, & vero Deo, suam asserere Deitatem, & gloriā, nec velint permittere, vt ea alteri detur (quasi verò hoc modo oppugnando Filiū, rem faciant Deo Patri gratissimā) efficitur, inquā ab iis negari Patrem: ac proinde nihil ingratius Patri ab ipsis fieri posse, quàm quòd negant, Deum vllum habere Filiū, è sua substantia ab æterno genitum. Etenim dum Filium oppugnant, bellum etiam faciunt Patri: quia negando, Christum esse æterni Dei æternum Filium: negant simul etiam Deum Patrē, verum & æternum esse Patrē: eóq; illum sua ipsius

ipsius vera, & æterna spoliant proprietate: ideóque & Deitate. Neque enim Deus ibi est, vbi non sit Pater, qui habeat Filiũ, in quo sua semper maneat οὐσία: vt sit semper Pater in Filio, & Filius in Patre. Quare qui putant, se habere Patrẽ propitium, quia illius scilicet tueantur gloriam, contra Filium: ij efficiunt, vt neque Filium habeant, neque Patrem; sibi scilicet fauentes: sed potius hostes. Idcircò ait Ioh. qui negat Filium nec Patrem habet. Ergo vt nos habeamus Patrem: ne negemus Filium, sed eius, non humanam tantũ, verum etiam diuinam naturam confiteamur: eiú q; officiũ Propheticum, Pontificium, Regium prædicemus, & contra omnes Antichristos, atque Ecclesiæ hostes propugnemus, necesse est.

In præsentia verò defendenda nobis est vera eius, cóque æterna Deitas. Sumus ergò demonstraturi, tum perspicuis, veteris & noui fœderis, testimoniis: tum apertis, firmisq; rationibus, ex vtroq; Testamento deductis, Iesum Christum, in cuius nomen baptizati sumus, esse non tantum (vt aiunt aduersarij) hominis Filium, eoque verum hominem: sed verum etiam, æternúmque Dei Filium: & ideò verum, æternumque Deum Iehouam.

*II. Locus 1. ex Gen. 1. vers. 1.* בראשית ברא אלהים

OPeræpretium autem me facturum existimo, si exordiar à principio Geneseos indeq; initium orationis, & demonstrationis nostræ ducam: vbi Moses ait: *In principio creauit* אלהים ad verbum, *Dij) cælum & terram.* Hîc itaque interrogo Arianos, Samosatenianos, ac Seruetianos: An, qui creauit cœlum & terram, sit verus, æternusque Deus: necne sit? Fatentur. Qui enim hîc vocatur Elohim, cap. insequenti appellatur Iehoua. Atqui non solus Pater, verũ etiã Filius, qui Christus dicitur (vt iam de Spiritu sancto taceã) ille ipse est, qui creauit cœlum & terram. Assumptum hoc aperte demonstratur è sacris literis. Neque enim in re tanti momenti niti volo, aut humanis rationibus, aut auctoritatibus hominum: nec verò etiam testimoniis Scripturarum, quæ perspicua & firma non sint. Proinde ad probandum nostrum assumtum, omitto, quod Thargum Hieros, Deum Patrem, creasse cœlum & terram בראשית, interpretatur in sapientia: & hãc contendunt multi esse Λόγον, seu Filium Dei: & idcircò intelligunt, in hoc principio, seu per hoc principium, quod est Λόγος, Filiúsque Dei, omnia esse creata. Omitto & illud Cabalisticum mysterium, quod nonnulli tamen magni faciunt: nimirum quòd בראשית nil aliud sit, quàm secundum principium: nam ב altera litera Alphabeti, secundum notat: & ראשית principium, ac caput est. Hoc autem alterum principium esse Christum. Illud etiam alterum Cabalisticum Sacramentum mihi non assumo: quo nimirum dicunt ex tribus literis, verbi creandi ברא, tres erui personas in Deo: Filium ex prima litera: nomen enim Filij apud Hebræos בן incipit à litera ב Spiritum sanctum ex altera. Illa enim initium est nominis רוח. Et Patrem, qui dicitur אב ex postrema littera א Etsi enim de iis interpretationibus colligere promtum est permultos inter ipsos etiam Chaldæos, & Hebræos, doctissimos homines fuisse: qui idem, quod & nos, senserint de Filio Dei: tales tamen sunt hæ interpretationes, vt ex illis firmum argumentum erui nequeat: quo probetur, aut Trinitas Personarum in Deo: aut per Filium, omnia à Patre esse condita.

III. Firmius est quod alij doctissimi viri, ex voce pluralis numeri, qua hîc Deum nominat Moses, nempe אלהים. colligunt: plures personas in illo esse Iehoua, qui legitur creasse cœlum & terram. Ac proinde non à Patre solùm, sed etiam à Filio, & per Filium, pérque Spiritum sanctum, omnia esse creata, viuificata, sustentata, & sustentari. Nam quod Hebræi nonnulli, Deum nomine plurali Elohim, appellatum fuisse scribunt honoris causa, aut, vt multas esse illius perfectiones significaretur, friuolum est: cum nulla fulciatur vel auctoritate Scripturæ, vel ratione. Contrà verò nos, & loca Scripturarum non pauca habemus: in quibus euincitur nomine Elohim, quum de Deo Iehoua prædicatur, plures in Deo ὑποστάσεις indicari: quemadmodum partim superiore libro demonstrauimus: partim in refutationibus fusiùs demonstraturi sumus. Et rationes multę suppetunt, quibus id confirmetur. Inter quas hæc postrema non est. Nullo modo concedendum est, Mosen eam creationis causam effectricem ignorasse, aut perspectam tacuisse, quam Prophetæ & Apostoli nouerunt, & prædicarunt. Præsertim cùm legamus, Deum cum nemine familiariùs locutum fuisse vnquam, & sese clariùs patefecisse, quàm Mosi. Et apud omnes extra controuersiam sit, Prophetas, atque Apostolos interpretes fuisse Mosis. Est autem manifestum, Filium (vt mox ostendemus) & Spiritũ S. (vt suo demonstrabitur loco) prædicari à Prophetis & Apostolis, rerum omnium, tam quæ in cœlis, quàm quæ in terris tenentur, conditorem. Vterque etiam Deus apertè appellatur: & quidem talis Deus, qui non sit è terra perdendus, sed ab omnibus potius colendus, & inuocandus: vt suo loco planum faciemus. Propheta autem Deos qui non creârunt cœlum & terram, è terra perdendos esse ait. Ier. 10. 11. Non enim Deus esse potest, qui non fecerit cœlũ & terrã. Imò Moses ipse, Spiritũ sanctũ creatorẽ fuisse cœli & terræ apertè docet: quum scilicet eum, materiæ illi primæ, & primò creatæ, quã aquarũ etiã nomine significat, ait incubuisse, & eam quodammodò fouisse, & conseruasse donec omnia vi Verbi ex ea formarentur. Qui enim res fouebat, is easdẽ etiã creauit, cũ vtrúq; opus sit eiusdem & solius Dei. De Filio verò, quem sæpe nomine מלאך יהוה, significat: idem ita luculenter ostendit (sicut iãiam demonstrabo) vt nisi cum maxima Mosis, imò Spiritus sancti iniuria, dubitari ea de re non possit. Est igitur manifestum quum Moses causam Mundi effectricem, scribat fuisse Elohim: eum nomine Elohim intellexisse non solùm Patrem, verum etiã Filium, & Spiritum sanctum. Qui enim & quot fuerint illi Elohim, Christus tandem explicauit, iubens homines baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Matt. 28. 19. His enim tribus nominibus explicatum fuisse à Christo nomen Elohim non dubito. Nam cùm non liceret per legem Dei, vllum hominem signo fœderis cuipiam obsignari, nisi Iehouę Elohim: à quo omnia condita fuerunt, redemptus populus ex Ægypto, tradita lex, firmatum fœdus: Christus verò nouo fœderis signo iubeat omnes obsignari, vni quidem, & eidem Deo Iehouæ (est enim vnus duntaxat) cui anteà etiam Iudaicus populus solitus fuerat obsignari: sed non vni personę, verùm tribus expressis, Patri, Filio, Spiritui sancto: an non apertè nomen Elohim explicans, docuit, eo plures indicatas fuisse personas: eásq; tres esse, & neque plures, neque pauciores, quarum prima Pater, altera Filius, tertia Spiritus sanctus appellatur? Vt non inmeritò dixerit Ioh. Baptista, Deum à nemine vnquam fuisse visum: Filium verò, qui est in sinu Patris, illum nobis explicasse. Io. 1. 18. Fuit ergo Christus explicator sicut voluntatis diuinæ, sic etiam diuinarum personarũ. Atque apud me hæc ratio tantum habet ponderis, vt ea vnâ sim contentus, & à sententia dimoueri nequeam.

Verùm enimuerò quia alijs scribo, non mihi: idcircò plura, apertiorâque testimonia proferenda sunt: quibus Filium quoque, qui posteà Christus est appellatus, creasse vnà cum Patre cœlum & terram, confirmetur.

IV. Loca itaque illa inspicienda nobis sunt, in quibus de rerum creatione aliquid verborum fiat, & quę aut de Christo propriè intelliguntur: aut ad Christum ipsum ab Apostolis accommodantur: Sed si priùs confirmem, vno aut altero testimonio Scripturę sanctę, quòd modò dixi de Elohim: ea nimirum dictione significatas fuisse à Mose, plures in Deo personas, quæ creârũt cœlũ & terrã. *Sic ait Iehoua* (inquit Iesaias c. 44. 24 & 54. 5.) עשיך *factores tui.* Et alibi בעליך עשיך, *mariti tui, factores tui. Iehoua Zebaoth, nomẽ eius.* & in Ps. 149. 2. *Lætatur Israel.* בעליו *in factorib' suis.* Omitto id quod dixit Abrahamus, Genes. 20. 13. *Et fuit, quum*, אלהים מבית אבי התעו אתי, hoc est, *errare fecerũt me Dij, de domo Patris mei.* De creatore autẽ omniũ loquebatur Iehoua. Certè nisi quis velit esse ex professo, & de industria contentiosus & soli lucenti tenebras obducere, hæc apertè confirmant, plures in Deo esse personas, quæ per Mosen nomine Elohim significatæ, cœlum & terram crearint. Coniunge porrò cum his, quæ seorsim de creatione attribuitur tum Filio, tum Spiritui sancto. Vt illud. Ie. 40. 13. *Quis adiuuit Spiritum Iehouæ,* nẽpe, in creando? Distinguit apertè Ies. inter Iehouam, & eius Spiritum: & facit Spiritum creatorem: Sicut etiam Moses ipse hunc eundem docuerat rerum omnium fuisse creatorem, formatorem & conseruatorem. Quæ verò de creatione rerum, per Filium, in Scripturis habentur, innumera illa sunt: quorum quædam hic subiicio, ex Mose & Prophetis; sed cum Apostolorum interpretatione collata. Vt enim Prophetæ Mosis: sic Apostoli Mosis, & Prophetarum interpretes fuerunt fidelissimi. Qui populum eduxit ex Ægypto, & cum per desertum comitatus est, eique legem dedit, atque ab eo tentatus fuit: is legem promulgans, apertè ait, Exod. 20. 11. se sex diebus creasse cœlum & terram, septimo autem requieuisse ab operibus suis. At præterquam, quòd is à Mose vocatur Exod. 3. 2. non solùm Iehoua, sed etiam Angelus Iehouæ: (qua voce intelligi non potest Pater, quippe qui nullius est Angelus: neque etiam Angelus creatus, vt paulò post videbimus) ab ipso etiam Apostolo 1. Cor. 10. 9. disertè dicitur fuisse Christus, quùm iubet, ne tentemus Christum,

sicut quidam Israelitarum eum tentauerunt in deserto. Neque est cur nebulo aliquis verba Apostoli corrumpat, dicés, præcipi: ne tentemus Christum, sicut quidam illorum tentauerunt: nempe non Christum, sed Iehouam Patrem. Quis enim non videat hac interpretatione vim fieri verbis Apostoli? Nam docet Apostolus, nos non minùs peccare, si nunc tentemus Christum: quàm illi olim peccarint tentando: Quem autem? eundem scilicet Christum. Si enim discrimen voluisset facere Apostolus, inter eum quem tentârunt Israelitæ in deserto: & inter Christum, quem hortatur ne tentemus nos: adiecisset Dei nomen, præter Christum, dicens: sicut quidam illorum tentârunt Deum. Deinde si Apostolus non intellexisset, Christum fuisse illum Iehouam, qui tentatus fuit in deserto ab Israelitis, sed purum esse hominem, non æquasset tentationem, qua tentatur Christus, tentationi, qua tentatus fuit Iehoua. Quæ enim proportio inter puram creaturam, & creatorem? Imò ne peccatum quidem esse indicasset, tentare Christum. Nusquam enim extat præceptum, ne tentemus creaturam: sed tantum, ne tentemus Deum. Apostolus verò allusit ad præceptum Dei: *Non tentabitis Iehouā Deum vestrum: sicut tentastis in Massa*, scilicet eundem Deum. Deut. 6.16. Sic Paulus: *Ne tentemus* (inquit) *Christum sicut quidam illorum tentauerunt*, eundem scilicet Christum. 1. Cor. 10. 9. Sed quod Moses habet Iehouam, Apostolus Mosis interpres, dixit Christum: vt apertè indicaret, Christum esse illum, qui tentatus fuit à populo in deserto: ac proinde Christum esse illum Angelum Iehouę, & Iehouam, qui eduxit populum ex Ægypto: qui denique dixit, se diebus sex operatum fuisse, creando scilicet omnia, & septimo die quieuisse ab operibus suis. Quid opus est tergiuersationibus in re tam perspicua? Sed perditi homines, quia nolunt acquiescere in doctrina Apostolorum, idcircò noua semper quærunt effugia. Verùm ego propter Electos persequar institutum.

V. Dauid in Psal. 102. sic incipit precationem suam: *Iehoua audi precationē meā*. Posteà vers. 26. ait, *In principio terrā fundasti, & opera manuū tuarū sunt cæli*. Hic certè creationem rerum non adscribit, nisi Iehouæ. Apostolus autem totum hoc tribuit Christo. Aut igitur Dauid in eo Psalmo, de Apostoli sententia, verè agnouit Christum pro creatore cœli & terræ: aut Apostolus abusus est hoc loco. Qui hoc dixerit, cum eo mihi nihil est negotii, tanquam cum homine blasphemo, perfido nebulone, & prima negante principia. Apud pios igitur locus iste confirmabit, Christum in nomine Eluhim contineri: cum dixit Moses: *In principio creauit Elohim cælū & terram*. Negare enim verba illa Dauidis, ad Filium ab Apostolo rectè accommodari, tanquam ad illum à Dauide dicta: summæ est impudentiæ, vti ex toto capitis contextu liquet. Nam initio quoque capitis dixerat, per Christum condita esse secula. In eius igitur confirmationem adduxit hunc locum Dauidis. Quin imò explicationis quoque causa, nempe, vt ostenderet ita per Christum condita esse omnia, vt ipse vnà cum Patre sit rerum conditor, efficiensque causa, non autem instrumentalis: id fecit. Quare non solùm Apostolus, verùm etiam Dauid (si huius fuit ille verus Interpres) nouit Mosen nomine Elohim indicare voluisse, non Patrem solum, verùm etiam Filium: eoque tam hunc, quàm illum, cæli, terræque creatorem fuisse. Huc accedit locus Filij Dauidis, in quo sapientiam Dei ὑποστατικῶς introducens, præter alia, eam ait sic loqui: *Quùm præpararet ipse* (Iehoua, parens meus) *cælos, illic aderam, &c.* Pro. 8.27. Docet in summa, sapientiam Dei, quæ est ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, vnà cum Patre omnia creasse, sicut posteà fusiùs locum hunc explicabimus: & quæ fiunt exceptiones refutaturi sumus: ita vt appareat, meram esse impudentiam, locum hunc de Christo non esse intelligendum contendere, cùm vel Arius ipse, hoc inficiari nunquam ausus fuerit. Venio igitur ad alia testimonia.

VI. Ille, qui ait apud Ies. 45. 23. *Mihi curuabitur omne genu*, ibidem etiam dicit, se fecisse terram, & hominem super eam creasse: & suis se manibus cœlos extendisse, & eorum militię imperare. Quo ex loco apparet, eundem esse creatorem omnium, qui etiam futurus est omnium Iudex: & cui omnes flexuri sunt genua. Atqui Apostolus hoc tanquam de Christo dictum recitat, & interpretatur: *Oportet nos* (inquiens) *sisti ad tribunal Christi: quia scriptum est, Viuo ego, mihi flectetur omne genu*. Ro. 14. 11. An non igitur apertè prædicat Paulus, Christum sicuti futurus est Iudex totius Mundi, sic etiam totius Mundi esse conditorem; neque fieri posse, vt ei omnium curuentur genua, nisi etiam omnium verus sit Creator? Est enim vnum ab altero inseparabile. Neque dici potest, non conuenire Christo per se, vt ei curuentur omnium genua: sed ex accidenti: quòd huic homini, propter passionem, & obedientiam erga Patrem datum sit per gratiam, vt ei curuentur genua: sicut docetur ad Phil. 2. 9. Non enim simpliciter dicit hic Paulus, nos ei curuaturos genua, vt ad Phil. sed ex Propheta probat, nos oportere sisti ante Tribunal eius. Quamobrem? *Quoniam scriptū est* (inquit) *Viuo ego, mihi flectetur omne genu*. Quis hæc dicit? Iehoua, Conditor cœli & terræ. Non igitur Christo, vt homini flectetur omne genu: sed vt Iehouæ, & omnium rerum conditori. Vt enim ait Iehoua apud Iesa. se vnum esse Iehouam, præter quem non sit alius, sic etiam intelligit se vnum esse rerum conditorem, vt extra se nullus sit alius: & ita sibi vni curuandum omne genu, vt præter se, curuandum sit nemini. Ac quidem, vt hoc quod dico, efficaciùs demonstret; iurat per seipsum: quod certè nemini, præterquam Deo, licet. Non potest igitur eludi locus iste, quin Apostolus intellexerit, Christum esse illum Iehouam, cui soli liceat per seipsum iurare, cui soli flectendum sit omne genu, qui solus sit Creator omnium, eoque solus verus Iehoua. Quùm enim dico, Solus, non excluditur aut Pater, aut Spiritus sanctus: quia omnes idem sunt Iehoua: Flectetur quidem omne genu etiam homini Christo, verùm non simpliciter, sed quatenus hypostaticῶs vnita est illa humana natura cum diuina. Firmum enim manet præceptum, non esse adorandum, nisi solum Iehouam. Proinde hinc etiam confirmatur, Christum verum esse cœli & terræ conditorem: quia adorandus nobis, & Angelis proponitur à patre in omnibus Scripturis. *Et adorent eum* (inquit Dauid) *omnes Angeli eius*. Psal 97. 8. Eædem verò Scripturæ docent, adorandum non esse, nisi qui fecit cœlum & terram: vt Angelus ait, Apoc. 14. 7. Et Apostolus ad Romanos improbat Gentes, quæ neglecto Creatore, adorârunt creaturas. Rom. 1. 25. Imò hanc rationem adfert idem Deus, apud Iesaiam. Cur enim ait sibi curuandum omne genu? Quia (sicut ante dixerat) ipse fecit terram, & hominem super eam creauit. Proinde alterutrum necesse est: vt aut negemus, Christum esse adorandum: aut ingenuè fateamur, eum esse conditorem cœli & terræ. Locus Ierem. 10. 11. *Dij qui non fecerunt cælum & terram disperdantur è terra*, nimis clarus & notus est omnibus. Etsi enim verum Deum obiicit idolis: ac tradit notam, vnde discerni possint an sint veri Dij nobis colendi, nec ne: Interim tamen doctrinam tradit generalem, de discrimine veri Dei, & falsorum Deorum. Est igitur necesse, vt aut Christus sit falsus Deus, minimè adorandus, sed è terra exterminandus: aut Creator sit cœli & terræ. Sic autem sensisse Prophetas de Christo, docent Apostoli Prophetarum interpretes. Ipsos igitur audiamus.

VII. Iohannes τὸν λόγον, quem posteà factum carnem, Christum vocat, tria tradit: eum esse ęternum: quia *in principio erat ὁ λόγος*. Esse personam à Patre distinctam: quia λόγος *erat apud Deum*. Et verum esse Deum: quia καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Omnia verò probat, *quia omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est*. Item infrà ait per ipsum factum esse Mundum. Neque hic Euangelistam loqui de altera Mundi creatione sed de prima: abundè suo explicabitur & demonstrabitur loco. Neque enim omnia recreata, seu renouata sunt, sed electi duntaxat. Ita verò omnia ait esse per ipsum facta, vt nihil excipiat, quùm ait: *Et sine ipso factum est nihil quod factum est*. Deindè ne electi quidem perfectè adhuc sunt renouati, sed perfecta eorum recreatio expectatur. Iohannes autem ait, omnia iam per eum esse facta, hoc est, quicquid creatum est (vt ipse explicat) non sine ipso creatum esse, sed per ipsum. Neque dubium est, quin alluserit ad verba Mosis initio Gene. probaréque voluerit, ideò τὸν τοῦ θεοῦ λόγον esse æternum, semper apud Patrem eóque Deum verum: quia ita per hunc omnia Pater creauit, dicendo, *Fiat, & factum est*: vt sine ipso, nihil à Patre factum sit eorum, quæ Moses facta esse dicit. Itaque Iohannes verus Mosis interpres, docet Mosen quoque intellexisse τὸν λόγον vnà cùm Patre omnium esse conditorem. Imo Christus ipse hoc non dissimulat: sed ingenuè confitetur, quùm ait: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*. Item, *Quæcunque operatur Pater eadem ὁμοίως operatur & Filius* Ioh. 5. 17. 19. Docet enim sicut ab initio Pater creauit omnia, & continenter omnia sustentat: ita se quoque cum Patre, eadem operandi facultate, & operatum esse omnia, & eadem sustentare, ac viuificare.

Quòd si quispiam dicat, loquutum fuisse Christum de illis operibus, quæ tunc operabatur, non quòd ab initio Mundi operatus sit, & ideò vti voce præsenti, *operatur*: is præbet se ridiculum. Eodem enim verbo præsenti, tam de Patre, quàm de se vtitur. Quare quod concludit de se, idem etiam de patre conclusum fuerit. Num igitur dices, neque Patrem operatum fuisse anteà? Particula,

*Vsque*

*vsque modò*, continuationem operum Dei Patris, & Filij, à Mundi initio ad id vsque temporis, imò ad finem vsque Mundi demonstrat. Quotidie enim vera est propositio Christi: *Pater vsque modò operatur, & ego operor.*

VIII. Audiamos & alium Mosis interpretem, Paulum Apostolum. Is in Epistola ad Coloss. probat, Christum Filium esse Dei, ante Mundi creationem genitum: quoniam per ipsum facta sunt omnia, quæcunque sunt in cœlis, & in terris, dicens, *Qui* (Christus) est πρωτότοκος πάσης κτίσεως. *Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, &c.* Col. 1. 15. Eadem planè ratione vtitur Paulus, qua & Iohannes. A creatione enim omnium, per ipsum facta demonstrat eius æternitatem: neque creaturam esse, sed Filium è substantia Patris genitum. Pro confesso igitur vterque assumpsit, per Christum, τὸν λόγον omnia fuisse condita. Vnde verò hoc acceperunt assumptum? Procul dubio inde, quòd Moses, & Prophetæ docuerunt, Iehouam Patrē omnia condidisse, per suum λόγον, suámque sapientiam substantialem: quæ & ipsa in nomine Elohim continetur: & hoc intellexisse Mosen, quum dixit, *In principio creauit Elohim cœlum, & terram.* Et harmoniam Apostolorum & Prophetarum.

Neque est, cur hunc locum conetur aliquis Canis lacerare: Apostolum loqui non de creatione rerum prima, sed de secunda: Et Christum proponi ab Apostolo, non vt æternum Filium, sed vt hominem primum ac principem, dignitate & honore creaturam. Ad has nænias fusè respondebitur suo loco. Non enim Apostolus vocat Christum πρωτόκτιστον; quod certè fecisset, si eum, vt creaturam proponere nobis voluisset: præsertim cùm id postularet ratio comparationis, quam subdit, πάσης κτίσεως. Sed appellat πρωτότοκον, discernens diuinam, æternamque eius natiuitatem à creatione humanæ ipsius naturæ, omniumque aliarum rerum. Sed plura aliâs. Certum est ex toto contextu, Apostoli verba nimis violenter torqueri, & lacerari: si de secunda creatione, non autem de prima, quis ea interpretetur: imò nullo modo cohærere posse. stunt autem omnia, si de prima accipiamus: vt omnes semper Interpretes, ante hos nouos Aristarchos, & Græci, & Latini exposuerunt. Eadem doctrina confirmatur in Epistola ad Heb. 1. 2. vbi ait Apostolus per Christum facta esse etiam omnia secula. Ante igitur omnia tempora, eóque ante omnem creaturam Christum extitisse, docet Apostolus. De prima enim rerum creatione loqui Apostolum, certo certius est, vt suo videbitur loco: & vt versus ex Psal. citatus confirmat, *Tu initio, Domine terram fundasti.* Psal. 102. 26.

Ex his omnibus satis luculenter apparet veritas nostri assumti: Christum, qua λόγος est Dei Patris, creatorem esse vnà cum Patre, cœli & terræ: & nomine Elohim, à Mose, tam hunc, quàm illum, significatum fuisse: quum dixit, *In principio creauit Elohim cœlū, & terram:* ac proinde verum esse Iehouam, Christum: eóque vnum esse tantùm creatorem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: quia vnus tantùm est Iehoua. Ego ingenuè fateor, me non posse videre, quomodo queant ista eludi loca, quibus probauimus, Christū mūdi esse creatorem: imò ne quidem, quomodo possit quis aliquid de iis dubitare, nedum oppugnare, nisi Spiritu Diaboli, capitalis hostis Christi, agitetur.

## CAPVT II.

### Explicatio reliquorum locorum, & argumentorum, quæ ex libro Geneseos collecta sunt, pro Christi Deitate.

#### *I. Locus 2. ex Gen. 12. vers. 1. & seq. & 14. vers. 19.*

APPARET Iehoua Abræ, eumque è terra euocat sua: & benedictionem promittit. Apparet denuò eidem, in terram Palæstinę iam profecto: & eam illi terram promittit. Abram autem ædificat altare Iehouæ, qui sibi apparuerat. Si vera est Patrum, Iustini, Tertulliani, Irenæi, Ambrosij, & aliorum sententia: Patrem nunquam solitum fuisse cuipiam apparere, sed semper Filium, aut Angelos: efficitur, Filium esse illum ipsum Iehouam, qui apparuit Abræ, & cui Abram ædificauit altare. Neque enim Angelo alicui creato, altare ædificare licuit vnquam.

Adde quòd qui Abrahamum vocat, est ille idem qui fœdus cum illo iniit æternum. Auctorem autem esse fœderis non solùm Patrem, sed etiam Filium: docet Apostolus, quum ait, Fœdus seu testamentum confirmatum fuisse morte Testatoris. Hebr. 9. 16. Quis autem mortuus est, & suo sanguine fœdus firmauit nisi Christus? Deus scilicet manifestatus in carne: 1. Ti. 3. 6. Ne quo idem Apostolus ait, Deum sanguine suo Ecclesiam redemisse? Act. 20. 21. Si vetus per nouum interpretemur testamentum: veram semper illius assequemur intelligentiam.

Cum his congruunt, quæ itidem habentur de benedictione, qua Abrahæ Melchisedecus benedixit, dicens: *Benedictus Abram Deo Altissimo:* hoc est, apud Deum Altissimum: qui scilicet te vocauit, inque suam gratiam recepit, & in huius rei testimonium ista præsenti donauit victoria. Benedictum autem vocat ęterni fœderis respectu. Est porrò manifestum (vt dixi) fœderis auctorem esse Christum, cum Patre. Deinde nouimus, neque alia benedictione, neque per alium, benedictum fuisse Abrahamum, quàm qua & per quem, reliqui etiam fideles benedicendi erant, & benedicuntur. In Christo autem omnes benedicuntur, vt Abrahæ promissum fuerat: & vt Apostolus explicat vbique: Certè ad Ephes. ait, Deum Patrem benedixisse nobis, omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo, Ephesios 1. 3.

Cum iis coniunge, quæ demonstraturi sumus ex nouo Testamento, Christum ita esse Filium Altissimi, vt sit ipse quoque Altissimus: cuius Altissimi Propheta, & præcursor fuit Iohannes Baptista: & quem idem Iohan. dixit esse supra Iohan. 3. 31. & quem Paulus vocat Deum super omnia benedictum. Rom. 9. 6. Si idem Spiritus Dei erat in Melchisedeco, aliísque Prophetis, qui & in Apostolis, vt Petrus testatur: 1. Pet. 1. 11. efficitur Melchisedecum, nomine Altissimi, apud quem benedictum esse pronunciauit Abrahamum, intellexisse nō solùm Patrem, sed etiam Filium eius, Iesum Christum. Nunquam enim seiungendus est Filius à Patre, quia Filius semper est in Patre.

Adde, quæ leguntur de Abrahamo, qui dicitur Iehouæ promittenti credidisse: & hoc illius credere, imputatum ipsi fuisse ad iustitiam, Genes. 15. 6. hoc est, quia credidit Iehouæ, reputatum eum fuisse coram Deo iustum. Certè non alia ille fide reputatus fuit iustus, quàm qua etiam nos reputamur: vt Scripturæ docent, præsertim cap. 4. ad Roman. Quare autem reputamur nos iusti, nisi propter fidem in Christum? Quis igitur fuit ille Iehoua, cui quia credidit Abrahamus, habitus fuit pro iusto: nisi cum suo Patre Christus? Adde quòd qui hîc promittit, & dicitur Iehoua, idem cap. 22. vocatur Angelus Iehouæ. Hic autem est Christus. Credidisse igitur Iehouæ, & Angelo Iehouæ, Christo, idem sunt, & propter fidem Christo præstitam, habitus fuit iustus. Neque prætermittendum est, quod de Angelo Iehouæ, qui Agari apparuit, legimus. Ille inuenit Agarem in deserto, & præter alia ait: *Ego multiplicabo semen tuum.* Gen. 16. 6. 9. &c. Agar verò vocat eum Iehouam. Neque hoc recitat Moses nisi Agaris appellationem approbans. Qui igitur Angelus Iehouæ apparuit, & promisit, & vocatus fuit Iehoua, non fuit nisi Filius Dei. Pater enim Angelus non est, neque etiam dicitur. Angelus autem creatus, Iehoua non est, neque illo honore dignus, quo ille Angelus Iehouæ affectus fuit ab Agare, ancilla Abraham.

#### *II. Loc. 3. ex Genes. 17. & 18. capitibus.*

DE auctore fœderis cum Abrahamo, nemo dubitat, quin fuerit verus Iehoua, vt in historia narratur. Atque præter ea, quæ ex Epistola ad Hebræos ostendimus, Christum fœderis auctorem & confirmatorem prædicari, illud etiam considerandum est, quòd qui fecit fœdus cum Abrahamo Gen. 17. idem ei apparet statim post fœdus initum, vt est Genes. 18. Ibi verò iste fœderis auctor modò Angelus Iehouæ, modò Iehoua appellatur: Principiò ait, *Apparuit ei Iehoua.* Deinde explicans Moses, in qua forma apparuerit & à quibusnam fuerit comitatus, subdit: *Et ecce tres viri stabant iuxta eum.* Horum vnum inprimis reuerēter alloquitur Abrahamus. Idem vnus promittit & confirmat promissionem: de præstanda gratia Saræ concipiendi, & pariendi filium constituto tempore. Idē vocatus à Mose Iehoua, admiratúsque risum Saræ, ait ad Abrahamū: *Cur sic risit Sara, dicēs: Nū verò paritura sū, cùm sim vetula?* Ac infidelitatē Saræ reprehendēs ait: *Num ergò Deo quicquam est difficile?* Cui obsecro, Deo? nempe mihi. Subdit enim statim, confirmans promissionem, ac docens nihil apud se esse impossibile coram

quæ promittit, dicens; *Ad tempus definitum, circiter tempus viuentis reuertar ad te, & Sara habebit filium.* Quis non videat, ex iis tribus, qui instar virorum apparuerût, & qui Angeli etiam appellantur, vnum fuisse Iehouam verum? Mox verò subdit, Digressis inde, & Sodomam versus profectis duobus ex illis tribus viris, id est, Angelis: mansisse Iehouam cum Abrahamo: & cum illo longum habuisse sermonem: inuocatum fuisse ab Abrahamo, & appellatum Iehouam suum, & iudicem vniuersæ terræ.

Verè cæcum, præfractum, cor habentem velo obductum, & apertum veritatis hostem esse oportet, qui non videt in hac historia, vnum ex illis tribus Angelis, qui virorum instar apparuerunt Abrahæ, verum fuisse Iehouam. Quis autem esse potuit, nisi Christus, qui sæpenumero Angelus Iehouæ appellatur? Patet enim nusquam Angelus Dei fuisse dicitur. Taceo hîc, quod suprà etiam attigi ex cap. 20. Vbi Abraham de eo, qui se è sua terra in terram alienam euocauerat, loquens ad regem Abimelechum ait: *Quumque errare fecerunt me Elohim à domo Patris mei, &c.* Nam Elohim, cum verbo plurali, התעו errare fecerunt, coniungit. Et quem Moses vocauerat Iehouam; Abraham vocat Elohim. An non igitur Abrahamus nouit, Iehouam plures esse Elohim? Oportet igitur præter Patrem alium quoque esse, qui sicut Elohim, sic etiam sit Iehoua. Quem autem esse dicimus, si præter Spiritum sanctum, negamus hunc esse eius Filium?

### *III. Loc. 4. ex Genes. 22. vers. 1. 2. & sequent.*

VErus Deus iubet Abrahæ, vt tollat Filium suum Isaacum: & ibi eum sibi offerat in holocaustum. Quum Abraham Filium iam duxisset super montem, manúmque stricto gladio iam extêdisset vt eum immolaret, Moses ait, tunc Angelum Iehouæ è cœlo clamasse & vetuisse Abrahā, ne manum extenderet in puerum, nihil vel ei mali faceret. Et rationem adferens, ait: *Quoniam nūc cognoui, quòd timeas Deum: quia non pepercisti filio tuo propter me.* Ac paulò pòst Angelum Iehouæ de cœlo clamasse ad Abrahamum secundò, & dixisse: *per memetipsum iuraui* (נאם יהוה) *quandoquidem fecisti rem hanc, quòd non peperceris filio tuo, vnico tuo, benedicendo benedicam tibi: &c. & quod obedîuisti voci meæ.* Hæc ille Angelus Iehouæ. Manifestum est ex ipso Mosis côtextu, hunc, quem vocat Angelum Iehouæ, non fuisse Angelum creatum: sed Deum. Qui enim vetat Abrahæ, ne filium occidat, idem ille ipse est, qui etiam priùs iusserat, eū sibi in holocaustum offerri. Hic autem fuerat verus Deus; vt liquet. Angelus ergo Iehouæ vetans, fuit Iehoua Elohim, mandans.

At vetat (inquies) Angelus, nomine Iehouæ. Verùm hoc non exprimitur; neque etiam cum reliquo Mosis contextu conuenit. Hic enim Angelus causam reddens, cur nolit immolari Isaacum, ait: *Cognoui enim quòd timeas Deum: quia non pepercisti filio tuo propter me:* Non autem dicit propter eum, scilicet Deum: quem timebat Abrahamus. Neque verò propter Angelum creatum Abraham non pepercit filio suo: sed propter Deum. Deinde idem Angelus Iehouæ iurat per semetipsum: quod certè nulli fas est creaturæ. At ait, נאם יהוה, vt significet se non esse, qui iuret, sed tantùm se referre Iehouæ iuramentum. Verùm non cogimur admittere, hæc verba esse Angeli creati; cùm possint esse verba, tum Mosis, qui doceat eum, qui sic loquebatur cum Abrahamo, Iehouam fuisse: tum etiam ipsius Iehouæ quibus conciliet auctoritatem suo iuramento: vt solet sæpe facere, præsertim apud Prophetas. Item ait: *Quia obedîuisti voci meæ.* Quare cùm omnes huius loci circumstantiæ faueant nostræ interpretationi, tanquam consentaneæ cum aliis sacris literis, non est cur ea reiici debeat, aut possit.

Itaque apparet, eum, qui vocatur ibi Angelus Iehouę, minimè fuisse Angelum ex illorum numero, qui vocantur administratorij Spiritus. Pater autem nunquam Angelus vocatur, cùm neque vllius esse possit. Filius igitur fuit, eoque verus Deus. Coniunge modò hæc quæ hic tradit Moses, de promissione facta Abrahæ, per hunc Angelum, eáque iuramento confirmata, cum iis quæ partim attigimus ex capite 20. Vbi Deum, qui se eduxerat de domo sua vocat Abraham, Elohim: & plures esse docet verbo התעו: & quæ partim habes capite 24. vers. 7. vbi de eodem Deo, qui se euocauerat, loquitur, Dicens in singulari numero, *Iehoua, Deus cœlorum, qui tulit me de domo patris mei, & de patrio meo solo, &c.* Confer, inquam, cum illis, ea, quæ modò explicauimus: ac videbis consentaneè cum aliis Scripturis à nobis doceri, quum dicimus vocationem Abrahæ, mandatum, prohibitionem, iuramentum & promissionem factam Abrahæ per Angelum Iehouæ, factam fuisse immediatè à tali Angelo, qui sit Iehoua: cùm ipse Iehoua plures sit Elohim: qui Abrahamum ex ipsius terra euocârunt, & eduxerunt.

Ita apparet qualem Deum nouerit, & coluerit Abrahamus: nempe talem, qui vnus fuerit Iehoua, & plures Elohim, verè subsistentes, vocantes Abrahamum, eum familiariter alloquentes, ex sua ipsius terra educentes, iustificantes, fœdus cum illo facientes, ac proinde nō Patrem solùm, sed & eius Filium, & ex consequenti vtriusque Spiritum. Qui tamē omnes simul, quia vnus sunt Iehoua, vnus etiam dicuntur ipsi Abrahæ Deus, qui vocârit, qui iustificârit, qui benedixerit, qui fœdus cum ipso fecerit. Non Pater solus itaque, sed & Filius, qui posteà Christus est appellatus, cum Spiritu sancto, est ille Deus, qui in Scripturis, primò vocatus fuit Deus, Creator cœli, & terræ; deinde, & Deus Abrahæ, Deus Isaac, Deus Iacob.

### *IV. Loc. 5. ex Genes. 26. versiculo 2.*

NEque alius fuit Deus Isaaco, quàm qui etiam Abrahæ Iehoua scilicet Elohim. Ideircò ille Angelus Iehouæ, qui iurauerat Abrahæ per seipsum, eique benedixerat, & promissionem fecerat, vt antè visum est, idem Isaaco apparet, & idem iuramentum, promissionémque Abrahæ factam confirmat, Iehouáque simpliciter appellatur. Isaac vero extruit illi altare, eúmque inuocat: non certè alium, quàm eum, quem etiam anteà inuocauerat, & cui altare extruxerat Pater eius. Cui autem altare extruxerat Abrahamus; ille vocatus fuit Angelus Iehouæ, quem fuisse ipsum Christum demonstrauimus. Itaque in cap. 27. idem Isaacus, quum benedicit Iacobo, precatur ei hanc benedictionem à Iehoua Elohim. Primò enim quem inuocat, vocauerat Iehouam: deinde vocat Elohim: protestans hac ratione, se agnoscere pro suo Deo, vnum Iehouam, & plures Elohim. *Det,* inquit, *tibi Elohim de rore cœli, &c.* Confer iam hanc Isaaci precationem cum precationibus Apostolicis, & videbis quinam fuerint illi Elohim, à quibus precabatur benedictionem rerum temporaliū & æternarum Iacobo pater eius Isaac. Apostoli precabantur Fidelibus gratiam & pacem à Patre, & à Filio eius Iesu Christo: & ex consequenti, ab vtriusque Spiritu: sæpe etiam expresso nomine Spiritus sancti, vt manifestum est in nouo Testamēto. Si idem Deus fuit Patriarchis, qui & Apostolis: & ab eodem Iehoua eisdémque Elohim precati sunt Apost. gratiam & pacem (quibus duobus nominibus omnia bona spiritualia & temporalia complexi sunt) à quo, & à quibus ipsi quoque Patriarchæ, benedictiones spirituales & temporales precari soliti fuerunt suis liberis: manifestum est Patriarcham Isaacum, quum dixit: *Det tibi Elohim de rore cœli, &c.* nomine Elohim intellexisse, non patrem solùm, verum etiam Filium eius Iesum Christum: ac proinde, Christum fuisse Isaaco, sicut & Patri fuerat, verum Iehouam.

### *V. Loc. 6. ex Genes. 31. vers. 11. & sequent.*

ACcedamus iam ad Iacobū, & videamus, an ipse etiam nouerit talem Deum: & an Christus fuerit illi verus Deus. Prætereo autem locum illum, qui est de scala, quæ à cœlo in terram vsque pertingens, & in cuius summitate innixus erat Iehoua, & per quam ascendebant & descendebant Angeli, ostensa fuit in somnis ipsi Iacobo. Gen. 28. 12. Tametsi hac visione indicare voluit Deus sancto Iacobo, prouidentiam, qua manens in cœlo, terram tamen, suósque imprimis non deserit, sed per sanctos Angelos regit: Quia tamen præcipua pars prouidētiæ Dei, in eo versatur, vt per Christum tanquam per verum Mediatorem, viámque ac scalam, & sua nobis communicet beneficia, & nos in cœlum deducat: ideircò hanc scalam, non tam typū prouidentiæ Dei, quàm figuram fuisse Christi non dubito, consentientibus omnibus piis interpretibus, & Christo idem annuente, quū dixit Nathanaëli Io. 1. 51. *Quia dixi, vidi te sub ficu credis?* me scilicet esse illum (vnigenitum, eóque solum de substātia Patris genitum) Filium Dei: *maiora his videbis. Amen, amen dico vobis: Deinceps videbitis cœlū apertū & Angelos Dei ascendētes ac descendētes super filium hominis:* nempe in testimonium, quòd sim ille Filius Dei vnigenitus, eóq. & verus Deus, sicut & verus homo: per quem solùm tanquam per veram scalam in cœlum pateat ascensus hominibus, sicut etiam per hanc eandem solam, gratiæ, & benedictiones diuinæ, per Angelos ad homines deferuntur.

Ita apertè Christus indicauit, se esse hanc scalam, in cuius summitate erat Iehoua. Tria enim de Christo mihi in hac scala significantur. Deitas, in summitate, cœlos tangens. Humanitas, in infima parte, quę terram contingebat. Et offi-

Et officium Mediatoris, per quem solum & Pater cœlestis nobis placatus est, & suam è cœlo communicat gratiam: Et nobis in cœlum ad Patrem patet accessus. Hæc mihi certissima sunt in hoc scalæ mysterio.

Adde quòd qui in summitate stabat Iehoua, sic ait Iacobo in illa visione: *Ego sum Iehoua* אלהי *Abraha, Patris tui &* אלהי *Isaaci.* Est autem ante ostensum, Deum Abrahæ & Isaaci, fuisse non solùm Patrem, sed etiam Filium, & vtriusque Spiritum: nomine Elohim propter plures personas: & nomine Iehouæ propter vnam & eandem omnium essentiam, significatos.

Adde etiam quòd Iacobus locum hunc propter scalæ mysterium, dixit esse locum sanctum, domum Dei, & portam cœli. Christus autem propter officium sæpe dixit, se esse portam, & ostium, & viam. Io. 10. 7. & 14. 6. Imò etiam quasi domus, in qua inhabitat plenitudo Deitatis corporaliter: Et locus sanctus, hoc est templum Dei, in quo inuocatur Pater. Ita optimè totus Christus, tam quoad personam, vtranque naturam: quàm quoad officium, in hac scala demonstratus fuit Iacobo. Verùm quoniam aduersarii, homines impij, & contemptores mysteriorum Dei, totum hoc mysterium ridebunt, & nihil ad rem facere clamitabunt: idcircò ad alia propero, quibus ostendam ipsi etiam Iacobo, agnitum fuisse Christum pro suo Deo, sicut & Abrahæ, & Isaaco: iacto tamen priùs hoc fundamento, ex isto loco: nempe illum, cui Iacob post mysterium scalæ, & post acceptam promissionem, consecratúmque lapidem, votum fecit, fuisse Iehouam: qui porrò ab isto loco, vbi apparuit Iacobo, Deus Bethel appellatus fuit. Itaque cap. 31. apparet Angelus Iehouæ Iacobo in somnis; & ait, se esse illum אל, Deum Bethel, vbi Iacob vnxerat lapidem, & vbi votum sibi vouerat. Quis hîc non videat, Angelum hunc non fuisse Angelum creatum: sed illum Iehouam, & אל, qui anteà apparuerat Iacobo, & cui ille votum vouerat? Neque enim sanctus Dei Angelus, creatus, hunc diuinum honorem sibi attribuisset, vt cum mendacio diceret, se esse illum Deum Bethel, cui votum à Iacobo fuisset nuncupatum. Fuit igitur Angelus Iehouæ Iehoua. Neque est cur dicat Arianus, apparuisse Iacobo Angelum creatum: sed nomine Iehouæ locutum fuisse. Cur enim efficias, Angelum creatum apparuisse sancto Patriarchæ: Labano autem idololatræ apparuisse Deum ipsum? Nam Moses ait, vers. 24. Deum venisse ad Labanum, & vetuisse, ne quid mali inferret Iacobo. At inquies, neque Labano apparuit Deus ipse: sed Angelus nomine Dei. Verùm tu sic ais: non autem Scriptura. Deinde Iacobus ipse testificatur, Deum Patris sui, & pauorem Isaaci, hoc est, Deum quem pauebat & colebat Isaacus, fuisse illum qui Labanum coërcuerit, ne sibi noceret. Itaque non est, cur in media luce tenebras quærant homines blasphemi.

*VI. Loc. 7. ex Genes. 32. vers. 9. & vers. 24. & sequent.*

Angelum Iehouæ, qui sibi apparuerat in Bethel, vocat Iehouam, & vt Iehouam inuocat. An non etiam hîc legimus Angelum luctatum fuisse cum Iacobo: & post luctam ei benedixisse, eámque ob causam locum illum fuisse à Iacobo appellatum פניאל. Quia (vt ipse interpretatur) vidit Deum facie ad faciem? An non iis verbis fatetur, qui sibi apparuerat, & quocum luctatus fuerat, Angelum fuisse, non Spiritum creatum, sed Deum? Ac ne latebras quærant hostes Christi, Hoseas Mosis interpres, confirmat quod diximus. Hos. 12. 5. Recitata enim breuiter historia hac, subdit, quis fuerit iste Angelus Iehouæ, nempe Iehoua dicens ויהוה אלהי הצבאות יהוה זכרו. Item Iacobus eidem Angelo, quo cum luctatus fuerat, ædificauit altare cum hoc titulo: *Fortis Deus Israel.* Gen. 33. 20. Allusit enim ad id, quod audiuerat ab Angelo: *Vocaberis Israel, quoniam si fortis fuisti contra Deum, quanto magis praualebis contra homines?* Quid? quod ipse Deus explicat quis fuerit ille Angelus? Cap. enim 35. hæc scribit Moses: *Et dixit Elohim ad Iacobum: Surge, Ascende in Bethel, & habita ibi: Et facies ibi altare* לאל *Deo: qui tibi apparuit, quum à facie Esau, fratris tui, fugeres.* Iacobus quoque ipsum Angelum, qui sibi apparuerit, docet fuisse Deum dicens: *Surgite & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare* לאל *Deo, qui me exaudiuit in die tribulationis meæ.* Moses quoque ipse interpretationem suam adhibet, dicens: *Et ædificauit ibi altare, & appellauit nomen loci illius Bethel, quoniam ibi apparuerant ei* האלהים Elohim vocat Angelum illum qui apparuerat. Nunquam autem in sacris literis Angelus vnus Elohim appellatur: sed vel omnes diuinæ personæ simul: vel etiam singulæ, propter eandem essentiam, qua omnes sunt inseparabiliter vnitæ. Adde iis ea, quæ sequuntur in eodem cap. ver. 9. *Et apparuit iterum Elohim Iacobo quum rediret de Padan Aram, & benedixit ei. Et dixit illi Elohim. Nomen tuum,* &c. Et mox: *Ego* (inquit) *sum* אל שדי. Ex his, quæ etiam sequuntur, luce clarius elucescit: Angelum, qui de principio apparuerat, & luctatus fuerat cum Iacobo, fuisse non Angelum creatum, sed verum Deum. Nunquam autem Pater vel Spiritus sanctus Angeli nomine appellatur: sed solus Filius ὁ Λόγος, & sapientia, legatúsque Patris. Certum igitur est, Christum fuisse Iacobo verum אל, verum Iehouam, verumque אל שדי.

*VII. Loc. 8. ex Genes. 48. vers. 15. & sequentibus.*

Ad extremum pro colophone huius sententiæ de Deo Iacobi considerandus est ille locus vbi Iacob moriturus benedicit filiis Ioseph. Quæ autem sub mortem confitemur, ea solent rara haberi, quia ex animo, & sine hypocrisi dicuntur. Benedictionem itaque illis precatur Iacob, ab Elohim & ab Angelo Iehouæ, qui sibi apparuerat, sibíque adfuerat, dicens: *Ille Elohim in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei, Abraham, & Isaac, Elohim ille, qui pauit me à tempore meo, vsque in hanc diem: Angelus ille qui eripuit me ab omni malo: benedicat pueris istis.* Quis obsecro fuit iste Angelus à quo benedictionem precatur filiis Iosephi? Vnus ex creatis esse non potuit. Neque enim licet benedictionem alicui ab eis precari. Adde quòd hunc exæquat Deo, cùm tam ab hoc, quàm à Deo precatur eodem verbo benedictionem eandem. Deinde constat, eum qui Iacobum liberauerat ex omnibus periculis, & malis, fuisse non Angelum creatum, sed Deum, vt suprà visum est. Fuit igitur Angelus Iehouæ Iehoua, Christus. Id quod testimonio etiam Apostoli confirmari potest, qui ait, Christum fuisse illum, qui populum in deserto semper comitatus, & tentatus est. 1. Cor. 10. 4. &c. Quid ni igitur & Iacobum.

Ac notandum est vtrumque officium, quòd hîc dat Iacobus Angelo huic: vnum, quòd liberârit se à malo: alterum, vt benedicat. Est enim vtrumque Christi proprium, & vt liberet à malo, à peccato, à morte, à Sathana, aliisque omnib. malis: & vt benedicat, omnem scilicet conferendo gratiam & pacem.

Consentanea est quoque hæc precatio Iacobi, cum illa qua vtuntur Apostoli, quùm gratiam, & pacem precantur à Deo Patre & à Domino Iesu Christo.

Quare dubitari non potest, nisi ab hostibus veritatis, quin Iacobus nouerit, Christum tam verum esse Iehouam, quàm Patrem. Atque hæc satis ex Genesi, de Deo Patriarcharum.

## CAPVT III.

### Testimoniorum Mosis, Iosuæ, & Iudicum: quibus demonstratur, Christum ab ipsis agnitum fuisse, pro vero Iehoua: interpretatio.

NEQVE verò minùs clarè idem Deus sese patefecit Mosi & Prophetis, quàm Patriarchis. Eundem enim Deum prorsus coluerunt omnes, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. De Deitate igitur Filij, qui Angelus Iehouæ, & Iehoua solitus erat appellari, alia examinanda sunt nobis testimonia, in libris Mosis & Prophetarum.

*I. Loc. 9. ex cap. 3. Exod. vers. 2. cap. 20. vers. 2.*

Quæ de angelo Iehouæ, & Iehoua scripta reliquit Moses, eo scilicet, qui apparuit in rubo: qui dixit se esse Deum Abrahæ, Isaaci, & Iacobi: qui misit Mosen, ad liberandum populum ex Ægypto: qui dedit Legem, qui duxit populum per desertum: qui denique ab ipso etiam populo tentatus fuit: ea de Christo esse intelligenda, suprà ex testimonio Pauli demonstrauimus quidem satis luculenter: verùm nunc libet alias quoque addere confirmationes, partim ex verbis ipsius Mosis: partim ex Stephani testimonio, vt de Patrum interpretationibus taceam.

Principiò constat ex contextu verborum Mosis eundem fuisse Angelum Iehouæ, qui apparuit ei in rubo: & Iehouam, qui vidit Mosen declinantem ad videndum: quomodo rubus arderet, & non consumeretur: & Elohim, qui è medio rubi clamauit ad Mosen, & dixit, *Ego Deus Abraha, &c.* Nullum enim ibi verbum reperitur, ne iota quidem vnum quo cogamur essentiale aliquod discrimen facere inter Angelum Iehouæ, qui apparuit in rubo: & inter Iehouam, ac Elohim, qui videt, & loquitur è rubo. Sed eundem planè esse docet Moses, qui apparet, qui videt, qui loquitur. Qua-

re vt Iehoua, & Elohim eundem significant Deum: sic etiam Angelus Iehouæ, idem Deus esse, qui & Iehoua, & Elohim, apertè ab eadem operatione demonstratur. Cur enim has tres operationes, apparendi, videndi, loquendi, diuersis attribuat, & non vni potiùs & eidem, nulla est, neque euincit ratio. Angelus igitur ille non fuit ex creaturarum numero: sed Filius, Patris Iehouæ Angelus: eoque Iehoua, & Elohim.

Deinde dicit iste, qui apparuit, & qui loquebatur Mosi, se Deum esse Abrahæ, Isaaci, & Iacobi. Vidimus autem Deum Patriarcharum fuisse, non solùm Patrem, sed etiam Filium. Angelum scilicet Iehouæ, Iehouam: à quo Iacobus precatus est benedictionem filiis Iosephi.

Ait prætereà Moses, se abscondisse faciem suam: quòd timuerit aspicere אל האלהים in illum Deum. Quis autem apparebat, & se conspiciendum præbebat Mosi, nisi Angelus Iehouæ? Docet igitur Moses, illum Angelum, in cuius vultum non audebat intueri, fuisse illum Iehouam Elohim, qui eidem loquebatur.

Ad hæc iste Angelus Iehouæ, & Iehoua Elohim, ait, se vidisse afflictionem populi sui: & idcircò descendisse (nempe è cœlis) vt populum suum liberet ex Ægypto, & inducat in terram fluentem lacte & melle. Quis autem est Redemptor populi? An non (vt etiam Iobus nouit cap. 19.) Christus? An non is est, qui dicitur descendisse è cœlis propter nos, & propter salutem nostram? Et de quo Angelus dixit Mariæ: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum?* Matt. 1. 21. Idem autem est Seruator noster, qui & populi Israelitici.

Huc pertinet etiam nomen, quo se vocat, nempe אהיה אשר אהיה. *Ero, qui ero.* Item, *Dices filiis Israel,* אהיה *misit me ad vos.*

Non me latent variæ huius nominis interpretationes, vt illa, Ab effectis me, quis sim, cognosceris: sed tamen, quas etiam referam, improbare nemo meritò potest. Hoc itaque nomine, verè mysteriorum plenu, vnde etiam est nomen Iehouæ, Angelus iste Iehouæ exprimit, & duplicem suam naturam, & officium. Diuinam naturam, quia hac locutione, *Ero qui ero,* & iterum, *Ero,* æternam suam, & immutabilem essentiam significat. Sensus enim est: Ego sum idem semper. Sum æternus, quia vt semper idem sum, qui sum, sic semper ero, qui ero: Vt etiam in Apoc. hoc titulo ornatur, dum vocatur, ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Ita necessariò efficitur, Angelum hunc æternum esse Deum. Deinde eodem nomine alteram significat naturam, nempe humanam. Promittit enim se futurum id, quod non est: hominem videlicet. Promissionem enim quandam significant hæc verba: *Ero, qui ero.* Clariùs etiam eandem indicat, verbum simplex אהיה, *ero.* Deus autem quid vnquam fuit, quod non anteà, & ab æterno fuerit: nisi homo? Semper enim fuit Deus: sed in tempore factus est homo.

Postremò suum indicat officium, Mediatoris, & Redemptoris: Se nimirum carnem sumpturum, vt in ea populi sui expiet peccata, eumque à seruitute peccati & mortis redimat: cuius redemptionis typus erat illa Ægyptiaca. An non res ipsa vera est in Christo? Est. An non aut apertè prædixit Deus, aut obscurè indicauit ænigmatis, & typis, quæ futura erant? Indicauit. Non est igitur, cur mysterium ex iis verbis Angeli collectum à quopiam improbetur: cùm etiam ita se res habeat, & id verba significent.

His accedit, quòd qui populum per Mosen ex Ægypto eduxit, idem etiam est qui dedit Legem in monte Sina: & qui familiariter cum Mose loqui solitus erat. Quis autem iste fuit? Moses vocat Iehouam, Stephanus Angelum. Act. 7. 38. Nemo autem est, cui Iehouæ simul, & Angeli nomen conueniat, nisi Christus. Neque est, cur dicas, Stephanum loquutum fuisse de Angelo creato, per quem Deus daret Legem, & per quem cum Mose loqueretur. Moses enim nusquam ait (quod sciam) Angelum sibi dedisse Legem, & locutum esse in monte Sina: sed semper Iehouam. Stephanus igitur nomine Angeli, non intellexit creatum aliquem: sed illum, qui etiam Iehoua subinde vocatur, nempe Christum. Atque ita intelligenda sunt Stephani verba in eadem concione: Deum, hoc est, Patrem constituisse Mosen liberatorem populi, in manu Angeli, hoc est, ductu Christi, & per Christum: per quem omnia semper fecit, & facit Pater. Quis enim fuerit ductor, & Mosis, & totius populi, docet Apostolus ad Corinth. nempe hunc fuisse Christum. 1. Cor. 10. 4. Ac si quid valet auctoritas veterum Patrum, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, & alij ita senserunt.

Iustinus in Apologia ad Antonium secunda, disertè scribit eum, qui Mosi apparuit in rubo, fuisse Filium Dei. Idem in Dialogo cum Tryphone, Filium semper fuisse illum, qui loquebatur Mosi, ex Patris sui sententia. Item, Christum fuisse illum, qui populum eduxit ex Ægypto.

Irenæus etiam lib. 4. cap. 11. concludit, Filium cum Patre illum esse Deum qui locutus est Mosi in rubo: qui dixit: *Ego sum Deus Patris tui,* &c. *Qui igitur,* inquit, *à Prophetis adorabatur Deus viuus, hic est viuorum Deus viuus, & verbum eius, qui & locutus est Mosi, qui & Sadducæos redarguit, qui & resurrectionem, & Dominum ostendit.* Et ad finem: *Ipse igitur Christus cum Patre, viuorum est Deus, qui & locutus est Mosi, qui & Patribus manifestatus est.* Hæc ille.

Tertullianus contra Praxeam, disputat, quomodo Deus inuisibilis dicatur, cùm tamen Patrib. apparuerit, & visus fuerit. Fusè explicat hanc quæstionem.

Summa est ea, quam ex Iustino & Irenæo attulimus. Pater inuisibilis semper, quia nunquam formam assumsit, in qua appareret, & loqueretur cuipiam, iuxta illud: *Deum nemo vidit vnquam,* Ioh. 1. 18. Item, Denegatum fuit Mosi videre faciem Dei Patris. Videbat Filium in aliena specie: audiebat familiariter, sed Patrem videre non potuit. Filius assumtis humanis corporibus, apparebat in visione, loquebatur in somnis: iuxta hoc, Moses dicitur à facie ad faciem locutus cum Deo. & vicissim Deus cum Mose: nempe Filius, & per Filium Pater. Idem explicat hanc quæstionem, de Trin. pag. 623.

II. Coniunge iam cum his, quæ Exodi 20. Deus de se ait: & quæ deinceps repetita sunt à Mose, quum describit Deũ, *Ego sum Iehoua Elohecha, qui te eduxi de terra Ægypti.* In plurali numero ait. *Elohecha, Dij tui.* Quæ autem hęc est pluralitas Elohim, deorum, in Iehoua, nisi ea, quam Christus expressit: nempe, Patris Filij & Spiritus sancti, qui omnes vnus sunt Iehoua? Viden' igitur in redemptione populi ex Ægypto. & in legis promulgatione, Christum verum Iehouam? Ita deinceps semper Moses hanc, quam Deus ipse patefecit sui descriptionem, sequutus est: vt, *Audi Israel, Iehoua Elohenu, Iehoua vnus est.* Vbi notandum, non posteà dixisse, *Elohim seu Eloah vnus est,* sed tantùm, *Iehoua vnus est.* Docuit igitur, plures quidem esse Elohim, sed vnum tantùm Iehouam: ac proinde, quemque ipsorum Elohim esse Iehouam. Cùm verò iste Iehoua se solum pro vero Deo agnosci velit, & reliquos omnes Deos, vocet Deos alienos, neque eos velit coram se pro Diis agnosci: in vtra parte erit Christus, quem Apostoli Deum vocant? Aut certè inter Deos alienos habendus est, aut pro Iehoua agnoscendus. Primum, ne ipsi quidem Antichristi auderẽt dicere: Pro vero Iehoua igitur, agnoscendus nobis est, vt agnitus fuit Mosi. At certum quoque, non prohiberi, ne assumatur cuiuspiam Dei nomen in vanum, blasphemeturve, nisi nomen Iehouæ Elohenu, & in huius tantùm nominis blasphemos stringi maledictionem. An non verò Paulus docet, se ideò fuisse blasphemum: quia nomẽ Christi persequebatur, & negabat, Iesum esse Deum, & Christum? 1. Tim. 1. 13. Confirmat talem fuisse suam blasphemiam à resipiscentia. Nam posteà vtrumq; de Iesu prędicauit: eum scilicet esse, & Christum & Deum super omnia benedictũ. Ergo in præcepto, *Non assumes in vanum nomen Iehouæ Elohecha, Deorũ tuorum,* &, *Maledictus, qui blasphemauerit nomen Iehoua,* Christus continebatur. Ibidẽ quoq; Iehoua ait: *Vos vidistis, quod è cœlo locutus sum vobiscum.* Exo. 20. 22. Apostolus autẽ ad Heb. eũ: qui locutus est de cœlis, docet esse Christũ, sicut Moses loquebatur in terra. Et disertè ait, vocẽ Christi concussisse terrã. Heb. 12. 26. Ad hunc autem locum Exodi allusit Apostolus: vbi legimus fuisse tonitrua, & lãpades, & clamorem buccinæ, & montem fumantem, & cõmotũ fuisse totũ populũ, quum Iehoua Legẽ daret. Docuit ergò, Christum illum esse, qui Legem dedit in monte Sina.

Neque illud prętermittendum est, quod Iehoua ait, ad Mosen: *Ibit Angelus meus ante te, & introducet te ad Amorrhæũ.* Exo. 23. 23. Pater promittit Filium doctorem Mosi. Quis enim fuit iste Angelus, Mosis ductor, & totius populi? Christus: testibus Stephano, & Apostolo. Act. 7. 38. 1. Cor. 10. 4. &c.

### *III. Loc. 10. ex Num. 12. vers. 6. & sequent.*

CErtè Moses nouit, Iehouam esse illum, qui promisit se loquuturum in Prophetis, tam in somno, quàm in visione: nouit, inquam, non minùs, quàm Petrus, Paulusque Apostoli. Petrus autem ait, fuisse Spiritum Christi. 1. Pet. 1. 11. Paulus verò, Christum ipsum, qui etiam in se loquebatur. 2. Cor. 13. 3. Vnus enim atque idem Iehoua locutus est, tam in Apostolis quàm in Prophetis. Proindè tam illorum quàm istorum scripta, verbum Dei appellantur, & sunt. Vnde facilè intelligitur: quum Apostolus Heb. 1. 1. ait, Deum olim locutum fuisse in Prophetis, nouissimè autem in Filio: nomine Dei non significasse solum Patrem, sed simul etiam Filium, & Spiritum S. Hi enim sunt ille Iehoua Elohim, qui promiserat se locuturum in Prophetis. Posteà idem Deus locutus est in Filio, manifestato in carne. Pater enim semper in Filio, & Filius in Patre,

pleni-

plenitudóque Deitatis in homine Christo inhabitabat, & inhabitat. Non video itaque quomodo dubitari possit, An Moses nouerit Christum verum esse Deum, necne nouerit. Præsertim cùm Christus ipse dicat: *Si crederetis Mosi, crederetis & mihi. De me enim scripsit.* Ioh. 5.46. Docet igitur à Mose fuisse scripta, eóque & cognita ea, quæ Christus volebat de se credi. Quid verò Christus prædicabat, & de se credi volebat? Quæ partim ipse per se, partim per Apostolos prædicauit, & docuit: nempe præter alia, se verum esse, proprium, vnigenitúmque Dei Patris Filium, eóque verum Deum, Deum super omnia benedictum, Deum manifestatum in carne, Deum magnum, & seruatorem nostrum, Dominum nostrum, & Deum nostrum, vt Thomas confessus est, hoc est Iehouam Elohenu, sicut posteà perspicue videbimus in libris insequentibus. Ergò quæ etiam scripta reliquit Moses de semine mulieris caput serpentis contrituro, de Siloh venturo, de Propheta suscitando, & aliis id genus, quibus tum humanitatem, tum etiam officium Christi describebat, ita intelligenda fuisse docet Christus, vt tale semen, Siloh, Propheta esse non potuerit, nisi etiam esset Iehoua qui sua Deitate vim daret carni & sanguini seminis, redemptioni & pacificationi ipsius Siloh, doctrinæ denique propheticæ in electorum cordibus inscribendæ.

*IV. Loc. 11. ex Iof. 1. verf. 1. & 24. verf. 19.*

HInc facile licet intelligere, quem etiam Deum nouerit, & coluerit Iosua: & qui sequuti sunt eum Iudices sancti, & postremò Samuel, illum scil. Iehouam Elohenu, qui est non solus Pater, sed Filius, & Spiritus S. eóque Christum agnitum ab ipsis fuisse pro vero Iehoua. Idem enim Iehoua loquebatur ad Iosuam, & ad reliquos, qui etiã ad Mosen: vt in ipso initio suæ historiæ docet Iosua, qui etiam ad finem Deum suum vocauit Iehouam קדשים הוא אלהים, Deós sanctos ipsum, agnoscens ipsum etiam Filium esse Iehouam. Ac iussit Israelitas, vt soli Iehouæ seruirent: & præter eum nemini. Apostoli verò, qui eodem ducebantur Spiritu, & in quibus idem loquebatur Iehoua, qui & in Iosua, & seruierunt ipsi, & alios seruire docuerunt Christo, cuius etiam seruos, hoc est, cultores, se appellabant. Nouit igitur etiam Iosua, Christum esse verum Iehouam, cui soli seruiendum esse docuerat.

*V. Loc. 12. ex Iud. 2. verf. 1. & 4. verf. 14.*

A*Ngelus Iehoua ascendit de Gilgal ad Bochim, & dixit, Eduxi vos ex Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuraueram Patribus vestris, &c. Et vos non obedivistis voci meæ, &c.* Scio consuetudinem esse Angelorum, vt sæpe verba Dei referant ea dicendi forma, perinde ac si ipsi essent Iehoua, qui loquatur. Quia tamen antea demonstratum est, testibus etiam Paulo, & Stephano, Christum fuisse illum Angelum, qui Mosi promiserat, se educturum populum ex Ægypto, & cuius ductu Moses primùm rexit populum, & deinde Iosua illum in terram introduxit, absurda dici non potest Patrum interpretatio, qui hunc Angelum, fuisse Christum scribunt. Neque obstat, quòd dicatur venisse de Gilgal, non autem de cœlis. Videbatur enim Christus, humanam formam indutus, vbi, & quando volebat. Locus verò qui est in cap. 4. hunc explicat, vbi Debora ait ad Baracum, *Nonne Iehoua egressus est ante te?* Vbi Hebraicus textus habet Iehouam: Chaldaicus paraphrastes habet Angelum Iehouæ. Baracus quoque, vt habent Septuaginta, suprà dixerat, ὅτι οἶδα τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ εὐοδοῖ ὁ κύριος τὸν ἄγγελον μετ᾽ ἐμοῦ. Docent hæc, Iehouam illum, qui iuit ante Baracum, fuisse Christum, Angelum Iehouæ, hoc est, Patris: ac proinde hunc esse, qui sicut ducebat Baracum, sic etiam antè duxerat Mosen, Iosuam, & populum vniuersum. Præsertim cùm hæc de ductu Christi, per Apostolum & Stephanum, vt suprà visum est, confirmentur.

*VI. Loc. 13. ex Iud. 6. verf. 12. & sequent.*

NEque illud silentio prætereundum est quod legitur de Angelo, qui apparuit Gedeoni. Is enim Gedeoni interroganti, *Est ne Iehoua nobiscum?* & conquerenti, quòd deserti essent à Iehoua: respondit, non vt Angelus creatus, sed vt Iehoua ipse. Et sic deinceps, Gedeon vocat eum Iehouam. Sic enim legimus v. 14. *Respexit autem ad eum Iehoua, & ait, &c.* Item v. 16. *Tum dixit ad eum Iehoua. Quia ero tecum.* Et ita Angelus per totum cap. 7. vocatur Iehoua.

Noui latebras, in quibus se abdere possint aduersarij: sed ex iis, quæ antè dicta sunt, ex Gen. & Exod. de hoc Angelo Iehouæ, perspicuè apparet, hunc locũ minimè torqueri, si nomine huius Angeli Christum intelligamus, atque inde concludamus, Christum talem esse Angelum Iehouæ, qui sit ipse Iehoua.

Ad summam, nihil in libris Iudicum & Regum reperitur, quod nostræ aduersetur sententiæ: Christum, illis quoque piis Iudicibus & Regibus pro vero Iehoua agnitum fuisse.

## CAPVT IV.

### Expositio testimoniorum quæ ex Dauide, Salomone & Iobo, pro æterna Christi Deitate desumpta sunt.

VEnio nũc ad Dauidem: cui ita perspectum fuisse, Christũ Filium esse Dei naturalem, vt eum pro vero Iehoua inuocârit, coluerit, adorârit, luce clarius est: fitque indies, Psalmos eius attentè legentibus, & cum libris N. Testamenti diligenter conferentibus, magis ac magis perspicuum.

*I. Loc. 14. ex 2. Sam. 7. verf. 23. & sequent.*

DAuid pro electore populi & eiusdem redemptore ex Ægypto, non agnoscit vnum tantum אל, sed plures Elohim, verbo etiam plurali, *iuerunt*, addito. Eius enim verba hæc sunt, *Quis sicut populus tuus, sicut Israel, Gens vna in terra,* לו לעם אשר הלכו אלהים לפדות: *quam iuerunt Dij vt redimerent sibi in populum, &c.* Nouit igitur Dauid, vnum quidem esse Iehouam, totius populi Israelitici electorem, & redemptorem: sed hunc esse, non Patrem solum, verùm etiam Filium. Si enim plures sunt: quinam erunt, nisi quos suis distinxit nominibus Christus: Pater scilicet, Filius, & Spiritus sanctus.

*II. Loc. 15. ex Psal. 2 verf. 7. Filius meus &c.*

AVt torquetur hic locus ab Apostolo: aut euincit Christum pro Filio Dei æterno, Patri ὁμοουσίῳ omniumque rerum creatore agnitum fuisse Dauidi. Hebr. c. 5. Apostolus enim hæc verba citat, vt ea quæ dixerat antè de Christo, confirmet, eum scilicet esse supra Angelos omnes: non vt creaturam omnium excellentissimam: sed vt Filium Dei, ita vnigenitum vt ei soli dictum sit à Patre: *Filius meus es tu:* sed vt hæredem vniuersorum: sed vt conditorem omnium etiam Angelorum: sed vt splendorem gloriæ & paternæ substantiæ characterem: sed vt eum qui omnia verbo suo potenti sustineat: sed denique vt Deum, quem adorare iubentur Angeli, & cuius Thronus est in seculum seculi. Facessant igitur humanæ glossæ, vbi habemus Apostolum interpretem eúmque fidelem. Torqueri enim non possunt scripturæ ab illo, qui in Apostolo loquebatur Christus.

Adde, quòd neque promissio, neque adhortatio addita, neque totius Psalmi epiphonema in vllam puram creaturã competere possunt. Quare quòd etiam locus iste citatus fuerit in Actis, de resurrectione Christi: hoc ideò factũ est, quia tum maximè patefacta fuit æterna ipsius ex Patre natiuitas. Act. 13. 33. Quum autem aliquid declaratur; tunc dici solitum est in Scripturis, fieri. Itaq; Psalmus iste de Dauide intelligi non potest; nisi quatenus typus fuit Christi, & ex parte. Nã de Christo intelligẽdum esse docet ipse Christus, in Apocal. qui alludens ad hunc Psalmum, ait sibi datã esse potestatem à Patre Gentes regendi virga ferrea, & tanquam vasa fictilia conterendi. Apoc. 2. 26. &c.

*III. Loc. 16. ex Psal. 45. verf. 1. Eructat cor meum, &c.*

HVnc Psalmum decantatum fuisse Salomoni, non alia ratione, quàm quatenus Christi fuit typus: de Christo autem propriè, & perfectè esse intelligendum extra controuersiam est, consentientibus etiam Hebræis. Quid autem ibi Messiæ dicitur? Præter alia, *Solium tuum, ô Elohim, in sempiternum, & vltra:* seu, vt Apostolus habet: *Thronus tuus ô Deus, in seculum & in seculum seculi.* Heb. 1. 8. Neq; est vt dicas, ratione officij tantùm, & propter donorum plenitudinem, Christum vocari hic Deum, vt etiam alibi Reges, Apostolus enim ad Hebr. vbi de Christo hæc verba interpretatur, facit Christum mundi opificem: & ad eum accommodat quæ de Iehoua in Psal. 102. prædicantur. Ergò neque hoc præsentis Psalmi dictum de Christo interpretetur: nisi quatenus intellexit eum agnitum, & appellatum fuisse à Propheta, Elohim natura.

### IIII. Loc. 17. ex Psal. 68. vers. 8. & sequent.

VEro Deo Israelis cantatur hic Psalmus: ac præter alia ei dicit Propheta. *O Deus, quũ egredereris coram populo tuo, quùm incederes per desertum: terra tremuit, cæli distillauerunt à facie Dei. Iste Sinai* (scilicet mons) *à facie Dei, qui est Deus Israelis.* Deinde subdit in vers. 19. *Ascendisti in altum, captiuã duxisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.* Quæ verba Apostolus de Christo interpretatus est. Eph. 4. 8. Si itaque Apostolus verbis Prophetæ non abutitur, neque vllam eis vim facit: manifestum est, Dauidem agnouisse Christum pro illo vero Iehoua, qui Deus est Israelis; qui eduxit populum ex Ægypto; qui deduxit eum per desertum; qui dedit legem in monte Sina: Sicut anteà demonstrauimus ex Mose, interpretibus Stephano, & Paulo. Quis, nisi iusto Dei iudicio prorsus excæcatus, non videat summam, perfectámque omnium sacrarum Scripturarum, tam veteris, quàm noui Testamenti, in prædicanda vera, & æterna Christi Deitate, harmoniam? Neque hæc semel, sed passim leguntur: modo attentè, & cum fide in Christum velimus Scripturas audire; & Prophetas per Apostolos interpretari: qua interpretatione nulla certior, nulla præstantior esse potest.

### V. Loc. 18. ex Psal. 95. vers. & in sequentibus.

AD exultandum Iehouæ, ad eúmque inuocandum, & adorandum, hortatur populum Propheta: ac præter alia dicit: *Hodie si vocẽ eius audieritis, ne obduretis cor vestrũ, &c.* Apostolus verò vocem hanc Iehouæ, de voce Christi interpretatur. Heb. 3. 7. Docet enim, Christum illum ipsum esse, in quem credendum, & cuius vox audienda nobis sit, si velimus ingredi in requiem. Quare non esse obdurãda corda, quum Christi vocem audimus: sicut præcipit Spiritus sanctus dicens, *Hodie si vocem eius audieritis, &c.* An non luculenter docet hic locus, Christum, Dauidi fuisse Iehouam, ad cuius vocem obdurarunt olim corda sua Israëlitæ? De Psal. 102. vbi Deo Iehouæ ait Propheta: *Initio tu Domine terram fundasti:* & quem Apostolus de Christo interpretatur, ante dictum est non semel. Heb. 1. 10 Idem dico de Psal. 106. vbi ait, tentatum fuisse Deum in deserto: Apostolus verò docet fuisse Christum. 1. Cor. 10. 14. Nam hoc etiam fuit superiùs indicatum. Quid omnibus his locis clarius ad probandum, veram & æternam Christi Deitatem perspectam fuisse Dauidi?

VI. Neque minùs eadem fuit nota ipsius filio Salomoni. Christum enim quem sapientiam, & Filium Iehouæ appellat; ita ad viuum describit, vt ipsum Dei Filium, cum Patre in cœlo ab omni æternitate existentem, colloquentem, Mundum fabricantem, omnia denique operantem videre videatur.

### I. Loc. 19. ex Pro. 8. v. 22. & sequent.

HVnc locum de Christo tota antiquitas ita vno omnium consensu interpretata est: vt neque Arius ipse dubitârit, sapientiam, quæ hîc describitur, ipsum esse Christum, qui omnia cum Patre condiderit. Nouerat enim quem Iohannes vocat τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, esse hoc ipsum, quod Salomon vocauerat sapientiam Iehouæ. Hæc autem de hac sapientia prædicat: Eam esse æternam: esse æqualẽ Deo: esse genitam ex Deo: esse opificem rerum omnium cum Patre: semper fuisse, & esse apud Patrem: charissimã Patri: & denique hanc summo amore complecti homines, cum illis versatam fuisse, tandem sumpturam carnem nostræ salutis causa, & semper cum electis futuram.

De primo sic ait, יהוה קנני ראשית דרכו, Iehoua possedit me initio viæ suæ: hoc est, semper apud se habuit, neque vnquam me caruit: etiam ante Mundi creationem. Viam enim Domini vocat opera Dei, quibus quasi ad nos venit: & initium viæ, ipsam primam rerum creationem. Et verbo קנני vsa est etiam Eua quum peperit primum filiũ Cain. Gen. 4. 1. Sed ne putes, cœpisse hanc sapientiam esse Deum à creatione Mundi: subdit קדם מפעליו מאז quasi dicat, iam inde ante omnia opera sua, ab æterno. Nam ante opera creationis nihil fuit, nisi æternitas. Concludit igitur eam esse æternam. Consentaneum est cum hoc illud Iohannis, *In principio erat ὁ λόγος. Ioh. 1. 1.* De altero ait: *A seculo* נסכתי *ordinata sum* (scilicet ad principatum, seu constituta sum princeps) *& ab initio, ab antiquitatibus terræ;* hoc est ante primordia terræ. Verbum enim illud נסך Principem, & regem constituere significat. Chaldæus habet, *vncta sum*, nempe in Regem. Sensus est: ante cõditum orbem, iam inde ab æterno æqualem cum Deo Patre habui potestatem sed ab ipso acceptam, Æqualis igitur Patri eóque Deus cum Patre.

Huic consonat illud Ioha. *Et λόγος erat Deus.* Io. 1. 1. Genitam autem fuisse hanc sapientiam ex Deo Patre, ideóque Filiũ esse Dei Patris æternum; à vers. 24. vsque ad 27. perspicuè docet. Nam חוללתי formata sum, propriè est concepta, & genita sum. Docet præterea hæc sapientia, se interfuisse, quum Pater omnia delinearet, antequam crearentur: & omnia etiam cum illo ordinasse, & creasse.

Cum his consentit quod ait Ioh. *Omnia per ipsum facta sunt.* Io. 1. 3. Ad hæc docet, se fuisse apud Patrẽ, & ceu apud illum educatam. Huc illud Ioh. *Erat apud Deum* Io. 1. 1. Adde iam, quod etiã Patri charissima fuit: *Quia eram* (inquit) *in delitijs quotidie; & ludo coram illo omni die.* Describitur instar filioli, qui Patri semper obuersetur in oculis, & coram eo ludat, eíque sit in delitiis.

Postremum explicat iis verbis, *Ludo in orbe terræ eius: & delitiæ meæ sunt* (vt sim) *cum filijs hominum.* Significat, se post orbem conditum, solitam fuisse versari inter homines, sub formis humani corporis: & hominum consortio delectatam fuisse. Proinde etiam innuit, se decreuisse tandem fieri hominem, vt versaretur inter nos, sempérque nobiscum esset. Ita non obscurè suum erga nos amorem significat, & mysterium redemptionis indicat. Consentanea cum his de sapientia Dei substantiali, sunt apud Barucum: *Post hæc* (inquit) *terris visa est, & cum hominibus conuersata est.* Bar. 3. 38. Apostolus etiam Christum vocat Dei sapientiam, & Dei virtutem. 1. Cor. 1. 24. Ita perspicuus est iste locus, pro æterna Christi Deitate. Quæ excipiunt aduersatij, suo loco diluentur.

### VII. Loc. 20. ex Prouor. 30. cap. vers. 4.

IDem Salomon de hoc eodem Filio Dei, alibi scribit in hæc verba: *Quis stabiliuit omnes terminos terræ? Quod nomen eius, & quod nomen Filij eius, si nosti?* Docet primum quidem, Deo Iehouæ semper fuisse Filium: eóque Patrem esse æternum, Filiúmque eius æternum. Deinde, Filium eiusdem esse cum Patre essentiæ, immensæ scilicet, & incomprehensibilis: eóque verum cum Patre Deum. Nulla enim res est, quæ aliquo nomine explicari, & comprehendi non possit, nisi essentia diuina. Cùm itaque tam de nomine Filij, quàm de nomine Patris dicat illud esse incognitum: hoc est nullum inueniri nomen, quo possit tam illius, quàm istius essentia explicari: apertè docet, vtrumque esse Deum, incomprehensibilis & imperscrutabilis essentiæ.

Huc pertinet, quod Hebræi dixerunt nomen, Iehoua, esse ineffabile: & quod Christus ait: *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater.*

### VIII. Loc. 21. ex Iob. 19. vers. 25. & sequentibus.

NVnc locus Iobi est mihi explicandus: perdifficilis quidem, si varias Rabinorum, aliorúmque multorum interpretum sententias spectes: sed non minus perspicuus quàm insignis, pro æterna Christi Deitate: si verba ipsa, etiã hebraica, plano sensu, & ex analogia fidei allata, sine vlla contorsione interpreteris.

Principiò Iobus maximam attentionem postulat, ad ea audienda, quæ dicturus est, tanquam fide dignissima, magnisque plena mysteriis, & quæ memoria nunquam excidere debeant: dicens, vers. 23. & 24. *Vtinam scribantur sermones mei: vtinam in libro exarentur: styloque ferreo incidantur in plumbum aut saxum quo perpetuò durent.* De mysterio enim Christi dicturus est, de eius scilicet Deitate, humanitate, eóque de beneficio redemptionis per Christum: cuius beneficij postrema pars, est resurrectio à mortuis, perpetuáque visio, qua Christum oculis etiam corporis intuebimur in cœlo, & eo in sempiternum fruemur. Sic Apostolus dicturus de hoc eodem mysterio attentionem requirit, his verbis: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus: quòd Christus venit in hunc Mundum, vt peccatores saluos faceret.* 1. Tim. 1. 15. Idem facere solent Prophetæ quod hîc facit Iobus. Ait ergò, ואני ידעתי גאלי חי, hoc est: *Et ego* (quasi dicat, vnà cum aliis fidelibus) *noui* (ex fide scilicet & ex Spiritu Dei, subintellige אשר) *quòd Redemptor meus viuit*: hoc est, quòd sit verus, & æternus, sempérque viuens Deus. Est enim proprium Dei viuere, nempe per se, & in sempiternum. Et גאל est Redemptor, propriè autem significat propinquũ, & consanguineum, ad quem iure consanguinitatis pertinet ius redemptionis: sicut liquet in Leui. c. 25. Docet igitur se credere, & agnoscere Christũ, non solùm esse Deum viuentem: sed futurũ etiam hominem, consanguineum nostrum: cui ius redimẽdi ratione cõsanguinitatis, carnísque assũptæ cõpetat. Ita agnoscit Mediatorẽ, verũque Redẽptorem, non posse

posse esse, nisi & Deus sit viuens,& homo sanguine nobis coniunctus. Postea dicit ואחרון על עפר יקום hoc est, *Et* (scio quòd) *postremò* (scilicet tempore) *supra puluere surget, Habitque:* tanquã scilic. victor mortis iste גאל. Synecdochicῶs totum redemtionis mysterium, sola explicata Christi resurrectione complectitur. Nam si resurget, nempe à mortuis, supra terram: mortuus igitur fuerit & sepultus, necesse est: eoque verus homo. Loqui autem de resurrectione Christi Redemtoris, luce clarius est: si quis simplicitatem verborum sequatur: vt taceam de consensu omnium piorum interpretum. Postremi autem temporis nomine significari tempus, quo Christus factus est homo, & nos redemit, nimis notum est, ex Prophetis, & Apostolis.

Ita primò confessus est, se nouisse Christum verum esse Deum viuentem, quia חי. viuit; & est verè ex se viuens: sicut mox eum vocabit Eloha. Deinde futurum hominem, nobisque consanguineum: quia גאל: sed clariùs etiam dicendo eum resurrecturum. Denique redemtionis mysterii: quia resurget supra puluerem, nempe ex monumento supra terram: eoque vt verus homo priùs morietur pro redemtione nostra, & sepelietur. Sequuntur duo præcipui, & vltimi fructus redemtionis per Christum: qui reliquos omnes in se continent: nempe resurrectio, & æterna vita, atque visio nostri Seruatoris. De primo ait, ואחר עורי נקפו זאת hoc est *Et postea cutis mea* (אשר quam) *contriuerunt*. (præteritum pro futuro) *vel corroserunt* (nempe corrosores, morbi scilicet, & tandem etiam mors, & vermes) *hæc* (hoc est, hæc, inquam, cutis) quam videtis iam ferè attritam: subintelligendum est ἀπὸ κοινοῦ verbum præcedens, יקום *resurget*: nempe sicut & redemptor: eoque viuet, sicut & ille: & argumentatur à causa ad effectum, & à capite ad membra. Docet enim id, quod Apostolus explicat: ideò nos quoque resurrecturos, quia prior Christus resurrexerit. 1. Cor. 15. 22. Alter fructus est æterna vita, & visio, qua Deum videbimus, & quidem oculis etiam corporeis ipsum Christum Redemptorem. Itaque ait: ומבשרי אחזה אלוה. hoc est, *Et ex carne mea videbo Deum*. Vt verò melius explicet, & quis iste Deus, quem visuri sumus: & qualis futura sit resurrectio nostra; subdit, אשר אני אחזה לי ועיני ראו ולא זר, hoc est, *Quem* (Deum) *ego videbo mihi* (id est, in meum bonum, & æternam beatitudinem) *& oculi mei conspexerunt*, pro conspicient, *& non peregrinus*: id est, Egomet ipse hisce meis oculis videbo, & conspiciam.

Hæc fuit Iobi fides de Redemptoris persona, & officio beneficiisque futuræ redẽptionis. Atque, vt de persona dicamus: Primò Iobus tunc fatebatur, se optimè nosse suum Redemptorem viuere. Redẽptor certè aliùs verus non est, quàm Christus. Erat igitur tum Christus, & viuebat. De solo enim Patre loqui non potuit Iobus: quia postea ait, se visurum hunc suum redemptorem, in sua carne, & suis carnalibus oculis. Itaque nouerat Christum esse viuentẽ Deũ. Deinde nouerat, eum redemptorem, hunc viuentem, hoc est Deum, futurum etiam hominẽ: & cum hominibus versaturum tandem moriturum, & resurrecturũ: quia ait *Super puluerem resurget*. Quis autem hoc fecit, nisi Christus? Hoc etiam est, quod Baruc ait, *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Bar. 3. 38. Et Apostolus: *Deus manifestatus est in carne*. 1. *Tim*. 3. 16. Et Ioh. *Filius Dei venit in carne*. 1. *Ioh* 4. 2. Ad hęc, quem prius vocauit Redemptorem, posteà disertè vocat Eloha, Deum. Ait postremò, se hunc Deũ visurum suis oculis. Dei autem essentia videri non potest: ac proinde neque Pater, neque Filius. Christus igitur, cuius humanitas à nobis conspicietur oculis nostris, id est, corporis nostri, ipsissimus est Deus, & Redemptor, quem dixit Iobus se suis oculis cõspecturum fuisse. Quare Iobo notus fuit Christus, & vt æternus, verusque Deus, & vt futurus homo. Quid hoc testimonio clarius: nisi quis velit nodum in scirpo quærere, & verba Sancti Iobi torquere?

Ita apparet vulgatam versionem non aberrasse à scopo, & sensu Iobi: qoanquam verba vtcunque sint diuersa.

Ac notanda est particula copulatiua ו, *Et ego noui*: nempe vnà cum aliis piis omnibus. Docet igitur, hanc fuisse fidem omnium piorum, qui vnquam fuerunt: & futuram fuisse omnium vsque ad finem Mundi electorum.

Quare apparet, doctrinam hanc de vera, & æterna Christi Deitate, non esse nouam, neque ab Antichristo [vt calumniantur diaboli] excogitatam: sed verè catholicam propheticam, & Apostolicam. Contrarium potiùs verè esse Antichristi doctrinam: vt reuera Antichristi sunt, quicunque negant, Christum verum simul ęternumque Deum esse. Nam simul etiam tandem negent, cum verum esse Redemptorem, necesse est. Iobus enim non agnoscit pro Redemptore, nisi Deum, qui viuit in sempiternum. Et talis est totius sanctæ Ecclesiæ Christi fides, vt meliùs etiam visuri sumus. Eant igitur apostatæ, & exosculentur Serueti, impij canis, latratus: dicántque iniustè fuisse concrematum.

## CAPVT V.

### Interpretatio testimoniorum, quæ ex Prophetis, quos Maiores vocant, collecta sunt, pro Christi Deitate.

NVnc percurrendi sunt etiam Prophetæ: & videndum, an ipsis quoque idem fuerit Deus, qui Patriarchis, Mosi, Iob, Dauidi, Salomoni: Iehoua scilicet Elohim: quorum Elohim vnus sit Pater, alter Filius, tertius Spiritus sanctus. Quanquam de Spiritu S. seorsum dicemus.

*Loc. 22. ex Ies. cap. 6. vers. 1. & insequent.*

QVis dubitet, quem vidit Iesaias: cui concinebant Angeli, dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Iehoua Zebaoth*: qui dixit Prophetæ, *Vade excæca cor populi huius*: & quem ipse Propheta vocat ארני verum fuisse ęternúmque Deum? Ioh. vero Euãgelista, Iesaiæ interpres, ait illum fuisse Christum & huius gloriam fuisse à Propheta visam: Prophetamque de Christo fuisse locutum Ioh. 12. 38. &c. Tergiuersantur hostes Christi: Sed neque ipsi euadere, neque locum hunc eludere possunt: vt suo videbitur loco. Si enim verus Iesaiæ interpres est Ioh. profectò Christum tum substitisse, cuius gloriam videbat Iesaias præsens præsentem: & cui præsenti præsentes canebant, & gloriam, soli Deo debitam Seraphini, necesse est.

*II. Loc. 23. ex Ies. 7. vers. 14. Ecce virgo concip. &c.*

VAticinatur de aduentu Messiæ, qui è virgine nasciturus erat, & liberaturus populum suum à peccatis, & à morte æterna De hoc autem dicit: *Et vocabitur nomen eius Immanuel: quod significat, Nobiscum Deus* Oportuit igitur Messiam, non solum hominem, sed etiam Deum esse: idque meritò: nam alioqui non potuisset à peccatis redimere, & à morte. Atqui hic est Iesus: testib. Mat. & Luca: imò Angelo apud vtrumque. Matt. 1. 23. Luc. 1. 31. At fortè locum hunc eludent aduersarij; dicentes, se fateri Iesum esse Deum, nẽpe, postquam conceptus, & natus est. Sed Ioh. Euangelista explicat, quomodo factus sit Immanuel: cùm scilicet tãtùm esset אל, sumta carne, factus est Immanuel. Nõ ergò factus est אל sed homo, vt nobiscum esset, & in nostra natura אל. Et sic docet Ioh. dicens. *In principio erat* λόγος: Et hic λόγος, Deus, אל, caro factus est, Ioh. 1. 1. 14. Neque aliter intellexit Ies. futurum Immanuelem: nisi eum, qui erat אל. sumta carne ex virgine tandem futurum Immanuelem: quemadmodum ex aliis Ies. locis ostendemus.

*III. Loc. 24. ex Ies. 8. vers. 13. Iehouam Zebaoth sanctificabitis: ipse sit timor vester, & ipse pauor vester, &c.*

PRopheta apertè, quæ hic scribit, scribit de vero Iehoua: Ait enim initio versus: *Iehouam Zebaoth sanctificabitis*. Atqui hæc passim in scriptis Apostolorum explicantur de Christo, ipsum scilicet illum esse lapidem offensionis, & petram scandali: in quem maximè Iudæi erant impacturi. Simeon dixit de Christo ad Mariam: *Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel*. Luc 2. 34. Ait *in resurrectionem*, nempe electorum: *& in ruinam*, nimirum reproborum infidelium. Hoc est quod dixit Ies. *in sanctuarium, & in petram ruinæ*. Legatur de hac re etiam Apostolus ad Rom. 9. 33. Et Petrus ait: *Christus factus est lapis offensionis*. 1. Pet. 2. 8. Ergò quem in vlnas accepit Simeon, non homo tantùm erat, sed etiam verus Iehoua.

*IV. Loc. 25. ex Ies. 9. vers. 6. Paruulus enim natus, &c.*

HIc Ies. scribit de Messia, eum vocatum אל גבור Deum fortem, & אביעד. Patrem æternum. Certum est Prophetam respexisse ad Christum, in quo continuandum erat regnum Dauidis in sempiternum: ac proinde de hoc Filio vaticinatum esse. Dicit autem eum vocatum iri primùm quidem אל גבור. Ait, *vocabitur*, non autem erit. Significat igitur, eum etiam tunc semper fuisse Deum fortem: sed

tunc primũ palã cognitũ iri pro tali Deo, quũ factus homo, & expugnatis hostibus, peccato, morte, Sathana, regnũ propagabit in sẽpiternũ: & conscẽso cœlo se super omnia esse, re ipsa ostendet, curuatis illi omniũ cœlestiũ, terrestrium, & infernorum gentibus. Quare docet Christum Deum esse, nõ recens factum, sed ab æterno existentem: quanquam non ita palàm notum, vt posteà manifestatus est in carne. Pura enim creatura, Deus quidem propter officium appellari poterit, sed Deus fortis, hoc est, omnipotens, nunquam.

Cũ hoc coniũge, quod habemus in Ps. 24. vbi Rex gloriæ, vocatur יהוה גבור. Dominus autẽ, & Rex gloriæ, Christus est, vt etiam Apostolus docet 1. Cor. 2. 8. Inde luculẽtiùs apparet, Christum vocatum fuisse אל גבור, quod verus sit, & omnipotens Deus. Deinde ait vocatum iri Patrem æternũ. Pater certè vocatur, non quòd Filius sit Pater: sed quia & omnium conditor, & Electorum Redemtor, ac regenerator est, Christus: Æternus verò: quia & in sempiternum omnia regit, ac sustentat: & gratia eius sempiterna sese extendit in secula. Itaq; si & simpliciter verus est Deus fortis: & simpliciter Pater æternus, eoque creator omnium: verum esse & natura Deũ oportet hunc Filium, & Patrem: hũc Deum, & hominem: hunc puerum recens natum, & æternum.

### *V. Loc. 26. ex Ies. 25. vers. 7. & sequent.*

CElebrans Propheta nomẽ Iehouæ, propter populi liberationẽ, non tã è captiuitate Babylonica, quàm à peccato, & morte per Christum futurã, proptérq. omnia admiranda, quæ præstiturus erat in monte Sion: præter alia, hæc scribit: *Et perdet in monte hoc faciem inuolucri, obuoluti super omnes populos: & operimentum, quo operiuntur omnes Gentes. Perdet mortẽ in sempiternũ, & absterget* אדני יהוה *Dominator Iehoua, lachrymas à cunctis faciebus, &c.* Scio hæc primum de liberatione à probro, ac ceu morte, qua obuoluti erant omnes Israelitæ in captiuitate Babylonica intelligi. Sed quia illa typus fuit liberationis à peccato, & morte, per Christum: idcircò Propheta propriè huc tollebat oculos. Proinde adiecit nomen etiã loci, vbi Dominus hæc mirabilia erat facturus: nempe in Sion. Liberatio certè à captiuitate Babylonica, non fuit facta in Sion. Deinde probrum illius captiuitatis nõ pertinebat, nisi ad Israelitas: Propheta autem de illo quod erat super omnes populos, & omnes Gẽtes loquitur. Inuolucrũ igitur, obuolutum super omnes populos, & Gentes, peccatum fuit & mors: quibus inuoluti erant omnes homines: vt ad Rom. 5. explicatur: Christus autem vtrumque abstulit in monte Sion, suo sanguine, morte, resurrectione. Quare vaticinium hoc propriè fuit de redemtione à peccato & morte, per Christum, in monte Sion futura: Cuius perfectum complementum erit in fine seculi, quum perueniemus in montem cœlestem. Tũc enim perfectè absorpta erit mors; & omnes abstergentur lachrymæ, ab oculis sanctorum. Proinde, quæ hic scribit Ies. facturum fuisse Iehouam, meritò illa ad Christum referunt Apostoli. Paulus certè docet Christum illum esse, per quem absorpta sit mors, 1. Cor. 15. 54. Quare quæ etiam de abstersione omnium lachrymarum à faciebus nostris, futura in cœlesti Hierosolyma, traduntur in Apoc. ea confirmant, Christum esse illum Iehouam, cui propter hæc beneficia gratias agit Iesaias. Apoc. 7. 17. & 21. 4. Christus enim est ille, qui mortem moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit: qui omnibus suis æternam dat vitam, & omnes delet lachrymas: & omne aufert opprobrium: gloria verò, & honore Electos omnes coronat.

### *VI. Loc. 27. ex Ies. 35. vers. 4. & sequent.*

PRomittit Iesaias lætitiam, exultationẽ, summamq. felicitatem populo Dei, postquam fuerit à captiuitate liberatus. Ac præter alia de Redẽtore Iehoua, sic ait: *Dicite trepidantibus corde, cõfitemini, ne timeatis: Ecce vltor veniet; retributor Elohim ipse veniet, & seruabit vos.* Deinde subdit specia tim aliquot beneficia, quæ iste Deus vẽturus, præstiturus erat, dicens: *Tunc aperientur oculi cæcorũ: & aures surdorũ reserabuntur: &c.* Hoc autem vaticinium, de seipso interpretatur Christus. Duobus enim discipulis ab Ioh. Baptista ad se missis, & an ipse esset Messias, qui vẽturus expectabatur, nec ne esset, interrogantibus: cum iam miracula aliquot edidisset, & multi spiritualiter etiã illuminati fuissẽt: in hæc verba respõdit: *Profecti, renuntiate Iohanni ea quæ auditis & videtis. Cæci vidẽt: claudi ambulãt &c.* Matt. 11. 4. Tacitè iis cõcludens, se illũ esse, de quo hæc vaticinatus antea fuerat Iesaias. Quid hic opus est tergiuersationibus, & vanis glossematis? Interpretem habemus Christũ ipsum. Ad propositam enim quæstionem commodè eum, & aptè respondisse quis dubitet? Concludit igitur ipsemet Christus, se illum esse Deum, ad cuius aduentum, nõ solùm hostes, peccatum, & mors, per ipsum, tanquam vltorem, perdendi erant: sed ipsi etiam electi, lumine Spiritus illuminandi: Euangelium docendi gratia regenerationis erigendi, vt possent in via Domini ambulare. Cuius, spiritualis beneficij externa testimonia erant: cæcorum illuminatio: aurium surdorum patefactio: claudorum itio: afflictorumque consolatio.

### *VII. Loc. 28. ex Ies. 40. vers. 3. & 10. & 12. &c.*

IN hoc capite tria sunt illustria vaticinia, quibus eadem confirmatur doctrina de Christo vero Iehoua.

Vnum est de præcursore Messiæ, qui hortaturus esset populum, ad parandam viã Deo Iehouæ. Sic de eo scribit: *Vox clamans, vel clamantis in deserto: Parate viam Iehoua: rectã facite in solitudine semitã,* לאלהינו, *Deo nostro.* Euãgelistæ autem omnes scribunt Iohan. Baptistam fuisse hunc, de quo vaticinatus est Iesaias. Ac constãter docent, Christum esse eum, cui Ioh. Baptista, tanquam præcursor præparauit populum: pœnitentiam prædicando, & fidem in Iesum Christum. Mat. 3. 4. Luc. 3. 4. Ioh. 1. 23. Quia igitur non videat Iesaiam nomine Iehouæ, & Elohenu intellexisse Christum: sicut nomine, vocis clamantis in deserto, ipsum Ioh. Baptistã? Interpretes enim Iesaiæ quatuor habemus fidissimos, Matthæum, Marcum, Lucam, Iohannem. Ita videmus, si Prophetas per Apostolos interpretemur: quo interpretationis genere nihil certius, aut verius esse potest: Christum facile inueniri, in veteri Testamento, pro vero Iehoua: eoque pro vero Seruatore à Prophetis agnitum fuisse.

Alterum est, vbi iubet Hierosolymæ, vt hunc in modum prædicet ciuitatibus Iuda, *Ecce* אדני יהוה, *cum potentia veniet: & brachio suo dominãs* (eti) *sibi*: hoc est, *dominabitur per sese. Ecce merces: &c.* Quàm bellè hæc cohæreãt cũ præcedẽtibus, liquidò apparet, si Euangelistarũ (qui vt dixi, Prophetarũ sunt interpretes) historias legamus. Primum Ioh. Baptista præparauit populũ Christo Iehouæ, & Elohenu. Tum verò Christus, tãquam Pastor, suũ cœpit facere officiũ. Cœpit enim prædicare, & verbo pascere gregẽ suum: colligere agnos, suo bracchio, suàque manu & potentia: de qua dicebat: *Nemo eas potest rapere de manu mea.* Io. 10. 28. Annõ quæ Ioh. scribit de Christo Pastore, ea apertè docent, Christum eum ipsum esse, de quo vaticinatus est hic Iesaias? Adde quòd ipse etiam Christus sic loquitur in Apoc. 22. 12. dicẽs, *Ecce venio citò: Et merces mea mecum est.* Cum iis consonãt, quæ idẽ Propheta subdit v. 12. & 13. Docet enim Iehouã conditorem per sese cœli & terræ fuisse, suaque sapientia omnia fecisse, citra vllius concilium. Ac inter alia sic ait: *Quis direxit*, hoc est, instruxit? *Spiritum Iehoua?* Græcè habet τίς ἔγνω νοῦν κυρίου, &c. Apostolus autem 1. Cor. 2. 16. hæc ita citat, vt ea interpretetur de Christo. Primum enim ait iuxta versionem 70. τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου: hoc est, Iehouæ? quasi dicat, nemo per sese. Deinde mox subdit: ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν: quasi dicat, sed nos, qui in Christum credimus, tenemus eius mentem. Idem igitur fuit Apostolo mens κυρίου: hoc est, Iehouæ, & mens Christi: eoque intellexit apud Prophetam Iesaiam, Christum fuisse Iehouam. Id quod inde etiam clariùs elucescit: quòd Iesa. in eo capite, de Christo (vt iam vidimus) loquutus fuerat. Ita apparet, Christum à Propheta prædicari Iehouam creatorem cœli & terræ.

### *VIII. Loc. 29. ex Ies. 43. v. 10. & 11. & vers. 23. &c.*

IEhoua ait sicut ipse solus est Iehoua, sic se solũ esse Seruatorem: id quod alibi quoque sępe legimus. Vbique autem in nouo Testamento, Christus vocatur, & quidem verè ac propriè, Seruator. Vnde Samaritani, Ioh. 4. 42. *Nũc nouimus*, inquiunt, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου ὁ χριστός. Duo fatentur. Vnum, Christum, seu Messiam, debuisse esse verè Mundi Seruatorem. Vnde hoc nouerãt nisi ex libris Mosis, & Prophetarum? Alterum, hunc Iesum esse illum Christũ, eoque verè Seruatorem Mundi. Moses verò & Prophetæ semper inculcãrunt, nullum esse verè Seruatorem, nisi Iehouam: proinde cum nomine Seruatoris ferè coniungunt nomen Iehouæ. Quomodo igitur potest Christus dici verè Seruator, si non sit Iehoua? Adde quod vim habet articulus ὁ σωτὴρ *ille Seruator*, nempe: qui in Prophetis dicere solitus erat, præter se nullum esse Seruatorem. Nam si dicas, Christum Seruatorem vocari ea tantùm de causa, quia per eum, vt instrumentalem causam, Deus seruauit mundum: nihil dices. Ita enim nũquam fuerit ἀληθῶς, sed impropriè admodũ, Seruator. Cõiunge modò cũ his, quæ idẽ Iehoua de se subdit

subdit,verſ.23.& 24.vbi eleganti antitheſi ſic ait ſuo populo: *Non feci te ſeruire in oblatione, & non fatigaui te in thure. Verùm tu me fecisti ſeruire in peccatis tuis. & fatigasti me in iniquitatibus tuis. Ego,ego ipſe deleo præuaricationes tuas, propter me.* Noui quid dicant interpretes,humano ſcilicet more, & per ἀνθρωποπάθειαν quandam loqui Iehouam. Sed iſta non efficient vnquam, quin vaticinium iſtud impletum ſit in Chriſto: & ideò de Chriſto intelligi debeat. Nam Chriſtus,cùm in forma Dei eſſet, exinaniuit ſeipſum propter nos:factuſque homo eſt, forma ſerui ſumpta: hoc eſt, factus eſt verè ſeruus, & verè ſeruiuit propter peccata noſtra, factus obediens Patri, vſque ad mortem. Phil. 26. Deinde verò idem ipſe peccata noſtra ita ſuo ſanguine expiato condonat, non propter merita noſtra, ſed propter ſe, hoc eſt,propter merita ſua,paſſionem, & mortem ſuam.Ita optime hæc duo, quæ hic prædicat Propheta de Iehoua: vnum quòd ſeruierit in peccatis noſtris: alterum quòd illa remittat propter ſe: competunt in Chriſtum. Quia cùm ſit Deus manifeſtatus in carne, verè & ſeruiuit in peccatis,id eſt,propter peccata noſtra: & delet iniquitates propter ſe:hoc eſt, propter ſuum ſanguinem, meritaque ſua, non autem aliena. Alioqui Chriſtus, ſi purus eſt homo, & non etiam Iehoua: quomodo verum eſt, quod ait Iehoua, ſe delere iniquitates noſtras propter ſe: cùm manifeſtum ſit in Scripturis, eas deleri propter Chriſtum? Eſt igitur neceſſe,vt aut falſum ſit, quod ait Iehoua, ſe excluſis omnium meritis, delere iniquitates propter ſe,nempe ſolum: aut Chriſtus ſit ipſe Iehoua,qui propter ſe,hoc eſt, propter ſuam obedientiam, & ſeruitutem,qua factus homo ſeruiuit in peccatis noſtris, noſtra deleat peccata. Hoc verò conſentaneum eſt cum ſacris literis. Vbi legimus,Chriſtum lauiſſe nos in ſanguine ſuo Apoc. 1. 5. & ſeipſum expoſuiſſe pro Eccleſia (ecce Chriſti ſeruitutem in peccatis noſtris) vt eam ſanctificaret,poſtquam purgaſſet, &c. Epheſ. 5.2. En deletionem iniquitatum noſtrarum,propter ſe,id eſt, propter ſuum ſanguinem.Item Deum redemiſſe Eccleſiam ſuo ſanguine: Act.20.28.& alia id genus infinita:quæ vtrumque docent, nempe Chriſtum factum eſſe ſeruum, ſeruiſſéque propter peccata noſtra, & eundem ea delere propter ſe ipſum,h.e.propter ſuam mortem. An non hac ratione optimè conſentiunt inter ſe, & ſuauem gignunt harmoniam Scripturæ veteris & noui Teſtamenti? Ac ſi iuxta regulam Chriſti, ita ſcrutemur Scripturas,vt quæramus Chriſtum:& quæſitum,ductu Apoſtolorum,in eis illum inueniamus:quis homo improbare queat, taléṁque Scripturarum interpretationem damnare? Eſt enim finis & ſcopus omnium Scripturarum,Chriſtus.

*IX.Loc.30 ex Ieſ.44.v. 6.Sic dicit Dominus,rex Iſraelis,& redemptor eius:Ego primus,& ego nouiſſimus,&c*

QVomodo hoc poteſt obſecro, de ſolo Patre intelligi, vt Chriſtum excludas? Certe Chriſtus Rex Iſraelis, & eius Redemptor appellatur in nouo Teſtamento.Et Chriſtus ipſe nunquam negauit, ſe Regem eſſe Iudæorum, ſed affirmauit: verùm non talem, qualis accuſabatur à Iudæis ſed Regem Spiritualem, Regem æternum, cuius regnum non eſſet de hoc mundo, vnde & prouidentia Dei factum fuit, vt Pilatus titulum non mutauerit, vbi ſcripſerat, Ieſum Nazarenum regem eſſe Iudæorum: quanquam id Iudæi poſtularent Io.19 19.&c.De redemptione,& Redemptoris nomine, quod Dauid vaticinando promiſerat de Iehoua, dicens, *Et ipſe redemit Iſrael ex omnibus iniquitatibus ſuis*:Pſ.129.8. Apoſtolus ad Titum, impletum in Chriſto docet,dicens,eum apparuiſſe,vt nos redimeret ab omni iniquitate.Tit.2.14.Ioh.verò,vt antè viſum eſt,apertè ſuum Redemptorem vocauit Chriſtum,Deum,qui in carne manifeſtādus erat ſupra puluerem ſurrecturus:& quem ipſe ſuis ſe oculis viſurum dicebat.De nomine Dei quid dicam? Chriſtus paſſim prædicatur ab Apoſtolis Deus, Deus verus, Deus magnus, Deus ſuper omnia benedictus, Deus manifeſtatus in carne,Deus qui redemit Eccleſiam ſanguine ſuo.Ioh.5.20. Tit.2.13.Rom.9.5.1.Tim.3.16.Act.20.28. Poſtremò Chriſtus ipſe in Apoc.quod hic ait Iehoua, *Ego primus, & ego nouiſſimus*,idem de ſe dicit,idque iiſdem planè verbis vſus. Apoc. 22.13. Quomodo igitur, quæ hic ſcribit Ieſaias de Iehoua, de ſolo Patre intelligi poſſent? Quomodo præter Patrem non eſt Deus? An non Chriſtus Deus vocatur verus? Si propter officium tantùm, aut propter donorum plenitudinem & participatiõne Deitatis,eo ſane modo quo etiā nos dicit Petrus 2.Pet.1.4.participes eſſe diuinæ naturæ. Chriſtus ſit Deus:certè verus Deus non eſt:& impiè loquutus Iohan.qui eum vocat Deum verum. Io.5.20. Si autem verus eſt Deus, non excluditur ergo à nomine Iehouæ, neque Pater ſolus ipſe eſt Iehoua.

*X. Loc.31.ex Ieſ.45.verſ.22.& ſequent.*

SEd quid grauius quæſo, quid præſtantius,quid luculentius dici à Propheta potuit, quo Chriſtum, vt Seruatorem,& Iudicem, ſic etiam verum Iehouam eſſe prædicaret, illo quod ſcriptum reliquit de iuramento, quo iurauit Dominus, omne genu ſibi curuatum iri? Certè ſi Paulus Apoſtolus verus eſt interpres Ieſaiæ: manifeſtum eſt, quæ ibi de Iehoua narrat Propheta, ea omnia competere in Chriſtum:eoque Chriſtum verum eſſe Iehouam, Seruatorem Iſraelis.Rom 14 11.Omitto quod in v.15. Propheta ad Deum conuerſus ait, *Verè tu es Deus abſconditus: Deus, Iſraelis Seruator.* Conſtat Chriſtum Seruatorem eſſe Iſraelis.Ergò & illus eſt Deus.Sed Deus erat abſcōditus,qui poſteà(vt Paulus docet)manifeſtatus eſt in carne.1.*Tim*.3.16.Neque enim omnibus tunc notus erat Chriſtus: quod ipſe eſſet & verus Deus, & verus Seruator: quemadmodum neque nunc omnibus notus eſt, ſed multis abſconditus: vſque adeò vt vita etiam noſtra,quam ſcilicet nobis ipſe acquiſiuit,abſcondita ſit cum ipſo Chriſto in Deo:vt ait Apoſtolus Col 3.3. Verùm ſeſe manifeſtat quibus vult,h.e. electis,& veris diſcipulis ſuis: qui ſcilicet in ipſius verbo acquieſcunt,quique eum diligunt:ſicut ipſe ſe facturum eſſe promiſit. Omitto, inquam,hoc Prophetæ dictum: quòd certè in Chriſtum optime quadrat.Omitto & illud,quod ait Iehoua: *Reſpicite ad me,& ſeruemini omnes fines terræ*,&c.Hoc eſt enim quod etiam Chriſtus, Deus ſcil. primò abſconditus, deinde manifeſtatus in carne dicebat:*Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis*(nempe peccatis)*& ego reficiam* (hoc eſt,ſeruabo) *vos*.Mat.11.28. Non eſt enim aliud nomen ſub cœlo,in quo oporteat nos ſaluos fieri,niſi nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.Act.4.12.Hic eſt vnicus Seruator,eóque vnus cum patre Deus.Omitto,inquam,etiam hoc. Sed quod ſequitur, & quod ab Apoſtolo pro Chriſto adducitur,prætermitte non poſſum:*Per me iuro* (inquit Iehoua) *egredietur ex ore meo verbum iuſtitiæ,& non reuertetur* (hoc eſt,iuramentum meum,ratum ac certum erit,& irreuocabile:quid iurata?) *quod mihi incuruabitur omne genu,& iurabit*(mihi)*omnis lingua*.Nouimus hunc eſſe ſenſum:Efficiam,vt omnes me pro ſuo vero, & vnico Deo agnoſcant, & adorent. Et id omnis lingua confiteatur,iuraméntoque ſeſe mihi obſtringat.Omnes,inquam, nempe ex omnibus gentibus electi. Hoc verò tum demum fieri cœpit, quum poſt acceptum Spiritum ſanctum Apoſtoli per totum terrarum orbem Chriſtum prædicārunt:& omnes gentes huic curuārunt genua:cum pro ſuo vero Deo, & Seruatore agnoſcentes:in Baptiſmatis Sacramento ſeſe huic iureiurando obſtringentes: baptizati in nomen Patris, Filij & Spiritus ſancti, vnius eiuſdemque Iehouæ. Perficietur verò,& vltimum accipiet complementum: quum omnes omnium gentium, omniumque ſeculorum homines ſiſtentur ante tribunal Chriſti, in fine ſeculi: vt huic, tanquam Iudici, omnes ſuorum factorum reddant rationem. Tunc enim omnes, etiam qui nunc eum blaſphemant,cogentur, voluerint, noluerint,agnoſcere,& & confiteri, Chriſtum Deum eſſe & Iehouam. Et huc reſpexit Apoſtolus,quum verba Prophetæ ad Chriſtum retulit: ſicut contrà ad initium ipſius regni Chriſti, quum dixit datum illi eſſe,vt omnia ei curuentur genua.Phil.2.9.Quid igitur clarius, quidve luculentius, quàm Chriſtum eſſe illum Iehouam,de quo loquitur Ieſaias: qui ſcilicet creauit cœlos, qui formauit terram,qui hominem creauit ſuper eā: qui Deus eſt abſconditus:qui iurat per ſe ipſum? Adde & quæ ſequuntur apud Prophetam *Tantùm in Iehoua mihi* (dicet) *iuſtitiæ ſunt,& fortitudo:Ad eum vſque veniet,& confundentur omnes,qui ad iram prouocant illum,&c.* Quid verò aliud docent Apoſtoli, quàm in ſolo Chriſto noſtram eſſe iuſtitiam,noſtrámque fortitudinem,atque vires:& in eo ſolo nos poſſe gloriari? Hac de cauſa omnes ad Chriſtum veniunt, qui volunt iuſtificari:hoc eſt,omnes electi, nomine Iſraelis iuſtificari: Chriſtus igitur verus Iehoua. Quare videant, quid agant noſtri הנחרים qui naſo Chriſtum ſuſpendunt: cum pro nudo homine agnoſcentes,& prædicantes. Nam de iis ſic ait Propheta; *Et confundentur omnes* כל הנחרים בו. Neque eſt quòd calumniatores obiiciant, quod de Chriſto ſcribit idem Apoſtolus ad Phil.datum eſſe illi homini propter obedientiā,vt ei curuentur omnium genua:non autem, quia Deus ſit Iehoua. Cōſtat enim Apoſtolum hac locutione,flectēdi genua,veram adorationem, qua Deus adoratur, exprimere voluiſſe; ſicut etiam ad Rom. vt quum inducit Deum dicentem:*Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal*:hoc eſt, qui adoratione & cultum mihi debitum,ſculptilibus non præſtiterunt,Rom.11.4.

Est autem extra controuersiam, si Christus purus homo sit, talem ei adorationem non conuenire, nec deberi. Non ergò intellexit Apostolus, Christo puro homini propter suam obedientiam, datum esse, vt ei curuentur omnium genua, Sed illum dicit exaltatum esse, qui cum in forma Dei esset, exinaniuit seipsum; & factus homo, obediens fuit Patri vsque ad mortem. Quis autem iste fuit? Deus manifestatus in carne. Hunc igitur dicit Apostol. fuisse exaltatum: hoc est, non solùm eius carnem à mortuis excitatam, glorificatam, in cœlos subductam, & super omnes Angelos collocatam; vt etiam illi, respectu diuinæ naturæ, cui ἀσυγχύτως coniuncta est, curuentur, curuandaque sint omnium genua: Sed etiam idque inprimis personam illius, qui in forma Dei existens, suam quasi gloriam nostra causa deposuerat, exaltatam, hoc est, declaratam, & patefactam fuisse Dei Filium verumque Deum.

### *XI. Loc. 32. ex Ies. 54. vers. 1. & sequent.*

PRomittit Iehoua, se reliquias Iudæorum propter suam infidelitatem reiectorum, denuò assumpturũ, & in nouum matrimonium ducturum; & eo ex noua sponsa multo plures se liberos suscepturum, quàm ex priore repudiata. Sic incipit: *Iubila sterilis, quæ non paris, prorumpe in canticum quæ non parturis: quia plures erunt filij desolatæ, quàm maritatæ, inquit Iehoua.* Postea versi. 5. sic ait, כי בעליך עשיך יהוה צבאות שמו וגאלך קדוש ישראל אלהי כל הארץ יקרא. hoc est, *Nã maritus tui, factores tui* (ad plurale Elohim alludit) *Iehoua Zebaoth nomen eius. Et Redemtor tuus Sãctus Israelis, Deus totius terræ vocabitur.* Ex iis & aliis ibidem verbis liquidò apparet, Deum Iehouam promittere se futurum sponsum Ecclesiæ, quæ post reiectos Iudæos, ex eorum reliquiis ad extremum erat colligenda: & perpetuò se vocat גאל, redemptorem. Atqui omnes Scripturæ noui Testamenti tradunt, Christum esse sponsum totius Ecclesiæ, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus collectæ, aut colligendæ. Iohan. Baptista hoc testificatur Io. 3. 29 Paulus etiam Ephes. 5. 31. Omnes verò perpetuò hunc vocant Redemptorem, & σωτῆρα.

### *XII Loc. 33. ex Iesa. 62. vers. 1. & insequent.*

EXcitat Ecclesiam Sionis Propheta, quæ ceu in puluere iacebat, quum esset in Babylone: & hortatur, vt surgat, & splendorem veræ redemptionis, libertatis, & salutis induat, quæ futura tandem erat per Christum: typo autem illius ex Babylone, adumbrata. De hac enim vera redemptione, quæ per Christum facta est, Prophetam loqui, manifestum est: quoniam ait simul ac liberati ipsi fuerint, Gẽtes quoque ex omnibus Mundi partibus ad hãc lucis & Salutis participationem aduolaturas. Est autem extra omnem controuersiam, vocationem Gentium non futuram fuisse, nisi post aduentum Christi. Porrò Redemptorem, ex hac spirituali, peccati scilicet & Satanæ, & mortis captiuitate, vocat Iehouam: & hanc redemptionem gloriam Iehouæ. Ergo non video, quomodo non hinc euincatur, Christum huius redemtionis autorem, verum esse Iehouam: spectatis præsertim, quæ antè dicta sunt ex Iobo, & ex hoc eodem Propheta de Redemptore, & seruatore Ecclesiæ.

Etsi verò passim Propheta iste excellentissimus, Christum nobis, vt verum Iehouam, prædicet, ac quasi digito demonstret: vt non immeritò Patribus dictus fuerit esse, ceu quintus Euangelista: tamen plura non addam: Quoniã quæ in medium attulimus, satis superque esse iudico, ad fidem piis faciendam: ipsi quoque Iesaiæ, perspectam fuisse veram, æternamque Christi Deitatem. Ac proinde Christum non minùs verum fuisse Iehouam, quàm Patrem: imò ipsum cum Patre, & vtriusque Spiritu, vnum eundemque fuisse Deum Iehouam, Iesaiæ. Idem aliis quoque Prophetis notum fuisse, ex ipsorum scriptis, si in iis Christi gloria quæratur, facilè est colligere.

### *XIII. Loc. 34. ex Ier. 9. vers. 23 & sequent.*

HIc Iehoua primò vetat nos gloriari in vllis rebus creatis: deinde iubet nos totam gloriam nostram collocare in ipso Iehoua: quòd ipse sit solus, vnde nostra pendeat salus. Ipse enim solus est ille, qui facit misericordiam, iudicium, iustitiam. Nam in tribus nominibus, sapientia, fortitudine, diuitiis, complectitur illa tria bonorum genera, in quæ philosophi omnia bona distribuerũt: bona animi, corporis & fortunæ. Non vult igitur, vt gloriemur, aut in nostra sapientia, hoc est, in vllis animi bonis; quæ omnia συνεκδοχικῶς complexus est nomine præstantioris boni, quod est sapientia: aut in fortitudine corporis, id est, in vllis corporis bonis, siue forma sit, siue valetudo: quæ omnia nomine præstantioris partis, fortitudinis scilicet intellexit: aut denique in diuitiis externisve bonis. Excludit igitur omnem ab omnibus creatis rebus gloriationem, & fiduciam. Sed porrò iubet, vt gloriemur in Iehoua, & in eius cognitione: quòd scilicet is solus sit misericors erga nos, & seruet à peccatis per misericordiam, quòd faciat iustitiam, suos scilicet defendendo; & iudicium impios plectendo. Apostoli autem, atque in primis Paulus & gloriantur semper, & docet gloriandum esse in solo Christo, eiusque cognitione: quod per hunc consecuti simus misericordiam & salutem. 1. Cor. 1. 31. 2. Cor. 10. 17. Gal. 6. 14. Testimonia passim occurrunt in nouo Testamento. Neque dubium est, quin idem nouerit Ierem. quod & Paulus. An non igitur apertè indicauit vterque, Christum, in quo solo à nobis cognito gloriandum est, verum esse Iehouã?

### *XIV. Loc. 35. ex Ier. 23. vers. 5. & 6.*

ECce dies veniunt (de tempore noui testamenti loquitur) *ait Iehoua: & suscitabo Dauidi germen iustum* (hic est Christus) *Et regnabit rex, & prudenter aget; faciet iudicium, & iustitiam in terra. Diebus eius seruabitur Iuda, & Ierusalem habitabit in fiducia* (id est tranquillè) *& hoc nomen, quo vocabũt eum* יהוה צדקנו: Locum hunc intelligi de Messia, hoc est, de Christo, extra controuersiam est apud omnes pios: Imò Iudæi etiam plerique omnes fatentur. Hic est enim illud germen iustum, quod excitandum erat Dauidi: quando nemo è familia Dauidis natus est, qui verè iustus fuerit, & qui non multum aberrarit à via, in qua ambulauit Dauid (vt in libris Regum videre est) præter Christum. Duo autem præcipua describit capita de Christo. Eius nimirum personam, duabus constantem naturis; humana, & diuina: Et proprium ipsius officium. Humanam describit naturam, quum ait, *suscitabo Dauidi germen.* Ergò secundum carnem, est ex semine Dauidis. Et qualis nam homo erit? Iustus sine vllo prorsus peccato. ideò ait: *Germen iustum,* hoc est, etiam quum incipiet esse germen Dauidis, id est, homo, erit iustus. Diuinam verò describit, quum ait. *Et hoc est nomen quo vocabunt eum,* scilicet verè, יהוה hoc est verus cognoscetur esse Iehoua. Hoc est primum. Officium verò docet, vt electos seruet, eos semper regat, & beata donet vita: idcirco primum ait, *regnabit Rex, & prudenter aget,* id est, omnia aget summa cum prudentia, & sapientia: quia omnia ex voluntate consilioque Patris. Deinde subdit, *Faciet iudicium & iustitiam in terra.* Hæc est enim altera virtus cuique principi necessaria, nempe æquitas, & iustitia. Quid hinc sequitur? Salus sui populi, & securitas, non illa carnis vitiosa, sed salutaris, nempe Spiritus; Ideò subdit, *Diebus eius seruabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidenter,* id est tranquilla viuet conscientia, donec tandem summa fruatur pace in cœlo. Nam ex iustificatione per Christum tranquillitas, & pax conscientiæ oritur, vitamque æternam consequimur. Ait præterea, appellatum eum iri, צדקנו iustitiam nostram. Hæc etiam particula ad officium pertinet. Describit enim per quem, & quomodo iustificemur: nempe per Christum, quatenus ipse suam nobis communicat iustitiam: imò nostra est (vt Apostolus docet) iustitia, & sanctificatio. 1. Cor. 1. 30. Est igitur hic locus insignis pro Deitate Christi: non solum, quia apertè vocatur Iehoua: verùm etiam, quia iustitia est & dicitur, nos iustificans, peccata condonans, sanctificans, regenerans, & ad studium iustitiæ accendens. Quis enim hæc præstare queat, nisi Deus? Idcircò meritò priori loco eum vocat Iehouam: deinde iustitiam nostram. Proinde tã à nomine צדקנו, quod est nomen officij Christi: quàm à nomine יהוה, quod est nomen essentię diuinæ, optime possumus concludere, Christum verum esse Deum Iehouam. Exceptiones, quibus Antichristi contendunt vocatum fuisse impropriè & officij duntaxat ratione. Iehouam, diluentur, & vanissimæ esse demonstrabuntur suo loco.

### *XV. Loc. 36. ex Ier. 31. ver. 31. & insequent.*

IEhoua promittit, se nouum fœdus inter se, & suum populum facturum, dicens: *Ecce dies veniunt, dicit Iehoua, & percutiam cum domo Israel, & cum domo Iuda, nouum fœdus,* &c. Hoc esse vaticinium de nouo Testamento, quod sanguine Christi confirmatum est, & quod consistit in remissione peccatorum, propter Christum: & in regeneratione per Spiritum Christi, nemo dubitat, quia hunc locum etiam ad hoc propositum citat Apostolus ad Heb. 8. 8. Iehouam porrò esse illum, qui hoc nouum promittit fœdus: dilucidè docet Ier. Iehoua enim loquitur, & ait. *Ego percutiam &c.* Apostolus autem ad Heb. nõ tam vocat Christum huius noui Testamenti

menti Mediatorem, quàm etiam docet esse Testatorem: cuius morte opus fuerit, ad confirmandum, & ratum faciendum testamentum. Heb. 9.15. Sic enim ait Apostolus: *Itaque ob id noui fœderis Mediator est* (Christus) *vt morte intercedente promissionem accipiant. Nam vbi testamentum est, mors intercedat testatoris necesse est.* Viden' hic Christum & vocari Mediatorē, & demōstrari testatorem noui Testamēti? Alioqui, si non esset ipse testator, non valeret argumentum Apostoli; quo conclusit, ad confirmationem noui Testamenti, opus fuisse morte Christi. Argumentum enim Apostoli tale est: Vbicunque est testamentum aliquod, ibi opus est intercedat mors testatoris: nimirum si debeat esse firmum, & ratum. Testamentum enim in mortuis ratum est, quandoquidem nondum valet testamentum, dum viuit testator.

Atqui hîc habemus nouum Testamentum, de remissione peccatorum, & de scribenda lege in cordibus, & de habenda æterna hereditate; sicut promissum est per Ierem. Hanc minorem superiùs in cap. 8. posuit.

Ergo, vt hoc testamentum esset firmum, necesse fuit, vt testator moreretur, & suo sanguine atque morte testamentum efficeret ratum, atque æternum.

Si hoc Apostoli argumentum concludit, sequitur necessariò, Christum esse non solùm mediatorem, sed etiam testatorem, auctoremque huius noui fœderis, quod promissum fuerat, eóque verum esse Iehouam.

*XVI. Loc. 37. ex Ezech. 16. vers. 60. & sequent.*

IEhoua, posteaquam accusasset suum populum de grauissimis sceleribus, deque fœdissima ingratitudine, & nonnulla etiam flagella minatus fuisset, tandem in vers. 60. incipit consolari electos, dicens, se tamen futurum memorem sui fœderis quod pepigerat cum illo, diebus suæ adolescentiæ, hoc est, quum eum eduxit ex Ægypto, & se hoc fœdus stabiliturum, & effecturum, vt sit perpetuum. Loquitur enim de fœdere nouo, de quo antè per Ierem. 31. 31. &c. Verba Prophetæ sic habent: *Et recordabor* (tamen) *fœderis mei* (quod Pepigi) *tecum in diebus adolescētiæ tuæ:* בריתי אותך *& stabiliam tibi fœdus perpetuum.* עולם הקי Et idem repetit, v. 62. dicens: *Et stabiliam* (seu confirmabo) *ego fœdus meum tecum, & cognosces, quod ego Iehoua*, hoc est, Et quum senseris fœdus meum tecum esse firmatum, iuxta mea promissa, tum demum agnosces reuera, me esse verum Iehouam, qui ita te amo, & fidelis sum in meis promissis, vt noluerim te perdere, licet promeritus hoc fueris. Verus igitur Iehoua est ille, qui promittit fœderis confirmationem. Atqui Christus ille ipse est, qui fœdus confirmauit, & stabiliuit cum electis, fecitque æternum, vt docet Apostolus & iam demonstratum est. Hebr. 9.15. Neque hoc certè ignorauit Ezechiel. Quis enim sua morte illud confirmauit, nisi Christus? Christus igitur vnà cum Patre, est ille Iehoua, qui per Ezechielem promiserat, se confirmaturum, & stabiliturum in æternum fœdus testamentúmque suum. Atque hoc indè magis perspicuum fiet, si consideremus quibusnam in rebus sita sit substantia huius fœderis: & proindè quibus fit, vt sit perpetuum, in remissione nimirum peccatorum, & in regeneratione per Spiritum sanctum, quę significatur inscriptione legis in cordibus nostris. In iis duabus rebus sita est substantia noui fœderis, & iis duabus rebus fit perpetuum: vt liquet ex Ierem. 31. & Hebr. 8. Vbi enim peccata omnia condonantur, & Spiritus sanctus in perpetuum datur, quò fiamus nouæ creaturæ, ibi fœdus manet perpetuum. Ablata siquidem causa, qua aboletur fœdus, aufertur etiam effectum, hoc est, ipsa abolitio, & ita fœdus maneat perpetuum necesse est. Peccata autem causa sunt, vt aboleatur fœdus. Vbi igitur est remissio peccatorum, & inchoata obedientia, ibi perpetuum manet fœdus. At verò quisnam ille est, qui abstulit peccata mundi, & dat Spiritum sanctum, quo regeneremur, & viuamus iustitiæ? Christus, vt Petrus docet, dicens, *Ipse tulit peccata nostra super lignum* (ecce primum) *vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Ecce alterum. 1. Pet. 2. 24. Certum igitur est, Christum illum esse Iehouam, qui per Ezech. se stabiliturum & confirmaturum in æternum fœdus cum suo populo, promiserat. Nam si dicas, Pater promisit, & idem etiam illud confirmauit per mortem Christi, Ego cum Apostolo regeram. Testamentum nullum esse ratum nisi confirmetur morte, non alterius, sed ipsiusmet Testatoris: Verum quòd aduersarij non cognoscant, Christum verum esse Iehouam hoc ideò fit, quia non sentiunt in seipsis per mortem Christi, confirmatum secum esse fœdus de remissione peccatorum, idque Legis in cordibus inscription. Illi enim soli norunt verè, Christum esse Iehouam, qui sentiunt per Christum sibi condonata esse peccata, & se per Spiritum Christi esse renatos, idque proptereà, quod norunt, hæc non posse præstari, nisi ab illo qui sit Deus, & verus Iehoua. Ideo rectè adiecit Iehoua illam particulam: *Et scietis, quod ego Iehoua*, hoc est, Et quum videritis, senseritisque ex remissione peccatorum, & ex renouatione cordis, fœdus per me esse confirmatum vi meæ mortis, & sanguinis, tunc agnoscetis me esse Iehouam. Qui igitur nondum agnoscunt, Christum verum esse Iehouam, hos constat nondum esse renatos, neque sentire, sibi esse remissa peccata per mortem Christi.

*XVII. Loc. 38. ex Ezech. 36. v. 22. & sequentibus.*

PRomittit Iehoua, se populum suum, id est, electos dispersos inter gentes, congregaturum ex omnibus terris, & in terram suam, quam dederat etiam patribus, eos reducturum. Item daturum illis suum Spiritum, quò possint ambulare in suis præceptis. Sic enim ait: *Idcirco dic domui Israel, sic dixit Dominus Iehoua: Non propter vos facio, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus ad quas venistis*, &c. vsque ad v. 29. Quatuor præcipua iis verbis promittit Iehoua: primùm, se omnes electos, ex omnibus mundi partibus congregaturum in vnum corpus, & in vnam Ecclesiam: secundum, se omnes hos mundaturum à peccatis omnibus: tertium, se iis daturum suum Spiritum, per quem exuti veterem hominem, & facti nouæ creaturę, incipiant seruare legem, & ambulare in præceptis Dei: quartum, se tandem effecturum, vt habitent in terra illa, quam dedit patribus, id est in cœlo: vt ad Hebr. explicat Apostolus. Heb. 11. 16. Quis autem, obsecro, hæc præstitit? an non Iesus Christus? Principio, Christus ille est, qui congregat omnes Electos, ex omnibus mundi partibus, in vnum ouile, in vnam Ecclesiam, in vnum corpus, dum efficit illos membra sua, vi suæ mortis. Iohannes interpretans verba pontificis, *Expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo, & ne tota gens pereat:* hoc docet dicens: *Hoc autem a semetipso non dixit: Sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus esset pro gente* (scilicet Iudaica) *& non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, id est, omnes electos, qui erant dispersi inter gentes vbique terrarum, congregaret in vnum*: congregaret, inquam, ipse Christus. Ioh. 11. 50. &c. Viden' quod promiserat Iehoua in Ezech. hoc Christum implere? ideò comparat se gallinæ quæ congregat pullos sub alas Matth. 23. 37. Ad alterum quod attinet, idem Christus nos à peccatis mundat: docet hoc idem Ioh. *Sanguis Christi* (inquiens) *emundat nos ab omni peccato.* 1. Io. 1. 7. & clariùs in Apoc. 1. 5. *Ipse lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Tertium quoque promissum Iehouæ præstat Christus. Is enim suum nobis communicat Spiritum, quo possimus in præceptis Dei ambulare, vt docet Ioh. Baptista, dicens, *De plenitudine eius* (nempe Spiritus, qui est in Christo non ad mensuram) *nos omnes accepimus.* Io. 1. 16. Quisnam postremò est, qui introducit electos in cœlum, & efficit vt ibi habitent in perpetuum? Christus: *Nemo ascendit in cœlum*, &c. Io. 3. 13. Item Christus introducet omnes electos in cœlum, dicens, *Venite benedicti.* &c. Matth. 25. 34. Cùm igitur videamus apertè in nouo Testamento, Christum illum esse, qui totam hanc promissionem impleat, quæ est apud Ezechielem: qui autem promisit se hæc omnia facturum, verus sit Iehoua: Et qui præstet promissum, idem omninò esse debeat, qui etiam promisit se præstiturum: Quis non videat, Christum, vnà cum Patre illum esse Iehouam, qui locutus est per Ezechielem? Subdit in fine, *Ero vobis in Deum*, &c. An non Christus factus est noster Deus, & nos eius populus? Apud Ioh. Thomas ait *Deus meus.* Io. 20. 28. Et Matt. 1. 21. *saluum faciet populum suum, &c.*

*XVIII. Loc. 39. ex Dan. 2. vers. 1. & sequent.*

VIderat in somnis Nabuchadnezar rex statuam magnam, cuius caput aureum, pectus & brachia argentea, venter, & femora ærea, crura ferrea, pedes partim ferrei, partim fictiles: Posteà vidit lapidem excisum è monte sublimi, qui irruit in statuam, & totam contriuit, & dissipauit: & ipse creuit in montem magnum. Daniel, cùm interpretatur somnium, docet statuā illā significari omnia mundi regna, quæ in quatuor monarchias erant vsque ad Christum diuidenda. Lapidem verò illū interpretatur Christum, quòd is monarchiam Romanorum esset euersurus, & ita omnibus regnis mundi tandem destructis, suum regnum in æternum firmaturus. Cur verò Christus lapidi è sublimi monte sine manibus hominum exciso comparatus est? propter naturam diuinam. Descensu verò in terram, incarnatio eius significata fuit. Voluit enim ipse Filius Dei apparere Nabuchadnezari, in forma lapidis: non simplicis lapidis è terra accepti, sed lapidis è sublimi monte sine manibus excisi: vt

indicaret se non esse è terra, sed è cœlo, vnde dicebat: *Ego de supernis sum: &c.* Io.8.23. omnia verò regna Mundi esse è terra, vnde aurum, & argentum, æs, ferrum eruitur: sed regnum Christi esse è cœlo, & cœleste. Quatenus igitur voluit apparere in forma vilis lapidis, significare voluit suam humilitatem in carne: & suum regnum in oculis Mundi, & principum huius seculi, futurum fuisse humile, vile, & abiectum: cum reliqua regna videantur magnifica, aurea, argentea, ænea, ferrea, id est, potentia. Sed quatenus apparuit in specie lapidis, non è terra sumti, sed è sublimi monte excisi, sine cuiuspiam manu: procul dubio indicare voluit, suam originem esse à Patre: ex quo natus est sine vlla corruptione: eoque ostendere voluit, se verum esse Deum, eiusdem naturæ cum patre. Ioh. hoc totum explicat, dicens, *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.* Io.1.3.8. Audi & Paulum ad Phil.2.6. *Qui cum in forma Dei esset.* (Ecce lapidem in monte) *Exinaniuit seipsum, forma serui sumta* (Ecce descensum lapidis è monte) *Factus obediens vsque ad mortem,* qua scilicet destruxit eum, qui habebat mortis imperium. Heb.2.14. Ecce euersionem statuæ. *Propter quod & Deus exaltauit illum.* Ecce lapidem qui creuit in montem magnum. Non me tamen latet, ex huiusmodi visionibus Propheticis, firma argumenta, ad dogma aliquod probandum, præsertim tale, quale iam tractamus, colligi non posse. Proinde neq; ego hæc attuli, vt iis euincam aduersus Arianus Christum vnum esse Deum, sed tantùm, vt piorum animi magis ac magis in veritate confirmentur. Illis enim omnia cooperantur in bonum: & in visionibus etiam Propheticis, Christus sese cognoscendum illis præbet. Verùm redeo ad firmiora.

## CAPVT VI.

Prophetarum, quos Minores vocant, testimonia, & argumenta, quæ demonstrant, Christum esse æternum Deum Iehouam.

RELiquum est, vt audiamus alios etiam Prophetas, & videamus, quæ fuerit eorum fides de Christi Deitate: & quomodo ea cum analogia doctrinæ Christianæ, & reliquis scripturis consentiat.

*Loc.40. ex Hosea, cap.1. vers.7.*

IEhoua sic loquitur, *Domus Iuda miserebor, & seruabo eos in Iehoua Deo ipsorum,* hoc est, Ego Iehoua seruabo eos per Iehouam, Deum ipsorum. Cùm autem manifestum sit Patrem, quoscunque seruat, eos seruare per Christum: quæ iniuria fit Prophetæ, si verba hæc ita interpretemur, vt dicamus Christum esse illum Iehouam, per quem, seu in quo nos seruauit, nostrique misertus est Pater? Annon consentaneè cum aliis scripturis, & cum analogia fidei interpretamur?

*Loc 41. ex Hos. cap.2. vers.19. & deinceps.*

IEhoua, postquam dixisset, se fœdus cum populo suo, nempe cum electis renouaturum, posteà subdit hæc verba: *Et desponsabo te mihi in sempiternum: desponsabo te mihi in iustitia.* Atqui in nouo Testamento vbique habemus, Christum esse hunc Ecclesiæ sponsum. Ioh 3.29. Christus igitur ille verus est Iehoua, qui locutus est per Hoseam.

*II. Loc.42. ex Hos.6. vers.1. & insequent.*

VAticinatur de redemtione per Christum à morte, & ab inferis. Inducit autem reliquias Iudæorum, hoc est, Electos, qui se inuicem ad resipiscentiam, & ad fidem hortentur dicentes, *Venite, & reuertamur ad Iehouam, &c.* Et mox, *Viuificabit nos post biduum, & tertia die resuscitabit nos & viuemus in conspectu eius.* Scio quis sit immediatus (vt loquuntur) & genuinus horum verborum sensus. Quia tamen omnes redemptiones, tam Ægyptiaca, quàm Babylonica, typi fuerunt illius postremæ, quæ tandem facta est per Christum, neque dubium est, quin in hanc suos intenderint oculos Prophetæ, quum de aliis verba facerent, idcircò non dubito, quin Hoseas vaticinatus sit iis verbis, de resuscitatione, viuificatione, qua Christus à mortuis tertio die resurgendo, nos secum (vt loquitur Apostolus) resurgere fecit, & viuificauit. Neque malè dicerent Hebræi, quum dicunt, Prophetam loqui de tertio die, hoc est, de redemtione tertia, quæ futura erat per Messiam: cùm primus dies fuerit, quando liberati fuerunt ex Ægypto: secundus quando è Babylone: non male, inquam, hæc dicerent, si intelligerent redemtionem hanc, & spiritualem esse, & iam esse factam in Christo: quanquam perfectum in nobis complementum nondum accepit. Certè Apostol. ad Col.3.1. & alibi ait, nos resurrexisse cum Christo: imò & cum ipso iam sedere in cœlestibus, eoque viuere in conspectu ipsius. Eph. 2.6. Est igitur consentaneum cum sacris literis, hoc Christi vaticinium, de nostri per Christum viuificatione & resuscitatione fuisse. Qui autem hoc facturus erat, hunc ait Hoseas, fuisse Iehouam. Christus igitur fuit Prophetæ Iehoua.

*III. Loc.43. ex Hos.12. ver.4. & sequent.*

VErba faciens de Iacobo ait: *In vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua praualuit Elohim* (scilicet Deo) *Et praualuit Angelo, & superior fuit, &c.* Ille autem, qui apparuit Iacobo in Bethel, vocatur Iehoua, & אל: vnde nomen Israël. Item Hos. hunc, quem vocauit Angelum, mox vocat Iehouam. Quibus ex locis, tam Genes. quàm Hos. apertè colligitur, illum Angelum, qui luctatus est cum Iacobo, & qui deinde ei apparuit in Bethel, fuisse verum Iehouam. Atqui hic non potuit esse, nisi Filius, vt suprà demonstratum est.

*Loc.44. ex Hos.13. v.4. & v.14.*

PRimùm ait: *Ego Iehoua Deus tuus à terra Ægypti: alium præter me non agnosces. Et Seruator non erit tibi præter me.* Quo ex loco colligimus, solum Iehouam agnoscendum esse pro Seruatore. Atqui Christum agnoscimus, & agnoscere iubemur pro Seruatore. Deinde Iehoua promittit, se liberaturum populum è manu mortis, & è sepulchro, iis verbis: *De manu sepulchri liberabo eos, à morte redimam eos. &c.* Quem locum sic verterunt LXX. ἐκ χειρὸς ᾅδου ῥύσομαι αὐτούς, καὶ ἐκ θανάτου λυτρώσομαι αὐτούς. ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη. Quis obsecro hic loquitur, & promittit se hæc facturum? Iehoua, vt liquet ex contextu. Atqui Apostoli tradunt, Christum illum esse, qui nos redemerit à morte, & ab inferis, & qui mortuos omnes suscitabit ad vitam. Et Christus ipse hoc affirmat: *Sicut Pater suscitat mortuos sic & Filius, quos vult, viuificat.* Io.5.21. Imò hæc verba Iehouæ apud Prophetam, iuxta versionem LXX. citatur à Paulo tanquam ad Christum pertinentia. ποῦ σοῦ θάνατε τὸ κέντρον, &c. Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum. 1.Cor.15.55. Docet enim Apostolus per Christum futuram resurrectionem mortuorum, atque ita fideles victoria potituros contra mortem, vt illi possint insultare, & dicere, *Vbi mors stimulus tuus? &c.* Et ad Tim. ait Apostolus Christum aboleuisse mortem 1.Tim.1.10. Et ad Hebr. Christum per mortem destruxisse eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum. Hebr.2.14. Quid autem hoc aliud est, quàm dicere Christum id perfecisse, quod Iehoua promisit per Hoseam, quum dixit, se futurum pestem & exitium mortis? Est igitur Christus ille Iehoua qui promisit per Hoseam resurrectionem mortuorum. Et eò magis hoc confirmamus ex verbis Prophetæ: quia illud verbum Hebraicum אפדם hoc est, liberabo eos de manu inferi, propriè significat redimere dato λύτρῳ. Proinde LXX. benè verterunt illud verbum פדה per verbum λυτροῦν, dicentes: καὶ λυτρώσομαι αὐτούς. 1.Tim.2.6. Quis est autem, qui redemit nos dato λύτρῳ nisi Christus?

*IV. Loc.45 ex Hos.14. vers. 2. & sequentibus.*

PRopheta hortatur Israëlitas ad resipiscentiam, & ait: *Reuertere Israel ad Iehouam. &c.* Posteà docet, quē debeant precari Deum, dicens: *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Iehouam, & dicite ei* (Iehouę) *Aufer omnem iniquitatem &c.* (verbum est) תשא quod propriè est leuare onus alicui. Peccatis enim premimur, vt onere graui. Ideò quum Deus condonat peccata, dicitur leuare à nobis onus. Ex hoc itaque loco dicimus; proprium esse Dei Iehouæ tollere iniquitatem è nobis. Atqui Ioh. Baptista hoc tribuit Christo, dicens: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Ioh.1.19. Et verbum est græcum αἴρειν, eiusdem significationis, cuius & Hebraicum נשא. Quis igitur non videat Christum esse illum Iehouam, cui iussi sunt Israelitæ dicere, tolle iniquitatem nostram?

*V. Loc.46 ex Ioel.2. v.28. & sequent.*

IEhoua de tempore noui Testamenti loquens, ait, se tunc effusurum de Spiritu suo, super omnem carnem. Atqui Christus hoc etiam se facturum promisit, Io.15.29. Petrus verò docet, Christum illud Ioelis vaticinium impleuisse quod ipse miserit Spiritum sanctum de cœlo super Apostolos Act.2.33. Quid igitur est Christus? Certè Ioel prædicit

Christum

Christum id re ipsa præstiturum, quod ipse de Iehoua vaticinabatur & pollicebatur.

*VI. Loc. 47. ex Abdia, vers. 17. & sequent.*

APertum habemus apud Abdiam de liberatione & salute Ecclesiæ per Messiam, vaticinium, eoque perspicuũ de Christo, deque propagando eius regno. testium enim: testibus etiam Hebræis. In versu autem vltimo ait, *Et ascendẽt* מושיעים *Seruatores in montem Sion ad iudicandum montem Esau:* id est impios omnes per Euangelium D eit autem in plurali Seruatores: eo nomine Christum in primis significans: sed quatenus in conuersione Mundi per Euangelium, vsus est, & vtitur opera Apostolorum, & aliorum Pastorum, verbique Dei ministrorum. Sed postea eundem Messiam, vocat Iehouam; quum ait, *Et erit* ליהוה *Iehouæ Regnum.* Concludit enim Propheta Messiam tandem in monte Sion regnaturũ: & regnum ita propagatum, quemadmodum anteà demõstrauit fuisse propagandũ, totum futurum ipsi Messiæ. Quare nomine Iehouæ constat à Propheta indicatum fuisse, non Patrem solum: sed ipsum etiam Christum. Annon enim Christus Rex est Sionis? testatur ipse ex Psal. 2. in Apocal. Iehoua igitur est de quo Abdias vaticinatus est.

*VII. Loc. 48. ex Mich. 2. vers. 12.*

INtroducitur Iehoua, qui promittit se collecturum populum ex omnibus gentium terris, in quibus erant dispersi Israelitæ. Hæc autem decem tribuum collectio, non erat futura, nisi per Christum: quum vi suæ mortis, per prædicationem Apostolorum, collegit omnes Dei filios, qui erant dispersi: vt Ioh. declarauit. Ioh. 11. 52. Verba Iehouæ hæc sunt: *Congregando congregabo te totum, &c. Per eam trãsiuit Rex eorum ante eos & Iehoua in capite eorum.* Hic autem est Christus. Nam promittit se collecturum totum Iacob, id est, omnes Electos. Quis autem hos collegit? Christus, vt explicatum est ex Ioh. quomodo verò promittit se collecturum? tãquam pastorem, oues suas dispersas, in vnum ouile. Ideò ait: *Simul ponam illum vt pecus Bozra, & tanquam gregem in medio caulæ suæ* Oues Bozra, vocãtur oues pulcherrimæ, & delicatæ, à pascuis in Bozra, regione pingui Idumææ, vbi pascebãtur. Christus ita colligit populũ suum, vt pastor oues, in vnum ouile: Ideò dicebat: *Et alias oues habeo, quæ*, &c. Io. 10. 16. Quid porrò continget, dum ita congregabuntur electi Israelitæ? ait: *Tumultuabuntur præ hominibus:* hoc est, præ multitudine hominum, qui certatim contendent ingredi in Ecclesiam: Videbitur in Ecclesia magnus esse tumultus. An non hoc impletum tempore Apostolorum, dum Christus per ipsos colligebat vndique suos electos? Vnde Christus apud Matt. *à tempore Iohannis Baptistæ, Regnum cœlorum vim patitur*, &c. Matt. 11. 12. Ideò in Actis sæpè Apostoli accusabantur, quòd sua prædicatione totum turbarent orbem, & excitarẽt tumultus. Verùm attribuitur Apostolis, quod facit mundus: Sicut Helias respondit Achabo: *Tu es, qui conturbas Israelem*. Quartò: isto in tumultu, promittit victoriam per Christũ: Ideò ait, *Ascendet effractor ante ipsos.* Hic est Christus. Dicitur enim effractor, quia sua potẽtia effregit portas inferorum, eiecit Diabolum, & eo inuito, suos eduxit captiuos, & in libertatem asseruit, & quotidie asserit. An non hic titulus maximè conuenit Christo? Ad extremum ait, *Et Iehoua erit in caput eorum*, hoc est, erit caput Ecclesiæ. Quis autem est caput Ecclesiæ, nisi Christus? Nõ ignorauit certè hoc Propheta. Nouit igitur & ipse, Christum esse verum Iehouam.

*VIII. Loc. 49. ex. Mich. 4. vers. 1. & sequent.*

EGregia hîc extat prophetia de regno Christi colligendo, ex reliquiis Iudæorum, & ex Gentibus, & per totum orbem propagando, Euangelij per Apostolos prædicatione. Posteà sic ait: *In die illa dixit Iehoua; Congregabo claudicantem illam*, &c. Primùm promittit Iehoua, se congregaturum Electos sui populi ex locis etiam procul dissitis, in quibus erant dispersi. An non hoc fecit Christus? Io. 2. 52. Deinde Iehouam ipsum regnaturum, super hunc populum, vbi notãdum, quòd non ait Iehoua, *Et ego regnabo:* sed ait, *Et regnabit Iehoua.* Iehoua igitur de altero Iehoua loquitur, & ait illum regnaturum super populum. Patet enim loquitur de Filio vero Iehoua. Dixit autem prius, Ego congregabo: quia quod fecit Christus, fecit & Pater per Filium. Christus igitur verus Iehoua. Tertiò de loco ait, hunc Iehouam regnaturum in monte Sion, partim, quia initium regni Christi, futurum erat in monte Sion; indè ad Gentes vbique propagandum, vt habemus apud Lucam 24. Ideò dixit, *De Sion exibit Lex*, &c. partim, quia tota Ecclesia, erat futura ipse mons Sion vbicunque foret, de quo mõte Apostolus ad Heb. 12. 22. *Sed accessistis ad montem Sion, &c.* Quartò, de tempore ait: *Et regnabit ex eo tempore, vsque ad seculũ.* Promittit ergò Iehouam regnaturum in æternum super Ecclesiam. Angelus apertè hoc exposuit de Christo, quum dixit: *Et regnabit in domo Iacob in æternum*, &c. Luc. 1. 33. Sic Daniel de regno Christi, dixit illud futurum sine fine. Dan. 7. 18. 27. Ita vna ex parte Propheta ait Iehouam regnaturum super montem Sion, id est, in domo Iacob, in æternum: altera ex parte Angelus apud Lucam hoc interpretatur de Christo, quòd regnaturus esset in æternum in domo Iacob. Quis igitur non videat Christum esse illum Iehouam, de quo vaticinatus est Michæas?

*IX. Loc. 50. ex Mich. 5. vers. & insequent.*

APertum habemus testimonium, de instaurando regno Israel per Christum: quem dicit nasciturum ex Bethleem: quæ particula facit, vt hic locus intelligi non possit, nisi de Messia. Nam etiam Iudæi hunc locum de Messia interpretati sunt, quum Herodi responderunt, Mat. 2. 6. Messiam nasciturum in Bethleem, iuxtà vaticinium Michææ: Verba Prophetæ hęc sunt: *Et tu Bethleem Ephrata* (licet) *parvula ad essendum* (id est, vt sis) *in millibus Iuda* (id est, inter præfecturas Iuda: quia diuidebatur populus in millenarios, & vnusquisque millenarius faciebat pręfecturam vnam) *ex te tamẽ egredietur mihi ad essendum* (id est, qui erit) *dominator in Israel: & egressiones eius ab initio, à diebus seculi*, id est, ante secula. Tria hic habemus de Messia. Primum quòd futurus esset homo, ex semine Dauid, in Bethleem nasciturus. Deinde quòd verus Deus, natus ex Patre ab æterno. Ideò postquàm de secunda egressione, scilicet ex Bethleem, secundùm carnem dixisset, *Ex te mihi*, &c. mox locutus est de prima, id est, de æterna ex Patre dicens, *Et egressiones eius ab initio*, id est, ab æterno, ad quem locum alludens Apostolus, eodem modo vtramque Christi naturam expressit, humanam primùm, deinde diuinam. De humana ait, *Ex quib.* (Iudæis) *est Christus, quo ad carnem.* De diuina subdit, *Qui est Deus benedictus in secula*, id est, æternus. Rom. 9. 5. En Michee interpretẽ Apostolum. Postremò habemus officium: quòd scilicet, futurus esset verus Dominator, Dux & Rex Israelis. Qualis verò Dominator? Mat. explicat ex LXX. interpretibus dicens ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Matth. 2. 6.

*X. Loc. 51. ex Mich. 7. vers. 18. & sequent.*

POsteaquam populum consolatus esset promissione de restituenda Ecclesia: ad extremum adiicit precationem, qua nomine totius populi, in hæc Iehouam precatur verba: *Quis Deus sicut tu, qui tollis iniquitatem, & trãsis super scelus reliquiarum?* &c. Primùm prædicat Dei bonitatem in remittendis peccatis, & ea re demonstrat, eum solum, verum esse Deum, dicens, *Quis Deus sicut*, &c. Propositio est: Non est quispiam similis tibi ô Iehoua, id est, Tu solus es verus Iehoua, verus Deus. Ratio: *quoniam tu* (solus) *tollis iniquitatem, &* (solus) *transis super scelus reliquiarum hæreditatis tuæ:* id est, dissimulas, non imputas: & est verbum נשא tollere, leuare peccata ab aliquo: Hoc autẽ de Christo ait Ioan. Baptista: *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum.* Deinde docet, quomodo remittat peccata: nimirum tollendo, id est, à nobis in se transferendo, hoc autem proprium Christi est: *Posuit in eum Deus iniquitates*, &c. Iesa, 53. 6. Et Petrus, *Peccata nostra tulit*, &c. 1. Pet. 2. 24. Tertio à quibus tollat, ab Electis scilicet: ideò ait, *scelus reliquiarum hereditatis tuæ*, non omniũ. Hoc etiam Christi est: *non rogo*, inquit, *pro mundo, sed pro iis.* Ioh. 17. 9. *Hic est sanguis qui pro multis effunditur*, &c. Matth. 26. 28. Quartò, causam indicat impulsiuam remissionis peccatorum. Eam nimirum non esse nostra merita, sed tantùm eius bonitatem, & misericordiam. Vnde ait *non retinet in perpetuum iram suam*, &c. Atque hęc etiam mouit Christũ. Ideò ad Gal. 2. 20. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me:* tum eius promissionem Patribus factam. Ideò ait, *Dabis veritatẽ Iacob, & misericordiã Abrahami*, &c. Hinc apertè colligimus, Christum verum esse Iehouam: quia ipse reuera est, qui peccata nostra à nobis in se transtulit.

*XI. Loc. 52. ex Agg. 2. vers. 10. & consequent.*

PRomiserat Iehoua, se effecturum, vt gloria secundi templi, quod inchoauerant, maior esset gloriã prioris, Apostolus autem hunc locum citat de Christo, ad Hebr. 12. 16. & hæc duo ostendit: Primùm, Prophetam non fuisse

locutum, de gloria Templi, quæ in externo ædificio, & carnali ornatu consistat: Sed de gloria spirituali Ecclesiæ Christi: quæ in eo consistit, quòd habuit Christum in carne sibi loquentem, & se docentem, seque redimentem à vera captiuitate: Ac proinde non esse hunc loquentem contemnendum. Deinde hoc eodem Prophetæ loco docet, vetus sacerdotium, & templum abolendum fuisse: vt Christo, & eius æterno sacrificio, locum cederet. Cæterùm ex eodem loco facilè colligitur, Christum verum esse Iehouam: qui sicut concussit terram, quum dedit legem in monte Sina: sic posteà concussit etiam cœlum cum terra, quum prædicauit Euangelium. Propositum enim Apostoli fuit hortari, vt audiamus Christum de cœlo nobis Euangelium prædicantem. Verba Apostoli hæc sunt, *videte, ne aspernemini eum, qui loquitur.* quem? Christum: de quo ante, quòd eius sanguis meliora loquatur, quàm sanguis Abel: nam sanguis Abel loquebatur, id est, exigebat vindictam à Deo: at sanguis Christi, condonationem peccatorum, misericordiam, remissionem, mox dicit, *Videte ne aspernemini*, &c. De Christo igitur sermo est. Porrò comparat Christum Mosi: ac Mosen facit eum esse, qui nomine Dei locutus est in terra, at Christum eum esse docet, qui est è cœlis, & è cœlis loquitur. Ergo totus hic sermo est de Christo. Ait igitur: *Ne aspernemini loquentem*, id est, Christum. Ratio subditur a pœna, quæ consequitur contemptores verbi Christi; & est argumentum à comparatis. *Nam si illi non effugerunt, qui auersabantur eum, qui loquebatur Dei nomine in terra:* id est (Mosen χρηματίζοντα: χρηματίζειν autem accipit hic pro referre ad populum, quę ab alio, id est, à Deo acceperat. Et dicit Mosen loquutum fuisse in terra, tum quia ipse erat è terra, tum quia lex in se considerata, & Euangelio comparata, terrenum quiddam sapuit) *multo magis nos* (scilicet plectemur) *si eum, qui de cœlis est* (quia Deus) *auersemur.* Atque hæc est maior gloria secundi templi, quàm primi: quia prima Ecclesia habuit Mosen, Mosisque doctrinam, quasi terrenam: at secunda Ecclesia, Christum, eiusque cœlestem doctrinam. Subdit Apostolus: cuius vox tunc mouit terram: nunc autem repromisit, dicens, &c. cuiusnam vox? eius certè, de quo in præcedenti versu locutus est, & quem dixit non esse aspernandum, dum loquitur. Quis verò iste? Christus. Apostolus igitur facit Christum esse illum, qui per Aggæum locutus est, quum dixit, *Adhuc modicum*: & qui in monte Sina dedit legem cum terræ motu.

*XII. Loc. 53. ex Zach. 2. vers. 8. & deinceps.*

S*Ic dicit Iehoua exercituum: Post gloriam:* id est, post gloriosam vestri liberationem) *misit* (id est, mittit) *me ad Gentes, quæ spoliant vos: quia qui tangit vos, tangit pupillam oculi eius.* Item: *Et scietis: quod Iehoua exercituum miserit me.* Etiamsi crepent Iudæi & omnes Christi hostes: necesse est fateantur hîc duos introduci, quorum quisque Iehoua. & quidem horum alterum esse Patrem mittentem, alterum filium missum. Apertum enim est vaticinium de aduentu Christi in carne, ad redimendum suum populum è captiuitate peccati, & Sathanæ, typo Babylonicæ significata, & quæ illam subsecuta est. Principiò enim Iehoua ait, se missum esse à Iehoua. Duo igitur hîc sunt, quorum quisque Iehoua est. Non sunt autem duo Iehouæ, ὄντες: quia Iehoua vnus est. Duæ igitur personę, Pater & Filius. Apostoli enim apertè docent, Filium missum fuisse à Patre. Deinde Iehoua missus ait, *Exulta, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio* (ecce aduentum Christi in carne) *& habitabo in medio tui, dicit Iehoua.* Est id, quod Iohannes, postquam dixisset λόγον factum esse carnem (hoc est enim venisse ad nos) subiecit: *Et habitauit inter nos.* Et quis iste? Imò ipsemet qui venturus erat, & habitaturus inter nos, vocat se Iehouam, missum à Iehoua. Quid igitur garriunt nebulones, qui dicunt, Christum nunquam se vocasse Deum? De Christo autem hunc locum esse intelligendum, docent etiam quæ sequuntur, de vocatione Gentium in Ecclesiam. Hæc enim non contigit, nisi post aduentum Christi in carne. Sic autem ait per Prophetam, Iehoua missus: *Et adiungent se Gentes multæ ad Iehouam, in die illa: & erunt mihi in populum.* Adiungent se ad Iehouam, id est, ad Patrem. Ergò & ille, ad quem se adiungent, est Iehoua: & is qui dicit, *Erunt mihi in populum*, est Iehoua. Hic est Filius. Filius igitur Iehoua. Ac cùm dixerit de alio, id est, de Patre, *Et adiungent se ad Iehouam Gentes multæ*, videtur debuisse posteà de eodem dicere: *Et erunt ei in populum.* Dixit autem, *Et erunt mihi in populum.* Ostendit igitur Gentes congregari non solùm ad Patrem, sed etiam ad Filium: & tam huius, quàm illius eas fieri populum: ac proinde se & Patrem vnum tantùm esse Iehouam: non ταὐτόν, sed ὄντα.

*XIII. Loc. 54. ex Zach. 3. vers. 1. & sequent.*

E*T ostendit* (scilicet Iehoua, vt suprà capite 1. versic. 20) *mihi Iehosuam sacerdotem illum magnum, stantem coram Angelo Iehoua, & illum Satanam stantem ad dextram eius* (scilicet Iehosuæ) *vt aduersaretur ei:* id est, vt accusaret eum, tanquam indignum, sub quo templum reædificaretur: atque ita vt impediret Templi reædificationem. *Et dixit Iehoua ad Satan: Increpet Iehoua te*, id est, te compescat, ô *Satan: Et increpet Iehoua te: qui elegit Hierusalem. An non iste* (Iehosua, cum populo suo reliquo) *titio* (id est, vt titio) *erutus ex igne?* Sensus est, Totus ferè populus in captiuitate, quasi in igne consumptus est, instar magnæ arboris succisæ, & in ignem missæ. Hic vnus, quasi titio adustus, ereptus est ex igne, id est, ex captiuitate, idque per meam misericordiam: & tu velles hunc etiam reliquum titionem penitùs consumi? quasi dicat, non faciam. Sed hic locus insignis ad demonstrandam non solùm Deitatem Christi; sed etiam pluralitatem personarum, Patris & Filij. Primo dicit Iehosuam stetisse coram מלאך יהוה. Quis iste Angelus Iehouæ? Christus? vt satis notum est. Satan enim neminem ante aliquem Angelum accusasse vnquam legitur: sed ante omnium Iudicem. Deinde ait: *Et dixit Iehoua ad Satan, Increpet te Iehoua, ô Satan.* Quis iste Iehoua, qui loquitur? Ille, qui anteà vocatus est Angelus Iehouæ; nempe Filius. Iste autem Iehoua, de alio Iehoua loquitur, dicens: *Increpet te Iehoua, ô Satan.* Quis igitur iste alter Iehoua? Pater. Imò repetit, & ait: *Increpet te Iehoua, qui elegit Hierusalem.*

Nec quisquam hîc mihi excipiat, hunc Angelum Iehouæ, qui posteà vocatur Iehoua, esse Angelum Michaëlem, propterea quod Iudas dicit, Michaëlem Archangelum dixisse Satanæ: *Increpet te Deus.* Nam de alia re loquitur ibi Iudas: nempe quum ipse Michael contenderet cum Satana, de corpore Mosis. Hic autem Zacharias loquitur de accusatione Satanæ: quum in visione accusabat Iehosuam sacerdotem. Quare Iudas non est interpres huius loci. Facilè do Michaelem Archãgelum iisdem verbis vsum esse, quibus hic Iehoua: sed non sequitur, esse eundem illum Michaelem, cũ hoc Iehoua. Diuersæ enim sunt historiæ.

*XIV. Loc. 55. ex Zach. 12. vers. 10. & sequent.*

I*Ehoua loquitur*, & quidem de tempore noui Testamenti. Ac præter alia promittit Ecclesiæ Spiritum suum, dicens: *Et effundam super domum Dauid, & super habitatorem Hierusalem, Spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quẽ confixerunt: & plangent super eum, secundum planctum* [qui fit] *super vnigenitum: & amaritudine* (mœrore) *afficietur*, id est, afficientur, *secundum amaritudinem*, (qua quis afficitur) *super primogenitum.* Qui hic loquitur, necesse est Deus sit, & homo, vel saltem, qui futurus erat homo. Deus quidem: tùm quia in præcedentib. versib. vocatur Iehoua: tum quia promittit se effusurum Spiritum sanctum; quod solius Dei est. Homo verò, quia ait se fuisse transfixum: præteritum pro futuro, hoc est, crucifigendum. Hunc autem locum citant Euangelistæ de Christo, & impletum fuisse in Christo docent. *Facta enim sunt hæc, vt impleretur Scriptura. Non confringetur* (vllum) *os eius. Et rursus alia Scriptura dicit, Videbunt quem transfixerunt.* Io. 19. 36. 37. Et in Apocalyp. Io. de Christo loquens ait, *Ecce venit cum nubib. cœli, & videbit eum omnis oculus: etiam qui eum transfixerunt: & plangent super eum* [coram ipso] *omnes tribus terræ. Etiam, Amen, Ego sum α & ω, principium & finis: dicit Dominus Deus, qui est, qui erat, & qui venturus est, omnipotens.* Apoc. 1. 7. An non hic Christum disertè vocat Iohannes Dominum Deum, æternum, & omnipotentem? Dubium enim non est, quin dicendo, ὁ κύριος, ὁ θεὸς, alludat ad vsitatum Dei nomen, יהוה אלהים: de quo & Zach. in hoc capite. Christus igitur est ille Iehoua, qui locutus est per Zachariam. Et hoc confirmatur, quia ipse misit Spiritum sanctum super Apostolos, & alios habitatores Ierusalem. Quare hic etiam habemus tum descriptam personam Christi, duabus naturis constantem, diuina, & humana: tum etiam eius officium. Diuina eius natura indicatur, quia vocatur Iehoua, & quia promittit se effusurum Spiritum gratiæ, & inuocationis: quod solius Dei est. Humana autem: quia ait, *Aspicient in me, quem transfixerunt.* Quo verbo genus mortis exprimit: nempe in cruce. Ostenditur etiam officium: quod est, primùm quidem mori pro peccatis populi sui: deinde Spiritu illos regenerare, & facere gratos Deo; & dare, vt possint inuocare Deum, & efficere, vt se agnoscant. Mortem exprimit verbo transfigendi: Donationem Spiritus, quum ait, *Effundam super eos Spiritum, &c.* Donum fidei & cognitionis Dei: quum ait: *Et videbunt me, &c.* Sensus enim est super omnes Electos meos effundam Spiritum

ritum gratiæ, & precum: vt possint videre, id est, agnoscere me, quis sim: quòd scilicet sim verus illorum Deus, factus homo, & crucifixus pro ipsorum peccatis. Hæc cognitio Christi, quòd sit verus Deus, homo factus, & cruxifixus pro nobis, effectus est illius Spiritus, quem promittit per Prophetam. Ergo qui non agnoscunt hunc crucifixum, verum esse Deum, ij nondum acceperunt Spiritum gratiæ, & precum. Est etiam hic locus insignis, pro Deitate Christi confirmanda: quem crepent Ariani, & ringantur, nunquam eludent. Iohannes enim in Apocalyp. nimis clarè illud de Christo interpretatur: & vocat eum Dominum Deum, hoc est, Iehouam Elohim: & eum, qui erat, & qui venturus est, hoc est, æternum: & ὁ παντοκράτωρ, hoc est, omnipotentem.

*XV. Loc. 56. ex Malach. 3. ver. 1. & deinceps.*

APertum hic quoque habemus vaticinium de Christo: testibus ipsis etiam Iudæis. Quum Iudæi dixissent cap. 2. v. vltimo: *Vbi est Deus iudicij?* Iehoua sic respondet: *Ecce ego mitto Angelum* (Legatum) *meum: & verret viam ante faciem meam. Et statim veniet ad tēplum suum* האדון, *ille Dominus, quem vos quæritis: Et Angelus Testamēti* (fœderis) *quē vos expetitis. Ecce venit, ait Iehoua exercituum.* Qui hîc loquitur Iehoua est, vt patet ex contextu. Is autem ait se missurū Legatū, qui præparet viam corā facie sua. Et mox vēturum Angelum Testamēti ad Templum suum. Atqui Euāgelistæ hunc locum citant de Iohan. Baptista, & de Christo. De Baptista quidem: quod sit ille Legatus & Præcursor: qui debebat parare viam Iehouæ, à quo erat missus: populos ad pœnitentiam inuitando, & eos fidem in Iehouam docendo. De Christo autem; quòd is sit ille, cui erat per Iohannem Baptistam præparanda via: & qui debebat mox venire ad Templum suum: non tam materiale quàm spirituale, id est, ad Ecclesiam. Quis igitur apertè non videat, Christum esse illum Iehouam, qui promiserat, se missurum Iohannem Baptistam?

Duobus prætereà titulis ornatur Christus, quibus idem confirmatur: nomine scilicet מל׳ הברית האדון. His enim perspicuè docetur, sermonem hîc fieri de Christo: qui à Prophetis solitus erat, & Dominus, & Angelus fœderis appellari: quoniam & Rex, & reconciliator, fœderísque confirmator futurus erat. Cùm autem Iohannes Baptista, citra controuersiam Angelus fuerit Christi: & hîc vocetur Angelus Iehouæ, quia missus à Iehoua: necessariò efficitur, nomine Domini, & Angeli fœderis idem intelligi quòd etiam nomine Iehouæ. Adde quòd Christus, Dominus scilicet iste, & Angelus fœderis; dicitur venturus ad Templum suum. Cuius autem erat, & dicebatur esse Templum nisi Iehouæ? Et quando venturus erat? Posteaquam Iohannes Baptista præcessisset, & viam præparasset suo Iehouæ, à quo præmittebatur. Is autē de Christo dixit: *Qui post me venit, ante me fuit.* Docuit igitur, Christum esse illum Iehouam, à quo fuit præmissus.

Nisi quis sponte velit aut omnino cæcus esse, aut cæcutire: is perspicuè videbit, ex iis, quæ in hoc secundo libro, ex veteri Testamēto collegimus de Christo testimonia, & vaticinia: Christum verum esse Iehouam, & pro tali agnitum fuisse à Mose, & à Prophetis. Sed iam venio ad nouum Testamentum.

*LIBRI SECVNDI FINIS.*

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS,

## Liber Tertius.

*Iesum Christum, non esse nudum hominem purámvè creaturam.*

### CAPVT

Eorum, quæ de Christi Deitate ex nouo Testamento dicenda sunt, distributio. Et primæ propositionis confirmatio, ex aliquot Pauli & Euangelistarum locis.



NVNC restat, vt testimoniis quoque & rationibus ex nouo Testamento deductis; eadem doctrina de æterna Christi deitate à nobis confirmetur. Quia verò nulla ferè pagina est, in libris noui testamenti; quę non aliquod de hac re Testimonium contineat: res autem foret nimij, & immensi laboris, si singula vellemus enumerare, nedum discutere: neque etiam careret confusione: ideirco compendij & ordinis gratia ad tria capita, ea omnia contrahemus.

Primum continebit ea, quæ in genere docent, Christum non esse purum hominem, merámve creaturam: sed præter humanam naturam, diuinum etiam quiddam in eo inesse: idque non accidentale, sed essentiale.

Alterum ea complectitur, quæ speciatim demonstrant Christum verum esse, & æternum, naturalémque Dei Filiū, è Patris substantia genitum; eoque eiusdem cum Patre naturæ, ac Deitatis.

Tertium ea comprehendet aperta testimonia, & argumēta; quibus propiùs accedēdo ad rem, perspicuum faciemus, Christum verum esse Deum: & Deum verum, Deum super omnia, Deum magnum appellari. Ita tres erunt propositiones: Prima, Christus non est purus homo, meráve creatura. Secunda, Christus est naturalis Dei Filius. Tertia, Christus est verus, & æternus Deus.

II. Ad primum quod attinet, Scripturæ noui Testamenti negant Christum purū esse hominem: & apertè docent, prēter humanam naturam, diuinum quiddam, illúdque naturale, & essentiale, in eo, iam inde ab initio suæ conceptionis semper fuisse.

Primum argumentum, quo hoc confirmant; ab illis ducitur locis, vbi Christus dicitur esse ex Patribus secundùm carnem. Ait Apostolus se segregatum in Euangelium Dei, quod anteà promiserat de Filio suo: qui genitus est de semine Dauid secundùm carnem Rom. 1. 3. Item: *Ex quibus* (Patrib.) *est Christus secūdùm carnem* Rom. 9. 5. Hi duo loci, & alij similes, docent, Christum carnem quidem, hoc est, humanam naturam accepisse à Patribus Iudæis: sed aliud quiddam in eo etiam fuisse, maius carne, quod à Patribus nō acceperit. Quid autem hoc est? Diuina nimirum natura; quemadmodum ex subiecta antithesi Apostolus docet. Nā posteaquam dixisset: *Qui factus est, seu genitus, ex semine Dauid, secundum carnem:* mox subdidit antithesim, dicens: *Qui declaratus est potenter Filius Dei, secundum Spiritum sanctificationis.* Rom. 1. 3. Opponit Spiritum sanctificationis, carni: nomine autem carnis intelligit, vt notum est, humanam naturā, quā assumsit. Quid igitur nomine Spiritus sāctificationis, nisi diuinam eius naturam, intellexit Apostolus? Nam apud Iohan. legimus, *Spiritus est Deus.* Io. 4. 24. Vbi nomine Spiritus, simplicissima, & incorporea, hoc est, diuina natura intelligitur, & opponitur corpori. Dicitur autem Spiritus sanctificationis, respectu carnis: secundùm quam dicit Apostolus fuisse Christū ex semine Dauid: quia scilicet humana natura sanctificata fuit, & quasi deificata ab ipsa diuina per vnionē hypostaticam: manētibus vtriusque naturæ, sicut essentiis, sic etiam proprietatibus integris. Cùm igitur Apostolus ait, Christum esse ex semine Dauid secūdum carnem, seu quo ad carnem, & mox subdat: *Qui declaratus est Filius Dei, secundum Spiritum sanctificationis:* apertè negat Christum purum esse hominem, & asserit diuinam etiam in eo esse naturam. Sic posteaquam dixisset in cap. nono: *Ex quibus est Christus secundum carnē:* mox subiecit antithesim. *Qui est Deus benedictus in secula.* Ro. 9. 5. Hæc antithesis explicat illā superiorē. Ac docet Apostolus nomine Spiritus se intellexisse diuinam naturam. Etenim Paulus vtroque in loco describere voluit breuiter, quid sit Christus: nempe non homo tantùm, sed etiam Deus. Hæc interpretatio confirmatur,

testimonio etiam Tertulliani libro cõtra Praxeam, pag. 427. ad calcem: *Qui factus est*, inquit, *ex semine Dauid, secundum carnem: Hic erit homo, & Filius hominis: Qui declaratus est Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis: Hic erit Deus, & Sermo, Dei Filius.* Et Ambrosius in hunc Apostoli locum, Roman. 1. *Eum, qui erat Dei Filius, secundùm Spiritum sanctum, id est secundùm Deum, factum dicit iuxta carnem.* Sic Petrus de Christo loquens ait, Eum mortificatum fuisse carne, viuificatum autem Spiritu. 1. Pet. 3. 18. Hic eadem est antithesis, & quidem perspicua. Nomine autem carnis, intelligit humanam naturam & hac ait eum esse mortuum. Nomine verò Spiritus, diuinam naturam: & hac, seu huius virtute, dicit viuificatum, id est, à mortuis excitatum fuisse Christum. Sic quando ait: *Cùm Christus igitur passus sit carne, &c.* 1. Pet. 4. 1. Certe indicat aliquid in eo fuisse secundùm quod passus non est. Quid hoc verò est? Diuina natura. Sic quum Iohan. ait, Christum venisse in carne; & eum esse Antichristum, qui negat Christum venisse in carne: apertè docet, in Christo præter carnem, id est, humanam naturam, aliud antea etiam fuisse. 1. Io. 4. 3. Quid hoc autem aliud est quàm diuina natura? In iis enim locis Apostolus distinguit naturam à natura: Nam docet, Christum secundùm vnam naturam, natum ex semine Dauid; item passum esse: secundùm alteram verò, non esse passum. Quare cùm nomine carnis intelligat humanam naturam: nomine Spiritus diuinam intelligat, consentaneum est. Sed hoc mihi satis est in præsentia: omnibus iis locis, vbi hæc ponitur distinctiua secundùm carnem, Scripturam negare, Christum quo ad eius essentiam puram esse carnem, hoc est, hominem: sed aliud quiddam ea natura excellẽtius in CHRISTO statuere.

III. Quòd si quis excipiat; At si ita licet ex hac particula, *secundùm carnem*, concludere, Christum non esse purum hominem: inferemus & nos, Israelitas non fuisse puros homines: quia de eis scriptum est: *Quid igitur dicemus, Abraham Patrem nostrum secundùm carnem accepisse?* Rom. 4. 1. Item: *Qui sunt cognati mei secundum carnem.* Rom. 9. 3. Item: *Videte Israel secundum carnem.* 1. Corinth. 10. 18. Item: *Neminem nouimus secundum carnem.* 2. Corinth. 5. 16. Item de Ismaele: *Natus est secundùm carnem.* Galat. 4. 23. Sed quis hic non videat ὁμωνυμίαν? Caro enim in locis suprà de Christo allatis, accipitur pro humana natura, vti ex antithesi Spiritus, & antecedentibus, ac consequentibus liquet. In locis verò de Israele adductis, aliæ sunt huius nominis significationes. Illud ad Roman. 4. pro Abrahami natura, eoque pro operibus ab Abrahamo in se considerato, factis accipitur: non quatenus ex fide iustificatus est. Sensus enim est: Quid Abraham Pater noster inuenit, id est, recepit à Deo mercedis secundùm carnem, id est, pro dignitate suæ naturæ, proque operibus à se factis? Sic enim explicat Apostolus subdens: *Nam si Abraham ex operibus iustificatus est gloriam habet, sed non, &c.* Rom. 4. 2. Illud verò, *qui sunt cognati secundùm carnem*, capitur pro sanguinis coniunctione, seu consanguinitate: Rom. 9. 3. Sicut & Laban dixit Iacobo sororis suæ filio: *Os meum, & caro mea*, id est, consanguineus es, &c. Gen. 29. 14. Et illud 1. Cor. 10. 18. *Videte Israelem secundùm carnem*, capitur pro externis institutionibus, & ceremoniis, quas Apostolus ad Hebræos institutiones carnis vocat: hoc est, quicquid ad animum vsque penetrare non potest, & leuare conscientiam. Hebr. 7. 16. Israel igitur secundùm carnem, est omnis homo, qui fide destitutus, externis tantùm ceremoniis, atque operibus addictus est, & fidit. Illud etiam: *Neminem noui secundum carnem*, eodem sensu capitur, quo anteà: nempe pro externis operibus, donisque Dei, 2. Cor. 5. 16. Sensus est: Se neminem ab externis virtutibus æstimare, aut habere pro Christiano, propter externa opera, & ceremonias, quæ carnis tantùm oculis subiiciuntur: Sed si quis sit verè in Christo per fidẽ viuam, illum demùm se agnoscere, & habere pro Christiano, & se illum magnifacere. *Imò nec Christum nunc*, inquit, *nosco secundum carnem.* Quam verò carnem? Non quidem veram illius & humanam (agnoscebat enim Christum verum esse hominem) sed externam hanc de qua sermo est, speciem. Sẽsus enim est: Antè in Iudaismo iudicabam Christum, id est, Messiam, futurum Regem Iudæorum, sed carnalem: & liberaturum Israelem, sed carnaliter: nunc non ampliùs de illo sic iudico, sed eum agnosco pro Rege spirituali, & qui redemerit nos spiritualiter, à peccati, & Sathanæ captiuitate.

Illud autem, *secundùm carnem natus est.* Gal. 4. 23. capitur pro ordinaria vi naturæ ad generandum, & opponitur promissioni: & huic comparantur Iudæi, qui ex Abrahamo non sunt secundùm fidem, & Spiritum, sed tantùm secundum carnem, hoc est qui externis tantùm ceremoniis, & sanguinis nobilitate gloriantur. Fideles verò Isaaco, qui promissionibus Dei nituntur.

Sed in locis proximè à nobis citatis Caro accipitur pro humana natura, in eum sensum, quo apud Iohan. 1. 14. *Et verbum caro factum est*, id est, humanam assumsit naturam: quatenus opponitur diuinæ. Ergò loci ab aduersariis superiùs adducti, non euertunt nostram argumentationem, ab ea locutione deductam, Christum esse ex Dauide secundum carnem: eum ergo non esse purum hominem.

IV. Quod si quis iterum excipiat, etiam nos constamus carne, & Spiritu: Et Apostolus ait, Non debere nos ambulare, & viuere secundùm carnem, sed secundum Spiritum: Rom. 8. 4. Non inde tamen sequitur, nos non esse puros homines, sed natura etiam diuina constare. Quare neque id consequetur ex locutionibus illis de Christo, quas suprà commemorasti. Responsio in promptu est, longè dissimilem esse rationem: quia dissimilis etiam significatio harum vocum, Spiritus, & carnis: in Christo & in nobis. Spiritus enim præter alia significata aliquando accipitur, pro natura simplicissima, id est, diuina, seu pro essẽtia Dei incorporea, Ioh. 4. 24 & quum huic opponitur caro, caro significat totam humanam naturam, tam animam, quàm corpus. Atque ita capitur in illis dictis de Christo: suprà à nobis in medium allatis. Ideò tunc optimè sequitur argumentatio: Christus ex Patribus est secundùm carnem: ergo non est purus homo. Aliquando Spiritus capitur pro suprema animæ parte, quæ νοῦς appellatur: vt, *Deus autem pacis sanctificet vos totos, vt integer vester Spiritus & corpus, &c.* 1. Thes. 5. 23 Caro verò pro corpore. vt: *Et in carne mea videbo Seruatorem meum, &c.* Iob. 19. 26 Hæc etiam significatio locũ habet in Christo. Sed quum dicitur esse ex semine Dauid secundùm carnem: non potest ibi accipi caro pro corpore tantùm. Nam etiam secundum alteram partem, animam scilicet, & mentem; est ex Patribus: quatenus scilicet non accepit ab eis carnem animæ & mentis expertem, sed cum anima & mente coniunctam. Interdum capitur Spiritus pro parte hominis renouata, seu pro homine ipso, quatenus regenitus est per Spiritum sanctum. Caro verò pro homine corrupto, seu pro corruptione, quæ etiam peccatum vocatur ab Apostolo. Sic Christus: *Quod natum est ex carne, caro est: quod Spiritu, Spiritus est.* Io. 3. 6. Item Apostolus: *Fructus Spiritus, gaudium, pax, &c. Opera carnis fornicatio, &c.* Gal. 5. 22. In hac significatione non potest accipi carnis nomen, quum dicitur de Christo: quia de Spiritu sancto conceptus est. Sed omnes renati tali constant Spiritu, & carne. Et ita accepit Paulus, quum dixit, non debere nos ambulare secundùm carnem: sed secundũ Spiritum Rom. 8. 4. Quare cùm lõge diuersa sit significatio harum vocum; quando de Christo, & quando de nobis dicuntur: diuersa etiam sit argumentatio necesse est, quæ ex hac diuersa vocum Spiritus, & carnis infertur significatione. Stat igitur necessaria illatio,

Christus est ex semine Dauid secundùm carnem. Ergo non est nudus homo, sed diuina etiam in eo natura significatur.

V. Ad extremum, Si quis excipiat, ac dicat. Esto significari in Christo aliam naturam, id est, diuinã à carne diuersam: non tamen sequitur, non esse purum hominem. Nam etiam in renatis est alia à carne natura nempe diuina, iuxta illud Petri, cùm docet fideles factos esse participes diuinæ naturæ. 2. Pe. 1. 4. interim tamen non sequitur, nos non esse puros homines, sed etiam Deum ipsum.

Hic eadem est fallacia ὁμωνυμίας: Nam natura diuina, capitur aliquando pro οὐσία seu pro essentia diuina. Et sic nos non possumus dici consortes diuinæ naturæ: Vt impius Seruetus dicebat, diuinam in nos essentiam transfundi: Sicut etiam in Christum transfusam fuisse contendebat. Accipitur nonnunquã pro qualitate noua virtutis diuinæ: qua qualitate sumus nouæ creaturæ, & Deo similes. Et sic accepit Petrus loco suprà citato. Nam ipse explicat sese, quum ait: *Elapsi ex corruptione, quæ est in mundo.* Accepit igitur naturã diuinam, pro illa Spiritus renouatione, quæ opponitur corruptioni carnis, & Mundi de qua Iohan. *Omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis, &c.* 1. Ioh. 2. 16 Sed quum dicimus in Christo aliam concludi naturam præter carnem, non potest intelligi de hac noua qualitate, sed de essentia diuina intelligatur, necesse est. Non enim discernit Apostolus in Christo naturam, id est, essentiam humanam, à qualitate diuina: sed ab alia natura, id est, ab alia essentia. Neque enim propter nouam qualitatem posset Christus ita dici Dominus Dauidis, vt non sit etiam Filius simpliciter. Cùm igitur nomine carnis intelligat Apostolus naturã, id est, substantiã, & essentiam humanam, animam scilicet, & corpus in Christo, & dicat secundum hanc carnem eum esse ex Patribus: consequitur illum innuere, aliã naturã, hoc est, essentiã esse in Christo, diuersam à natura, id est, ab essentia humana. Ac

proin-

proinde eum essentialiter, seu ὑπαρκτικῶς non esse nudum hominem, sed alterius etiam naturæ & essentiæ præter humanam. Quæ est autem hæc? num Angelica? at non est Angelus creatus, per quem reliqui omnes Angeli sunt conditi. Apostolus enim ait per συστατικῶς qui (essentialis) est imago Dei, & qui est ante omnia (condita) creata esse omnia, tam in cœlis, quàm in terris: eoque & Angelos omnes. Col.1.15. Non igitur ipse Angelus est creatus. Quare altera natura quæ in Christo esse, præter humanam, concluditur, diuinam necesse est. Nulla enim alia λογικὴ natura reperitur, nisi humana, angelica, diuina. Quare firma est argumentatio, ex verbis Pauli collecta, Christus est ex semine Dauid, & ex Patribus secundum carnem. Ergo non est purus homo, sed alterius etiam superioris, & excellentioris naturæ, nempe diuinæ. Tota enim hæc nostra argumentatio, pendet ex illa Christi argumentatione. Matt.22.43.

*Dauid vocat Messiam Dominum suum:*
*Ergo non est Filius Dauidis.*

Non negat autem simpliciter, sed secundum quid, quasi dicat, secundum carnem quidem est Filius Dauidis, sed aliud est etiam in Messia, secundum quod non est Filius Dauidis.

VI. Neque obscurum est illud ad Galatas 1.1. *Paulus Apostolus nō ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, &c.* Negat se factum esse Apostolum per vllum hominem: & affirmat se factum esse per Christum. Aut igitur negat Christum simpliciter esse hominem, aut negat secundum quid, hoc est, eum esse tantùm hominem. Non simpliciter, quia vbique agnoscit, & prædicat illum verum esse hominem, & quidem crucifixum. Negat igitur esse hominem secundum quid, id est, purum, & simplicem hominem. Ac proinde innuit, in Christo aliam etiam inesse excellentiorem naturam humana, nempe diuinam. Item in Apocalypsi ait Ioh. neminem fuisse repertum, neque in cœlo, neque in terra, neque subter terram, qui potuerit Librum aperire, imò neq; inspicere. Apoc.5.2. Quum ait Neminem, omnem excludit creaturam, nempe puram. Tandem ait Christum, quem vocat Leonem de tribu Iuda, stirpem Dauidis, & Agnum tanquam mactatum, Librum aperuisse. Christus igitur non continetur in numero purarum, & nudarum creaturarum. Quare non est nudus ac purus homo, sed aliquid in eo est excellentius, & diuinius.

Quod si quis excipiat, neminis voce intelligi nullam creaturam præter hanc, quæ est Christus: is nihil dicit, quia circumstantia loci non fert hanc interpretationem, vt suo ostendemus loco.

VII. Prædixerat etiam Christus Apostolis de sua passione. Mox verò eos consolans, dixit, se non solùm resurrecturum, sed etiam rediturum in gloria cum Angelis suis: Imò aliquot etiam inter illos fuisse, qui non erant mortem gustaturi, quin priùs viderent Filium hominis venientem in regnum suum. Post sex dies autem voluit eis specimen aliquod exhibere, & gustum præbere suæ futuræ gloriæ de qua antea locutus fuerat. Assumptis igitur tribus Discipulis venit in montem quendam, ibi transfiguratus est ita vt facies eius splenderet vt Sol: vestimenta verò alba facta fuerint, vt nix, & lux. Accedunt Moses & Elias, & cum eo loquuntur. Auditur vox è Nube. *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Matt.17.2. &c. Constat ex præcedentibus. Christum ideo tantam gloriam præ se tulisse, & in sua persona exeruisse, quia sic voluit. Si verò purus homo fuisset, vnde tanta illi potestas? Et quomodo creatura esse potest, per quem omnia facta sunt, & sine quo nihil factum est eorum, quæ facta sunt? Io.1.3.

## CAPVT II.

### De diuinis nominibus, quæ Christo in nouo Testamento tributa, ipsius supra omnes creaturas præstantiam demonstrant.

PROBATVR eadem propositio à multis excellentibus, & diuinis nominibus, quibus Christus in Scripturis noui testamenti, meritò ornatur. Cùm enim illa nomina diuinam quandam, & omni humana, imò & angelica natura, atque virtute maiorem dignitatem declarent: Et iis nominibus non temerè, aut falso, sed meritò appelletur Christus: inde euincitur, in Christo aliam certè præter humanam inesse naturam. Omitto in præsentia illa duo nomina, Filius Dei, & Deus; quia de iis seorsim in aliis duobus capitibus disseremus. Reliqua hic consideranda, & percurrenda nobis sunt.

Principiò vocatur Iesus: nam Angelus ad Mariam dixit, *Vocabis nomen eius Iesum.* Lu.1.31. & αἰτιολογίαν subdit, ab ipsa etymologia deductam: *Ipse enim* (inquit) *seruabit populum suum à peccatis eorum:* Matt.1.21. proinde etiam à morte. At quinam hoc possit, si purus sit homo? Liberatio enim à peccatis quatuor fit modis. Solutione debiti, seu satisfactione pro peccatis. Condonatione per misericordiam, vt non imputentur. Reali liberatione à seruitute peccati inhabitantis, vt non dominetur, nec regnet in nostro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis eius. Rom.6.12. Et hæc fit per Spiritum sanctum nobis donatum, quo liberati à peccato simus serui iustitiæ. Denique perfecta redemtione à peccato etiam inhabitante. Et hæc fiet per resurrectionem ad vitam æternam, & immortalem: quum Deus erit omnia in omnibus: vt nihil ampliùs maneat in nobis peccati, sed omnia sint diuina. 1. Cor.15.28. Non potest certè fieri hæc quadruplex liberatio per puram creaturam. Christus autem omnibus iis modis liberat suum populum à peccatis. Primùm persoluto precio, & λύτρῳ sanguinis sui. At vnde tanta vis huic sanguini Christi, si nudus sit homo? Ideò non sine causa dicitur Deus redemisse Ecclesiam suo sanguine. Act. 20.28. Deinde condonatione, seu remissione. At quomodo hoc posset, si pura sit creatura? Etenim verum dicunt Iudæi: *Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus?* Luc.5.21. Et Apostolus ait, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando ipsis peccata eorum.* 2. Cor.5.19. In Christo ergo aliud quiddam erat & est, quàm pura humana natura. Tertiò: liberatione à seruitute peccati, ne regnet in nobis, ad obediendum concupiscentiis eius. Vi mortis Christi, nos mortuos esse peccato, & vi resurrectionis viuere iustitiæ & Deo, testatur Apostolus: *Ita & vos cogitate, vos mortuos esse peccato, & viuere Deo per Iesum Christum.* Rom.6.11. At qui possit hoc facere Christus, & donare Spiritum sanctum, si humana tantùm sit præditus natura? Postremò: Redemtione à peccato inhabitante, & ab omni corruptione naturæ per beatam resurrectionem ad vitam cœlestē. Hæc etiam per Christum fiet: ideò primitiæ dormientium vocatur. 1. Cor.15.20. Quomodo verò Christus valeat excitare mortuos ad istam cœlestem vitam, si nudus homo? Est enim solius Dei viuificare mortuos. Ergo hoc nomen, Iesus, spectata eius etymologia, quæ optimè Christo conuenit propter officium quod facit, quia liberat à peccatis, liquidò demonstrat Christum non esse ψιλὸν (vt hæretici vocabant) ἄνθρωπον, puramve creaturam. Huc facit quod ait Apostolus, Datum esse illi nomen (id est, dignitatem & honorem) quod est supra omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Phil.2.9.

II. Huc etiam spectat aliud nomen, quo vocandum fuisse ipsum Messiam, Christum, nempe Immanuelis, prædixerat Propheta, quod significat, nobiscum Deus, Esa. 7.14. Proinde meritò Matthæus, postquam recitasset, quid Angelus dixisset Mariæ, & rationem ab Angelo allatam fideliter explicasset, subiecit, dicens: *Hoc autem totum factum est vt impleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, &c.* Mat. 1.22. Duo docet hac interpretatione nominis Immanuel. Primum illum quem iussit vocari Iesum, non futurum fuisse purum hominem, sed Deum incarnatum, seu manifestatum in carne. Deinde, nec potuisse facere officium, quod erat redimere populum à peccatis, si purus fuisset homo, & non etiam Deus, eoque Immanuel.

III. Χριστός. משיח, & vnctus, idem sunt. Est igitur nomen Messiæ, cognomen ipsius Iesu. Ideo ait Matth. *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus.* Ma.1.16 Hinc colligimus, Christū non esse purum hominē. Nam Messiam agnouerunt Prophetæ, & prædixerunt non futurum purum hominem, sed Filium Dei, Deumque ipsum, vt ex iis quæ ex veteri Testamento, præsertim ex Prophetis, testimonia attulimus liquet. Vnde & Caiphas vtrumque coniunxit, Christum, & Filiū Dei, quum dixit: *Adiuro per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christ⁹ Filius Dei* Ma.26.63 Et Apostoli idē in tātūr, vt est apud Matth. & Iohan Matt.16.16 Io.20.31. Quomodo igitur non pudet eos, qui se Christianos vocant, non ignorare Christum, & tamen puram eum esse creaturam asserere? Non enim Caiphas agnoscebat Messiam futurum Filium Dei per adoptionem, à tales erāt etiam ipsi, suo iudicio, ceterā autem omnes pij. Deinde Messias vocatur est, seu Christus, quia vnctus in Prophetam, Sacerdotem, Regem. Qualis autem Propheta? Maximus omnium Lu.7.26. Omnes enim alij iam à condito orbe, quicquid de Deo nouerunt, à Christo ipso didicerunt: vt Iohan. testatur dicens: *Deum nemo vidit vnquam, &c.* Io.1.18. Præterea alij externè tantùm docent: Christus verò internè suo Spiritu. Qualis verò Pontifex? Secundum ordinem Melchizedec: qui vnica sacrificij oblatione pro omnium peccatis in perpetuum satisfecerit. Psa.110.4 Hebr.5. 6. & 7.25. &c. Heb.10.12. Quis hoc præstare potuisset? Deus

qualis Rex? Spiritualis & æternus: vt ipsemet testatur. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Iohan.18.36. Et vt idem confirmat Angelus Gabriel ad Mariam: *Et regnabit super domum Iacob in æternum.* Lu.1.33. Quis talis, si purus homo? Quomodo enim in animis hominum regnare potest? Non igitur Christus purus homo. Quomodo enim purus homo, qui heri, & hodie semper est Christus, idemque Rex, & Pontifex: per quem seruantur, quæcunque seruantur? Heb. 13.8.

IV. Ad hæc tria nomina, nempe ad Iesum seu Seruatorem: ad Christum, quo nomine significatur Propheta, Sacerdos, Rex: & ad Immanuelem, quo nomine significatur & Deitas, & humanitas Christi, & redemtio per Christum, reliqua omnia pertinent nomina, quia aut ad personam, id est, ad naturam, humanam, & diuinam Christi, & ita ad Immanuelem: aut ad officium, vel Pontificis, vel Prophetæ, vel Regis, & ita ad nomen Christi referuntur. Quare cùm iis apertè declaretur, Christum non esse purum hominem: liquidò apparet, reliquis etiam idem demonstrari. Quia tamen iucundum est videre, quibus nominibus Christus ornetur, & vtile etiam nos modis omnibus confirmari in doctrina de Christi Deitate: idcircò non grauabor alia quoque recensere nomina.

V. Vocatur igitur Seruator Mundi, vt est apud Lu. *Euangelizo vobis gaudium magnum quia natus est vobis.* Luc.2 10. *Seruator*, nempe animorum cum primis, deinde etiam corporum. Apud Iohannem verò vocatur Seruator Mundi. Io 4 42. At Deus in Prophetis vbique inculcat, præter se nullum esse Seruatorem Iesa 43.11. Insuper nemo hominum potest aut perdere, aut etiam seruare animas. *Vnus enim est Legislator qui potest seruare & perdere.* Iac.4.12. Et *Nolite timere eos, qui occidunt corpus animam autem*, &c. Matth.10.28 Quomodo igitur Christus Seruator Mundi, si purus homo? Eandem ob causam vocatus est σωτήριον τοῦ Θεοῦ: *Quia viderunt oculi mei σωτήριόν σου* &c. Luc.2 30.

VI. Quid verò sibi vult, quòd Scriptura subinde vocat Christum Dei sapientiam? Qualis enim est hæc sapientia? Qualis describitur à Salomone: nimirum quæ ab æterno possessa à Patre. genita ex Patre, Domina omnium constituta à Patre: quæ omnia condidit cum Patre, quæ denique hoc habuit in deliciis, vt esset cum hominibus, Prou 8.22. Non est certè talis sapientia Christus, quâ homo est, quia non fuit genitus ex Patre ante Mundum conditum: neque hæc sapientia fuit sapientia in Scripturis reuelata, nempe Euangelium hoc enim non condidit omnia cum Patre. Neque est ipse Pater sapiens: is enim seipsum non genuit. Est igitur Christus quâ Deus.

Nec sapientia solùm, sed etiam Λόγος τοῦ Θεοῦ appellatur, & Λόγος τῆς ζωῆς. Ioh.1.1. Qualis Λόγος? qualis describitur apud Ioh. qui iam erat, quùm Mundus crearetur, imò per quem omnia facta sunt, & qui Deus erat, & posteà factus est homo. Est etiam talis Λόγος, qualis describitur in Apoc. *Vidi cælum apertum, Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & Verax, habebatque nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse: vocaturque nomen eius, ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ*, Apoc.19.11. Si ita vocatur, quid igitur illud nomen, quòd nemo nouit, nisi ipse nisi nomen Iehouæ, quod ineffabile dicitur, quatenus essentia Dei comprehendi à nemine potest, nisi à Deo? Hic certè qui sic describitur, purus homo meraque creatura esse non potest: præsertim cùm Iohan. dicat, per hunc facta esse omnia, & sine ipso factum esse nihil, quod factum est. Io.1.3. Creatura est: quia Λόγος factus est caro. Non creatura: quia omnia per ipsum facta sunt.

Vocatur etiam virtus Dei: quia per hunc Deus Pater omnia egit, condidit, regit, sustentat, agit in Electis, suscitat mortuos, denique omnia per Christum, & per suam virtutem, semper egit & agit: eoque etiam cuncta creauit & sustentat. Heb 1.12. Non ergo pura creatura.

VII. Neque prætereundum est, quòd Paulus eum vocat Apostolum(*Patris*) & confessionis nostræ, Hebr.3.1. Apostolus Patris est, quia missus à Patre, & nuncius est Patris. Apostolus verò dicitur nostræ confessionis, hoc est, doctrinæ Euangelicæ: quia ipse eam de cœlo nobis attulit. Fuit autem semper, etiam ante incarnationem, Apostolus Patris: quia ipse est, qui iam inde ab initio ad homines venit: & voluntatem Patris illis patefecit, ac reuelauit. Qua de causa, Angelus etiam Iehouæ, & Angelus Testamenti, dictus est apud Mosen, & Prophetas Mal 3 1. Et huc pertinet, quod Johannes Baptista de Christo dixit, *Deum nemo vidit vnquam: Filius, qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis*: nobis inquam, hominibus, quotquot à condito orbe fuimus. Ioh. 1.18. Si missus è cœlo à Patre, iam inde ab initio: Si Apostolus Patris, antequam etiam fieret homo, quomodo potest esse purus homo?

VIII. Quò spectat etiam illud quòd is vocatur vnicus Magister, & Doctor noster. Matth.23.10. Quare vnicus Doctor dicitur? Quia omnes alij Doctores, quicquid vnquam de Deo nôrunt, ab hoc vno didicerunt, *Deum nemo vidit*, &c. Io.1.18. & 8.55. Is autem à solo Patre audiuit. Et quia is solus perfectè docet, non externè tantùm, sed etiam internè, in animis doctrinam imprimendo, per Spiritum suum: *Nos Spiritum Christi accepimus*, &c. 1. Cor. 2.12. Hinc etiam illud apud Matth. *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Matth.11.27 Quomodo autem reuelat? Per Spiritum suum. Ideò omnes, qui ab hoc edocti sunt magistro, quia per Spiritum sanctum edocti sunt, vocantur à Propheta θεοδίδακτοι. Ies.54.13. Nemo hominum hoc potest. Solus Christus hoc efficit. Ideò iure vnicus Magister & Doctor appellatur. Hac etiam de causa vocatur Propheta magnus. Luc.7.16. Hic enim solus, vt dictum est, per Spiritum sanctum internè docet. Quare purus homo esse non potest.

Vocatur etiam fidelis & verax, imò ipsemet se Veritatem appellat: Apoc.3.7. & 19.11. Io.14.6. Quia non potest nec falli, nec fallere. nec inuentus est dolus in ore eius. Omnis autem homo mendax, solus Deus verax. Rom.3.4. Psal.116.11. Certè, vt nomen vitæ, non conuenit nisi Deo. sic etiam nomen veritatis. Quomodo enim pura creatura appellari meritò potest, veritas ipsa, aut vita?

IX. Ex eo verò, quòd appellatur Pontifex secundum ordinem Melchisedec, multis modis colligimus, Christum non esse purum hominem. Primò ex persona Pontificis. Erat enim antequam fieret homo. & antequam corpus, quod offerret, assumeret. Nam Apostolus eum ex Psalmo quodam Dauidis introducit, qui è cœlo per incarnationem Mundum ingressus, Patrem alloquatur, & sese illius voluntate futurum obsequentissimum polliceatur. Heb.10.15. Psalm. 40.7. simul verò etiam nos doceat, ad expiationem peccatorum nostrorum, necessarium fuisse, vt qui in cœlo erat Filius Dei æternus, carnem nostram sumeret, sibique accommodaret: vt ea à Deitate sanctificata, & vi expiandorum peccatorum donata, offerri posset pro peccatis nostris. Sic igitur inquit Apostolus: *Quapropter ingrediens Mundum dicit: sacrificium & oblationem noluisti: corpus autem* (id est, humanam hanc naturam) *aptasti mihi, ô Deus.* Quum ait: *ingrediens Mundum*, ostendit eum antea fuisse extra Mundum, nempe in cœlo: & in alio longe diuerso, quàm sit humanus statu. Quum verò ait: *Aptasti mihi.* docet, se etiam ante assumptam carnem verum fuisse ὑφιστάμενον. Quis enim nescit discrimen esse inter id, cui, & inter id, quod alicui aptatur, & accommodatur? Ac simul docet, humanam naturam, quasi vestem fuisse Christo, quùm factus est homo. Deinde ante assumtam carnem, non solùm erat verum ὑφιστάμενον, sed etiam sine principio temporis, hoc est æternus. Huius enim typus fuit Melchisedecus: is autem dicitur neque principium dierum habuisse, neque finem. quia non legitur. quando natus, neque quando mortuus: Hebr.7.3. At hoc in Christo verissimum esse docet Apostolus: quia Christus reuera initium non habuit dierum, æternus enim & ante mundi constitutionem. Nec finem, quia non moritur, sed manet in æternum. Habuit tamen initium, quâ homo est. Alia igitur in eo natura, præter humanam, secundum quam non habuit initium. Hac de causa sicut Melchisedecus dicitur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. quia non legitur, quis fuerit eius pater, & quæ mater: ita Christus reuera ἀπάτωρ, secundùm carnem: καὶ ἀμήτωρ, secundum Spiritum, aliamque naturam. Deinde hoc idem confirmatur à modo offerendi sacrificij. per Spiritum æternum, seipsum obtulit. Hebr.9.14. quid verò obsecro est iste æternus Christi Spiritus, per quem seipsum obtulit? ille profectò, quem Apostolus ad Rom. opposuit carni, dicens. Christum esse ex semine Dauidis, κατὰ σάρκα. Filium autem Dei κατὰ πνεῦμα; Rom.1.4. Deitas nimirum ipsius visque eius Deitatis æterna. Denique idem probatur ex vi sacrificij. Alij enim sacerdotes quia eorum sacrificia erant inefficacia. multa cogebantur offerre & repetere sacrificia. At Christus semel obtulit. & hoc vno, pro omnibus satisfecit. Ideò ait Apostolus, *At Christus per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta* &c. He.9 12 Vnde verò hoc discrimen, quòd alij omnes cogebantur sacrificia repetere: iste verò vnico sacrificio repetit redemptionem? Quia illi homines puri. hic verò non purus homo. Et idcircò huius sacrificium virtutis fuit infinitæ: reliquorum autem finitæ, eòque & inefficacis.

X. Huc etiam illud facit, quòd vnicus Dei, & hominum, Mediator appellatur. 1. Tim.2 5. Mediator enim efficax esse non potest, nisi naturæ vtriusque particeps sit, ex qua sit altera habeat quod offerat: ex altera verò vim capiat infinitam, qua sacrificiũ ad expiationẽ peccatorum, efficax fiat. Non

potuit

potuit igitur Christus purus esse homo, si perfectus Mediator fuit, & est inter Deum, & homines. Atque hoc est quod Apostolus contendit vbique præsertim in epistola ad Heb. Adde, quòd vnus tantùm est omnium hominum electorum mediator. Ab initio igitur mundi talis fuit (vt etiam ait Apostolus Heb. 11.8.) tunc autem homo non erat.

Huc etiam spectat nomen Aduocati, quo illum ornat Ioan. quum ait: *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*, ideóque efficacem. 1. Io.2.1. Ergò non est purus homo. Sicut enim si fuisset purus homo, eius humanitas expiandis peccatis idonea & efficax non fuisset (vt modò ostensum est:) ideò verò fuit efficax, quia nō fuit purus homo, sed etiam Deus (qua de causa dicitur Deus Ecclesiam redemisse suo sanguine: Act.20 28. qua locutione docemur, nisi fuisset Deus, sanguine illo nudo & tantùm humano, Ecclesiam non potuisse vnquam redimi. Et ad Heb. legitur obtulisse sese per Spiritum æternum Heb.9.12.) Ita etiam aduocatio apud Patrem non posset esse efficax, si purus esset homo.

XI. Quomodo etiam potest esse propitiatio pro peccatis totius mundi, qui virtutis sit finitæ? 1. Ioh. 2.2. Rom.3.25. Est autem virtutis finitæ quæuis creatura.

Huc etiam illud referendum est quod legimus apud Ioh. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ioh. 1.29. Non potest enim peccatum mundi tolli ab eo, qui nudus sit homo: vt Ebion loquebatur. Nam docemur ab Hosea, inuocare Deum; & ei soli dicere, *Tolle iniquitatem nostram.* Hos. 14. 3.

Dicitur prætereà, Pascha nostrum immolatum, esse Christum. 1.Cor.5.7. Quomodo autem immolatus fuerit explicat Petrus: *Mortificatus quidem carne, viuificatus autem Spiritu.* 1.Pet.3.18. Et: *Cùm igitur Christus passus sit pro nobis carne, &c.* 1.Petr.4.1. Aliud igitur est in Christo præter carnem, secundum quòd nec passus, nec mortuus est. Christus enim totus quidem nostrum est Pascha, cuius virtute liberati sumus è seruitute Ægypti: hoc est, peccati, Sathanæ, mortis: & manum, gladiúmque Angeli, id est, iram Dei euasimus: sed immolatus est tantùm secundùm carnem. Virtus autem immolationis aliunde fuit.

XII. Cur etiam pax nostra vocatur? Eph.2.14. Quia per hunc reconciliati sumus, & pacificati Deo Patri. Quia per hunc sublatis inimicitiis, maceriéque legis rupta, è duobus, vnum fecit populum. Col.1.20. Quia pacificat conscientias nostras. Denique, quia ipse sicut est nostra iustitia, qua sumus iusti, sic etiam nostra pax, qua sumus pacificati, & reconciliati Deo Patri. Quomodo hoc soli, & puro homini conueniat? Vt enim apud Ierem. 23.7. Iehoua est iustitia nostra, sic etiam est pax nostra.

Eódem spectat nomen spei nostræ: Sic enim vocatur ab Apostolo 1.Tim.9.1. quia nulla re possumus verè niti, ad sperandam vitam æternam, nisi Christo. Intra nos enim nihil est, cui possit inniti spes de æterna salute; quia omnia peccato contaminata. Extra nos, nulla reperitur creatura, à qua possimus sperare salutem: quia nemo illam, aut potest conferre; cùm non sit Deus: aut propriè promereri, cùm omnes aut peccatores sint, aut saltem virtutis finitæ: & ex debito officio operentur, omnésque simus inutiles serui. Superest Deus in sua essentia, & natura. At is, licet possit, non tamen vult salutem conferre: nisi eius satisfiat iustitiæ, pro peccatis nostris. Quid igitur spei nobis superest? Christus. Is enim pro nobis satisfecit sua obedientia, vsque ad mortem, mortem autem crucis. Meritò igitur dicitur spes nostra, quia in hoc solo sita est nostra salus. Si autem esset purus homo, merave creatura, non posset nostra spes illo niti, nam passim in Psalmis iubemur, in solo Deo sperare, & Deus dicitur nostra spes. Ergò etiam hoc Christi nomen, spes nostra, docet, eum nullo modo puram esse creaturam.

Appellatur etiam vita nostra: *Cùm autem apparuerit Christus vita nostra*: Colos.3.4. & *Ego sum vita.* Io.14.6. Id fit duab. de causis, tū, quia vita, qua viuit corpus: tū quia id, quo intelligimus, est in Christo. *In ipso erat vita.* Io.1.4. (rerum scilicet omnium) καὶ ἡ ζωὴ (vera scilicet & æterna, nempe Christus Λόγος, qui & Λόγος τῆς ζωῆς dicitur 1.Io.1.1.) erat τὸ φῶς hominum: hoc est, id, cuius efficaci virtute, homines non solùm, vt reliqua animantia viuunt: verùm etiā luce rationis & intelligentiæ prediti sunt. Docet enim, τὸν Λόγον D. Iohannes causam esse efficientem in hominibus, tum totius ciúsque excellentis vitæ, tum omnis lucis, & intelligentiæ, ac proinde τὸν Λόγον vocat, καὶ τὴν ζωὴν καὶ τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων: non (vt ita loquar) formaliter, sed efficienter: idque, quia reuera talis est in se formaliter, hoc est, reipsa, & οὐσιωδῶς: pura igitur creatura esse non potest.

XIII. Quid? quòd sæpè dicitur esse lux vera mūdi? vt apud Ioh. *Erat lux vera, quæ illuminat*, &c. Ioh.1.9. Et, *Ego sum lux mundi.* Io.8.12. Iuxta hæc duo dicta, obseruo Christum bifariam lucem appellari. Primùm quatenus vnus est cum Patre Deus, essentia purissima, sanctissima, in qua nullæ sūt tenebræ, lucem habitans inaccessam. Deus enim propriissimè lux est: de quo Iohan *Deus lux est*, &c. 1.Io.1.5. Et Apostolus, *Lucem habitat inaccessam.* 1. Tim.6.16. Ita Christus. Et iuxta hāc significationem de eo ait Iohan. 1.9. *Erat lux vera.* Quare vera? Quia ex se & per se refulget: splendorem suū ab aliis minimè mutuās: nisi quod quicquid habet, habet à Patre. Hac de causa, etsi angeli, vel homines vocantur aliquando lux: tamen non sunt vera lux: quia quicquid habent luminis, siue naturalis, siue supernaturalis, non à se habent, sed à Christo acceperunt. Ideò subdit Ioh. de hac luce Christo, *Quæ illuminat omnē hominē*, &c. *Omnē*, inquit, *hominem*, nemine excepto, & quidem, *quum venit in hunc mundum*, id est, quum nascitur. Liquet hic nō esse sermonem de illuminatione, quæ fit ad salutem æternam. Non enim omnes, quum veniunt in hunc mundum, illuminantur ad salutem. Quæ est igitur hęc illuminatio, qua dicit per Christum illuminari omnem hominem, idque quum venit in hunc mundum? Est mentis, iudicij, rationis communicatio. Omnes enim homines, quum veniunt in hunc mundum, veniunt cū anima, ratione & vi iudicij prædita. Et omnes in se insculptum habent iudicium iusti & iniusti. Hoc iudicium & intelligentiam vocat illuminationem, & lucem. Vnde hāc habent? A Christo creatore, vt Iohannes docet. Is enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: radiis scilicet suæ sapientiæ, intelligentiæ, iudicij. Quomodo hoc puræ creaturę attribui queat? Nempe vt sit lux, quæ illuminat, &c. Sunt & Angeli lux, vt testatur Paulus ad Hebræos, 1.7. *Qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos ignis flammam.* Et homines sunt lux, quatenus participes fiunt lucis diuinæ. At quis vnquā fuit talis lux, quæ illuminet omnem hominem, nisi Christus? Et si omnem hominem venientem in mundum: Ergò ista lux fuit etiam inde ab initio: & ipsa illuminauit Adamum, & omnes homines, qui tum fuerunt. Et perpetuò lucet, vt omnes possit illuminare. Dicitur deinde lux mundi, quatenus seruator, & salus est mundi. Et iuxta hanc significationem, illud ex nono Ies. citatur à Mat. *Populus, qui ambulabat in tenebris, &c.* Mat.4.16. Ies.9.2. Vnde apud Lucam, dicitur, *lux oriens ex alto*: qua dictione ostenditur Christi origo ex alto, id est, ex Patre cœlesti. Luc.1.78. Subaudit autem mox hoc Ies. testimonium: *Vt appareat iis, qui in tenebris, &c.* Simeon verò vocat Christum, lumen patefaciendum gentib. *Quia viderunt* (inquit) *oculi mei, &c.* Luc. 1 32. Et iuxta hāc significationem dixit de se Christus, *Ego sum lux mundi.* Io 8.12. Atque ob hoc verbum Iudęi intellexerunt, illum se facere seruatorem mūdi, & Deum qui propriè est lux. Ideò dixerūt: *Tu de teipso testimoniū prabes, &c.* Ergò etiam iuxta hanc alteram significationem, liquido apparet, Christum non esse purum hominem, quia lux vera, & quia lux mundi. Erat enim Christus Deus in carne, vt lux in laterna: qui radios sui fulgoris emittebat quò volebat, vt in transfiguratione, Matth. 17. 2. & quum apparuit Paulo, Act. 9.3. & 22.6. & 26. 13.

XIV. Sed quid illud est, quòd sponsus Ecclesiæ, tam animorum, quàm corporum, vocatur? vt apud Matth. *Aderit dies, quum tolletur ab eis sponsus.* Matth. 9. 15. & apud Ioh. *Qui habet sponsam sponsus est.* Ioh.3.29. Non potest igitur esse purus homo: tū quia in veteri Testamēto, Deus Iehoua semper fuit sponsus illius Ecclesiæ: & promisit etiam, se futurum sponsum istius, quæ colligenda erat post aduentū Messiæ: tum ex reliquijs Israel, quàm ex Gentibus, vt apud Hos. & alibi videre est. Tum quia ex iis, quæ Apostolus de officio sponsi Ecclesiæ, déque eorū vnione scribit, necessariò efficitur, fieri non posse vt sponsus Ecclesię purus sit homo. Ad Ephes. enim ait: *Vir est caput vxoris, vt & Christus Ecclesiæ: & is est, qui dat salutem corpori.* Eph.5.23. Quomodo salutem dat corpori? per suum Spiritum, vim illi communicando, vt anteà explicuit Apostolus. Quomodo hoc possit, si pura sit creatura? Deinde ait: Christū amasse Ecclesiam, & se pro illo tradidisse, vt eam sibi sanctificaret, mundans eā lauacro aquæ per verbū. At cuius est sanctificare, & purgare Ecclesiam à peccatorum sordibus? certè Dei. Vnde igitur tanta vis sanguini Christi, si purus est homo? Ideo est illud ex Actis semper tenendum, *Deus redemit suo sanguine Ecclesiam* Act. 20.28. Ait prætereà, Christum ita purgare suam Ecclesiam, vt eam sibi reddat gloriosam, sine macula, sine ruga, & inculpatam. At neque hoc potest, si purus homo. Fit enim hæc sanctificatio per Spiritum sanctum: qui Spiritus est Dei, & Spiritus Christi appellatur. Rom.8.9. Nemo certè hominum, qui purus sit homo, potest hunc communicare Spiritum, & eo animos sanctificare: sed solus Deus. Dicit insuper, Christum ita sibi copulasse Ecclesiā, vt eam

fecerit suam carnem: iuxta illud de viro & vxore, *Duo erunt vna caro* Gen. 2. 24. Adhæc vnio nostri cum Christo, & inter nos, ita vt omnes simus vnum corpus cum Christo, & vna caro, non fit, nisi per vinculum eiusdem Spiritus Christi: vt ad Corinth. perspicuè docet Apostolus: *Etenim in vno Spiritu nos omnes in vnum corpus baptizati sumus.* 1. Cor. 12. 13. Neque hoc præstare potest, qui purus sit homo, sed tantùm Deus, cuius est, hunc Spiritum communicare. Dicit etiam, Christum nutrire, & souere Ecclesiam, vt carnem suam. Quomodo hoc facit, qui in cœlo est, si mera est creatura? Nutrit enim, & souet, cibo suæ carnis, & potu sui sanguinis. Sed neque caro, neque sanguis Christi cõmunicãtur cuipiam, nisi per Spiritum sanctum, qui Spiritus est Christi: vt docet Apostolus ad Cor. *Omnes*, inquit, *in vnum Spiritum baptizati sumus*: nempe, per eundem Spiritum. 1. Cor. 12. 13. Est enim repetenda illa particula, quæ est in primo membro, *ἐν ἑνὶ πνεύματι*: vt sensus sit, sicut per vnum Spiritum omnes baptizati sumus in vnum corpus: ita etiam per vnum Spiritum potati sumus sanguine Christi in vnum Spiritum: id est, vt simus omnes, non solùm vnum corpus, sed etiam vnus Spiritus cum Christo. Quare certum est, Christum non posse nobis suam carnem, & suum sanguinem cõmunicare, nisi Deus sit: quia hæc communicatio non potest fieri, nisi per Spiritum sanctum. Illud præterea addit Paulus, Christum nos ita sibi vniuisse, vt simus membra corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius. Quomodo sumus ex carne eius & ex ossibus eius? Nunquid hanc nostram carnem, & ossa nostra, accepimus à carne Christi, & ossibus Christi? de Eua verissimè fuit hoc dictum, quòd esset de carne Adæ, & de ossibus Adæ, mariti sui. At quòd nos simus de carne Christi: etsi verum est, intelligi tamẽ facilè nequit. Videtur enim potius Christus esse ex carne nostra, & ex ossibus nostris, id est, Ecclesiæ, quoniã eã à nobis accepit. Vnde Apostolus ad Hebræ. ait, *Quia pueri* (id est nos) *participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque similiter particeps factus est*, &c. Hebr. 2. 14. Quomodo igitur sumus ex carne Christi? Hæc nostra caro, & sanguis bifariam considerari potest. Primùm quò ad substantiam. Hoc sanè modo non sumus de carne Christi: sed sumus caro & sanguis, de carne & sanguine parentum nostrorum: & in summa de carne prioris Adæ. Et hoc pacto etiam caro Christi est ex carne, & ex ossibus nostris: quia eam accipit ex Dauidis, Abrahæ, & Adæ, carne & ossibus. Potest deinde considerari, quo ad sanctam bonámque qualitatem, quam consequitur à Christo: quatenus scilicet nostra caro sanctificata est per Spiritum Christi, & facta vnum cum Christo. Atque ita facta est, quasi alia caro, non ampliùs caro peccati, sed caro sancta: non caro terrena, sed quodammodo caro cœlestis. Sicut & Christus homo cœlestis est: vt loquitur Apostolus, 1. Cor. 15. 47. Hoc modo nos sumus de carne & ossibus Christi: seu nostra caro, non quo ad substantiam, sed quo ad qualitatem, est ex carne Christi: id est, sancta, ex sanctitate carnis Christi, vi coniugalis vinculi Spiritualis, inter Christum & nos. Vt omnis vxor, Eua excepta, quatenus est homo, & mulier, non est caro ex carne viri: sed caro est & os, ex carne & ossibus suorum parentum. Sed quatenus vxor: est ex carne viri iuxta illud, *Erunt duo in carnem vnam*, propter vinculum matrimoniale. Gen. 2, 24. Ita nos, quatenus homines, non sumus caro ex carne Christi: sed contrà Christus, qua homo, est caro ex carne nostra. Sed quatenus sumus Christiani, & spõsæ Christi, iã per Spiritum Christi, Christo ipsi sanctificatæ, mundatæ, incorporatæ, sumus de carne eius, & de ossib. eius. Atq. hoc est mysteriũ, de quo Apostolus, *Erũt duo in carnem vnam. Mysterium hoc magnũ est*, &c. Eph. 5. 31. Si mysterium, mystica igitur est, & spiritualis hæc vnio: qua simus vnũ cũ Christo de carne & de ossibus eius. Quare mysterium? quia fit per Spiritum sanctum, hominibus mundi incognitum. Atq. hoc est primum ac præcipuum caput in coniugio Christi, & Ecclesiæ, considerandum: vnio scilicet hæc nostri, nostræ videlicet animæ, nostræque carnis, cum Spiritu, & carne Christi, per eundem Spiritum Christi, in nos diffusum, & carnem nostram sanctificãtem, & mundantem, ita vt fiat quodammodo alia caro, & alia fiant ossa, propter regenerationem. Ex his facilè colligimus, Christum non esse purum hominem. Si enim Christus nudus esset homo, vnio hæc fieri non posset. Sed ideò fit: quia cùm sit Deus, eodem Spiritu sanctificationis, quo ipsius caro de principio suæ conceptionis fuit sanctificata, nostram etiam sanctificat, sibi vnit, & aliam facit.

Summa: Duplex est nostra natiuitas, vna carnalis ex hominibus: altera spiritualis ex Deo. Quod ad primam attinet: caro nostra, non est ex carne Christi. Quod ad secundam, est ex carne Christi: quia regeneratur per Spiritum sanctum. Spiritus autem sanctus communicatur nobis ex carne Christi: vt est apud Iohann. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Io. 1. 16. Est igitur de carne Christi non immediatè sed mediatè, per Spiritum sanctum.

XV. Cur verò appellatur ab Apostolo Finis legis? Rom. 10. 4.

Tres sunt eius nominis rationes. Prima est, quia Christus legem perfectè impleuit, quo ad mandatorum obseruationem: quæ obseruatio erat finis legis: vt scilicet tandem ab aliquo perfectè obseruaretur. Alioqui principalem finem non fuisset assecuta. Secunda vero est, quia omnes etiam legis maledictiones super vnum Christum ceciderunt: dum scilicet luit pœnas pro peccatis omnium nostrum, & omnium electorum, qui à condito orbe, legem transgressi fuerant. Hic autem fuit alter finis legis; vt scilicet tandem eius maledictionis super aliquem plenè & perfectè caderent, & suum haberent complementum. Tertia denique est, quia omnes benedictiones, hoc est, promissiones legis in Christo, suum consecutæ sunt finem. Vnde Apostolus: *Quotquot promissiones Dei sunt, in ipso* (Christo) *sunt etiam, & Amen ad Dei gloriam.* 2. Cor. 1. 20. hoc est, Omnes in Christo sunt exhibitæ, & completæ, quum scilicet ille suo functus officio, propter suam obedientiam, & propter maledictiones legis in se impletas: hæreditatem cœlestem nobis comparauit. Et hic erat tertius finis legis: vt scilicet tandem suæ etiam promissiones implerentur. Nihil enim præterea est in lege, nisi aut præcepta, aut maledictiones, aut benedictiones, id est, promissiones. Præcepta omnia seruauit Christus: maledictiones omnes in se recepit Christus: Promissiones omnes complementum habuerunt in Christo: Et de his omnibus apud Matthæum, Christus ait: *Non veni, vt dissoluam legem, aut Prophetas: sed vt impleam:* ca 5. 17. nempe omnibus numeris, & quod ad singulas legis partes attinet. Ideo subiecit: *Amen amen dico vobis, Vsque dum*, &c. Hic ostendit, se omnia præcepta seruaturum, & omnes maledictiones in se recepturum: Quod testatur Paulus ad Galat. 3. 13. *Christus nos redemit à maledictione legis, factus pro nobis maledictio*: & ita sua obedientia, & passione effecturum, vt omnes etiam promissiones, suum haberent complementum. Proinde tota lex, & omnes Scripturæ, in Christum, tanquam in finem, & scopum, ceu oculos intendebant. Ergò Christus finis legis. Nec simpliciter est finis legis, sed finis ad iustitiam omni credenti. Lex enim sua seueritate, & suis maledictionibus, contra transgressores, huc spectabat, tanquam ad finem, & scopum: nimirum vt omnes adacti in desperationem, cogerentur confugere ad eum, qui omnes præteritas transgressiones condonaret per misericordiam, qui à legis maledictione liberaret per iustitiam: & qui denique daret vires, quibus lex seruetur, per Spiritum suum: eoque circumcideret corda, & sine legis operibus vitam daret æternam: modò vera fide in se credatur. Quis est iste? Christus: Ideò meritò dicitur finis legis, ad iustitiam (id est, ad remissionem peccatorum, ad regenerationem, ad veram cordis circumcisionem, denique ad vitam æternam recipiendam) omni credenti: Quomodo autem posset Christus esse his modis finis legis, si humana tantùm esset præditus natura? Nam nullus homo sua obedientia potuisset satisfacere legi pro se: nedum pro omnibus in se credentibus: neque maledictio fieri pro omnibus, ita propter maledictionem, quam ipse sustinuisset, alij à maledictione liberarentur: neque denique obtinere, vt promissiones haberent non in se solùm, sed etiam in omnibus aliis, suum complementum. Quid ita? quia ipsius obedientia, & recepta in se maledictio, semper finitæ fuissent virtutis. Idem liquet ex Deut. vbi hic finis legis promittitur, & explicatur. Deu. 30. 1. Nam ibi Moses non agit legislatorem, sed vatem, de morte, & resurrectione Christi, déque iustitia nobis per eum paranda, & per fidem à nobis possidenda, interprete Apostolo ad Ro. 10. 4. Posteaquã enim Moses, & præcepta explicuisset, & maledictiones recensuisset, & promissiones enumerasset: tũ demũ ca. 30. sic ait: *Quũ itaq. venerint super te omnia verba ista, benedictio & maledictio, quæ ego posui antè faciẽ tuã, redibis ad cor tuũ*, &c. Quis est obsecro ille, de quo ait: *quũ venerint super te omnia ista?* Nũ populus ille Israel, sine Christo? minimè. Nam neque omnes benedictiones venerunt super Israëlẽ, neque omnes maledictiones. Et tamẽ ait: *Quum venerint hæc omnia, maledictio, & benedictio super te.* Est igitur Christus, caput totius populi, cum toto corpore suo, ille, super quẽ ventura prædicebatur omnis maledictio, & benedictio. Super hũc. n. venerũt hæc omnia, & per cõsequẽs, super totũ corpus suũ, id est super veros Israëlitas: quatenus ipse omnes maledictiones tulit, pro omnib. transgressionib. nostris: & quatenus ipse, legem pro omnib. seruando, impetrauit, vt etiam legis benedictiones super se, & super nos venerint

nerint. Tum demum omnes veri Israelitæ propter Christum conuertuntur ad Dominum; accipiunt Spiritum sanctum, quo obediunt legi Dei. Tum demum Dominus circumcidit illorum corda, & tandem deducit in terram promissam patribus, id est in cœlum. Atque hæc est illa promissio iustitiæ, de qua Paulus ad Rom.4.25. quæ in duobus consistit; in eo, vt ne dubitemus, quin Christus mortuus sit propter peccata nostra, & in se receperit has maledictiones, de quibus antea: & ne dubitemus de resurrectione, propter nostram iustificationem, & quin post resurrectionem, super eum ceciderint, & ex consequenti super nos omnes benedictiones. Quis autem est ille, ad quem conuertuntur electi, qui eos circumcidit, quique deducit in terram promissam? An non ille Iehoua, ad quem lex populum dirigit, suis comminationibus & promissionibus, est etiam ille, qui circumcidit, & ad quẽ conuertuntur? Vtique. Et ita ille Iehoua est finis ad quem dirigit lex populũ. Atqui hic est Christus: Nã lex est pædagogus ad Christum. Gal.3.4. Et vt ait Hos. *Post hac reuertentur Filij Israel, & inquirẽt Dominum Deum suũ, & Dauidem regem suum*, id est, Messiã. Hos.3.5. Huc facit illud Hier. *Hoc est nomen quo vocabunt eũ, Dominus Iehoua, iustitia nostra*. Hie.23.6. Huc pertinet etiam illud Apostoli ad Romã *Et ita totus Israel seruabitur: sicut scriptũ est: veniet ex Sion, ille liberator, &c.* Rom.11.25. Quis est iste liberator, qui venit ex Sion? Christus. Vnde illud: *per quem* (Christum) *circumcisi estis, &c.* Col.2.11. Moses autem dixit, quod Iehoua ille, ad quem conuertentur Filij Israel, præter alia circumcidet corda eorum. Et tamen Apostolus ad Col. docet Christum eum esse qui circumcidat corda. Et eam vocat circumcisionem Christi, nempe actiuè, quia Christus circumcidit. Præterea Ierem. ait, Iehouam futurum nostram iustitiam. Et Apostolus ait, Christum non solùm esse hanc iustitiam: sed etiam esse finem legis ad iustitiam omni credenti: quia ipse est, qui sua iustitia iustificat credentes in se. 1.Cor.1.30. Rom.10.4. Manifestum est igitur, si Christus finis est legis, eum non esse nudum hominem: quia & totam perfectè seruauit legem, non tam pro se, quàm pro omnibus electis: & omnes eius maledictiones in se recepit, non tã pro se, quàm pro electis, & propter omnia electorum peccata: & denique impetrauit, vt omnes promissiones in se, & in omnibus electis suum haberent complementum. Hæc certè non posset præstare mera creatura. Multò autem magis manifestum fit, Christum non esse purum hominem, si finis est legis ad iustitiã omni credenti: quia qui sic iustificat credentes, Deus est: quia qui iustitia est credentibus, Deus est: quia denique qui circumcidit corda; Deus est. Hæc autem omnia satis patent ex Prophetarum vaticiniis.

XVI. Nec sine causa vocatur, sanctus, & iustus. Quomodo verò Sanctus? Non, vt alij, simpliciter: sed sanctus, sanctificans in se credentes: *Vt eam sibi sanctificaret, purgans eam lauacro, &c.* Eph.5.26. Est autem huc (vt ante dixi) solius Dei.

Eodem modo dicitur iustus: non tantùm in se, sed etiam quia alios iustificat. Ita vocatur in Actis. *Qui prænunciârunt aduentum iusti illius*, (Christi) *cuius, &c.* Acto.7.52. Ita etiam Ioh. eum appellat, dicens: *Aduocatum habemus apud Patrem, Christum iustum* 1. Io.2.1. Quomodo autem iustus? Iustus, iustificans impium. Ideo etiam iustitia nostra vocatur: quia sua nos iustitia iustificat. Cuius est autem iustificare, nisi solius Dei? Et tamen hoc Christo sæpè tribuitur in sacris literis: vt apud Iesa. *Iustificabit multos iustus Seruus meus, &c.* Iesa.53.11. Hoc autem Dei esse, testatur Apostolus ad Rõ. *vt sit ipse iustus, & iustificans, &c.* Rom.3.26. Et, *qui Quis est condemnet? Deus est qui iustificat*. Rom.8.33.

XVII. Illud etiam non est sine ratione, quòd vocatur gloria populi Israel. Simeon apud Luc. postquam dixisset, Christum esse lumen reuelandum gentibus, id est, salutem gentium, eundem etiam vocat gloriam populi Israel, & huius etiam Seruatorem Luc.2.32. Vocat autem Christum gloriam: Quia Christus is est, per quem vera, & cœlestis gloria communicanda erat Israeli: & per quem domus secunda, gloriosior futura erat prima: vt explicat Apostolus. 2. Cor.3 Hic igitur est gloria Israelis: quia in hoc verè habent Israelitæ, cur glorientur. Atqui in solo Deo est gloriãdum: vt docet Ierem. & Apostolos: *Qui gloriatur, in Domino glorietur* Hier.9.24.1.Cor.1.31.

Quid de nominibus petræ & fundamenti, ac lapidis angularis, quibus in scripturis insignitur, dicã? Vocatur Petra, super quam ædificata est Ecclesia Mat.16.18. & fundamẽtum Ecclesiæ: *Fundamentum aliud nemo potest ponere &c* 1.Cor.3.11. At si Christus ψιλὸς esset ἄνθρωπος, debile & infirmum admodum foret hoc fundamentum, super quod tota Ecclesia iam inde à condito orbe fundata est, & in quo totum ædificium firmum est: vt pote quo ipsa tota nititur. Est autem ita firmum, vt non portæ quidem inferorum præualere possint. Mat.16.18. Imo si purus homo esset, super ipsam nullo modo fundari, & extrui posset Ecclesia. Vocatur autem lapis angularis, quia Spiritu suo sancto, vtrunque populum coniungit, firmũ continet, vt ex omnibus electis, tam gentilibus, quàm Iudæis, vnum fiat ædificium & templum, in quo ipse cum Patre habitet, vt ipsemet docet apud Ioh. Matt.21.42. Ephes. 2.20. Act.4.11. 1.Pet.2.6. Ioh.14.20.

Neque frustrà vocatus fuit cornu salutis nostræ. Is enim est, qui inuicto robore, & infractis viribus, prostratis hostibus, peccato, morte, & Sathana, regnum Israelis spirituale asseruit, & in æternum firmauit. Luc.1.69.

Præclarissimum verò est illud nomen, quo fuit ornatus apud Luc. ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *oriens ex alto*, vel germen ex alto, id est, è cœlo. Luc.1.78. Simile huic nomen est illud, quo vocatur ab Apostolo ad Corint. nempe Adamus secundus, & cœlestis. 1.Cor.15.45. At certè Christi caro non est ex alto, neque è cœlo, sed ex semine Dauid in vtero virginis. Est igitur in illo aliquid aliud, propter quod his nominibꝰ appelletur.

XVIII. Illud verò nomen, nempe Princeps vitæ, quo à Petro vocatur, Act.3.15. quam habet significationem? Demonstrat Christum esse omnibus electis, iam à condito orbe, auctorem vitæ, & corporalis, & spiritualis, atque æternæ. De temporali dicitur illud apud Iohan. *In ipso erat vita*, nempe omnium, quæ viuunt. De spirituali verò illud: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam* Et *Ego sũ panis vitæ*. Nam caro etiam Christi vitam adfert. Proinde dixit: *caro mea verè est cibus*, nempe ad vitam: verùm non per se, sed per aliud: quia scilicet deitati vnita est ὑποστατικῶς. Io.1.16. & 6.48.54 55. Hoc explicat Christus illis, qui cùm non agnoscerent Christum esse Deum, sed purum hominem esse existimarent: mirabantur quòd dixerat: *Qui manducat carnem meam, &c.* quum ait, *Spiritus est qui viuificat*, id est, deitas mea: *caro* (per se) *non prodest quicquam*. Si igitur Christus, omnib. iã inde à condito orbe princeps fuit & est vitæ, quia vitam confert, & corporalem, & spiritualem: & licet totus sit princeps vitæ, ita vt etiam eius caro viuificet, tamẽ hanc vitam non confert, quatenus homo, sed quatenus Spiritus, id est, Deus: liquidò apparet, eum non esse nudum hominem.

XIX. Vocatur etiam ab Apostolo primitiæ dormientium, id est, eorum, qui dormiunt. 1.Cor.15.20. Causa duplex est: Vna, quia ipse primus ad vitam immortalem resurrexit; non amplius reuersurus in sepulchrum, vt loquitur Paulus Act.13.34 altera, quia causa est aliis, vt resurgant. Primitiæ enim, quæ offerebantur Deo, & ipsæ erant benedictæ, & aliis quoque fructibus, ac rebus erant causa, vt inter benedictas, & pro benedictis haberentur. Ideò Apostolus, postquam vocasset Christum primitias eorum, qui dormierunt: subiecit rationem, cur primitias mortuorum appellarit, dicens: *Sicut enim per Adam omnes moriuntur, sic per Christum omnes viuificabũtur*. At mortuos suscitare solius est Dei: *Pater suscitat mortuos*. Io.5 21. Ideò etiam Christus dicitur suscitatus à Deo. Deus verò & Dominum suscitauit, & nos suscitabit. 1.Cor.6.14. Quia etiã si Dominus seipsum excitauit à mortuis, vt dixerat, se facturum: tamen hoc non fecit, nisi quatenus Deus. Io. 2 19. Ergo neque reliquos excitat ad vitam, quatenus homo, sed quatenus Deus. Quare hoc etiam nomen argumentum continet apertum, Christum nõ esse meram creaturam.

Eodem spectat, quòd clariùs etiam vocatur, resurrectio, & vita, vt ipsemet de se dicit: *Ego sum resurrectio, & vita*. Io. 11.25. Est enim causa efficiẽs resurrectionis & vitæ omnium electorum.

Quid verò illud est, quòd non rarò vocatur principium & finis. Apoca.1.8. Principium est rerum omnium: vnde omnia. Finis omnium in quem, & propter quem omnia. Hic autem est Deus; à quo omnia, & propter quem omnia, etiam impius ad diem malum creatus est. Prou.16.4. Nam etiã Apostolus ad Ro. de Deo ita ait; *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia* Rom.11.36. Non est igitur Christus pura creatura.

Huc etiam facit illud nomen ostij, quo se ipse appellat apud Iohan. *Ego sum ostium &c.* Io.10.9. Ipse vnicũ est ostium per quod accessus, & ingressus pateat in regnum cœlorum, vitamque æternam. Hoc confirmat, quum ait: *Nemo venit, ad Patrem nisi per me*. Io. 14.6 Tale ostium apertum fuit à condito orbe: & per hoc ostium ingressi sunt omnes electi, & quotquot seruati sunt, quotquot autem conati sunt intrare in regnum cœlorum, sed non per hoc ostium, ij omnes fures fuerunt, & latrones.

XX. Cæterùm quòd vocetur passim pastor bonus, eòque & vnicus pastor noster, Ioh. 10.11. id non sine magna causa, quæ ad præsentem tractationem pertinet, factum est. Christus enim semper fuit, & est, & erit, pastor Ecclesiæ, & bonus, eòque & vnicus pastor: propterea quòd solus is est, qui

semper Ecclesiam pauit, curauit, temperauit, ac temperat tum verbo, tum Spiritu suo, donisque Spiritus. Quo Spiritu etiam spiritibus, qui sunt in carcere, profectus prædicauit. 1. Pet. 3. 19. Et Petrus ait, In Prophetis fuisse Spiritum Christi: & eos per hunc prænunciasse, quas Christus perpessurus esset perpessiones. 1. Pet. 1. 11. Quomodo igitur Christus purus homo, si talis pastor? An non etiam nunc agit pastorem è cœlo, & Ecclesiam suam pascit, & regit, tum verbo, tum Spiritu suo? Quomodo verò solus bonus pastor? An nō & alij boni pastores permulti in veteri Testamento? Cur igitur ait de se: *Ego sum* (solus) *bonus pastor*? Quia nemo omnibus numeris bonus, vt Christus. Nam alij boni fuerunt, participatione bonitatis à Deo communicatæ: Christus per se, & simpliciter. Luc. 18. 19. Nemo autem hoc pacto bonus nisi solus Deus. Christus autem talis est pastor, qui potestatē habeat ponendi animam suam, & resumendi eam. Io. 10. 18. Quis hanc habeat auctoritatem, qui nudus sit homo? Christus est talis, quem nemo possit occidere, nisi ipse velit. Ideò ait: *Nemo tollit eam à me, &c.* Talis est pastor, qui omnes suas agnoscat oues: Ideò ait: *Et ego agnosco eas.* Io. 10. 27. Quomodo possit omnes electos agnoscere, nisi qui Deus sit? Nā nouit Dominus qui sint sui. 2. Tim. 2. 19. Talis est pastor, & tam fortis, vt omnes suas custodiat oues, nec sinat vt quispiam aliquam illarū rapiat de manu sua. Ideò dicit, *Et nemo rapiet eas de manu mea, &c.* Io. 10. 28. Talis est pastor, qui det vitā æternam suis ouibus. Quis dare autē hanc potest, nisi Deus? Talis denique pastor est, qui vnum sit cum Patre, & cum eo suam regat Ecclesiam: & in singulis habitet ouibus: *Ego & Pater*, inquit, *vnum sumus.* Alibi verò: *Ego & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Io. 10. 30.

Vitem quoque veram seipse Christus appellat Ioh. 15. 1. Vitis est vera: quia semper viuit: nos nostra natura aridi & infrugiferi sumus, nisi in Christum inseramur. Est etiam vera vitis: quia quicquid succi in nobis est, aut in vllo vnquam homine à condito orbe fuit, totum illud à Christo fluit. Est enim perpetuò illud verissimum: *Sine me nihil potestis facere.* Io. 15. 5. At si purus homo, quomodo semper, vt vitis, vixit, & vitam in seipso habuit? Quomodo electi à condito orbe potuerunt, aut nos possumus in illum inseri? Hæc enim insitio manibus nō fit, sicut neque circūcisio cordis: Col. 1. 11. sed fit tātùm Spiritu Christi, quo ita nos sibi vnit Christus, vt vnus Spiritus fiamus cum illo: ideò Apostolus ad Corint. ait, Nos per vnū Spiritū potatos esse in vnum Spiritū: &c. 1. Cor. 12. 13.

XXI. Quòd verò etiam sit Iudex viuorum, & mortuorum, vt Scripturæ vbique docent, Act. 10. 42. Matt. 7. 22. & 13. 41. 2. Tim. 4. 1. apertè euincit, eum non esse purum hominem. Nā Iudex, cui flectetur omne genu, est Iehoua, Rom. 14. 10. Ies. 45. 23. Hoc idem patet ex descriptione maiestatis, in qua vēturus est cum Angelis suis ad iudicandum mundum Dominus noster Iesus Christus. Matth. 25. 31. Nā si talis est Iudex, necesse est omnium conscientias agnoscat, & nihil eum lateat. Idcircò in Apoc. vbi describitur Christus iudex mundi, dātur ei oculi flāmei. Apoc 19. 12. At hoc solius Dei propriū est, nosse omnia, scrutari corda cuiusque, & conscientiam perspectam habere. Propterea Apostolus ad Rom. ait: Deum illum esse, qui iudicabit mundū, & vnicuique reddet secundum ipsius opera. Rom. 2. 6. & 3. 6. Et tamen apud Matth. de se ait Christus: *Futurum est, vt Filius hominis veniat, cum gloria Patris sui, cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundū facta ipsius*: Iidem in Apocal. ait: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, &c.* Apoc. 22. 12.

XXII. Huc pertinet & nomen, quasi ipsius proprium, quo semper κατ' ἐξοχὴν appellatur, Dominus, ὁ κύριος: & quidem Dominus omnium, etiam Dauidis. Christus igitur non est purus homo, vt ipse Christus apud Matt. argumentatur: Quomodo igitur per Spiritum Dauid eum vocat Dominum suum? Ex hac dictione, quia Messias vocatur à Dauide Dominus, colligit ipse Christus, se non esse purum Dauidis Filium, eoque nec purum hominem. Matth. 22. 42. Et quidem illa Christi consequentia fuit tam bona, & syllogistica; vt Matth. dicat neminem Iudæorum potuisse quippiam ad eam respondere. Ergò si etiam nos ex hoc quod Christus vbique in Scripturis vocatur Dominus, & nos perpetuò eum vocamus Dominum nostrum, inferamus eum nō esse meram creaturam, nemo iure poterit nostram damnare illationem; præsertim quia Christus non Dauidis solùm, sed omnium etiam, non tam corporum, quàm animarum Dominus appellatur & est, atque etiam Angelorum. Apud Matth. ita legimus: *Filius hominis mittet Angelos suos, &c.* Matt 13. 41. Apud Luc. verò: *Natus est vobis Seruator mundi, qui est Christus Dominus.* Luc. 2. 11. Vocant igitur eum Angeli Dominum, nempe etiam suum. Quomodo igitur talis tantusque Dominus omnium potest esse pura creatura, præsertim cùm is dominetur in ipsis fidelium cordibus?

Nec solùm omnium Dominus vocatur, sed etiam Dominus gloriæ, nempe cœlestis. Vnde illud: *Dominum gloriæ nunquā crucifixissent.* 2. *Cor.* 2. 8. Quare non est purus homo, sed Deus. Quid enim est esse Dominum gloriæ? Idem quod esse Deum. Nam idcirco dicit Apostolus, occisum à Iudæis fuisse Christum, quia non fuit agnitus quis esset, nempe Dominus gloriæ: sed tantùm eum esse hominem iudicārunt. Ex hoc igitur loco apertè colligimus, Christum non esse nudum hominem. Nam ideò eum crucifixerunt Iudæi, quia pro puro homine habuerunt: alioqui non crucifixuri, si agnouissent illum esse non hominem solum, sed etiam Dominum gloriæ, id est Deum. Deus enim est Dominus suæ gloriæ & maiestatis. Ideò dicit per Iesa. se illam nemini daturum. Iesa. 42. 8. Et in Psal. dicitur. *Quis est iste Rex gloriæ? Iehoua Sebaoth, ipse est Rex gloriæ.* Psal. 24. 8. Et in Act. Stephanus sic suam incipit concionem: *Deus ille gloriæ. &c.* Act. 7. 2. Ideò apud Hebræos hac voce כבוד יהוה, *gloria Iehouæ*, significare solent Deum ipsum: Idcirco legimus apud Iohan. *Vidimus gloriā eius, &c.* Io. 1. 14. Hoc igitur nomē, quo Christus ornatur, nimirum Dominus gloriæ, apertum dat testimonium eius deitati: eum scilicet non esse meram creaturam, sed etiam Deum. Ideò nō minus ipsi, quàm Patri solet dari gloria, præsertim à Paulo: vt meritò, & non sine causa, soliti semper fuerint fideles vnumquemque Psalmum sic concludere. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc & semper, &c.*

XXIII. Eodem refertur aliud, huic simile, nomen; nempe splendor gloriæ: quo nomine ornatur à Paulo ad Heb. *Qui cū sit* inquit, *splendor gloriæ, &c.* Hic locus insignis est, ad demonstrandum, Christum non esse purum hominem, sed simul verum Deum. Nam in hunc etiam finem ita eum vocat Apostolus. Quæ enim est illa gloria, cuius Christus splēdor esse dicitur? Nemo diffitetur, nomine gloriæ, intelligi gloriam Dei, hoc est, æternam, & immensam Patris maiestatem, atque deitatem: de qua per Ies. 42. 8. ait Iehoua: *Ego Iehoua, & hoc est nomen meū, & gloriā meā alteri non dabo.* Hæc gloria seu deitas nomine etiam lucis significatur, quā Deus habitat inaccessam. 1. Tim. 6. 16. Atqui huius diuinæ maiestatis, quæ est in Patre, tanquam in fōte totius deitatis, Christus est, & dicitur ἀπαύγασμα. Quid est ἀπαύγασμα? resplendentia, seu splendor, ex lumine refulgens: vti splēdor qui è Sole in toto resplendet orbe. Quis igitur non videat ex hoc nomine hæc omnia consequi, idque iuxta Apostoli propositum atque sententiam, Primùm quidem Totā Patris gloriā in Christo refulgere: ac proinde eum esse eiusdē cum Patre essentiæ? Est enim Filius substantialis splēdor Patris, vnde & χαρακτὴρ substantiæ Patris ibidē vocatur, eòque eiusdem οὐσίας cum Patre. Vti enim splendor, qui è Sole in toto refulget orbe, nihil quoad essentiā differt à luce quæ est in Sole, sed eiusdē est essentiæ cum Sole: Ita Filius nihil differt à Patre, quod ad οὐσίαν attinet, & tam Filius lux est, quàm Pater: imò vterque vna & eadem lux, sicut Sol & eius radius. Sequitur deinde etiam, deriuari Filium ex Patre, vti splendor solis à Sole. Et prætereà, Filium coæternum esse Patri. Vt enim numquam fuit Sol sine suo splendore: ita neque Pater sine filio. Illud etiam hinc sequitur, distingui Filium à Patre, vt etiam splendor solis distinguitur à Sole. Ad hæc, colligimus ex hoc loco etiam istud, Inseparabilem esse Filium à Patre, & Patrem à Filio: sicut etiam splēdor separari à Sole non potest, nec Sol à splendore. Proinde rectè dicebat Christus: *Ego in Patre, & Pater in me* Io. 17. 21. Hinc denique sequitur, Christum esse speculum, in quo possimus agnoscere & videre Patrem, quem alioqui extra Christum nemo vidit vnquam, sed nec videre potest, cùm lucē habitet inaccessam. Io. 1. 18. 1. Tim 6. 16. Sicut etiam in splendore, & ex splendore Solis, videmus Solem, & quanta sit eius vis atque virtus. Ideò dicebat ad Philippum Christus, *Qui videt me, videt & Patrem meum:* Io. 14. 9. quasi dicat, Non est cur quæras, vt videas Patrem extra me, Philippe: neque enim videri ille potest extra me. In me verò homine facto, tanquam in speculo, totus relucet: tota eius gloria, maiestas, bonitas, potētia, denique quicquid est in patre, totum illud in me resplendet, qui sum eius ἀπαύγασμα. Ergo qui videt me oculis fidei, videt & Patrem. Ac certum est præter alias causas, cur Λόγος factus sit homo, hanc esse non postremam: nempe, vt possemus Deum intueri in Filio incarnato, quem in sua immensā maiestate, non modò non poteramus intueri & agnoscere, sed etiam periculum erat, ne, si id voluissemus tentare, absorberemur ab eius gloria. Atque huc pertinet illud Salo. *Scrutator maiestatis opprimetur ab ea.* Prou. 25. 27. Voluit igitur Filiū carne vestiri, vt in ipso totā suam maiestatem, gloriā, φιλανθρωπίαν, bonitatem, clementiam, totam denique suam naturā nobis spectandā, & quasi palpandā exhiberet. Meritò igitur Christum Apostolus appellauit ἀπαύγασμα gloriæ

gloriæ Patris. Et Ecclesia rectè in symbolo, *Lumē de lumine, Deum verū de Deo vero.* Quare hoc nomen apertū est argumentū, Christū nō esse hominē tantùm, sed æternū quoque verúmq. cum Patre Deū. Est.n. Christus talis gloriæ paternæ splēdor, per quē Pater omnia fecit: ergo æternus splēdor paternæ gloriæ. Ideò etiam Christus gloriā suam docet esse æternā: Io.17.3. Eodem in loco Apostolus vocat Christū χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ: h.e. insculptam formā personæ Patris. Hebr.1.3. Quid est.n. χαρακτήρ? forma est alicuius rei, alteri rei impressa atque insculpta, παρὰ τὸ χαράσσειν, insculpere, vti est alicuius imago & forma in sigillo, vel aureo, vel alterius materiæ insculpta, quę posteà per sigillum, ceræ imprimitur. Sic Christum vocat χαρακτῆρα ὑποστάσεως Patris, vt ostendat eum non esse inanē aliquam & sine substātia imaginem & similitudinē, qualis est figura hominis in speculo resplēdens. Sed esse ὑπόστασιν substantialē, in qua impressa sit ὑπόστασις Patris: ita vt qui videt Filiū, videat Patrem. Et simul ostendit eum eiusdē esse cum Patre essentiæ: sicut & figura in aureo sigillo insculpta, eiusdem est cū sigillo substātiæ. Hac de causa vocauit eū non simpliciter formā, aut similitudinem, sed χαρακτῆρα. Si igitur Christus est talis character, vt in eo insculptā videamus personā Patris, & quasi ipsius Patris vultū atq. faciē in eo intueamur: quomodo pōt esse purus homo: ac nō potiùs ipse quoq. Deus est, ęque atq. Pater?

XXIV. Huc etiā spectat nomen Imaginis. Christus passim vocatur Imago Dei, vt in posteriore ad Cor. & in Ep. ad Col. vbi hęc sunt verba, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου. 2.Co.4.4. Col. 1.15. Quomodo verò imago est Dei, & qualis imago? Primū quidem imago Dei est, quatenus Deum Patrē refert. Et quidem totā Christi personā, Apostolus vocat imaginē Dei. Est igitur imago Patris, & quà λόγος per quem condita sunt, & cōsistunt omnia, & quà homo ὑποστατικῶς cū λόγῳ cōiunctus, per cuius sanguinē habemus remissionē peccatorum: quemadmodum ipse vtroq. hoc colore ibi ab Apostolo describit. Quare fallūtur, qui Christū imaginē Dei Patris putant appellari, eatenus tantùm, quatenus homo est, omnib. diuinis Patris virtutibus ornatus. Nam respectu alterius quoq. naturæ, per quā facta sunt omnia, & à qua Christi sanguis vim habuit ad expiationem peccatorū; imaginem Dei, eum vocat Apostolus. Porrò quà talis homo, imago est Dei perfecta: sed quà λόγος, perfectissima. Perfecta quidē, quà homo: quia in Christo tota Patris natura, & ingeniū perfectè relucet. & hęc imago in qualitatū ratione consistit, non autē in substantia. Nam sic etiā dicimus filiū, qui facie, & morib. refert faciē & mores parentis, verā & perfectam esse Patris imaginē. Eodem modo Christum, quà homo talis est, imaginē Dei vocat Apostolus: quia in Christo homine relucet vultus, natura, ingeniū Patris: nimirum quàm sit bonus, clemens, misericors, nostri amans, purus, sanctus, candidus. Sic etiā homo dicitur factus ad imaginē, & imago esse Dei: nō propter substātiam, sed propter qualitates diuinas in eo relucentes, sanctitatem, sapientiam, iustitiam in quibus fuit creatus. Quæ sanctitate, sapientia, atque iustitia repræsentabat Dei sapientiam iustitiam, sanctitatem. Christus igitur quà homo, imago est Dei Patris: quia in ipso resplēdet tota Patris natura. Sed quà λόγος, & Filius, Imago est Patris perfectissima omnium, ita vt nulla perfectior excogitari possit.

Neq; est, cur quispiam mihi succēsere debeat, quòd Christum perfectissimam Dei Patris imaginem vocem, ita vt nulla perfectior excogitari queat. Nā nihil potest similius reperiri Deo Patri, quàm sit Filius. Magna certè est similitudo inter Deum & solem. Cum enim in cœlo multæ sint stellæ, & in terra multi variique splēdores: & omnes suo modò referant aliqua ex parte Deū, qui est lux perfectissima: nulla tamen lux tam perfectè repræsentat lucē diuinam, atq; facit sol. Deus est vnicus: Sol vnicus. Deus lux perfectissima: Sol lucet perfectissimè. Deus talis est lux, vt eam videre & ferre nemo queat. Tanta etiam est Solis lux, vt oculi nostri dirigi in eum nequeant. Deus sibi semper similis, ita & Sol. Deus omnia illustrat. Sol totū orbē illuminat. Verū magna quoq. est inter Deū & Solē dissimilitudo. Nam sol principiū habet, creatura enim est. Deus est sine principio, vtpote increatus. Sol mutabitur tandē: Deus semper immutabilis. Sol nō est vbique: Deus vbique est. Sol non intelligit, vt pote ἄνους, & est sine volūtate: Deus est mens, omnia cognoscēs, & volens. Proinde his, & aliis de causis Sol dici non potest vera, & perfecta imago Dei. Homo verò, præsertim renatus, est imago Dei, & Patrē cœlestē multis refert modis. Sed infinitis tamen rebus deficimus, & dissimiles Deo sumus. Proinde neq. nos sumus, aut dici possumus, perfecta Dei imago. Christus, quà homo, est aliis omnib. perfectior imago Dei: sed neq. est perfectissima. Nā quo ad qualitates tantum, nō autē quoad substātiā imago est Dei. Reperitur tamē imago, quæ longè perfectior est illa, quæ in qualitatum repræsentatione cōsentit: Ea est, quæ ipsam quoque substantiam repræsentat, imago scilicet substātialis: De qua Moses in Ge. 5.v.3. *Genuit autē Adam sibi filium ad imaginē & similitudinē suam: & vocauit eum Seth.* Cur ad imaginem suam? non tam propter similitudinem in naturæ corruptione: quā propter imaginem in substantia naturæ. Et hæc perfectior priore. Perfectior enim est imago substantialis, accidentali. Est autem Christus, quà λόγος & Filius Dei, substantialis ac proindè perfectissima Patris imago: ita vt magis similis sit ipse Patri suo, quàm nobis liberi nostri. Ergò si Christus perfectissima est Patris imago quæ excogitari possit, necessariò consequitur, non solum in Christo esse omnes perfectiones Patris, ingeniumque impressum: sed etiam eum eiusdem esse cum Patre essentiæ, & naturæ. Nisi enim esset talis: perfectior imago excogitari posset. Proindè non sine causa Apostolus pręmisit nomen Filij, & subiecit deindè nomen imaginis, in illo loco ad Col. Cuius loci iste est sensus: Quia Filius est Patri æterno charissimus: ideò etiam est perfectissima illius imago: ac proindè eiusdem est cum Patre naturæ, atque essentiæ, ab eodem Patre acceptæ.

Tria enim sunt imaginū genera. Vnū est earum, quæ illorū tantùm qualitates, & formas perfectè repræsentant; quorum sunt imagines, cum non sint eiusdem cum illis naturæ, & essentiæ. Alterū est earum, quæ non solum formas repræsentāt ad viuū, eorum, quorū sunt imagines: sed etiā eiusdē sunt naturæ, & substantiæ cū illis. Vt est aureæ imaginis, aurea imago, quæ ad viuum priorem repręsentat: sed ita tamē, vt aurū posterioris, non sit natū ex auro prioris. Tertiū genus est earū imaginum, quæ non solū ad viuū repræsentāt eorum qualitates & formas, quorū sunt imagines: nec solū sunt eiusdē naturæ, cuius & πρωτότυπα, sed etiā ex eorū substantia prodierunt, quorū sunt imagines. Vt hominis alicuius filius, qui & faciem, & mores atque ingenium referat parentis, & eiusdē etiam sit cum parente naturæ, eiusq; à Patre acceptæ. Hæc certè est perfectissima imago. Quis verò iam inimicus Christi est, qui velit eum esse imperfectiorem Patris sui imaginem; quàm simus nos parentum nostrorum.

Ad summam: Imago alicuius dicitur, quæ illi est similis, aut ex parte, aut per omnia & in totum. Filium dico imaginem esse Dei Patris; quia Patri est per omnia, & simpliciter similis: eòque eiusdem & cum Patre οὐσίας, & æqualitatis: ita vt hoc tantùm intersit, quòd Filius non est Pater.

XXV. Ex eo verò, q̄d Christus caput Ecclesiæ passim appellatur, Eph.1.22. & 4.15. & 5.23. colligere prōptū est, fieri nō posse, vt Christus sit purus homo. Cur.n. vocatur caput Ecclesię? Propter multa, quæ habet cū capite corporis humani, similia: quæ certè in purum hominem cadere non possunt. Ac primùm quidem, vt caput in loco est eminentiore, super omnia membra: ita Christus super totam Ecclesiam iam indè à condito orbe, eòque etiam super Angelos: nā angeli quoque ad Ecclesiam pertinēt: *Accessistis* (inquit Apostolus) *ad innumerabilium Angelorum conuentum.* Heb.12.22. Deindè vt à capite pēdent omnia mēbra, totumque corpus: sic à Christo omnes Angeli, & homines, totumque Ecclesiæ corpus: Omnes enim ex ipso sunt iam indè à condito orbe. Præterea vti omnia membra subiecta sunt capiti, tanquam Domino totius corporis seruatori, ac moderatori; Eph.5.24. Ita tota Ecclesia Christo, vt Domino, vt seruatori, vt gubernatori: idque à condito orbe. Semper enim Christus caput fuit Ecclesiæ. Alioqui vetus Ecclesia, ante incarnationem Christi vel fuisset sine capite, vel aliud habuisset caput, eòq. alium Seruatorem, quàm nos. Insuper, sicut caput videt pro toto corpore: Sic Christus sapiētissimus omnia intuetur, omniáq. sua nouit mēbra, & cuiusque corda, atq. renes scrutatur, vt ipse ait: *Ego sum scrutans renes*, &c. Apoc.2.23. Ier.17.10. Et tamen hoc est Dei proprium. Ad hæc, vt caput audit pro toto corpore: Ita Christus audiuit à Patre omnia, quæ ad nostrā salutē attinebāt: & audit atque intelligit, quæcūque fiūt in orbe. Atq. vt caput loquitur pro toto corpore: Ita etiā Christus volūtatē Patris reuelauit, iā ab orbe cōdito. His adde, quòd quemadmodū caput diffundit neruos ad singula mēbra, quibus ea sibi retinet inter se connexa: atq. ita infundit etiā Spiritum animalē, quo omnia mēbra viuunt, & sentiūt: Ita Christus suo Spiritu viuificat, & sēper viuificauit Ecclesiam: ac spiritualibus nexibus, commissuris & neruis, omnia simul mēbra sibi copulauit, & copulata seruauit, ac seruat: Eph.4.16. Col.2.19. Denique vt caput nutrit, & fouet totum corpus: (illud enim capit cibū, & diffundit ad omnia mēbra, atq. ita nutrit, & efficit, vt corpus augeatur) ita Christus fouet & nutrit Ecclesiam sua carne & suo sanguine opera sui Spiritus, quē Ecclesiæ cōmunicat. Eph.5.25. Col.2. 19. Et ita salutē dat corpori, efficitq. ipse, vt Ecclesia augeatur, & adolescat. quomodo verò hæc effecta pręstare posset nudus homo? Nā ipse Apost. ad Eph. docet Deū esse caput Ecclesiæ,

quum dicit, Deum patefecisse nobis mysterium voluntatis suæ, vt in pleni temporis dispensatione omnia recolligeret (nempe ipse, tanquam caput, omnes electos, tanquam diuulsa membra, in Christo tanquam mediatore) tum quæ in cœlis, tum quæ in terra. Ephes. 1.9.

Cùm igitur Ecclesiæ caput sit Deus, qui membra colligit, & Christus etiam sit hoc caput (est enim ipse caput Ecclesiæ) consequitur, Christum verum esse Deum. Atque hoc argumentum à capite Ecclesiæ deductum, haud infirmum mihi esse videtur, ad confirmandam æternam Christi Deitatem. Nam præterquàm quòd officia capitis prædicta præstari à mera creatura non possunt: Interrogo etiam aduersarios, An, quum scriptura dicit, Christum esse caput Ecclesiæ, intelligat, tam veteris à condito orbe, quàm præsentis: an verò tantùm præsentis, quæ ortum accepit à morte Christi? Si etiam veteris, æternus igitur est. Si præsentis tantùm, tum etiam interrogo, An vetus Ecclesia caput habuerit, nec ne? Si non habuit: fuit igitur ἀκέφαλοι, eóque & sine seruatore. Quo quid absurdius, & scripturis repugnantius? Si habuit, & hoc non fuit Christus: Aliud igitur habuit, quàm nostra, eóque alium Seruatorem. Hoc autem absurdum est: Et hinc fient duæ Ecclesiæ diuersæ, contra scripturas. Si vna & eadem: duo igitur haberet capita. Et si diuersum illa habuit caput à nostra; illud vel fuit creatura, vel creator Deus. Non illud, quia Scriptura non tradit: Deus igitur fuit caput. Si Deus caput illius, & nostræ homo tantùm Christus: peior igitur conditio nostræ quàm illius, contra quàm Scripturæ docent, quæ hanc post Messiam extollunt supra illam, & huius maiorem aiunt esse gloriam. Ag. 2.1. Vt igitur tollantur hæc absurda, fatendum est, Christum esse Deum, vt caput Ecclesiæ nostræ sit Deus, sicut & illius: Et Christum esse vnum cum Patre Deum, ne vnus sit Deus veteris, & vnus nouæ. Si excipias, At Christus non est caput Ecclesiæ, vt purus homo, sed quatenus Deus est cum illo. Si intelligis eo sensu, quo Apostolus ait, omnem plenitudinem Deitatis in illo habitare corporaliter: ita vt propter hanc vnionem, ex hac Deitate inhabitante, & ex humanitate inhabitata, vna constet persona, quæ est Christus: non fuerit opus disputatione. Hoc enim est, quod docemus, Christum verum Deum, & verum hominem, caput vnicum esse Ecclesiæ. Si verò secus intelligas, & Christum purum velis esse hominem, ista interpretatio stare non potest. Hoc enim pacto, aut solus Deus in eo inhabitans fuerit Ecclesiæ caput, non autem ipse Christus. Aut, si & ipse Christus, duo erunt capita, nimirum Deus vnum, & homo Christus alterum. Atqui vtrumque est absurdum. Aduersus illud Scriptura ait, Christum esse caput, & à Patre quidem constitutum super omnem Ecclesiam. Aduersus hoc Scriptura tradit, Vnum esse tantùm caput, Christum. In summa, necesse est, Si Christus purus est homo, eum aut nullo modo esse caput Ecclesiæ, sed solum Deum. Aut si est: conditionem nostræ Ecclesiæ deteriorem esse conditione prioris, vtpote quæ purum habet hominem pro capite, non Deum. Aut si Deus cum Christo est caput, Ecclesiam duo habere capita.

XXVI. Huc etiam facit nomen Regis, cui omnia sunt subiecta. Nam in Apocalyp. Princeps regum terræ, rex regum, & Dominus dominantium appellatur. Apoc. 1.5. & 19.16. Quale autem est eius regnum? Spirituale, & cœleste: quod latro in cruce Christum alloquens docet, quum ait: *Memento mei, quum veneris in regnum tuum* Luc. 23.42. Quodnam expectabat regnum post mortem, nisi spirituale, & cœleste? Etenim Christus regnat in cordibus & animis electorum, idque in perpetuum. Posteà etiam corpora excitabit ad immortalitatem: & tum perfectiùs etiam regnabit in nobis. Quomodo hæc posset præstare, si esset purus homo, & non etiam Deus? Certè qualitas regni, facilè qualitatem regis demonstrat. Cœleste, spirituale, & æternum regnum non conuenit nisi cœlesti, spirituali, & æterno regi. Ad extremum vocatur à Ioh. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. Apo. 1.8. Annon apertè docet, eum verè esse æternum? quippe qui semper fuit, quia est ὁ ἦν: & semper est, quia ὁ ὢν: & semper erit, quia ὁ ἐρχόμενος: eóque meritò est παντοκράτωρ? Nulla autem creatura æterna est, cùm omnes factæ sint, idque in tempore. Summa itaque impudentia est, dicere, Christum esse ψιλὸς ἄνθρωπος, cùm vel nomina ipsa, quibus ornatur in Scripturis, contrarium euincant. Ac de nominibus quidem satis. Multa enim prætereo, breuitatis causa.

## CAPVT III.

Alia quædam argumenta à loco, vnde venit Christus, & quò rediit: & à tempore, quo fuit ante carnis assumptionem: ab operibus, quæ in Mundo peregit: & ab aliis quibusdam ipsius attributis, ad eiusdem primæ θεότητος confirmationem deducta.

SEquitur nunc argumentum, quod continet locum, primum quidem, vnde Christus venit ad nos: deindè quò rediit, & deniq; vbi est, regnat, & habitat. Ab his enim locorum circumstantiis, aperta sumuntur argumenta, quibus euincitur fieri non posse, vt Christus pura sit creatura.

Christus enim antequam carnem sumeret humanam, erat in cœlo, & inde ad nos descendit. Cuius rei passim extāt testimonia, vt apud Lucam, quum vocatur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Lu. 1.78. Huc facit illud Io. Baptistæ: *Qui supernè venit, super omnes est.* Io. 3.31. Ipse verò Christus ita de se ait, *Quia descendi de cœlo.* &c. Et: *Quid si videritis Filium hominis ascendentem eò, vbi erat priùs?* Io. 6.38.62. Ergo priusquam fieret homo, erat in cœlo. Eo verò in loco frequenter inculcat Christus, se esse panem qui de cœlo descendit. Illud etiam legimus hac de re apud Io. *Vos de infernis estis, ego de supernis.* Io. 8.23. Et illud: *Sciens se à Deo exiuisse, &c.* Io. 13.3. Hoc idem confirmat Paulus ad Eph. quum ait: *Cæterum illud, ascendit, quid est, nisi quòd priùs descenderat.* Ephes. 4.9. Et ad Cor. quum vocat Christum, hominem de cœlo, & cœlestem. 1. Co. 15.47. Non est igitur purus homo, merave creatura, nuper facta. Rediit verò in cœlum, & sedet ad dextram Patris, in eadem scilicet maiestate & dominio cum Patre.

At hæc accepit, inquies, post resurrectionē. Accepit, vt homo, sed anteà etiā eadē habebat, iā inde ab ōni æternitate, & āte mūdi cōstitutionē. Proinde dicebat Christus: *Glorifica me Pater ea gloria, quam habui apud te, antequā mūdus fieret.* Io. 17.5. Est igitur suo corpore in cœlo Christus, & indè tamē nō descendit. Interim tamē nobiscū est in terris: *ecce, Ego vobiscum sum, &c.* Et: *Vbi fuerint duo vel tres, &c.* Mat. 28.20. & 18.20. Eph. 3.17. Ga. 2.20. 2. Cor. 13.3. Eph. 1.13. Habitat præterea in fidelium cordibus, viuit in illis, in illis loquitur, vbiq; est, omnia in suis electis implens. Hæc autem Dei sunt propria.

II. Aliud etiam argumentorum genus habemus, affine huic præcedenti: ducitur hoc à tempore, quo Christus fuit antequam esset homo. Fuit enim ante Ioh. Baptistam, ante Dauidem in deserto cum sanctis. Imò ante Abrahamum, & tempore Noe. Vnde illa: *Qui post me venit, ante me fuit.* Et: *Quid si videritis Filium hominis ascendentem eò, &c.* Et: *Antequam Abraham fieret, Ego sum.* Ioh. 1.15. & 6.62. & 8.58. Præterea Apostolus ad Cor. dicit, Christum fuisse illam petram, vnde omnes bibebant. 1. Cor. 10.4. Et fuisse tentatum ab Israelitis in deserto. Non est igitur purus homo, tùm primùm factus, quùm natus est ex Maria, vt dixit Ebion, Samosatenus, Photinus, & Seruetiani. Sed quid illud est, quod ait Apostolus, *Christus erat diues, & factus est pauper, vt nos diuites essemus?* 2. Cor. 8.9. Quando obsecro diues fuit Christus? Certè nunquam in hoc mundo. Ergò alibi, & antequam veniret in mundum. Illa etiam: *Ingrediens mundum, dicit, corpus aptasti mihi, &c.* Et: *semen Abrahæ assumsit.* Et: *Spiritus Christi erat in Prophetis* Et: *suo Spiritu prædicauit iis qui sunt in carcere. &c.* Heb. 10.5. & 2.16. 1. Pet. 1.11. & 3.19. Hæc, inquā, quid aliud sibi volunt, quàm Christum non esse purum hominem, quia substitit, antequam esset homo? Sed præterea constat, illum fuisse etiam ante conditum mundum, vt ex iis quæ subiiciemus, testimoniis patebit. *In principio erat verbum, &c. Quod fuit ab initio, de verbo vitæ, &c. Qui est πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, id est, qui est genitus ante omnem creaturam. Itē: *Ipse est ante omnia, & omnia per ipsum cōsistunt.* Itē: *Glorifica me* (inquit Christus ipse) *ea gloria quā habui apud te, priusquā mundus fieret* Io. 1.1.2. 1. Io. 1.1. Col. 1.15. Io. 17.5. Et: *sicut Melchizedek fuit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ: ita nec initiū dierū, nec finem vitæ habuit.* He. 7.3. *Ipse est ὁ ἀμὴν, & ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ.* Apoc. 3.14. Quomodo igitur potest Christus esse purus homo: Si hæc de illo verè dicta sunt: & ipsi optimè conueniūt?

III. Alia argumenta ducuntur ab operibus quæ ipse egit, & agit: quæ tamen sunt Dei propria: & à nulla pura creatura præstari possunt: Mundum, & quæcunque cœli terræque ambitu continentur, tam inuisibilia, quàm visibilia condidit. *Omnia enim per ipsum facta sunt:* Item: *in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit:* Ioh. 1.3. esse scilicet suum creatorem. Certè si externam corporis formam spectes, mundus nouit Christum esse hominem. Cur igitur ait: *Et mundus eum non cognouit?* Quia aliud erat in Christo, præter humanam naturam, quod mundus non nôrat. Apostolus verò ait: *Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, &c.* Col. 1.16. Et facit hîc Apostolus Christum causam esse efficientem, & finalem rerum omnium conditarum. Et tamen ad Hebr. vtramque Patri tribuit, dicendo. Heb. 2.10. *Decebat enim, vt ipse* (Deus) *δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα*, &c.

Omnia etiā cōseruat, & regit, idq; suo nutu, & arbitrio. Apostolus ad Col. posteaquā dixisset, omnia per ipsū fuisse cōdita, mox subiecit, *Estque ipse ante omnia, & omnia per ipsum cōsistunt*, id est cōseruātur, & sustentantur. Col. 1.17. Et ad He. dicitur Christus ferre, seu sustinere omnia, τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, id est, verbo illo suo potenti, seu iussu, & voluntate, arbitrioque suo, & ordinatione, veluti etiam princi-

pes

per omnia agunt verbo, iussu, ordinatione: vt illis sit satis os aperuisse. Heb.1.3 Prætereà edit miracula, idque sua virtute, sine alterius numinis inuocatione; sed solo suo iussu & verbo. Cum reliqui omnes, tam Prophetæ, quàm Apostoli, virtute aliena, sua ediderint miracula. Illi ex inuocatione Iehouæ: hi in nomine Iesu Christi. Cùm igitur sanet omnes languores, suscitet mortuos sua virtute, vt apud Euangelistas manifestum est, liquet, eum non esse purum hominem.

Nec solùm curat omnes morbos præsens corpore: verùm etiam absẽs. Sic.n. ait Petrus Æneæ paralytico: *Ænea, sanat te Iesus Christus.* Act.9.34 Christus igitur in cœlis existẽs, sanauit paralyticũ. Deindè aliis dat potestatẽ edendi similia opera; vt Apostolis: *Tunc aduocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem aduersus Spiritus impuros, &c.* Potest quidem aliquis hanc virtutem & potestatem à Deo accipere: sed eam aliis ipse tradere, nullo modo potest: nisi Deus sit.

Venio ad opera meræ spiritualia, & diuina. Elegit ad vitam æternam quos vult. *Ego scio* (inquit) *quos elegerim*, quod solius certè est Dei. Io. 13 8. Repurgat Ecclesiam electos in cœlum ducendo: impios verò in ignem ęternum coniiciendo. De Christo, sic ait Iohan. Baptista, *Cuius ventilabrum* (Euangelium) *est in manu eius, & perpurgabit aream.* Mat.3.2. Quotidie hoc facit per Euangelium: sed perfectè efficiet in die Iudicii. Baptizat Spiritu sancto, vt testatur Iohannes Baptista. Mat.3 10. Circumcidit corda sine manibus, suo tantum Spiritu, vt testatur Apostolus Col. 2.11. Est autem hoc solius Dei opus, vt Moses docuit. Deut. 30. 6. Recreat omnes fatigatos, & dat veram requiem animis, Matt.11.8. Remittit peccata. *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua.* Matt.9.2. Tollit iniquitatem mundi: id est, omnium electorum, in se: & eos liberat omni, tum culpa, tũ pœna: redditque eos inculpatos, in conspectu Dei & suo, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatũ mundi* Io. 1.20. Totam Ecclesiam sanguine suo mundat, & purgat: ita vt tandem fiat sine macula, & ruga. Eph.5.26. Est autem hoc Dei proprium. *Aquam mundam*, inquit Iehoua, *fundã super vos, &c* Ezec.36.25 *Obsignat Electos*, sigillo sui Spiritus cordibus illorum impresso. Apoc. 7.2. Est autem Dei proprium obsignare homines suo Spiritu, vt Docet Paulus ad Cor. *Porrò qui nos confirmat, Deus est: qui etiã obsignauit nos, deditq; arrhabonem Spiritus in cordibus nostris*, 1.Cor.1. 2. Effundit Spiritum suũ copiosissimè è cœlo super Apostolos: imo & super alios fideles. Act. 2.4. Dat sapientiam Apostolis & quibus vult, & quando vult: ita vt illis non possit contradici à mundo. *Habete fixum* (inquit) *in cordibus vestris, non esse præmeditandum quid responsuri sitis. Ego enim dabo quid loquamini.* Luc 21.4. Dat carnem suã ad mãducandum, etiam è cœlo, quæ interim non recedit à cœlo. Io.6.48.50.51. Nõ est igitur purus homo. Ideo qui eũ non agnoscebant, nisi pro homine puro, dicebant, *Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Scrutatur corda & renes omnium: *Et cognoscent omnes Ecclesiæ, quòd ego sũ ille, qui scrutatur renes, & corda*: Apoc.2.23. quasi diceret, Ego sũ Deus: est enim hoc Dei propriũ. Vnde illa *Tu solus nosti corda aliorũ hominũ.* Par.6.30. Et: *ego Iehoua scrutãs renes & corda.* Ier.7.30. Reddit vnicuiq. iuxta opera sua: *Et dabo vnicuique iuxta opera sua.* Apoc.2.23. Hoc etiam est Dei propriũ: *Ego Iehoua, scrutans renes & probãs corda, vt dẽ vnicuique iuxta vitã suã.* Ier.17.10. Dat vitã æternã: *Et vitam æternã do illis.* Io.10.28. Destruit Diabolũ: *Et per mortẽ destruxit eum qui habebat mortis imperium*, Heb.2.14 Et: *expoliatis principatibus & potestatibus, traduxit eos.* Eph. 4.8. Fabricauit domũ suam Ecclesiam: & ideò maiore gloria dignus est habitus, quàm Moses, Heb.3.3. *Euacuabit omnẽ principatum, & potestatẽ, & virtutem. Tradet regnũ Deo Patri: Et operatione virtutis suæ, sibi ipse omnia subiiciet.* 1. Cor. 15.24. Phil.3. 21. Hæc sunt præcipua opera quæ Christo in nouo Testamento tribuũtur: ex quibus apertè demonstratur, Christum non esse puram creaturã. Quomodo enim posset purus homo, tot tã: aque effecta, quæ etiã Dei propria sunt, præstare?

IV. Aliud argumentum continet ea, quæ passus est, secũdum Scripturas talem scil. passionem, talémque mortem. Ita enim fit, vt etiam passio, & mors illius, testentur eum non esse purum hominem. Quæ enim passus est, passus est secundùm Scripturas, quæcunque scilicet fuerũt prædicta à Prophetis, Messiam passurum. 1.Cor.15.4. Messias autem non poterat esse purus homo, vt demonstrat Christus ex Psal. apud Mat.22.43. Psal.110.1. Ergò etiam passio & mors testãtur Christũ non esse purum hominem, meramve creaturam. Præsertim, quia nemo hominũ potuisset ea prętare in cruce, & morte, quæ Christus præstitit. Clamauit voce mãgna, quũ esset Spiritum emissurus, &c. Mat.27.50. nõ minora egit, quæ prudẽs prętereo. Certè illa sanguinis & aquę effusione, tãquam visibili Symbolo, Christus declarauit, se vnũ verã esse peccatorũ expiationem, & verum credentium lauacrum. Talis autem esse non potuit, si purus homo. Ergò ex iis etiam, quæ passus est (quia omnia secundùm scripturas passus est) luculenter apparet, Christum meram non esse creaturã. Proindè non immeritò Io. inter alios testes, qui de ipso Iesu testantur, connumerat etiam sanguinem, id est, talem passionem & mortem, qualem Christus perpessus est 1. Ioh.5. 8. Et in Actis Paulus ex iis quæ passus est Christus demonstrat, eum verum esse seruatorem Messiam, Filium Dei: quòd dũ hæc passus est, impleuerit Prophetarũ vaticinia, quæ de passionibus ipsius Messiæ, Seruatoris mundi, scripta fuerant. Luc.24.26. Et Christus ipse idem conclusit, illis duobus discipulis, qui offensi eius cruce, & morte, videbantur de eo dubitare, an ipse verus esset Christus, nec ne. Nam ab iis, quæ passus fuerat, confirmat, se verum esse Messiam: *Nonne* (inquit) *oportuit hæc Christum pati? & exorsus à Mose, & à Prophetis, interpretabatur illis scripturas quæ de ipso erant*, nempe de se prodendo, capiendo, flagellando, crucifigendo, interficiẽdo. Luc.24.26. Atque iis confirmauit propositionẽ, oportuisse Christum pati, quæ ipse passus erat. Se igitur esse Christum. Fuit enim hæc Christi argumentatio:

Ille est verè stultus, & tardus corde ad credendũ, qui ideò non credit Iesum esse Christum, quia talem passus est mortem. Nam contrarium potius statui debuerat: quia quę passus est Iesus, ea omnia debuisse Christum pati, prædictum fuerat. Ac proindè oportebat illum hæc omnia pati.

Atqui vos ideò non creditis, Iesum esse Christum, quia passus est tale mortis genus.

Ergò estis verè stulti, &c.

Videmus igitur etiam Christum ab iis quæ passus est, confirmare, se esse Messiam: eóque se nõ esse purum hominem. Quare, vt ne nos quoque simus stulti, tantum abest vt eius passione, & morte debeamus à fide, de eius Deitate, vel latum vnguem auelli, vt potiùs in ea per passionem & mortem Christi debeamus confirmari.

V. His iam addo, quædam esse nomina, quæ sola per se accepta, immediatè infirmitatẽ Christi significant: sed coniuncta cum suis prædicatis, confirmant eius virtutem & Deitatem. Vt nomen Filii hominis, infirmitatis est, & ignobilitatis nomen: quasi Christus esset ita obscurus, vt cuiusnam esset Filius ignoraretur. Ideò propter humilitatem vocabatur Filius hominis: sicut etiam Ezechiel. At si hoc nomen coniungas cum illis, quæ de ipso simul prædicantur, videbis hoc nomine indicari nobilitatem, dignitatem & Deitatem Christi. Vt quum dicitur: *Filius hominis veniet in maiestate sua, cum Angelis suis.* Et, *Filius hominis potestatem habet in terra remittendi peccata.* Itaque Christus est Filius hominis: sed talis filius hominis, qui habeat potestatem remittendi peccata. Est filius hominis, sed talis filius hominis qui venturus sit cum Angelis in maiestate, vt iudicet totum orbem. Ita de nomine crucifixi. Est crucifixus, sed talis crucifixus, qui sit Dei virtus, & Dei sapientia. 1.Cor.1.30. Est tam pauper, vt nõ habeat, vbi caput reclinet: Mat.8.20. sed talis est pauper, qui nos ditissimos fecerit. 2. Cor.8.9. Est maledictio: sed talis maledictio, quæ nos à legis maledictione liberauit. Gal.3.13. Est seruus: sed talis seruus, qui nos à seruitute peccati & Satanæ in libertatẽ asseruerit, Phil. 2 7. Fuit sub lege: sed ita, vt qui sub lege erant redemerit, & Filiorum adoptionem reciperent, Gal.4.4. Est in similitudine carnis peccati; sed ita, vt in carne damnãrit peccatum, Rom.8.3. factusque sit nostra iustitia, sanctificatio, redemptio. 1.Cor.1.30.

VI. Efficax etiam est argumentum à cultu Dei. Cultus enim qui Deo soli debetur, exhibendus est ipsi etiam Christo, iubente scriptura. Non est igitur purus homo. Prima enim pars huius cultus, est fides. Scriptura autẽ iubet, vt credamus in solum Deum, illi soli fidamus, fiduciam salutis totã in eo vno collocemus: Et promittit, qui in eum credunt, eos seruatũ iri. Vbique hoc inculcatur, præsertim in Psalmis: & hoc cõtinetur in primo præcepto: *Maledictus ille homo qui fidit in homine*, ait Ier.17.5. Ergò benedictus ille tantũ, qui fidit in Domino. Atqui eadem Scriptura iubet credi in Christum, & promittit qui in eum credunt, eos habituros vitam æternam. Non est ergò mera creatura. Si enim esset talis, maledictus foret qui credit in eum. Gal.3.10. Apostolus autem ad Gal. ait, qui credunt in Christum, eos esse benedictos. Item Scriptura iubet in solũ Deum sperari, & ab hoc vno salutẽ expectari: *Spera in Domino Deo tuo semper.* Et, *Salus autem iustorum à Domino* Hos.12.6. At eadẽ scriptura iubet sperari in Christum, quòd ab hoc vno sit salus: & ait, eũ vnum esse nostram spem. 1. Tim.1.1. *Nõ est in aliquo alio salus.* Act.4.12. Et: *In eo Gentes sperabunt.* Et: *Qui priores sperauimus in Christo.* Ro.15.12. Eph.1.12. Scriptura itẽ iubet inuocari solũ Deũ, & promittit, qui inuocauerint Deũ, eos exauditũ iri: *In die tribulationis tuæ inuocabis me, &c.* Ps.50.15. Et: *Quicunque*

*inuocauerit nomen Domini: saluus erit.* Ioel.2.32. Atque Scriptura eadē docet inuocandū esse Christum: & eos qui illum inuocant, compotes fieri votorum suorum. Stephanus inuocat Christū, dicens: *Domine Iesu, accipe Spiritū meū.* Act.7.59. Et Ananias ait Christo, qui sibi apparuerat: *Audiui à multis de viro isto, qui etiam hoc loco habet potestatē vinciendi omnes qui inuocant nomen tuum.* Act.9.13 Et ibidem tota Ecclesia ait: *Nonne hic est, qui populatus est in Hierusalem eos, qui inuocabant nomen istud?* Act 9.21. Præter à Apostoli gratiam & pacē precantur fidelibus tam à Christo, quàm à Patre. Denique in Apoc. 4. Animalia canunt Agno canticum nouum.

In Scripturis solus Deus iubetur adorari: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsum solum coles.* Deut 6.13. *Adorate eum, qui fecit cœlum & terram.* Apoc.14.7. Atqui etiam Christum iubemur adorare. *Et adorent eum* (inquit) *omnes Angeli eius.* Heb.1.6. Et in Apoc.24. Seniores, & 4. animalia cadunt in terram, & adorant Agnum, &c. Apoc. 5. 13. Neque est, cur quispiam excipiat, adorandum esse Christum purum hominem, propter præceptum duntaxat Dei, qui sic iubet. Deus enim hanc gloriam se nemini daturum iurauit. Iesa.42.8. Et præceptum est à Christo repetitum apud Matthæum, de solo Deo adorando. Mat.4.10. Soli Deo debetur gloria. *Soli sapienti Deo gloria per Iesum Christum.* Rom.16.27. Et: *Regi seculorū immortali & inuisibili, soli Deo, honor & gloria.* 1. Tim. 1.17. Atqui eandem gloriam dant Sancti etiam Christo: *Ipsi gloria & imperium in secula seculorum.* Et 24. Seniores, & 4. animalia perinde Agno, atque Patri, dant gloriam in secula. Apoc.1.6.& 5.13.

Non licet item baptizari in nomen vllius simplicis creaturæ. Baptismus enim species diuini est cultus. Ibi enim inuocamus, & inuocationem, adorationem, cultum, & obedientiam promittimus ei, in cuius nomen baptizamur; tanquam vero Iehouæ, qui nos in fœdus suum recipiat. Ideò ait Paulus, *Nunquid in nomen Pauli baptizati estis?* 1.Cor.1.13.

Atqui baptizamur in nomen Christi: non minùs, quàm in Patris nomen.

Quomodo ergò Christus, diuinæ est expers naturæ, humana duntaxat constans?

VII. Si quis etiam diligenter consideret fines, propter quos, missus à Patre, venit in Mundum: is perspicuè videbit, fieri non potuisse, vt Christus, aut nudus homo fuerit, aut vlla alia pura simplexque creatura. Quam enim ob causam venisse dicitur? *Vt saluum faceret quod perierat.* Mat.18.11. vt recolligeret omnia, tam quæ in cœlis, quàm quæ in terris: Eph.1.9. vt assumeret semen Abrahæ: Heb.2.16. vt assumpti corporis oblatione, tanquam dato λύτρῳ nos redimeret, nostraque persolueret debita, sui sanguinis pretio: 1. Pet.1.18. vt Deum Patrem, quem alioqui nemo vnquam viderat, non tam verbis reuelaret, quàm in sua persona, tanquam visendum & palpandum præberet: Io.1.18.& 14.9. vt quantus esset Dei Patris erga nos amor, modo omnium præstantissimo, luculenter demonstraret. Modus autē erat, si Filius Dei proprius, & vnigenitus, pro nobis factus homo, propter nos etiam moreretur. Io 3.16. Rom.8.32.& 5.8. Quomodo igitur Christus est pura creatura? Venit denique, vt sua filiatione nobis communicata, Filij Dei per gratiam efficeremur Ga. 4.5. At quomodo hoc præstare potuit, si non fuit natura Filius Dei? Venit vt mortem absorberet. Hebr.2.14. At quis hoc poterat nisi qui suapte natura vita esset æterna? 1.Io.1. 2. Venit vt peccatum penitùs tolleret. At quis hoc valuit, nisi qui ipsa esset iustitia? 1.Cor.1.30. Venit vt destrueret opera Diaboli, Diabolumque eiiceret forâs, 1.Io.3.8. At quis hoc præstare poterat, nisi qui ipso esset fortior, adeóque ipsa Dei virtus? Proinde Christus meritò vocatur virtus Dei, iustitia, vita æterna, Filius Dei vnigenitus & proprius, splendor gloriæ, & character substantiæ paternæ, denique Seruator Mundi, 1.Cor.1.24.& 30.1.Io 5 20. Io.1.14. Heb.1.3. Io. 4.42. quòd præter humanam naturam aliquid in eo insit præstantius, cuius causa dignus sit, qui appelletur, non tam homo, quàm sapientia, quàm virtus Dei, quàm vnigenitus Dei Filius, quam vnicus Mundi Seruator, quàm Deus ipse verus, magnus, super omnia benedictus.

Hactenus quid potiùs non sit, quàm quid sit Christus, Scripturas, quæ de ipso sunt, leuiter percurrendo, indicauimus. Nunc pressiùs de eodem, quid sit, Scripturas diligentiùs examinando, agendum est.

*LIBRI TERTII FINIS.*

# DE VNO VERO DEO ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS

## Liber Quartus.

*Qui est prior de æterna Filij ex Dei Patris substantia generatione.*

### CAPVT I.

Qualis sit Christi ex Patre filiatio. Ratio doctrinæ huius confirmandę. Patris, Spiritus sancti & Angelorum de hac filiatione testimonia.

DE principio, quum ingressi sumus in nouum Testamentum, vt inde testimonia & argumenta colligeremus, ad confirmandam doctrinam de vera Christi Deitate, diximus clarioris methodi, & maioris perspicuitatis gratia, omnia, quæ in nouo Testamento cōtinentur testimonia & argumenta, ad tria redigi posse capita: quorum primum ea contineret, quæ in genere demonstrant, Christum non esse purum hominem, merámve creaturam: sed præter humanam naturam, diuinum etiam quiddam, idque non accidentale, sed essentiale, in eo inesse. Alterum ea complecteretur testimonia, quæ speciatim docent, Christum esse verum Dei Filium: non temporali adoptione, sed æterna natiuitate ex Patris substantia genitum. Tertium ea comprehenderet, quæ apertè prędicant, & nominant Christum verum Deum. Primum caput absoluimus, indicatis locis, vndè argumenta sint petenda, ad hanc confirmandam propositionem, Christum non esse nudum hominem, purámve creaturam. Etsi verò permulta attulimus argumenta, quibus perspicuè demonstratur, Christum esse verum Deum: Quia tamen alia etiam sunt allata, quibus non tam perspicuè hoc demonstratur; sed tantùm hoc liquidò concluditur, Christum non esse purum hominem, verùm præter humanam naturam, diuinum etiam quiddam in eo fuisse & esse: idque non accidentale, sed essentiale, quo egit & agit quæcunque agit diuina atque mirabilia opera: & propter quod debetur ei idem honor, gloria & cultus, qui etiam Deo Patri: Idcircò hanc propositionem ita demonstrasse, nobis satis fuerit in præsentia.

II. Nunc autem propiùs accedimus, & contendimus Christum esse verum, & naturalem Dei Filium.

Vt verò hoc perspicuè demōstretur, examinād a nobis sūt ea noui Testamēti loca, in quibus Christus appellatur Filius Dei: demonstrandumque est, eum non adoptione & gratia, sed naturâ Filium esse Dei, eumque non in tempore, sed ante mundi constitutionem, ex Dei Patris substantia genitum. Hostes enim Christi, non inficiantur Christum Filium esse Dei: sed negant Filium esse natura, ab æterno ex Patris substantia genitum. Hæc ergò nostra esto Thesis.

*Christus verus est, & æternus Dei Patris Filius: non adoptione factus, sed ex ipsa Dei Patris substantia genitus.*

Quo verò melius nostra intelligatur propositio, notandū est primò; Filiū Dei aliquē posse bifariā dici, aut prędestinatione, aut reipsa. Prædestinatione quidē: vt quum Iohannes ait: *Christus moriturus erat nō solū pro gēte: sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum.* Io.11.51.52. Hoc est, omnes ἐν ὑιοθεσίᾳ prædestinatos, seu electos. Reipsa verò: vt quum quis iam actu filius est Dei. Sed hoc bifariam, vel quū quis talis natus est, vel quum factus est, id quod alij dicunt, aut per naturam, aut per adoptionem; siue per gratiam adoptionis & regenerationis. Inter homines quoque, hoc duplex fi

liationis genus reperitur. Alii enim nascuntur filii: vt qui ex propriis parentibus concepti ac progeniti sunt. Alii fiunt: vt qui adoptantur in filios. At Christus nullo modo potest dici factus Dei Filius: sed tantùm natus: idque dico tam humanæ, quàm diuinæ naturæ ipsius respectu. Nam quatenus λόγος: natus est ex Patre ante Mundi constitutionem: hoc est, ab æterno. Idcircò in Symbolo Niceno dicimus: *genitum, non factum*: & de hac filiatione propriè loquor in Thesi. Quatenus verò homo: est etiam natus Filius Dei: non autem factus. Fuit quidem factus homo: sed non fuit factus Dei Filius. Nam ille homo, nunquam anteà fuit non Filius Dei, ita vt postea opus ei fuerit, se fieri Dei Filium: sed semper iam indè à sui conceptione fuit Dei Filius. Docet hoc Angelus quum dicit Mariæ: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altißimi inumbrabit te: propterea* (id) *etiam quod nascetur ex te sanctũ, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. 35. quasi dicat totum illud quod ex te nascetur: verus erit Dei Filius, & pro tali agnoscetur. Quid verò natũ est ex Virgine Maria? λόγος incarnatus: seu λόγος caro, id est, homo factus. Ergo cũ talis sit conceptus, & natus: non potest dici factus per adoptionem, Dei Filius. Ille enim dicitur factus Filius, qui cùm priùs non esset Filius naturâ: posteà factus est, adoptionis gratia. Tales nos quotquot renati sumus per Spiritum sanctum; sumus Filij Dei nempe facti per adoptionis gratiã: vt docet Iohãnes. 1. 12. *Quotquot eũ receperunt, dedit eis potestatẽ, vt Filij Dei fierent iis, qui credũt in nomẽ eius.* Idcirco etiam sibi & alibi Fideles dicũtur nati ex Deo: semper tamẽ huiusmodi dicta, sunt ita intelligẽda, vt de renascentia loquãtur, non autem de prima natiuitate. Sic Christus docuit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu: non potest introire in regnũ Dei:* Io. 3. 5. Si renascimur Filij Dei: prima ergò natiuitate non eramus filij Dei. Proindè si renascimur: Filij Dei fimus, qui anteà Filij non eramus. Nõ eramus natura: fimus adoptione. At Christus, & quâ Deus, & quâ homo: nunquam non fuit Filius Dei. Ac proindè nullo modo potest dici factus Filius Dei: quasi fuerit aliquando, quum Filius Dei non esset. Nam talis genitus est, & natus. Primùm ex Patre ab æterno: Deindè ex Matre in tempore. Ergò non est factus: sed genitus Dei Filius. Sed obseruandum est discrimen inter vtramque hanc Christi natiuitatem. Nam quâ λόγος: genitus est ex substantia Dei Patris: & hac de causa, verus, proprius, & vnigenitus Dei vocatur, & est Filius. At quâ homo: minimè ex substantia Dei Patris: sed tantùm ex substantia virginis Matris genitus est. Quamobrem ergo Christus, quà homo, dicitur Filius Dei non factus adoptione, sed natus? Duabus de causis: Primò propter vnionem hypostaticam cum λόγῳ, iam indè sui conceptione. Qua vnione factum est, vt iam non duo Filii sint Dei: sed vnus tantùm Dei Filius totum illud, quod ex Maria virgine natum est: contra Nestorianos. Deindè quia conceptus fuit è Spiritu sancto, plenus gratia & veritate. Primam rationem aperit Iohannes, quum ait, *Et Verbum caro factum est.* Ioh. 1. 14. Sermo ergo ille, & caro, vnum sunt ὑποστατικῶς. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Illa ergo duo, λόγος, & caro: sunt vnus Dei Filius. Vtrumque enim simul coniunctum, λόγον & carnem, vocat Filium Dei vnigenitum: sed vnigenitũ, ratione τοῦ λόγου. Docet ergo Ioh. Ideò Christum hominem, quâ homo est, vocari Filium Dei vnigenitum: Quia illa caro animata, & ratione prædita vnita fuit, & coaluit ὑποστατικῶς cũ Verbo. Ecce primam causam, cur Christus quà homo, vocetur & verè sit Filius Dei. Alterá rationem apertè tradit Angelus, quum ait Mariæ: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altißimi obumbrabit tibi: propterea* (id) *etiã quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Altißimi Filius.* Luc. 1. 35. Illa particula, *Propterea*: docet, Christũ etiã quâ homo natus est ex virgine, esse vocatũ, & tuerà esse Filiũ Altissimi: Quia ex Spiritu sancto, qui obumbrauit virginẽ, & virtus Altissimi vocatur, conceptus est. Neque hoc cuipiam mirum videri debet, quod dico: ideò Christum hominem natum esse Filium Dei, quia cõceptus sit de Spiritu sãcto. Nam si nos ideò dicimur & sumus Filij Dei, quia per Spiritum sanctũ renascimur, mutata nostra priori natura, quantò magis Christus, quatenus homo, ideò dicendus est, natus esse Filius Dei: quia non renatus, sed conceptus est ex Spiritu sancto, & natus est, plenus gratia & veritate?

Nunc tenemus, primùm quidem, Christum etiam quà homo, vocari & esse Filium Dei: Deindè eundem Christum etiam quà homo est, non esse factum, sed natum Filium Dei. Denique retinemus discrimen inter natiuitatem Christi ex Patre: & inter natiuitatem ex Matre. Natum enim esse ex Patris Dei substantia, quà λόγος est: & hanc ob causam verè & propriè vocari & esse Filium Dei vnigenitum. Natum verò esse ex Matris substantia, quà homo est. sed interim hunc etiam quà homo est, esse Filium Dei: cum propter vnionẽ cũ λόγῳ hypostaticam, tum propterea quod ex Spiritu S. hoc est, non ex substantia Spiritus S. sed eius virtute ex substantia Matris conceptus est.

Hæc est explicatio, quomodo Christus sit & vocetur Filius Dei. Nunc veniendum nobis est ad cõfirmationem. An Christus sit Filius Dei quà homo, idque non per gratiam adoptionis, vt nos, sed quia conceptus est ex Spiritu sancto: non opus habet probatione. Et iam illud satis est à nobis non solùm explicatum, sed etiam demõstratum. Reliquum ergò est, vt demonstremus hunc esse Filium Dei alia ratione: nempe quatenus eum ex Patre, Patrisque substantia natum esse dicimus: idque ab æterno. Hoc enim propriè illud est, quod in primis demonstrandum suscepimus: vt posteà indè concludamus, Christum verùm esse & æternum Deũ. Adferam autem testimonia è cœlo, è terra, & verò etiam ex inferis; vt cœlestium, & inferorum testimoniis luculenter appareat, Christum naturalem esse Dei Patris Filium: ac proindè verum cum Patre Deum.

### *III. Testi. Patris de Filij æterna generatione ex Matt. 3. vers. 17.*

PRimum itaque testimonium è cœlo est Patris testimonium, non semel de hoc Iesu prolatum Si locum vnũ, vbi Pater testificatus est, Christum suum esse Filium, explicem, reliqui deinceps nulla opus habebunt explicatione. Age igitur, & in nomine huius Patris, & vtriusque Spiritus, rem aggrediamur.

In Baptismo Christi, audita fuit è cœlo vox Patris de Christo testificantis in hæc verba. *Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Hic est ille Filius meus: ille dilectus: in quo acquiesco.* hoc est, cuius causa, & propter quem, omnem in humanum genus conceptã indignationẽ, depono: & erga omnes placor. Pater exhibet hic Christum mundo: & suum vocat Filium. Quùm itaque ait (οὗτος): quasi digito monstrat illum, qui ab omnibus videbatur, hominem Iesum. Quo sensu verò vocat Filium suum? Num tantùm, quatenus erat, & est homo? minimè verò. Totam enim illam personam vocat Filium suum. Hic igitur, nempe totus iste Iesus, totus iste Christus, nimirum & λόγος, qui factus est caro seu homo; & homo quem assumsit λόγος: Filius est meus. Atqui Christus non erat, neque est purus homo, vt ante à nobis ostensum est: & clariùs etiam deinceps liquebit. Erat enim λόγος, substantia per se, antè carnem subsistens: quemadmodum de principio abundè demonstrauimus, Ergò non eum vocauit Filium suum Pater, ea tantùm de causa, quòd esset homo ex substantia Virginis, virtute Spiritus sancti, in tempore conceptus: & omnia gratia plenus: sed etiam, idque cum primis, propter naturam, humana præstantiorem; quæ erat & est in Christo. Quænam erat illa? non certè Angelica. *Maior enim Angelis Christus: & ad nullum vnquam Angelorum dixit Pater, Filius meus es tu*: ait Apostolus. Hebr. 1. 4. Non est autem alia natura ratione prædita, nisi aut humana, aut Angelica, aut diuina. Præter humanam ergò natura etiam diuina erat in Christo: natura, inquam, τοῦ λόγου, quem Iohannes vocat Deum. Ioh. 1. 1. Ergò, Pater vocat Christũ, Filium suum, hac in primis de causa; quod esset ex se, hoc est, ex ipsa Dei Patris substantia genitus. At quando genitus? Ante mundi constitutionem, seu ab æterno, vt explicat Apostolus. Colos. 1. 17. Hoc etiam liquet ex articulo ὁ, præposito dictioni υἱὸς & dictioni ἀγαπητός. *Hic est ille Filius meus, ille dilectus.* Quasi dicat: hic est ille vnicus, & singularis, & vnigenitus, & proprius: eoque perfectissima & excellentissima ratione, Filius meus. Quid autem singulare & excellens de hoc Christo dixisset Pater, si eum vocasset Filium, ea tantùm de causa, quòd homo esset è Spiritu sancto conceptus? Annon etiam Iohannes Baptista, licet non de Spiritu sancto conceptus; fuit tamen in vtero Matris per Spiritum sanctum sanctificatus? Aliquid ergò diuinius indicare voluit Pater, quùm dixit, *Hic est ille Filius*, nempe hunc esse Filium vnigenitum, æternum, ex sua substantia, ab æterno genitum: iam verò in carne manifestatum. Quis enim est Filius, perfectissima filiationis ratione? Qui è Patris substantia ita nascitur; vt eam totam recipiat. Certum est hoc articulo ὁ υἱός μου: Patrem exemisse Christum è numero aliorum Filiorum suorum; & voluisse ostendere; hunc esse alio peculiari modo, suum Filium, quàm sint reliqui omnes. Alij autem omnes sunt Filij per gratiam, seu per adoptionem. Ostendit ergò, Christum esse Filium per naturam. Sunt enim tantùm ij duo modi, quibus aliquis possit esse alicuius Filius; nempe aut per gratiam, aut per naturam. Atque ad hoc confirmandum, spectãt omnes illi loci, in quibus Chri-

stus vocatur Filius Dei, cum articulo ὁ, ille: vt quum ait Baptista. *Hic est ille Filius.* &c Io. 1. 34. Et Paulus prædicabat, *quod Christus esset ille Filius Dei,* Actor. 9. 20. Et Iohannes, *Si quis confessus fuerit* (inquit) *quod Iesus, est ille Filius Dei: in eo manet Deus.* 1 Io. 4. 15. A fine etiā propter quem Pater hūc dilectum Christum è cœlo declarauit Mūdo, suum esse Filium, in quo acquiescat: quod dico perspicuum magis ac magis fiet. Cur enim hunc de cœlo talem suum esse Filium, palam Mundo declarauit? Nostra nimirum causa, vt agnosceremus, & eum, per quem salus nobis contingat: & quænā beneficia per hunc consequamur. Tria autem beneficia iis paucis verbis docet Pater, per Christum nobis communicari: quibus beneficiis reliqua omnia comprehenduntur.

Horum primum est, quòd simus propter Christum, & in Christo amati & dilecti à Patre. De qua re Apostolus ad Ephes. *Gratos nos fecit sibi in dilecto Filio suo.* Ephes. 1. 6. Ac proindè, quod electi ad æternam vitam simus. Nam Apostolus volens explicare electionē Iacob, ait eum ex Propheta, fuisse à Deo dilectum Rom. 9. 12. Sicut Reprobatio significatur nomine odij. Hoc primum beneficium indicat Pater, quum ait: *Hic est ille Filius dilectus.* Non enim intelligit simpliciter eum sibi esse dilectum: sed ita dilectum, vt propter hunc alios quoque, qui ad hunc pertinent, diligat. Idcirco enim prædicat eum sibi esse dilectū: quia ista Patris dilectio, ad nos quoque pertinet. Quando autem dilexit nos Pater, & elegit in Christo? Ante mundi constitutionē. Ephes. 1. 4. Si ergo nos ante mundi constitutionem dilecti fuimus propter hunc Filium, ante omnes dilectum: consequitur hūc Filium esse æternū. At hūc amauit ante omnes, cum nondū esset: & propter hūc reliquos. Sed ipse Christus apud Iohannem coniungit gloriam quam habuit apud Patrem re ipsa, ante mundi constitutionem, cum dilectione, qua se etiam ante mundi constitutionem dilexit Pater. Ioh. 24. 17. Amauit ergò ab æterno, existentem iam ab æterno.

Alterum beneficium est Redemptio per Christum, & reconciliatio cum Patre. Explicat hoc quum ait: *In quo acquiesco: ἐν ᾧ εὐδόκησα:* hoc est (vt paulo antè declarauimus) in quo ita mihi placeo & mihi oblecto: vt huius causa omnem aduersus humanum genus propter peccata conceptam iram, facilè deponam. Sub hoc beneficio continetur, Remissio peccatorum, iustificatio, liberatio à morte æterna: & ab omnibus malis, quæ nos propter peccatum manebant, & quibus eramus obnoxij.

Tertium beneficium, est adoptio & Regeneratio per Spiritum Christi, & propter Christum: qua simus filij Dei. Hoc aperit, quum ait: *Hic est ille Filius meus.* Perinde enim est, ac si dicat: Hic est non simpliciter Filius: sed ille, & talis Filius, cuius causa alios quoque multos mihi elegi & adoptaui in filios. Nam in eum finem misi hunc in terram, & declaro eum esse meum filium, vt alij quoque per hunc fiant filij, & per hunc sciant se fieri filios. Hoc explicat Apostolus, quum ait: *Misit Deus Filium suum; natum ex muliere: factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret: & adoptionem filiorum reciperemus.* Galat. 4. 4. Ecce finem aduentus Filii æterni in terram. Et Iohannes apertè dicit, Christum illum esse, qui det facultatem, vt fiant Filii Dei, omnes qui in ipsum credunt. Iohan. 1. 12. Sub hoc beneficio continetur hæreditas æternæ vitæ. Quia si filii per Christum: ergò & per eundem hæredes. Continetur etiam perpetua Spiritus sancti gubernatio. Filii enim Dei aguntur à Spiritu Dei, Roman. 8. 14. Si ergò beneficio Christi nos simus filii Dei, per gratiam adoptionis & regenerationis, filiatione, & Spiritu eius nobis communicato: Consequitur Christum non esse Filium Dei, quatenus tantùm homo est, è Spiritu sancto conceptus: sed cum primis, quia è Patris substantia, ante mundi constitutionem genitus est. Oportuit enim eum naturâ, & ante mundi constitutionem esse Filium Dei, per quem, & per cuius Spiritum quotquot à condito orbe fuerunt filii Dei: tales facti & renati sunt.

Nunc tenemus primum è cœlis testimonium, nempe Patris. Voluisse autem Patrem hoc testimonio Mundo declarare, hunc dilectum suum esse æternum, & eiusdem secum essentiæ Filium, docet Apostolus (vt reliquos interpretes, omittam) ad Hebræos: cui ideò citat testimonium Patris de Filio suo Christo, *Filius meus es tu*, &c. Hebr. 1. 5. Psalm. 2. 7. Vt confirmet, quæ dixerat de Christo initio capitis, Christum talem esse Dei Filium, per quem omnia condita sint, etiam secula, qui splendor sit gloriæ, & character substantiæ paternæ, &c. hoc est, Qui in summa Deus sit, sicut paulo pòst disertè eum vocat Deum in eodem capite, dicēs: *Thronus tuus, ô Deus.* Idem etiam docet Ioh. Qui eum talem Dei Filium prædicat, vt verus etiam ab eodem appelletur Deus, & vita æterna.

Non est igitur dubitandum, quin Pater quoque talem prior è cœlo patefecerit Filium, qualem prædicarunt Apostoli in terra.

### *IV. Testim. Spiritus sancti ex Matth. 3. vers. 16.*

HVic autē Patris testimonio tacitus subscripsit sua præsentia Spiritus sanctus: quum eodem planè tempore, in specie columbæ, super Christum, Filium à Patre declaratum, è cœlo descendit & mansit. Sed post Christi ascensionem in cœlum, luculentius etiam dedit huic filio, æternę ex Patre generationis, veræque Deitatis testimonium: tum in linguis igneis, iuxta Christi promissionem, super Apostolos descendendo: Act. 2. 4 Io. 14. 16. tum per eos porro verum Deum, 1. Io. 5. 20. magnum Deum, Ti. 2. 13. Deum super omnia, Ro. 9. 5. Vitā denique æternā, ipsum predicādo: 1. Io. 5. 20. quemadmodū se ab hoc Spiritu glorificatum iri promiserat ipse Christus: Io. 16. 14. Quæ enim Apostoli de Christo prædicarunt, ea non ipsi commēti sunt: sed Spiritus sanctus per eos publicauit: sicut Christus docuerat, dicens: *Non vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, is est, qui loquitur in vobis.* Mat. 10. 20. Imo idem Spiritus in finem vsque mūdi constanter eadem testificatur, in cordibus fidelium omniū: dum efficit vt credant, Christum talem esse Dei filium, qualem prædicarunt Apostoli: nempe filiū Dei propriū & vnigenitū, hoc est, solū ex patre Deo, eoq; è substātia patris genitū, primūq; quia ante omnes angelos & homines, hoc est, ab æterno è Patre natus est, & nouissimum: quia præter hūc alius non est expectandus proprius Dei Filius. Quomodo autē testimoniū Patris & Spiritus sancti cōfirmatum fuerit à Filio ipso, paulo pòst ex ipsius sermonibus intelligemus.

### *V. Testim. primum Angel. ex Luc. 1. vers. 16.*

ACcedūt his alia de cœlo testimonia: testimonia nimirū Angelorum. Ac primum quidem est Angeli Gabrielis ad Zachar. de officio Ioh. Baptistæ, quem ex eo nasciturum Zachariæ significauerat, sic pręter alia ait *Multos filiorū Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Nam ipse pracedet ante eū, seu in conspectu eius, in Spiritu, & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudētiam iustorū: vt paret Domino populū instructū.* Quis porro est iste Dominus Deus Israelis, in cuius cōspectu præcedere debebat Io. Baptista? An nō Christus? Docēt hoc apertè Iesaias & Malachias, vt anteà demonstrauimus. Deinde ipsemet Io. Baptista apud Euangelist. Iohannem. De Iesu Christo enim loquens ait; *Nō sū ego Christus, sed missus sū ante illū seu qui appaream coram eo.* Io. 1. 21. Quē melior in interpretē desideramus? Angelus dixerat Zacharię, Filium, qui ex eo nasciturus erat, pręcessurum ante illum, Deum scilicet Israelis, vt ei pararet populum instructum. Iohannes verò ait, se non esse Christum, sed esse missum ante ipsum, vt huic scilicet præpararet populum. Huic n. præparabat populū, tum Baptismo aquæ, tum prædicatione pœnitentiæ, tum demonstrando Christum, & dicendo eum esse, qui tollat peccata Mundi, ac proindè hortando singulos, vt fidem in hoc vno collocarēt, quòd qui credit in eum, seruetur, qui verò incredulus sit Filio, super eum manere iram Dei. Annon explicat, quis esset iste Deus Israelis, ante quem ex Malach. primùm, deindè ex Angeli ad parentem oraculo, præcedere debebat, & ei parare populum, multósque ex Israel ad eum conuertere? Hinc factum est, vt Ioh. Baptista semper appellatus sit in Ecclesia Præcursor Christi. Confirmat quæ diximus, ipse Zach. pater Ioh. in cantico suo, dicens de Iohanne: *Et tū puerule, Propheta Altissimi vocaberis: praibis enim ante faciem Domini.* Luc. 1. 76. Cuius autem fuit propheta Iohannes? An non Christi? Hunc enim semper prædicauit, hunc digito monstrauit, & eū esse dixit, qui tollat peccata. ad hunc omnes mittebat, & huic vni oēs Baptismo, & prædicatione præparabat. Nouit igitur, & docuit Zacharias, illū Deum Israelis, de quo sibi loquutus fuerat Angelus, esse Christū. Cōfirmat hoc Christus ipse apud Matthæū, quū docet Io. Baptistā, à quo omnes sibi præparabantur, esse illum, de quo per Malachiā Pater ipsius ad ipsū dixerat: *Ecce ego mitto Nūciū meū ante faciē tuam, qui praparabit viā tuā ante te.* Sic enim Christus verba prophetę de se interpretatur. Mat. 11. 10. Iis aūt verbis disertè docuit Christus, se illū esse, ante quē Io. Baptista præcedere, & cui populū pręparare, ac quasi viā sternere, ad Messię officiū perficiēdū, debebat. Cōfirmat hoc & Paulus, qui de Christo loquēs sic ait: Hūc fuisse à Deo (Patre) excitatū Israeli seruatorē, cùm ante prędicasset Io. corā eo iā aduētante, Baptismum pœnitentiæ toti populo Israel. Act. 13. 24. Annon perspicuè docet Apostolus, Christū illū esse, ante cuius faciē pręire debuerat Iohannes, & prędicatione pœnitētię pręparare Israelem Chri-

lesu Christo, & ad eum multos ex Israel conuertere? Omninò. Dubium igitur non est, quum Angelus dixit Zachariæ, filium ex eo nasciturum, qui multos filiorum Israel, ad Dominum Deum Israelis cōuersurus, & ante eum præcessurus esset: quin nomine Domini Dei Israel intellexerit Christum. Hinc apparet, qualem Dei Filium agnouerint, & prędicârint Angeli, Iesum Christum: Filiū scilicet Dei, Deum.

*VI. Testimon 2. Angelor. ex Luc. 2. vers. 10.*

AVdiamus & Angelum illum, qui apparuit Pastoribus: *Euangelizo vobis* (inquit) *gaudiū magnum, quod erit toti populo: nempe, quod natus est vobis hodiè Seruator Mundi (qui est Christus Dominus) in vrbe Dauid.* Dubium non est, quin voluerit significare, natum esse Seruatorem illum, qui promissus fuerat Dauidi: proinde adiecit nomen vrbis ciuitatis Dauidis. Et Apostolus in Actis egregie hoc explicat, dicēs: *Huius (Dauidis) ex semine, Deus secundum promissionem, eduxit Israeli Seruatorem Iesum.* Act. 13. 23. Qualem autem Seruatorem promiserat Deus Pater per Prophetas? Talē, qui non homo tantùm, sed etiam Deus esset: quemadmodum abundè demonstratum est superius. Apertè enim dixit Iehoua per Hoseam: *Seruator non est præter me.* Hos. 13. 4. Proindè meritò Apostolus Christum vocat simul, & Seruatorem, & Deum magnum: *Expectantes* (inquit) *beatam spem, & aduentum gloriæ, τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Tit. 2. 13. Certè, quod de Christo nouit Paulus, non ignorabant Angeli: nec contrà, Paulus alium nouit Seruatorem, quàm quē Angeli prius dixerant, nobis natum esse. Talem igitur Filium Dei, & Seruatorem natum esse annunciauit Angelus, qui verus, magnúsque Deus sit.

*VII. Testimon. 3. Angel. ex Luc. 1. v. 32. & 35.*

HInc apparet, qualem Dei Filium intellexerit alius Angelus, Gabriel scilicet, qui ad Mariam missus dixit: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Item: *Propterea etiam, quod nascetur ex te sanctum* (id) *vocabitur Filius Dei.* Locum hunc vsurpant Serueriani, vt probent, Christū tunc primum cœpisse esse Filium Dei, quum natus est ex Maria Virgine. De Christo, qua homo est, hoc fatemur: qui ante Virginem non fuit homo. Ac proinde, quatenus homo, ante Matrem, non fuit Filius Dei. Sed de λόγῳ alia est ratio. Contrà ergo nos hoc vtimur loco, ad demonstrandum, Christum anteà fuisse Filium, quàm ex Virgine nasceretur. Non enim Angelus: *Et erit Altissimi Filius*, quasi anteà non fuerit: sed ait, *Et vocabitur.* Quid verò hoc significat aliud, quàm Christum, quâ λόγος est, anteà quidem nempe ab æterno, Filium fuisse Dei: sed non ita palàm omnibus, quidnam esset, fuisse perspectum: Nunc autem incarnatum, manifestatum, & agnitum iri pro vero Dei Filio, proque Deo in carne manifestato? Hunc fuisse Angeli sensum, indè liquet: Quia Matthæus de eadem re loquens, ait, ideò Angelum venisse ad Virginem, & prædixisse natiuitatem Filij, & iussisse vocari Iesum: *vt impleretur quod dictum fuerat per Iesaiam: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabis nomen eius Immanuel, quod est, si interpreteris, Nobiscum Deus:* quasi diceret, Deus incarnatus. Mat. 1. 20. Ies. 7. 14. Nouerat igitur Angelus, hunc, quem dicit vocatum iri Altissimi Filium, ab æterno, ipsum fuisse אל, id est, Deum. Nunc verò futurum etiam hominē, vt sit Immanuel: & in hac carne manifestatum iri, quis sit, nempe אל & Filius Altissimi: nimirum naturalis & æternus. Sicut posteà Paulus explicauit, quū de eodē scripsit, dicens: *Deus manifestatus est in carne*, 1. Tit. 3. 6. Et sit apud Græcos sæpe Scriptores capitur verbum ἐγεννήθη. Ergò quod Angelus ait: *vocabitur Altissimi Filius* omninò indicat, longè antè, nempè ab æterno hunc Christum fuisse verum naturalem, & vnigenitum Dei Filium: sed non passim agnitum. Erat enim, vt Iesaias ait c. 45. v. 15. Deus abscōditus: nunc verò in hac carne, planè quis sit: nempe Altissimi Filius, eóque verus אל, quia Immanuel: manifestandum esse. Idem docet illa particula καὶ: *ideoque & quod nascetur*: quasi dicat, non solùm λόγος in se, qui erat, & est ante te, ô Maria, Filius Dei est, eoque Deus, sed etiam in carne ex te assumta manifestatus, Filius Dei agnoscetur: eoque totum quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei. Deindè non alium aut nouit, aut prædicauit Filium Dei, vel Angelus iste, vel alius quispiam: quàm qualē sese Angelis ipsemet Christus & anteà patefecerat, & porrò conspiciendum exhibuit. Qualem autē sese Angelis patefecerat? Certè talem Dei Filium, qui esset Angelus Iehouæ, & Iehoua. Annon Angeli fuerunt cum hoc Angelo Iehouæ, cùm loqueretur cum Abrahamo, cum Iacobo, cum Mose? Qualem deinde post assumtam carnem sese illis visendum præbuit? Apostol. ait, *Deus manifestatus est in carne: visus est ab Angelis:* nempe talis, qualis manifestatus est. 1. Tim. 3. 16. Norunt igitur Christum esse Filium Dei, Deum. Ideò talem prænunciauit Mariæ: qualis erat futurus.

## CAPVT II.

### Christi de sui ex Patre ab æterno generatione testimonia: ex Luc. 2. Ioh. 3. & 5. Atque etiam breuis interpretatio posterioris partis, cap. 5. Iohan.

TErtium cœlestium testimoniorū genus, sūt Christi ipsius testimonia permulta. Subindè enim Christus vocat se Filium Dei, eumque vnigenitum, & Deum, Patrem suum. Ex omnibus autem ijs perspicuè colligitur, Christum sensisse, & indicasse, imò apertè demonstrasse, se Filium esse Dei, non quemadmodum Sancti omnes, per gratiam adoptionis, sed per naturam: è substantia Patris genitum; eoque eiusdem cum Patre Deitatis, Filium.

*PRIMVM CHRISTI TESTIMONIUM de sui æterna generatione, ex Luc. secundo, versicul. 48.*

APud Lucam, quum adhuc esset annorum duodecim, Deum, suum vocauit Patrem. Matri enim suæ, Mariæ, interroganti, & dicenti: *Fili, cur ita fecisti nobis? Ecce: pater tuus* (Iosephus) *& ego quærebamus te*, respondit, *Quid est quod quærebatis me? nesciebatis, quod in iis, quæ Patris mei* (Dei) *sunt oportet me esse?* Cur dixit *Mei*, & non, *Nostri?* An non Mariæ, & Iosephi pater erat Deus? Imò omnium fidelium. Proinde sic docuit nos orare, *Pater noster.* Cur ergo hac locutione segregat se è numero aliorum filiorum Dei? Cùm perpetuò, hoc est, non solum hic, verum etiam alibi semper hoc faciat Christus: & numquam dixerit, *Patrem nostrum*, sed semper, *Meum*; manifestè hinc apparet, eum voluisse significare, se longè alia, & præstantiori ratione, quàm nos simus, Filium esse Dei: neque eiusdem esse rationis suam filiationem, cuius est nostra.

Est autem hæc (vt antè etiam dictum est) ratio duplex: Vna per naturam, altera per gratiam: quemadmodum apud nos quoque, alii ex ipsis parentibus nascuntur filij per naturam: Alii fiunt ex adoptione per gratiam. Ergò cum Christus hac locutione, *Pater meus*, se eximat è numero aliorum filiorum Dei: ac proinde doceat, se non esse Filium Dei, per gratiam, vt nos sumus: consequitur, dicere eum voluisse, se esse Filium Dei, per naturam è substantia Patris genitum, & ideò Deum, suum esse Patrem, non θετικὸν sed naturalem.

Sic etiam apud Iohannem ait: *Nolite facere domum Patris mei, domum mercatus.* Item, *In domo Patris mei, &c.* Io. 2. 16. & 14. 2. Hoc verò ibi maximè elucet, vbi comparatiuè verba faciens, ait, Deum primò suum, deinde etiam nostrum esse Patrem, vt quum ait: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* Io. 20. 17. Cùr hîc non ait simpliciter: *Ascendo ad Patrem nostrum?* Apertè reuera docet se non esse eo, quo nos sumus, modo Filiū Dei. Possumus quidē dicere, Christū, quâ homo est, esse Filium Dei per gratiam vnionis; cum λόγῳ naturali Filio: sed si hoc concedant aduersarii, euincimus, eum prius esse per naturam filium, quàm per hanc gratiam.

*II. Testim. 2. Christi ex Ioh. 3. versi. 16.*

IDem docet, quum se vocat vnigenitum, vt quum ait: *Si enim Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit: vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitā æternam.* Et sic alibi centiès eandem vocem repetit. Quis autem dicitur vnigenitus, & μονογενής? Qui vnus, seu vnicus est genitus, ex aliquo: nullum ex eo habens fratrem, aut sororem. At solus-ne Christus natus est ex Deo? An non & alii pii omnes ex Deo sunt geniti? vtique sic loquitur Io. c. 3. 5. Quomodo ergo Christus vnigenitus est? Quia alii nati ex Deo, per gratiam: solus Christus per naturam. Alii potiùs renati: Solus Christus verè natus, & genitus ex Deo Patre. Ex circumstantiis verò, quæ in iis locis, huic voci vnigenito, subiiciuntur, clariùs etiam liquet, Christum verè, alia longe præstantissima ratione, natum ex Patre: quàm nos simus renati: eoque esse naturalem Filium: vt quum legimus, Datum hunc fuisse à Deo Filium vnigenitū: vt qui credit in eum, non pereat. Io. 3. 16. Quis enim pro-

per fidem in aliquem Dei Filium per gratiam, quantumuis sanctissimum: seruari à morte queat? Item, vt cum legimus hunc Filium esse Lucem, quæ venerit in Mundum. Io.1.9. Erat ergo ille Filius ex Patre natus: antequam veniret in mundū carne scilicet assumpta. Et quidē erat Lux cœlestis, & æterna: auctor omnis lucis, & intelligentiæ, in hominibus, & Angelis omnibus: de qua luce in Symbolo legimus: *Lumen de lumine Deum verum de Deo vero.* Christus ergò Filius est naturalis, Dei Patris, & proinde verè vnigenitus.

### III. *Testimon.3. Christi, ex Iohan. 5.vers. 17.*

HVc facit quod scribitur apud Iohannē de Iudæis, *Quia Christus dixerat: Pater meus vsque adhuc operatur. & ego operor. Iudæi volebant eum trucidare non tam quod soluisset Sabbathum, quam quod Deum dixisset illius Patrem, æqualem se faciens Deo.* Ex eo quod dixit, *PATER MEVS*, non autem dixit, *Pater noster*: Iudæi optimè intellexerunt, eum dicere voluisse, Deum, suum proprium esse Patrem, non autem sibi & reliquis Iudæis communem, & non eadem ratione suum esse, qua à reliquorum est Pater. Ab hac igitur communi ratione cum se eximeret Christus: inde facilè intellexerunt Iudæi, eum voluisse dicere, se esse naturâ, & æterna natiuitate Filium Dei. Ex eo verò quod dicit, *Operatur vsque adhuc, & ego etiam operor*, scilicet vsque adhuc, optimè norunt, eum se facere æqualem Deo, sicut æterna virtute operandi, sic etiam essentia. Atqui Christus non negauit, quod sibi à Iudæis dicebatur: sed potiùs tanquam verè dictum, confirmat. Christus ergo quum Deum suum proprium vocauit Patrem: fassus est etiam, se proprium esse eius filium. Quomodo proprium? Sicuti etiam vnigenitum. Quia scilicet ipse solus naturâ Filius Dei est, è Patris substantia genitus: cum reliqui sint tantùm gratia adoptionis. Quare ex his tribus dictionibus, *Meus, proprius vnigenitus*: liquidò concluditur, Christum, quum se vocat Filium Dei, docere, se esse naturalem Dei Filium: ac proinde eiusdem cum Patre naturæ & essentiæ. Nunc operæ pretium est, primo totum hunc Iohannis: deinde etiam alios quosdam diligentiùs perpendere: vt inde innotescat magis ac magis veritas.

IV. Dominus Iesus, qui sanauerat hominem in Sabbatho, idque non tam quo ad corpus, quàm etiam quo ad animam: id quod declarat, quum ait, se totum hominem fecisse sanum. Item, quum ei dixit in templo, *Vide ne amplius pecces, ne quid deterius tibi contingat*: (His enim verbis ostendit se ipsi condonasse priora peccata: ac proinde etiam à morbo eum curasse: ) Quia ergo hoc opus præstiterat, in die Sabbathi: accusatus fuit à Iudæis violati Sabbathi. Christus verò se de hoc purgat crimine, ac ostendit, se nullo modo Sabbatum violasse, his verbis: *Pater meus vsque adhuc operatur, &c.* Quia verò ex hac responsione visus est Iudæis dicere, Deum, suum proprium esse Patrem, & se facere similem Deo (id quod optimè ex Christi verbis collegerunt) proindè tanquam blasphemum occidere eum cogitârunt. Christus ergo secundo loco, se ita sensisse, & dixisse minimè negat: sed potiùs, se ita esse proprium Dei Filium, vt sit omninò Patri Deo æqualis, confirmat: idque facit à vers. 19. vsque ad initium 31. Cæterùm quia potuissent illi obiicere Iudæi, eum hæc de se prædicare: proprium autem cuiusque de se testimonium, nisi aliorum quoque accedat cōfirmatio, esse ridiculum, & nullius ponderis: Hac de causa tertio loco ostendit, suum testimonium esse verum: idque propterea quòd non solus de se hoc prædicet, sed alij quoque fide dignissimi testes confirment: & quinam illi sint explicat à vers.31. vsque ad versum 40 Sed hæc postrema pars, quia non multum facit ad institutum, fusiùs non explicabitur. Hic itaque locus insignis est ad probandum, Christum esse Filium Dei naturalem, Patrique æqualem. Antequàm verò hanc Christi apologiam percurramus: notandum est, hunc contextum, maximè verò primam, & secundam eius partem bifariam ab interpretibus fuisse explicatam. Primùm tota antiquitas, & maior etiam pars Interpretum nostri seculi, interpretati sunt hæc de Christo, quatenus λόγος est. Et indè contra Arianos collegerunt, λόγον naturalem esse Dei Filium, Patri coæqualem, & coæternum: imò vnum esse, & eundem cum Patre Deum, idque argumento potissimùm deducto non solùm ab æqualitate: sed etiam διὰ τῆς κοινωνίας operum Patris & Filij: & ab eadem virtute operandi quæ est in Patre, & in Filio.

Alij contendunt hic haberi permulta, quæ per se, & simpliciter minimè in æternum Dei λόγον competant: vt, quod ait: *Non potest Filius a seipso facere quicquam*: & alia nōnulla. Ac proindè dicunt hæc omnia intelligenda esse, de λόγῳ non simpliciter, sed quatenus manifestatus est in carne: hoc est, de Christo toto, quatenus Seruator datus est Mundo. Statum verò totius huiusce Concionis, seu Apologiæ, hunc esse docent. Quia Iudæi nihil in Christo spectabant, ac reputabant, nisi humanam naturam: ac proinde tanquam purum hominem: accusabant eum, & violati Sabbathi, & blasphemiæ, quòd fecisset se æqualem Deo: ideirco Christum toto hoc sermone, hoc vnum contendere, nimirum, se ægrotum non sanasse humana virtute: sed diuina, quæ sub illa visibili carne latêret, hoc est, se non solùm esse hominem, sed etiam Deum: & se tanquam Deum, hoc opus fecisse, non vt hominem.

Cæterùm siue illam, siue hanc interpretationem sequamur: certum est, Christum hic affirmare, se talem esse Dei Filium, qui sit æqualis Patri, & Deus ipse.

V. Prima igitur Apologiæ pars hæc est: *Pater meus vsque adhuc operatur, & ego operor.* Hic probat, se hoc opere, quod fecerat in Sabbatho, Sabbathū minimè violasse. Verba sic sunt construenda. *Pater meus* (Deus) *huc vsque* (continenter, hoc est, iam inde ab initio Mundi, huc vsque; etiam diebus Sabbathi:) *operatur. & ego operor* (nempe vnà cùm Patre iam indè ab initio, huc vsque.) Quid operaris? Eadem quæ & Pater: imò etiam eodem modo. Sic esse construenda & intelligenda verba hæc: docet infrà vers.19. vbi clarius explicat, quod hic obscuriùs dixit. At enim ibi: *Quæcunque facit Pater, ταῦτα*, id est, hæc eadem, *& Filius similiter facit* Ergo quum ait, Et ego operor: intelligit eadem omnia, quæ Pater etiam operatus est vnquam, & operatur: & quidem eodem planè modo.

Est autem hic argumentum διὰ τῆς κοινωνίας operum Patris & Filij, id est, Christi, id quod sic explicat. Pater meus, Deus scilicet, cœli & terræ Conditor: Etsi post creatum cœlum, & terram, & quæcunque cœli & terræ ambitu continentur, intra spacium sex dierum, septimo demum die quieuit, nempe à creandis nouis rerum naturis, atque ita Sabbathi diem sanctificauit: nihilominus tamen nunquam, ne diebus quidem Sabbathi, cessauit ab illis operibus quæ ad Mundi conseruationem, ad hominum salutem, eoque ad gloriam suam pertinent, præstandis, qualia sunt, moderari Mundum, conseruare rerum naturas, animalium species, atque in primis hominum: eosque à malis tueri, & viuificare. Hoc ita liquet, vt etiam nunc, semper talia eum operari, nemo sit qui non videat: & interim tamē nemo est, qui dicat, aut dicere possit, Deum propter hæc opera, diem Sabbathi profanare. Ergo si quis talia eadem cum Patre operetur, etiam die Sabbathi: is nullo modo accusari potest profanati Sabbathi, quin etiam Deus simul accusetur. Atqui etiam ego, illius Filius, operor, nempe eadem, quæ & Pater, idque iam inde ab eo tempore, quo & Pater operatus est, & operatur: inter quæ opera hoc etiam connumeratur, quod hominem non ego solus, sed vnà cum Patre sanaui. Quo iure igitur, propter hoc opus, accusari Ego possim violati Sabbathi? Hæc est prima Christi Apologiæ pars: qua depellit crimen violati Sabbathi.

Cæterùm hinc apparet, qualem se Filium Dei esse prædicet, quum Deum suum vocat Patrem: nempe Filium æternum, eiusdem cum Patre Deitatis, & potentiæ, eoque Filium naturalem. Hoc inde liquet, quum affirmat, se semper cum Patre eadem operatum fuisse, & operari: dicēdo, *Pater meus vsque nunc operatur*: id est, iam inde ab initio, orbem à se conditum huc vsque regit, moderatur, conseruat. *Et ego* (simul cum Patre) *operor*: nempe, eadem quæ Pater vsque nunc, quasi dicat, Nihil vnquam egit, agitve Pater: quin & ego illud ipsum cum eo egerim & agam. Quis ergo hic non videt, Christum se prædicare conditorem, vnà cum Patre conseruatorem & gubernatorem Mundi? Ac proinde se ita esse Filium Dei, vt sit eiusdem cum Patre potentiæ & Deitatis, & æternitatis?

VI. Id quòd posteà clariùs explicat, quum ait vers.19. *Quæcunque ille* (*Pater*) *facit hæc etiam Filius similiter facit* Hoc voluisse Christum significare his verbis: inde liquidò apparet. Quia Iudæi auditis his verbis, intellexerunt eum dixisse, Deum suum proprium esse Patrem, & ipsum se facere æqualem Deo. Ac proinde tanquam blasphemum occidere eum voluerunt. Christus verò non negauit se hoc sensisse, & dixisse: sed altera Apologiæ subdita parte defendit, hæc à se verè fuisse dicta: ac proinde, se nō esse blasphemū, nec dignū morte. Pergit igitur Euangelista, & ait: *Propterea ergo magis quærebāt eum Iudæi trucidare: quia non solum soluisset Sabbathum, sed & Patrem suum dixisset Deum, parem se faciens Deo.* Ex eo quòd dixerat, *Pater meus*, non autem, *Pater noster*: intellexerunt Iesum voluisse dicere, Deū suū proprium esse Patrem: eoque se longè alio filiationis genere esse Filium Dei, quàm reliqui essent Iudæi: nempe non per-

per gratiā, sed per naturam. Ex eo vero, quod etiam adiecerat de operibus Patris, & suis, dicens: *Pater meus vsq. nunc operatur, & ego operor*; apertè agnouerunt voluisse ipsum innuere, se æqualem esse DEO, hoc est eiusdem cum Deo potentiæ, æternitatis, Deitatis. Quod cùm omnino falsum & blasphemum esse putarent, dignū omnino illum morte esse iudicârunt: non tam, quòd (ipsorum iudicio) sabbathū soluisset, quàm quòd Deum suum proprium dixisset esse Patrem, éoque se Filium esse Dei naturalem, & quòd se faceret æqualem Deo. Quid vero Christus ad hæc? Ad hanc alteram accusationem egregie respondet, hac altera Apologiæ parte. Quomodo? Non negādo dictum, sed clarius illud explicādo: & verè, rectéque fuisse dictum, confirmando. Est enim hic quæstio, non facti, vt loquuntur; sed iuris. Quæritur enim, an Christus verè, & iure dixerit, non tantum Deum suum proprium esse Patrem: sed etiam se esse æqualē Deo? Iudæi negant: Christus affirmat. Propositio itaque Christi hęc est. Verum est, quod dixi, non solùm Deum proprium esse meum Patrem: sed me etiam æqualem esse Deo Patri. Hoc propriè hac altera Apologiæ parte confirmandum suscepit. Sed ex consequenti & secundariò confirmat etiam priorem conclusionem, nempe suum factum non posse damnari; quod non minùs sit Patris factum, quàm suum, propter æqualitatem, quæ inter ipsos (Patrem & Filium) est. Hanc igitur suam cum Patre æqualitatem explicat, & rationibus aliquot confirmat Christus. Indè verò infert: Non posse opera sua culpari: quin etiam Patris culpentur. Omnium autem rationū summa hæc est: quòd perfectus sit Patri in omni operum genere ὁμοεργός. Sunt autem tria operum Dei genera. Quędam ad generalem Mundi totius, tam creationem, quàm conseruationem & gubernationem pertinēt: qua de causa rectè opera creationis & gubernationis vocari possunt. Sub hoc genere continentur cum primis opera, quæ ad hominum salutem, salutem, inquam, corporum pertinent: cuius generis fuit etiam curatio huius Paralytici. Et de iis (meo quidem iudicio) propriè loquitur Christus in vers. 17. quum ait: *Pater meus huc vsque operatur, & ego operor*. Et illud in 19. vers. *Quæcunque enim operatur Pater, &c.* Item illud: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Licet enim hæc dicta, propositiones sint generales, quæ ad alia etiam omnia Dei opera accommodari possunt: tamen propriè ibi loquitur Christus, de primi generis operibus, quemadmodum ex circunstantiis liquet. Nam de aliis posteà infrà ait ver. 20. & opera istis maiora demonstrabit ei, vt vos miremini. Hæc autem primi generis opera, nō possunt in Christum competere, nisi quatenus Λόγος est: non tam manifestatus in carne, quàm etiam nondum in carne manifestatus. Etenim si vera sunt, quæ hîc dicit: consequitur: ipsum, antequam assumsisset carnem, vnà cum Patre Mundum condidisse, & conditum gubernasse. Alterum genus operum Dei est eorum, quæ speciatim ad spiritualem hominum aut redemptionem & salutem, aut condemnationem, à condito orbe, vsque ad finem, hoc est, vsque ad iudicium vniuersale, pertinent. Alios enim seruat per fidem: alios iudicat, & damnat propter impietatem. Proinde hæc opera rectè opera præsentis iudicij vocari possunt. Est enim iudicium quoddam, quum pios tuetur, absoluit, ac saluat: impios verò damnat. Horum quoque Filius Patri ὁμοεργός est. Per ipsum enim Electos absoluit & seruat Pater: Reprobos verò damnat. Et de iis propriè mihi loqui videtur, quum ait vers. 20. *Et maiora istis opera monstrabit ei, vt vos miremini.* Etsi enim possunt intelligi verba hæc de aliis miraculis, quæ editurus erat, vt, de illuminatione cæci nati, de suscitatione Lazari quatriduani: quæ longè præstantiora miracula fuerunt, quàm Paralytici curatio: tamen, vt dixi, propriè loqui de iis mihi videtur, quæ ad salutem hominum pertinent. Itaque hoc explicat, quum ait, vers. 21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult, viuificat, &c.* vsque ad vers. 27. Hæc verò Christus præstitit primum quidem vt Λόγος ante incarnationem. Deindè vero etiam factus homo. Tertium genus operum Dei, est eorum, quæ propriè pertinent ad iudicium vniuersale: quum finis rebus omnibus imponetur. Atque hæc vocari possunt opera futuri iudicij. Horum quoque Christus ὁμοεργός Patri est, & de iis loquitur vers. 27. vsque ad 30. hæc Christus præstabit tantùm vt Λόγος Deus in carne manifestatus.

VII. Nunc indicandæ sunt ex verbis Christi rationes, quibus suam, vt anteà diximus, confirmat propositionem: Deum scilicet Patrem, suum proprium esse Patrem: & se huic Patri esse æqualem. Prima itaque ratio ducitur non solùm ab æqualitate, sed etiam ἀπὸ τῆς ταυτότητος, tam operum Patris & Filij, quàm virtutis, & modi in operando. Quæ eodem & eosdem prorsus modo pariunt effectus, ita vt non possint diuersa à se inuicem opera efficere; ea inter se omnino sint similia & ęqualia, eiusdem scilicet naturæ necesse est. Liquet hoc in rebus à natura profectis. Ignis vnus non potest alia proferre effecta, quàm alius ignis, nec alio etiam modo. Omnis enim ignis calefacit, idque per se. Ideoque omnes ignes, ab iisdē effectis, & ab eadem operandi ratione, conuincuntur eiusdem esse naturę. Idem dico de plantis eiusdem speciei, & animalibus. Radius quoque Solis idem operatur quod etiam Sol, & eodem modo: hoc est, per se illuminat, & calefacit. Ideò eiusdem conuincitur esse naturæ, cuius est Sol. Nam aqua ab igne calefacta, calefacit quidem & ipsa: Ferrum itidem candens calefacit: sed tamen nō sunt eiusdem naturæ, cuius & ignis. Quid ita? Quia licèt eadem opera præstent, non tamē ὁμοίως: hoc est, non eodem planè modo. Ignis enim calefacit per se: Aqua, & Ferrū per aliud & ex accidenti. Aliud adfero simile magis accommodatum. Nam aqua & ferrum, & alia exempla iam allata operantur potiùs similia, quàm eadem. Aliud ergò simile adfero. Malleus in manu Fabri, eadem omninò operatur, quæ & faber. Nihil enim facit Faber quod non efficiat per malleum. Estne ergo eiusdem naturæ? Minimè vero: quia non operatur ὁμοίως. Ad hoc ergo, vt apud nos duo conuincantur eiusdem esse naturæ, hęc duo requiruntur: vnum, vt vel eadem, vel saltem similia operentur: alterum, vt operentur ὁμοίως, hoc est, eodē planè modo. Atqui (ait Christus) quicquid operatur Pater, id est, Deus Pater, eadem & Filius, id est, ego etiam operor, & ὁμοίως, id est, eodē planè modo, quo Pater: eodem planè iudicio, cognitione, libertate voluntatis, propria virtute, in eundem finem, denique eodem prorsus modo: ita vt nullum discrimen reperiri possit inter modum agendi Patris, & Filij. Nam planè eadem, & eodem modo operor, quæ & quo modo Pater operatur: ita vt aliter facere, & à me ipso aliquid præstare, quod etiam Pater non efficiat, minimè possim. Sed ea tantum possum, quæ & Pater, & eodem modo, quo & Pater, efficere. Ergo verum est quod dixi, Me esse æqualē Deo Patri. Huius argumenti minorem tantùm posuit Christus. Hāc sic assumsit & enunciauit. *Amen, amen dico vobis* (id est, hoc quod iam dico vobis, verissimum est) *Non potest Filius à semetipso* (quippiam) *operari* (quod scilicet Pater etiam non operetur) sed hoc alia phrasi exprimit dicens: *Nisi viderit Patrem operantem.* Sed nihil operari, nisi quod videas Patrē operantem: quid aliud est, quàm nihil operari, nisi quod Pater, te conscio operatur? Imò verè aliquid amplius: nempe se non posse, neque aliud, neque aliter operari, quàm operetur Pater. Sensus enim verborum Christi est: se illa tantùm, & eodem modo posse operari, quæ & quomodo Pater operatur: neque aliter se efficere posse. Atque hoc confirmat & explicat, quum ait: *Quæcunque enim operatur Pater, eadem operatur & Filius, & quidem ὁμοίως*: ex quo efficitur, nihil operari Filium quod non operetur ὁμοίως & Pater. Ex hac vero Christi propositione quid efficitur? Duæ sequuntur conclusiones: quarum prima hæc est: Ergo inter Patrē & Filium summa est æqualitas. Altera, Ergò opus Filii in Sabbatho, culpari nō potest quin etiam accusetur Pater: cùm opus sit non minùs Patris, quàm Filii. Hæc est huius versus explicatio. Quare tantum abest, vt hæc verba inæqualem Patri Filium esse doceāt, vt potiùs maximam inter ipsos æqualitatem demonstrent. Est enim perinde ac si quis dicat: se non posse operari nisi ex virtute: & quæcunque dictat virtus, se illa omnia operari. Quid hac locutione aliud indicaret, quàm tantam inter se & virtutem esse vnionem, vt non possit efficere, nisi quod virtus ipsa faciendum esse doceat? Sic Iohannes: *Qui ex Deo natus est* (inquit) *non peccat, nec potest peccare.* 1. Io. 3. 9. Significat iis verbis, tantam esse vnionem inter Deum & eum, qui ex Deo natus est: vt non possit, nisi id, ad quod Deus eū permouet, & ducit suo Spiritu. Sic etiam Apostolus docet, quum scribit, Rom. 8. 1. &c. Fideles ita esse Christo insitos, vt non possint non agere ex spiritu: hoc enim significat vnionem cum Christo. Cæterùm, quia multa etiam agunt renati non ex Spiritu, sed carne: ideò perfectissima nondum est vnio. Ergò cùm Christus dicat, se non posse quicquam agere à seipso, nisi quod viderit Patrem facere: & mox subdat, nihil agere Patrem quod ipse Filius non agat, idque ὁμοίως: apertè docet, se quàm maximè vnum esse cùm Patre. Non dixit simpliciter, *non potest operari, nisi quæ Pater operatur*: sed, *nisi quod viderit Patrem operantem.* Quid ita? Duplici de causa: Prima, vt doceat, omnia quæ habet, se habere à Patre. Nam quicquid est & habet Filius, est & habet à Patre: altera: vt significet, se non operari, vt nonnullæ res naturales, sine cognitione & iudicio. *Prout* (inquit) *videt Patrem facere.* Si de Christo, vt homine hoc intellidas, docet, se à

sua Deitate fuisse edoctum, & ductum ad opera, quæ faciebat. Docet præterea hac voce ταῦτα, Nihil vnquam se operatum esse, aut etiam operari posse; quod non secum etiam Pater operatus sit, & operetur: ac contrà nihil vnquam operatum fuisse Patrem, aut operari posse, quod non & ipse Filius vnà cum Patre operatus sit, & operetur. Ergo sicut Filius vnà cum Patre creauit cœlum & terram, mūdúmque regit: sic etiam Pater cum Filio, & per Filium, sanabat ęgrotos, & alia miracula edebat, quæ Filius in carne manifestatus, tam in Sabbatho, quàm aliis diebus præstabat. Ergo cum opera Filij, sint etiam Patris: si Patris opera non violant Sabbathum, neque etiam id faciunt opera Filij. Docet etiam hæc particula ὁμοίως, se eadem virtute omnia agere, qua & Pater: propria scilicet & sibi innata, imò eodem etiam consilio, quo & Pater. Ergo cum Pater nihil malè agat, efficitur neque Filiū malè quippiam agere: ac proinde non posse peccare in suis operibus, sicut nec Pater in suis. Hinc autem maximè elucet quanta sit inter Patrem Deū, & Filium æqualitas, tanta scilicet vt maior esse non possit. Hoc est primum argumentum pro æqualitate Filij cum Patre, tam κατὰ τὴν ταυτότητα operum Patris & Filii, quàm κατὰ τὴν ταυτοδυναμίαν virtutis in operando, & Filij & Patris, deductum. Pergit Christus, & ait.

VIII. Vers. 20. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Hic continetur explicatio & confirmatio superioris argumenti. His enim verbis rationem reddit, cur, quum dixisset, *Filius nihil potest operari, nisi quæ Patrem viderit operantem*, mox subiunxerit: *Quæcunque Pater operatur ταῦτα etiam Filius similiter facit*, nimirum: Quia cùm Pater diligat Filium, omnia ei demonstrat, quæ ipse facit. Et sunt hæc verba ceu minor propositio huiusce syllogismi, nempe: Quæcunque Pater Filio se facere demonstrat, ea omnia Filius, & eodem modo, quo Patrem videt operari, potest efficere & efficit: atque ita hæc potest, & efficit Filius, vt non possit ea non efficere. Hæc versu superiori. Non potest Filius à seipso operari, nisi viderit Patrem operantem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit: Atqui Pater omnia Filio demonstrat, quæ ipse facit: huius minoris probatio sequitur: *Pater enim diligit Filium.* Amor autem efficit, vt nihil possimus celare amatos, eorum, quæ facimus: vt ante docuit. Conclusio sequitur principalis: Ergò Filius potest, & efficit omnia, quæ Pater etiam efficit, & eodem modo. Hæc habetur versic. 19. Ex hac autem conclusione, consequuntur istæ duæ aliæ propositiones, quarum prima hæc est: Si quæcunque facit Pater, efficit & Filius, & quidem eodem modo: Est ergo Filius Patri ęqualis, sicut facultate operandi, sic etiam natura. Altera: Si quæcunque efficit Pater, Filius etiam efficit, & ita efficit, vt non possit, neque alia, neque aliter efficere, quàm Pater efficiat: Ergò opera Filij non possunt culpari & accusari, quin etiam Patris opera accusentur. Atqui opera Patris non possunt accusari: Ergo nec Filij: quare opere meo Sabbathum non violaui. Hæc ratio ab amore eoque paterno, ducta est: quæ nemini est ignota. Si enim Pater aliquis puta aurifaber, Filium charum in sua habeat officina: Is certè quicquid tenet artis, illud etiam totum demonstrabit Filio, eumque docebit: vt & ipse Filius eadem opera & ὁμοίως efficiat. Vndè verò ad hoc permouebitur Pater? Ab amore erga Filium: ita verè de hoc Patre dicetur: Pater diligit Filium: omnia ergo demonstrat ei, quæ ipse facit, & quomodo facit. Eundem ad modum loquitur Christus de Patre suo. Pater enim habet Filium in hac mundi officina συνεργόν suorum operum: & nihil agit; quin illud etiam præstet Filio, vt secum agat. Quid ita? Quia Pater diligit Filium: & idcirco nihil potest eum celare, & nihil ei non communicare. Quàm efficax sit hæc ratio, nouimus omnes: verus enim amor, & vera amicitia, efficit, vt inter amicos omnia sint communia: vnde illud: κοινὰ τὰ τῶν φίλων κοινά. Et hanc rationem confirmat Christus alibi apud Ioh. 15. 15. *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid facit Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quæ cùm ita se habeant: merito Christus ab amore, quo Pater Filium immenso complectitur, concludit, Patrem omnia Filio demonstrare, id est communicare. Etsi enim iuxta phrasin sacrorum bibliorum, idem sit communicare seu dare, quod est demonstrare, & docere; sicut idem etiam est videre, quod accipere, vt apud Ioh. 3. 5. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest videre regnum Dei*, id est, accipere: tamen maluit vti hic Christus verbo demonstrandi, quàm communicandi. Primùm quidem, vt ostenderet, & qui communicat, & cui communicatur, nempe Patrem & Filium, nō esse res mutas, & ἄλαλοι: sed personas veras, intelligentes, & volentes. Deindè vt etiam fortè quodam modo innueret, quomodo hæc communicatio fiat: nempe actione intellectus diuini. Hoc enim Patres permulti, & Scholastici dixerunt: generationem filij æterni, per actum intellectus paterni fieri: qua etiam de causa dicunt vocari Λόγον, & Σοφίαν patris; quāquam hæc de modo generationis filii Dei sunt abstrusiora quàm vt à nobis possint intelligi, & curiosiora, quàm vt debeant inuestigari. Summa, docet Christus, hanc, quam cum Patre communicationem habet, vim sc. edendi miracula, & mundum regendi, & omnia quæ facit faciendi, se à Patre habere: neque de hac re esse mirandum, cùm Pater filium diligat vnigenitum, amore scilicet immenso: non posse ergo Patrem, quippiam apud se continere quòd non communicet filio. Atque hinc argumentum habemus alterum, quo confirmari filii cum Patre æqualitas potest. Est autem tale. Pater ita diligit filium, vt nihil ipse agat, quin & filio communicet: vt secum ὁμοίως agat. Filius ergo Patri est æqualis potentia, & agendi facultate; ac proinde etiam natura. Et tantum in hoc differt à Patre, quod Patre omnia habet à seipso; Filius à Patre: itaque reipsa æqualis est Patri: tantùm verò ratione originis, inæqualis.

IX. V. 20 *Et opera istis maiora demonstrabit ei, vt vos miremini.* Transit ad opera secundi generis, quæ certè maiora sunt, quàm prioris. Est enim res multo maior, homines impios iustificare, mortuos in peccatis suscitare & seruare; quàm eos creare & conseruare. Promittit autem se maiora facturum, tum miracula, tum alia opera ad salutem animorum pertinentia, quàm fuerit hominis paralytici curatio. Nam erat suscitaturus duos mortuos, & maximè Lazarum: opera certè maximæ admirationis. Deinde multis remissurus peccata, & ex impiis in pios & sanctos viros mutaturus: ita vt admirati Iudæi dicturi essent: *Quis potest peccata remittere, nisi solus Deus?* Luc. 5. 21. Sunt enim hæc maiora, quàm paralyticum sanasse. Postremò omnes mortuos è monumentis suscitaturus, & totum orbem tandem iudicaturus. Hæc ergo, incipit explicare. *Ver. 21. Sicut. n. Pater suscitat mortuos, & viuificat, ita etiam filius, quos vult, viuificat.* Est ἐξήγησις superioris amplificationis. Explicat enim quod dixerat, maiora sibi Patrem demonstraturum: id est daturum, vt filius faciat. Est autem hoc, nempe suscitare, & viuificare mortuos, illud vndè potissimum scripturæ solent potentiam Dei demonstrare, vt liquet ex Epistola ad Rom. vbi volens Apostolus describere potentiam Dei, qua fides Abrahæ nixa est, appellat Deum, illum qui suscitat mortuos, & qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint. Rom. 4. 17. Cæterum notandum hîc suscitationem & viuificationem mortuorum capi, non solùm pro resuscitatione corporum, sed cum primis animorum à peccatis, & à morte ad iustitiam, vitámque æternam. Hoc liquet ab illa dictione: *Quos vult, viuificat.* Etsi enim omnium, tam reproborum, quàm electorum suscitabit corpora: non omnium tamen animas in hoc mundo viuificabit suo Spiritu, sed tantùm quos vult: neque etiam omnium corpora viuificabit ad vitam æternam, sed tantùm quos volet, id est, electos, electorúmque corpora. Inde apparet, salutem totam pendere à voluntate Dei & Christi. Notandum prætereà hic est, non separari actionem & voluntatem Patris in suscitandis mortuis, à voluntate & actione Filij: Quasi Pater alios suscitet, & velit suscitare, & alios Filius viuificet, & velit viuificare; sed de iisdem mortuis loquitur, nempe quos pater vult, & suscitat, ac viuificat, eosdem etiam Filium velle, & suscitare, & viuificare, vt sit ταυτότης, & actionum & voluntatis in patre & filio: iuxta illud suprà: *Quæcunque facit Pater, ταῦτα etiam, & ὁμοίως filius facit.* Hoc liquet à scopo Christi, in hac apologia. Is fuit, docere, se nihil agere, quod non secum agat pater; & contra, patrem nihil facere, quod non cum ipso simul etiam filius faciat. Ac proinde concludit: Primùm se ita esse patri æqualem, vt sit vnum cum patre. Deinde, non posse sua facta improbari, quin improbetur pater, qui cum filio omnia operatur, & quocum filius omnia facit. Est ergò hîc primùm confirmatio primi argumenti, ducti κατὰ τὴν ταυτότητα patris & filij, in suscitandis & viuificandis mortuis, ac peccatoribus. Quos pater suscitat & viuificat, eosdem, & non alios filius, & suscitat & viuificat, tam animos iustificando & viuificando, quàm corpora ad æternam vitam excitando. Ergò Filius æqualis est Patri in suscitandis & viuificandis mortuis. Deinde habemus nouum, hoc est, tertium argumentum, ad æqualitatem Filii cum Patre probandam, ductum ab æquali, non solum potentia, sed etiam volūtatis libertate: imò ab eadem prorsus voluntate, in Patre & in Filio, quum ait. *Quos vult viuificat.* Tale verò est argumentum. Quorum est vna & eadem tum potentia, tum etiam voluntas in viuificādis mortuis, id est, in iustificandis peccatoribus, illi sunt omnino æquales. Atqui Patris & Filii est vna & eadē potentia, ac voluntas in viuifi-

viuificandis mortuis. Quos enim Pater vult viuificare, & viuificat, eosdem etiam Filius vult viuificare, ac teipsa viuificat. Ergò cum inter Patrem & Filium sit non solum æqualis suscitandi mortuos, & viuificandi potentia, verum etiam æqualis voluntatis libertas, imò eadem prorsus potentia, & volũtas: efficitur, Filium verè æqualem esse patri. Hinc etiam confirmatur conclusio primæ partis apologię in hunc modum:

Si, quos pater viuificat, eosdem, & non alios, etiam Filius viuificat: Ergo iste paralyticus curatus in Sabbatho, non tam à Filio, quàm à Patre viuificatus fuit.

Quare non potest Filius propter hoc factum accusari violati Sabbathi, quin etiam Pater accusetur.

X. Sequitur vers. 22. *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*. Confirmatio est eius, quod dixerat, sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat: ita & Filius quos vult, viuificat. Iudicare, iuxta linguam sanctam hîc significat regere & gubernare: eoque & pios protegere, & impios damnare: ac iudicium, significat totius mundi administrationem & gubernationem. Sic Dauid; *Erudimini* (inquit) *qui iudicatis*, id est regitis, *terram*. Ps. 2. Cæterum hic accipio potiùs pro administratione & gubernatione regni Dei, id est, Ecclesiæ, quàm mundi. Sensus enim est: Pater dedit omne iudicium Filio, id est, totam totius, non tantùm mundi, sed in primis regni sui gubernationem, vt pro sua voluntate illud regat, alios seruando, alios condemnando. Ergo Filius quos vult viuificat.

At quomodo Pater neminem iudicat, id est, regit in Ecclesia, iustificat, seruat? An non dicitur ad Rom. *Deus est qui iustificat?* Rom. 8. 33. Subintellige Solus. & sublata erit difficultas. Ergò sensus est, Pater sicut mundũ vniuersum non solus regit, sed per Filium, vnaque cum Filio: sic suum regnum, & homines sui regni, non solus regit, ac gubernat, sed simul cum Filio, & per Filiũ, omnia moderatur, & agit: ferit, sanat: occidit, viuificat: seruat, damnat: denique sine Filio nihil agit. Quare quum ait, *sed omne iudicium dedit Filio*: sic intelligẽdum est, Patrem, totam sui regni gubernationem dedisse Filio, vt totam etiam sibi retineat. Hinc colligitur, quomodo intelligendum sit, quod Theologi scribunt; Patrem totam suam essentiam communicasse Filio: nimirum, ita vt totam etiam sibi retinuerit. Sic etiam hîc loquitur de iudicio. Habemus verò hîc argum. 4. ab æquali regni gubernatione. Pater & Filius totum regnum simul ex æquo iudicant & regunt. Pater enim solus non iudicat seu regit, sed vnà cum Filio. Sunt ergo Pater & Filius in regno æquales.

XI. v. 23. *Vt omnes honorent Filium: prout honorant Patrẽ*: hîc habemus causam vnam finalem, cur Deus totius sui regni gubernationem Filio commiserit, id quod nomine iudicij intellexit. Causa ea est quam adfert, dicens, *vt omnes honorent Filium, prout honorant Patrem*: quasi dicat, in hunc finem Pater nihil sibi soli reseruat, sed omnia Filio communicauit: inter quæ in primis est totius sui regni gubernatio: vt honor, qui ab omnibus Patri defertur & debetur, idem quoque ipsi Filio ab omnibus deferatur. Perinde ac si Rex aliquis totius regni gubernationem committat Filio: vt subditi eum honorent, sicut & Patrem. Tanta est enim inter vtrũque æqualitas: vt qui non honorant Filium, etsi putent se honorare Patrem, Pater tamen hunc ab eis non accipiat honorem, nec sentiat se honorari ab ijs, qui Filium non honorant. Hîc ergo habemus 5. argumentum ad confirmandam Filij cum Patre æqualitatem: Quibus æqualis, imò modis omnibus idẽ debetur honor, illi etiam modis omnibus, dignitate, & virtute, & natura æquales sint, necesse est. Atqui idem honor debetur Filio, qui & Patri: atque ita debetur, vt qui non honoret Filium, is neque etiam Patrem, à quo missus est cum omnia auctoritate iudicandi, honorasse conuincatur. In hunc enim finem dedit omne iudicium Filio, vt omnes honorent Filium, καθὼς honorãt Patrem: καθὼς inquã, id est, pari eodem planè honore, quo & Patrem omnes honorant. Est ergo Filius dignitate, auctoritate, potentia, & natura, ac Deitatis maiestate æqualis Patri. Nam si Filius non esset æqualis Patri, Deitatis maiestate, & modis omnibus: profectò aliquis honor deferretur seu deferendus esset Patri, qui Filio non deberetur. Ergò hinc apertè euincitur Filium esse eundem Deum cum Patre, & eundem IEHOVAM. Nam Iehoua apud Iesaiam ait: *Gloriam meam non dabo alteri*. Ies. 42. 8. Hîc autem docet Christus eundem sibi honorem deberi qui etiam Patri debetur. Hinc etiam discant Ariani, & Seruetiani, qualem debeant honorem Christo, eundem certè, quem & Patri: vt non immeritò solita semper fuerit Ecclesia, vnumquemque Psalmum his verbis claudere: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*: nempe eadem sit. Id quod anteà fecerunt Apostoli: vt liquet ex Epistolis Pauli & Apocalypsi 2. Cor. 3. 13. Apoc. 1. 4. Quomodo igitur audent dicere, se tueri gloriam & honorem Patris, cùm eodem honore & gloria spolient filium? Stat sententia Christi: Velle Patrem, vt omnes honorent Filium, sicut & Patrem, hoc est, vt eodem honore & gloria Filium colant, qua Patrem debent honorare, & glorificare. Ergo qui hoc honore Filium spoliant, Patrem quoque inhonorent necesse est.

XII. Sequitur sextum argumentum, ab eodem Fidei obiecto deductum, vers. 24 *Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non venit: sed transit à morte in vitam.* Pergit in explicandis operibus secundi generis: quæ scilicet ad nostram salutem pertinent. Simul verò docet, quæ sit præcipua illius honoris pars: qui tam filio, quàm Patri debetur: nempe vt tam in Christum, tanquam verum Deum credant, quàm in Patrem. Hoc aliàs etiam iussit Christus apud Iohannem. 14. 1. Audire sermonem Christi, est Christo loquenti credere: ac proinde fidem in eo collocare. Credere autem ei, qui Christum misit, est credere Patri: Vtrũque autem coniungit simul, dicẽs: *Qui audit sermonem meũ*: Et: *Qui credit ei, qui misit me*. Quid tum? Quia qui ita credit, propter hanc fidem in me, & in eum, qui misit me, *habet vitam æternam*. Iis verbis docet, obiectum fidei nostræ, qua iustificamur, & vitam æternam accipimus, esse non minùs Filium missum, quàm Patrem mittentem. Ratio huius duplex affertur: vna, quia eadem est vtriusque Doctrina & Sermo. Quem enim Christus locutus est Sermonem, sermo fuit & est, tum Patris, tum filij. Nam ait primò: *Qui audit sermonem meum*: Est igitur Christi sermo. Deinde ait: *Et credit ei, qui misit me*, nempe cum hoc Sermone. Est ergo Pater auctor huius sermonis. Fides autem est ex auditu huius sermonis. Ergo obiectum fiduciæ, tam est Filius, quàm Pater. Altera ratio: Quia quod promittitur in verbo & sermone Euangelij: non minùs præstat Filius quàm Pater: nec minùs nos illud consequimur per fidem in Christum, quàm per fidem in Patrem. Ideò ait: *Qui audit sermonem meum, & qui credit ei qui misit me: is habet vitam æternam*: nempe per hanc vnicã fidem quam habet in me, & in Patrem. Obiectum ergo fidei, in quod recumbere debet nostra fides: tã est filius, quàm Pater. Quare hinc, vt dixi, conficitur argumentum ab eodem fidei obiecto, quod tam est filius, quàm Pater, ductum, In quibus ex æquo fides de æterna vita est collocanda. & à quibus ex ęquo expectanda est salus: ij etiam sunt æquales potẽtia, bonitate, Deitate. Atqui fides ex ęquo tam in Filio, quàm in Patre est collocanda atque seruanda, & hîc docet, & alibi sæpius. Cuius rei ratio est, Quia per hanc fidem, tam in Filium, quàm in Patrem, vitam consequimur æternam: & & non venimus in condemnationem, sed transimus à morte ad vitam. Hanc minorem propositionem confirmat versu insequenti, ab operibus propediem futuris, dicens: *Amen, amen dico vobis, quod veniet tempus, & nunc est: quum mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent*. Ergo Filius æqualis est Patri.

XIII. Sequitur septimum argumentum, ab eodem vitæ fonte, qui est tam in Filio, quàm in Patre. ver. 26. *Sicut enim Pater vitam habet in seipso: ita etiam dedit Filio vitam habere in seipso*. Habere vitam in seipso est, primum habere vitam non aliunde mutuatam, neque in aliena potestate constitutam, sed à se scaturientem, & in se permanentem, & indeficientem, seu à se & per se viuere: ac proinde significat, ita à se & per se viuere, vt etiam aliis possit vitam suppeditare. Cape simile à fonte sumtum, in quo scaturit aqua: talis fons habet aquam in semetipso, id est, non aliunde mutuatam, sed in se perpetuò scaturientem, & indeficientem: ac proinde talis est, qui aquam etiam aliis suppeditare perpetuò possit. Ita Deus Pater vitam in se habet, quia primò viuit à se & per se, eoque indeficienter: & quia auctor vitæ est in aliis omnibus viuentibus: id quod verè solius est Dei. Christus verò ait, Patrem sibi quoque dedisse: vt vitam in seipso habeat, concludit ergò se quoque Deum cum Patre esse à se semper, & per se viuentem, vitæque in aliis fontem & auctorem: quamquam quicquid est, & habet ipse, à Patre est, & habet. Quid igitur potest esse magis æquale ipsi Patri quã Filius? Est ac si dicas, Nihil est similius fonti quàm fons. Neque enim Pater & Filius duo sunt fontes vitæ, sed ambo vnus fons, sicut & vna sunt vita. Septimum itaque argumentum sic formatur.

Filius tam habet vitam in seipso, quàm Pater, id est, tam viuit ex se & per se, vt etiam alios possit viuificare quàm Pater. Ergo æqualis est Patri, etiam ipsa vita.

XIV. vers. 27. *Et auctoritatem dedit ei, iudicium etiam faciendi, quatenus filius hominis est*. Transit ad opera tertij generis, quæ sunt omnes mortuos è monumentis excitare, & totum orbem iudicare: atque ita fine rebus omnibus impo-

sito, in regnum cœlorum pios inducere, & impios in ignem æternum ablegare. Hæc sunt ex illis maioribus operibus, de quibus dixerat v.20. *Et opera istis maiora demonstrabit ei*, hoc est, communicabit, vt faciat. Iudicare enim mundum, & reddere vnicuique secundum opera sua, opus est Dei solius: vt Apostolus docens, dicẽs: *Deus statuit diem quo iuste iudicaturus est orbem terrarum.* Rom.2.16. & 3.6. Act.17.31. Sed quia hoc efficiet per filium in forma visibili apparentem, & venientem in nubibus, quem omnes intuebuntur: ideò erit opus verè admirandum: De hoc igitur ait: *Et authoritatem dedit ei iudicium etiam exercendi, &c.* Duo dicit: Primum Patrem præter ea, quæ suprà dixerat de operibus creationis & gubernationis mundi, & de operibus præsentis iudicij, quibus Ecclesiam regit, sibi etiam dedisse auctoritatem iudicium (nempe vltimum) de omnibus faciendi, hoc est, mortuos in fine seculi omnes à monumentis excitandi, in nubibus magna cum maiestate veniendi, omnium hominum facta discutiendi, sententiam de omnibus ferendi, impios in æternum exitium mittendi, & pios in æternum regnum ac vitam recipiendi. Deinde Patrem hanc sibi dedisse auctoritatem: ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, hoc est, quatenus etiam homo est, & quia homo est. Quatenus quidem homo est: quia iudicium hoc vniuersale, Christus non solum, vt Λόγος faciet (est enim proprium Dei iudicare mundum) sed etiam quà homo est: Apparebit enim visibilis, & sententiam de omnibus feret. Quia verò homo, hanc accipit potestatem, hoc est, propterea quia talis homo est. Quum enim esset in forma Dei, factus est homo, & habitu inuentus vt homo, factus obediens vsque ad mortem, &c. Philip.2.6. Quia igitur talis homo fuit: ideò Pater exaltauit eum, & dedit illi nomen supra omne nomen. Hoc est etiam, quod hic ait Christus: Nẽpe quia homo talis sum, ideò dedit Pater mihi hanc potestatem exercendi etiam iudicium in omnes, quum visibili forma redibo è cœlo. Hoc verò erit vnum ex illis operibus maioribus, de quibus suprà: ita vt omnes etiam impij sint vehementer admiraturi, quum talem virum, qui fuerat ab ipsis contemtus, & crucifixus, videbunt venire in nubibus cum maiestate magna cum omnibus angelis, & iudicare viuos ac mortuos. Cæterùm quum hæc diceret, mirabantur Iudæi, nempe non sine Sarcasmo, talem videlicet homuncionem, hæc tam magna, securè, & audacter de se prædicare. Christus igitur ait: *Ne miremini hoc. Nã venit hora, qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius.* Quasi dicat: Non est cur miremini, me irridentes. Res ipsa breui declarabit: an vera sint quæ dico, necne. *Nam venit hora* (ἔρχεται) *qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius.* Iussu enim Christi per angelum omnes mortui reuocabuntur ad vitam. Sed huius rei specimen præbuit, quum suscitauit Lazarum è monumento: Ad vocem enim Christi, *Lazare veni foras*, ille statim prodiit. Ioh.11.43. vers.29. *Et prodibũt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij seu condemnationis*, quasi dicat: Vos ipsi impij homines, audietis sententiam aduersus vos. Nam ex illorũ estis numero, qui prodibunt in resurrectionẽ condemnationis. Est ergo hic octauum argumentum, quod tale est.

Excitare omnes qui in monumentis sunt ad iudicium, & mundum iudicare, & dare vnicuique secundum opera sua, opus est solius Dei. Hoc erat in confesso apud omnes Iudæos, quia Prophetæ prædicârant hoc: Imò vulgatum iam inde ab exordio mundi: vnde Enochi dictum apud Iudam v.14.

Atqui in hoc quoque tertio & vltimo tantorum operum genere, σύνεργος sum Deo Patri: non solùm quà Filius ex ipso natus, sed etiam quà Filius hominis, id est, talis homo sum. Pater enim per me iudicabit vos, & vniuersum mundũ: & ex meo hoc ore, quo loquor vobiscum, sententiam audietis aduersus vos, impiósque omnes. At quemadmodum nunc nihil ago ex me, sed quod Pater facit, idem & ego; & sicut ab ipso audio, sic iudico, & ideò iustum est meum iudicium quia non quæro meam, sed Patris voluntatem: ita etiam meum istud iudicium iustissimum erit: quia non aliter iudicabo, quàm audiam ex Patre in me loquente, & quia ex ipsius voluntate omnia agam, quoniam idem est velle Patris & meum.

Cùm hæc ita se habeant, sintque certissima, si quis non videat quanta sit æqualitas inter Patrem & me eius filium, cæcus est.

Quare quòd significaui me Patri Deo esse æqualem, bene & rectè feci.

XV. Sequitur ergò conclusio vtriusque partis Apologiæ: in qua breuiter media suæ probationis repetit, & cõcludit, tum opus quod fecit in Sabbatho, esse iustũ & bonum: tum, quæ dixit de sua cum Patre æqualitate, esse verissima: ac proindè quod futurum etiam est iudicium vniuersale, futurum illud iustissimum. Quia ex sententia & voluntate erit Patris, quæ per Filium enunciabitur. Epilogus & conclusio hæc est vers. 30. *Non possum à meipso facere quicquam: prout audio, iudico: & iudicium meum iustum est: quia nõ quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Dixi summam apologiæ hanc esse, Christum nimirũ assumere se esse perfectissimũ patris σύνεργον in omni operũ Dei genere. Hinc duo infert: Vnum, se æqualem esse Patri: imò vnum & eundem cum patre: Quia vna etiam est vtriusque actio, vna voluntas, vna agendi facultas, vna & eadem gloria, vnus & idẽ fons vitæ, vna mundũ iudicandi auctoritas. Deindè, sua opera, etiam die Sabbathi facta, nõ posse culpari, quasi Sabbathum illis violatum sit: quandoquidem ea non sunt minus opera Patris, quã sua: idque propter summã æqualitatẽ, imò vnitatem, quæ est inter se & Patrem suum. qua vnitate fit, vt nihil agere possit Filius, quin illud etiam Pater efficiat: & contrà, nihil efficiat Pater, quod non etiam Filius faciat, & eodem quidem planè modo faciat. Opera autem hæc Dei dixi triplicis esse generis. Alia, quæ pertinent ad creationẽ & gubernationem mundi, totiúsque orbis. Et in iis Filium semper fuisse σύνεργον Patris: atque speciatim eũ de iis loqui, quum ait ver.17. *Pater operatur, & ego operor.* Item: *Quæcunque facit Pater ταῦτα & Filius ὁμοίως.* Alia, quæ ad specialem Ecclesiæ, seu regni Dei gubernationem, redemptionem, salutem, spectant: in qua Ecclesia, alij per fidem Euangelij à mortuis suscitantur & viuificantur: alij manent in morte propter incredulitatem: & hæc vocari posse opera præsentis iudicij. Nam etiam Christus hæc vocat mysterium sui aduentus, & dispensationem Euangelij, totumque opus redẽptionis, & Ecclesiæ regimen, quum ait: *Ad iudicium veni in hunc mundum: vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Io.9.39. Et: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Io.12.31. Et de iis loqui Christum, quum ait: *Sicut Pater suscitat mortuos, &c.* Item: *Pater non iudicat quemquam*, scilicet solus: *sed omne iudicium dedit Filio*, id est, regimen, & gubernationem totius regni. Alia, quæ ad futurum & vniuersale pertinent iudicium, & de iis loqui Christum, quum ait: *Et potestatem* (seu auctoritatem) *dedit ei iudicium exercendi*, quatenus filius hominis est. Hæc omnia complectitur breuiter in conclusione Christus. Primi quidem generis opera, quum ait: *Non possum ego à me ipso facere quicquam &c.* Est repetitio illius, quod est in ver.19. *Non potest Filius à seipso operari:* quasi dicat, Nihil potest operari, quod non & Pater. Secundi autem generis opera: quum ait: *Sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est*, hoc respondet illi quod habemus in ver.22. *Pater non iudicat quẽquam* (solus) *sed omne iudicium dedit Filio.* Filius igitur regit Ecclesiam & gubernat: ex iudicio & voluntate Patris & cum Patre. Hoc idem verbum etiam referri potest ad alterum iudicium vniuersale: vt hoc modo dicat, Sicut audiam, sic iudicabo: ita vt hîc loquatur tanquam de re præsenti propter certitudinẽ rei futuræ: Iudicabit enim cum Patre mũdum. Sed Christus vt homo, erit ceu præco Patris: qui iudicis Dei sententiam palàm pronunciabit. Quid hinc consequitur? *Iudicium meum* (tam præsens quàm futurum) *iustum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*: hoc est, Quicquid igitur ago, & dico, & dicam, iustum est & erit, quia ex voluntate Patris, quæ iustissima est, semper iudico. Quæ cùm ita se habeant, efficitur, Primùm quidem, opera mea esse iusta: quare violari illis Sabbathum non posse. Deinde verba etiam mea, quibus dixi, Deum meum proprium esse Patrem, & quibus assero, me æqualem esse Patri, vera ac iusta esse: Quia sicut nihil ago ex me ipso, sed ex Patris voluntate, sic nihil dico, nisi vt audio ex Patre. Verum igitur est, me æqualem esse Patri.

## CAPVT III.

### Christi de sui ex Patre æterna generatione testimonia, ex Ioh. 6. & huius capitis breuis expositio.

*Testimonium 4. Christi ex Ioh.6.ver.32. & sequent.*

DOMINVS Iesus captata occasione partim à pane, quo maximam Iudæorum multitudinem aluerat, partim à Manna pane cœlesti, quo Iudæi dixerant Patres suos in deserto fuisse à Mose sustentatos: egregium & verè cœlestem habuit Sermonem de vero ac cœlesti pane, quo electorum animi ad vitam nutriuntur

tur æternum. Ex hoc Sermone præter alia insignia cœlestis doctrinæ capita hoc cum primis apertè colligitur: Christũ, quà Λόγος est, verum & naturalem Dei Filium esse, eoque verum Deum. Atque hic Christi fuit scopus in eo Sermone: nempe ostendere quis esset, verus scilicet Deus & homo, eoque Seruator mundi: & qua ratione possimus ipso frui; nempe fide. Summa hæc est: Christus primò docet, Filium se esse Dei, dum Deum suum vocat Patrem. Secundò ait, se esse panem, quem Pater de cœlo nobis dederit. Tertiò hunc panem vitam afferre mundo, hoc est, animos ad æternam vitam alere, & à peccatis viuificare, & corpora etiam tandem à mortuis excitaturum esse. Neutrum horum conuenit Christo, quà homo tantùm est. Nam neque animam & corpus è cœlo attulit: neque vt homo, aut animos iustificare, aut corpora ad vitam reuocare potest: cum vtrumque solius sit Dei opus. Est ergo Christus panis cœlestis non simpliciter, quà homo est: sed quà est Deus. Item cùm dixisset, carnem suam (id est humanam naturam) viuificare: mox explicauit, hanc virtutem non esse à carne, sed à Spiritu, hoc est à Deitate. *Caro* (inquiens) *non prodest quicquam: Spiritus est qui viuificat.* Ostendit igitur, eatenus suam carnem viuificare quatenus cum Spiritu, hoc est cum deitate inseparabiliter coniuncta est. Et non secus illam viuificare quàm ferrum ignitum calefaciat atque adurat, nẽpe non sua, sed ignis, quocum est coniunctum, virtute. Ita caro Christi. Ac proinde ex vtroque loco euincitur, Christũ esse FiliumDei, quà Λόγος est, non adoptionis gratia, sed natura, hoc est, non solùm hominem, sed etiam Deum esse verum.

II. Nunc totus contextus percurrendus est: quò clariùs & certiùs, quòd dico verum esse appareat. Ioan. 6. vers. 32. Dixit ergo illis Iesus: *Amen, amen, dico vobis, non dedit vobis Moses panem illum cælestem: sed Pater meus dat vobis panem illum verè cælestem.* Comparatiuè loquitur, etiam Manna, panis cœli vocatum fuit: Psal. 78. 42. vt suprà citatum est vers. 31. Sed quia ille alendo tantùm corpori, idoneus fuit: panis autem cœlestis ille propriè est qui animas alat, id quod solus facit Christus: idcirco huius comparatione, negat manna per Mosen impetratum à Deo, fuisse verum cœlestẽ panem. Cœlestem verò panem, esse illum, quem dat Pater, nempe se. vers. 33. *Panis enim Dei is est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Tres hic habemus proprietates veri panis cœlestis. Vna est, quod verè descendit de cœlo, nempe de vero cœlo, de cœlesti scilicet regno Dei. Altera, quod vitã, scilicet veram det. Tertia, quòd hanc vitam det non vni tantum populo, sed toti mundo. Ab iis tribus proprietatibus, probat Manna Mosis non fuisse verum panem cœlestem. Primò: quia non descendit de vero cœlo (vbi scilicet habitare dicitur Deus) sed ex aere, & nubibus. Deinde, quoniam non dedit veram vitam, scilicet immortalem, & Spiritualem. Tertiò, quia neque toti mundo, sed tantùm populo Israelitico, qui fuit in deserto. Cõtrà igitur cùm Christus sit (vt ipse affirmat) ille verus cœlestis panis: consequitur illum & verè descendisse de cœlo à Patre: & verã vitam adferre: & totius mundi esse Seruatorem, iam inde à condito orbe. Hinc verò quid consequitur, nisi Christum, & fuisse in cœlo Filium Dei, antequam descendisset in terram, id est priusquàm in carne sese manifestasset? & verum esse, naturalémque Dei filium, eoque verum Deum? Solius enim Dei est, quod huic cœlesti pani attribuit: animas scilicet à peccatis, & corpora à mortuis viuificare.

III. Vers. 34 *Dixerunt ergo illi, Da nobis semper panem istum.* Irrident Christum & vanitatis perstringunt, quod dixerat se esse panem Dei, qui descenderit de cœlo, & qui det vitã mundo. Hinc enim videbant effici: eum esse Filium Dei naturalem, & ideò Deum. Quòd non crederent, rident eum. vers. 35. *Dixit illis, Ego sum panis ille vitæ, qui venit ad me, nequaquã esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.* Contẽta Iudæorum irrisione, pergit nostra causa, salutarem de hoc Pane doctrinam explicare. Primum docet, vnde petenda sit vita: nempe à se Christo. *Ego enim*, inquit, *sum panis vitæ.* Secundò, qua ratione possimus eam vitam assequi, & ea frui: FIDE in Christum. *Qui enim venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam.* Descriptio est vitæ æternæ. Nũquam enim esurire, & nunquam sitire est semper beatè viuere. Habemus etiam, venire ad Christum, & credere in Christum: idem esse. Quamquam ego discrimen hoc facio, vt venire ad Christum, sit vltra illius humanitatem quæ spectabilis est, pedibus Spiritus penetrare in illius vsque Deitatem, & quasi propius accedere: ita vt agnoscamus, eum verum esse Dei Filium, & Deum ipsum: ac proinde talem, qui possit, & velit nos seruare: hoc est venire ad Christum: nempe, cognoscere, quis sit, & quodnam eius officium. Credere verò in Christum: est in Christo vere cognito, totam salutis fiduciam collocare. Hoc verò alterum sequitur ex priore: nec quisquam potest verã salutis fiduciã in Christo collocare, nisi eum agnoscat pro vero & naturali Dei filio, eoque vero Deo. Hæc etiam duo confirmant, Christum verum esse & naturalem Dei Filium, eoque Deum ipsum: Nam neque vitam æternam conferre potest, nisi Deus. neque licet salutis fiduciam reponere, nisi in Deo. Versiculo 36. *Sed dico vobis, etiam vidistis me nec creditis.* Duo de Iudæis dicit: Primùm, se ab ipsis fuisse agnitum: nempe ex patre, ita vt sint inexcusabiles. Secundò, in se tamen non fuisse ab illis creditum. Accusat igitur eos voluntarij & inexcusabilis contemtus, voluntariæque infidelitatis.

IIII. Versiculo 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me venit & eum qui ad me venit, non eiicio foras.* Causam adfert cur Iudæi non credant in se Christum. Huius enim rei culpam non hærere in doctrina: quasi non sit vera: nam electi in se credunt idque constanter. Sed causam esse docet, quia non sint electi. Argumentum enim hoc est.

*Quicquid dat mihi Pater:* id est, quisquis est electus, & mihi à Patre assignatus, *is venit ad me:* nec solum venit, sed etiam perpetuò apud me manet. *Nam qui venit ad me, non eiicio eum foras*: quasi dicat: Retineo apud me semper, donec inducam eum in perpetuam vitæ æternæ possessionem: vt paulò post sequitur.

At qui vos ad me non venitis.

Non estis igitur ex numero illorum: qui traditi mihi sunt à Patre, id est, Electorum. Atque hæc est causa, cur non credatis.

Est hoc simile illi, quod habemus alibi: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Io. 8. 47. Hic duo genera habemus Reproborum: Alij sunt: qui nunquam veniunt ad Christum: Alij: qui veniunt, quodam scilicet modo: Sed non manent apud ipsum: ij sunt temporarij, qui nunquam vera & viua donantur fide.

Duæ etiam notæ electorum hic perspiciuntur. Primo, credunt in Christum: Secundò, manent semper cum Christo: Nunquam enim foràs eiiciuntur. Item obseruãda est causa perseuerantiæ sanctorum: Ea est gratia Christi: Quia scilicet Christus non eiicit eos foras. Est igitur donum Christi, Perseuerantia.

Obseruandus est etiam ordo Salutis. Primus gradus est electio. Damur enim Christo à Patre. Secũdus, Fides in Christum. Venimus enim ad Christum, tracti, fideque donati à Patre. Tertius, insitio in Christum, æternaque Salus. Non enim eiiciuntur foràs Electi.

V. Vers. 38. *Quia descendi de cælo, vt faciam non voluntatem meam: sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc autem est volũtas eius qui misit me Patris, vt quicquid mihi dederit, non perdam ex eo: sed suscitem illud in vltimo illo die. Hæc est autem voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ego verò suscitabo eum vltimo illo die.* Confirmat efficacissima ratione, alteram electorum proprietatem: quæ est, eos non solùm credere in Christũ, sed etiam semper manere cum Christo, Christo apud se illos retinente. ac proinde electos fideles non posse perire. Est enim hic sensus: Ego non possum eiicere foràs eum, qui ad me venit, Ratio: *Quia descendi de cælo, &c.* Argumentum autem est, à decreto Patris, & à sua erga Patrem Patrisque voluntatem obedientia deductum, in hanc formam:

Ego non possum, nec volo non facere voluntatem Patris. In hunc finem descendi de cœlo: vt facerem voluntatem eius.

Atqui hæc est voluntas Patris mei, vt quos mihi dedit (id est, elegit) & ex consequenti, qui me vident, id est, me agnoscunt, & in me credunt, eos non solum non eiiciam foràs, & perdam: sed donem etiam vita æterna, & eos perpetuò mea manu custodiam, donec in nouissimo die resuscitem, ad vitam scilicet æternam.

Ergò electos, posteaquam cœperint vera fide ad me venire: & in me credere, nunquam eiiciam foràs: sed seruabo vsque in diem resurrectionis. Quare cùm vos Iudæi in me non credatis, imò etiam quod habuistis cognitionis mei, illud voluntariè reiiciatis: apertum datis testimonium, vos non esse ex numero illorum, qui mihi dati sunt à Patre.

Est hic obiter obseruandum, quinam sint electi. *Hæc est* (inquit) *voluntas eius, vt qui credit in me.* & cætera. Explicat per notiora nobis, quæ minus nota sunt: nempe quinam sint electi, de quibus est illa voluntas Dei. Illi nimirum, qui credunt in Christum. Non est igitur electio aliunde agnoscenda: quàm à fide in Christum vera, constantique. Hoc autem Christi officium, quod ipse Christus hic describit, apertè docet, eũ etiam ante assumptam carnem Filium Dei fuisse, eoque natum esse Dei Filium. Est enim tale argumentum.

Officium Christi est, omnes electos in se credentes serua-

re, & sua manu custodire, vsque in diem resurrectionis omnium. *Hac est enim voluntas Patris, &c.*

Atqui electi ab æterno traditi fuerunt Christo: & iam inde ab initio mundi fuerunt semper qui in Christum credi derunt.

Ergo Christus iam inde ab initio mundi seruauit electos fideles, & sua manu protexit, & protegit, donec resuscitet eos in nouissimo die. Quomodo autem seruauit, si ipse tum non fuit Filius Dei?

VI. Versiculo 41. *Murmurabant ergo Iudæi de eo, quia dixerat: Ego sum panis ille qui de cælo descendit.* Ait murmurasse Iudæos de Christo: nempe tanquam de blasphemo vel saltem de vano homine: quòd dixerat se esse panem, & quidem viuificum, qui è cœlo descendit. Causam huius murmurationis, & obloquutionis, docet hanc fuisse: quòd homines non tracti à Patre, in Christo nihil reputabant præter humanam naturam: dicentes, *Nonne hic est Iesus Filius Iosephi, cuius nos nouimus Patrem & matrem? quomodo ergo dicit iste, è cælo descendi?* Syllogismus Iudæorum talis est.

Fieri non potest, vt qui natus est in terra, & quidem ex obscuris parentibus, is sit, nescio quis, panis viuificus, qui è cœlo descenderit (hæc propositio vera est, si addatur exclusiua, Tantùm, hoc modo. Fieri non potest, vt qui tātùm natus est in terra, sit panis cœlestis.)

Atqui iste Iesus, natus est in terra ex parentibus obscuris. *Nonne hic est Filius Iosephi &c.* (iam verò in hac Minore, deest exclusiua, Tantùm.

*Ergo quomodo dicit: Ego descendi de cælo?* Quasi dicerent. Est igitur vanissimus & impudens homo. Quibuscumnam putat se loqui: Cum Fungis, & Bardis, hominibus ve qui eum non norint? Annon nouimus nos eius Patrem & matrem? Cæterùm ex hoc murmure Iudæorum & illorum ratiocinatione, apertè colligitur, eos, atque id quidem meritò, intellexisse, Christum voluisse innuere, se non esse purum hominem: neque tunc primùm esse Dei filium cœpisse, quum natus est ex virgine Maria: sed in cœlo fuisse genitum & inde in terram descendisse. Priùs enim dixerat Christus, se esse Filium Dei, quum Deum suum Patrem nominauit. Deinde dixit, se esse panem qui de cœlo descenderit. Meritò igitur hinc collegerunt Iudæi, illum voluisse significare, se fuisse in cœlo genitum, ex Deo patre. Verùm cum hoc iudicarent esse vanissimum, quia nihil aliud in Christo nouerāt, nisi humanam naturam, & quidem obscurè natam: ideo de illis Christi verbis tanquam vanis non sine irrisione murmurārunt.

VII Versiculo 41. *Respondit ergo Iesus, & dixit eis, Ne murmurate inter vos. &c.* Docet causam cur ita de se obmurmurarēt, hanc esse quod scilicet Christum quidnā sit nō agnoscant. Non agnoscere autem, quia non trahantur à Patre. Ideò verò nō trahi à Patre, quia non sint ad gloriosam resurrectionem, vitamque æternam, quam Christus omnibus electis traditurus est, destinati: sed æterno exitio deuoti. Ita explicat hic fusius quod supra concisiùs dixerat. Syllogismus Christi hic est.

*Nemo potest venire ad me* (id est, me agnoscere, & in me credere) *nisi Pater qui misit me traxerit eum:* seu, illi tantùm ad me veniunt, quos trahit Pater.

Atqui vos non trahit Pater: hoc est, vos estis sine Spiritu Dei & carnalia tantùm spectatis.

Ergò, dum ita manetis sine tractu Patris, fieri nequit, vt in me credatis, & me agnoscatis. Estis enim tantùm caro.

*Ego verò suscitabo eum in vltimo illo die.* Id est, qui ad me tractus à Patre venerit, ego illum nō eiiciam foras: sed meo Spiritu semper retinebo, & viuificabo Spiritum eius, donec corpus etiam resuscitem in illo die.

Versiculo 45. *Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. Quisquis ergo audiuit à Patre, & didicit, venit ad me,* His verbis tria facit. Primùm, explicat verbis Propheticis, quomodo Pater trahat ad Christum: nimirum non vi aliqua externa, sed intus in corde loquēdo, & docendo, & persuadendo doctrinam cœlestem, per Spiritum sanctum. Ideò ex nomine θεοδίδακτοι, conclusit, modum trahēdi, esse per internam doctrinæ persuasionem: dicens: *Quicunque igitur audiuit à Patre & didicit, venit ad me.*

Deinde explicat, quosnam Pater intus doceat: ac proindè ex consequenti, quos non trahat. Trahit electos omnes, & solos. De electis enim omnibus & solis Propheta loquitur: quum ait *Et erunt omnes θεοδίδακτοι.* Esaias enim alloquitur Ecclesiam Christi sanctā. & ait וכל בניך למודי יהוה *Et ponam omnes filios tuos διδακτοὺς Θεοῦ.* Ies. 54 13. Hinc consequitur non trahi reprobos, quia de iis nulla est promissio; sed tantùm de electis. Postremò confirmat hoc testimonio suam propositionem: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eū.* Ex qua sequitur altera affirmatiua, nempe, Quēcūque trahit Pater: hic venit ad me, Hoc ex verbis Prophetæ concludit, dicēs: *Omnis ergo qui audiuit ex Patre, & didicit, venit ad me;* hoc perinde est, ac si diceret: Omnis ergo, qui trahitur à Patre, venit ad me. Sed illa locutione Prophetica vsus est, vt doceret etiam modum, quo Pater suos trahat ad Christum electos.

Ex iis porrò verbis Christi, liquidò apparet, Christum filium esse Dei naturalem, & eiusdem cum Patre Deitatis. Ait enim neminem posse ad se venire, seque cognoscere, nisi à Patre audiat, doceatur, & discat, Nempe quis & quid sit Christus. Docet ergo, præter humanam naturam quæ ab omnibus spectabatur, & ad quam cognoscendam non erat opus Patris tractione & doctrina, aliam etiam in se fuisse & esse naturam, quam nemo possit nosse, aut credere, nisi ad hanc videndam & cognoscendam trahatur à Patre.

VIII. Vers. 46 *Nō quod Patrē quisquā viderit: nisi is, qui est à Deo: hic vidit Patrē.* Quia dixerat: *Omnis qui audiuit & didicit à Patre, venit ad me:* Ne quispiā fortè cogitaret aliqd carnale, quasi Patrē videant illi, qui à Patre discunt, vt solent hominum discipuli, qui dū audiūt præceptorē, illum etiam vident, Ideircò adiecit hanc exceptionem dicens: (*Non* scilicet dico, omnis qui audiuit à Patre) *quod Patrem quisquā viderit, nisi is, qui est ex Deo.* Primò docet his verbis, hāc doctrinā de Christo instillari inuisibiliter in animos electorū, & eā esse spiritualem. Secundò: Solùm filium vidisse Patrem: & per hunc aliis quoque patefieri. Sic etiam alibi. *Deum nemo vidit vnquā: Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ille exposuit nobis.* Io. 1. 18. Ex iis verò duo potissimum colligimus, primū quidem maximam Patris & Filij esse vnionē. Nam Patrē nemo potest cognoscere, nisi filius eum ipsi reuelet, & ad filium nemo potest venire, nisi trahatur à Patre. Matt. 11. 27. Sunt igitur ita coniuncti. vt vnus sine altero & sine alterius opera agnosci nequeat, quemadmodum neque mens potest agnosci sine verbo (Hoc enim est illius nota & testimoniū) Neque vicissim verbum sine mente. Hæc enim illud primo gignit: & deinde promit per Spiritum. Secundò colligimus: Christum filium esse Dei non gratia adoptionis, sed naturalem seu genitum ex Patre: ait enim: *Is qui est à Deo: hic vidit Patrē.* Hac loqutione, tum assumit, se vnum esse, qui sit à Deo: tum etiam infert, se vnum esse qui viderit Deum. Ex vtroque autem membro manifestè colligitur, Christum esse filium Dei naturalē. Videamus de primo. Cyrillus, Chrysostomus, Theophilactus παρὰ accipiunt pro ἐκ. Volunt, autē idē valere, esse παρὰ seu ex Deo, & genitū esse ex Deo, id est, ex Patris substantia. Nam esse ex Deo, trifariam intelligi potest, Aut creatione: vt ad Ro. *Ex ipso sunt omnia* Rō. 11. 36. Aut regeneratione: vt apud Io. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Iohan. 8. 47. Aut æterna generatione. Quomodo verò Christus solus est ex Deo? Num creatione? Minimè verò quod ad humanam quidem naturam attinet, est à Deo, creatione, sed non solus. Omnia enim sunt à Deo. Num generatione? nequaquā. Nam omnes electi sunt à Deo: Quia renati ex Deo, per Spiritum sanctum. Si ergò solus Christus est ex Deo: consequitur solum esse ex Deo substantiali generatione. Hoc confirmatur illo dicto, huic simili: *Filius, qui est in sinu Patris: ipse enarrauit nobis.* Io. 1. 18. Quinam solent esse in sinu matrū, & patrū? Liberi ex se nati. Hic ait, Qui est ex Deo. Ibi, Qui est in sinu Patris. Vtraque autem locutio, idē significat, Christum scilicet, quà λόγος, Filium Dei esse ex Patre natum, non gratia adoptionis, sed natura. Hoc apertè colligitur, si idē sint, esse παρὰ τοῦ θεοῦ, & esse ἐκ τοῦ θεοῦ, vt Cyrillus & alij volūt, & mihi probatur. Est. n. hic locus similis illi alteri apud Ioh. *Ego noui eum, qui ab ipso sum.* Io. 7. 29. Ita hic arguit; Solus Filius est à Deo: ergò solus vidit Deum. Sic etiam. Solus Filius est in Sinu Patris: Io. 1. 18: Ergò solus vidit Patrem. Sunt tamen, qui discrimen faciant, inter esse παρὰ & esse ἐκ τοῦ θεοῦ: Ac proinde interpretantur, esse à Deo, idē esse, quod missum esse à Deo. Cæterùm si solus Filius est à Deo missus in hunc mundum: idem consequitur, quod suprà. Est enim necesse, Filium hunc esse missum à Patre certo quodā modo, quo nulla vnquā creatura fuerit missa, aut mitti possit. Sicut. n. quum ait, Neminē vidisse Deū, & se solum vidisse Deum, quia vnigenitus sit in sinu Patris, sese eximit è numero nudarum creaturarum. Ita quum ait, se solum esse à Deo, docet nullam vnquam creaturam ita fuisse, aut esse à Deo missam, quomodo ipse à Deo est missus. Prophetæ enim fuerunt missi à Deo, sed non vt angeli. Angeli missi de cœlo: sed non vt Filius Dei. Vnde enim Filius Dei & quomodo missus est? E sinu Patris, vbi erat: Io. 1. 18. & per incarnationem ex virgine. Nulla autem creatura fuit vnquā ita missa, mittive potest. Christus ergo non est creatura, sed Filius Dei

lius Dei naturalis Quare vt accipias hanc præpositionem παρὰ in hoc loco efficitur, Christum non esse puram creaturam: sed Filium Dei naturalẽ. De secundo membro. Se vnum dicit vidisse Patrem, Deum. At nonne etiam angeli, vt de certis hominibus, Mose, & aliis taceam, dicuntur à Christo semper videre faciem Patris? Matt. 18.10. Omninò. Quomodo igitur ait, Se solum videre Patrem? Primò intelligitur, per se. Alij enim omnes per Filium reuelantem, agnouerunt: vt docet Iohannes Baptista, Io. 1. 18. Secundò intelligitur, de singulari modo. Filius videt Patrem modo, quo nulla vnquam creatura Deũ vidit, aut etiam videre potest. Consequitur ergò, etiam ex hoc altero membro: Christum non esse puram creaturam: ac proinde non Filium esse Dei, gratia adoptionis, sed natura, & eiusdem cum patre Deitatis. Qualis autem sit ille modus: nõ est nobis curiosiùs inuestigandum, quando Scriptura illum non explicat. Satis est, talem esse, qui in nullam creaturam competat. Si liber tamen aliquid è Scripturis pro modulo nostræ mentis colligere, dicere haud impiè possumus, esse non absimilem illi, quo verbum seu conceptus mentis, dici potest videre mentem, hoc est, intimo, penitissimo, & perfectissimo modo, & qui nulli rei extra mentem existenti, conuenire potest. Est enim Filius Λόγος mẽtis paternæ. Quid autem magis intimum, & æquale menti est, quàm ipsius conceptus ac sermo? Tertiò intelligitur de essentia Dei. Hanc enim nemo vidit, nisi Filius, qui ex eo natus est. Sic & Spiritus sanctus, qui ab vtroque procedit. Hæc igitur Christi exceptio, nempe: *Non quòd Patrem viderit quispiam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem*, luculenter demonstrat, Christum quà Λόγος est, æqualem esse Patri. Adfero crassum simile. Viscera matris nemo posset dicere se vidisse, nisi Filius ex ipsa natus, si facultatem habuisset videndi: quum in matris esset vtero. Si quis igitur sic diceret: Nemo vidit viscera matris meæ, nisi ego: indicaret, se solum Filium eius esse naturalem.

IX. Versicul. 47. *Amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Ego sum panis ille vitæ. Patres vestri comederũt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est Panis ille, qui è cœlo descendit, vt qui eo vescitur, non moriatur. Ego sum ille Panis viuificus, qui è cœlo descendi, si quis ederit ex hoc Pane, viuet in æternum.* Duo hic repetit: tertium nunc primùm docet. Repetit primũ, quo instrumẽto possimus vita frui: nempe fide, dicens: *Qui credit in me habet vitam æternam.* Repetit secundò, vnde petenda vita: nempe à Christo. *Ego enim* (inquit) *sum panis ille vitæ.* Tertiò, occasione accepta ex Manna: docet verum & cœlestem vsum Sacramentorum. Hunc autem esse tradit: nimirum vt inspectis Sacramentis ab iis, ad rem ipsam per illa significatam, & quasi sub oculis positam, hoc est, ad Christum: mente per fidem illustrata, assurgamus, & fide illum amplectamur: illoque fruamur. Tum demum Sacramenta vitam adferre: alioquin illa nihil prodesse. Hoc facit, quum ait: *Patres vestri* (nempe infideles, sicut & vos) *comederunt Manna.* (hoc est solum externum symbolum sine re: nempe, sine me, vero cœlesti pane. Non enim loquitur de piis, quia illi rem etiam ipsam comederunt, & viuunt in cœlo æternam vitam.) *& mortui sunt*, nimirum, morte æterna. Hic apertè docet impios Israelitas non percepisse, nisi Symbolum sine re: & ideo vitam ex illo consequi non potuisse. Quid ergò nobis faciendum est? comedendus est Christus fide. Ideò ait: *Hic est panis ille vitæ qui de cœlo descendit, vt, qui eo vescitur, non moriatur.* Vt meliùs ac clariùs rem explicet, & inculcet fortius, quis sit ille panis, repetit dicens: *Ego sum ille panis viuificus qui è cœlo descendi.* En panem, rem Sacramẽti, *Si quis ederit ex hoc pane* (fide vt supra) *viuet in æternum.* En vsum salutarem Sacramenti. Non fuit hæc repetitio & inculcatio superuacanea, sed necessaria: quia omnes quidem appetunt viuere in æternũ: sed vbi quærenda sit vita, & quomodo ea frui possimus, omnes ferè ignorant: dum alij extra Christum prorsus eam quærunt, alii partim in Christo, partim extra: Et alij velint eam à Christo accipere, sed veram non adferunt fidem. Ita fit vt bonũ nulli vitam assequantur. Christus igitur inculcat se vnũ esse, qui sufficiat toti mundo alendo, & viuificando: & vnica fide se recipi, & manducari. Dum verò tam sæpe repetit se descendisse de cœlis: duo inculcat cognitu nobis necessaria. Vnum, Se esse filium Dei naturalem in cœlis genitum: alterum, veram vitam in cœlesti duntaxat regno inueniri. Dum autem vrget verbum, Edendi, docet vitam hanc non posse percipi, nisi tali fide, qua & nobis Christus verè vnitur, & nos Christo solidè incorporemur. Versiculo 51. *Et panis, quem ego dabo, Caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Hactenus sub nomine panis cœlestis, locutus est Christus de seipso: non quatenus caro & homo est, sed quatenus Λόγος. Hinc inde liquet, quod dixit, se esse panem illum, de quo scilicet hactenus locutus est. De pane autem hoc, duo præcipuè prædicauit: Vnum: quòd descenderit de cœlo, hoc est, de cœlesti regno Dei: alterũ quòd sit viuificus, nempe per se, & vitam adferat veram, tum animis, tum denique etiam ipsis corporibus, in resurrectione vitæ. Atqui hæc duo minimè competunt simpliciter, & per se, in humanam Christi naturam. Nam neque è cœlo illa descendit, vt totum est: neque etiã per se est viuifica, vt infra disertè docet Christus, dicens: *Caro* (scilicet per se) *non prodest quicquam, Spiritus est, qui viuificat.* Vtrumque autem optime, simpliciter, & per se quadrat in λόγον illum Dei æternũ. Nã & descendit de cœlo, quũ se manifestauit in carne: & per se viuificat, quia vitã habet in se ipso: Imò ipse est Vita Io. 14. 6.

Ergò quæ hactenus de hoc pane disseruit: de ipso Christo, quatenus λόγος est, non autem quà homo, propriè intelligenda sunt. Ac proinde hinc liquet aliam in Christo præter humanam, inesse naturam, secundum quam filius est Dei, non gratia adoptionis factus in terris, sed natura genitus in cœlo, ex ipsa Patris substantia. Christus enim propriè & simpliciter, ac per se, est panis ille viuificus, qui de cœlo descendit, quatenus est λόγος & naturalis Patris Filius. Nunc itaque, vt ostendat, se totum esse viuificum, incipit disserere de carne etiam sua: hoc est de altera sua natura, nempe humana. Accipit enim nomen carnis, sicut cap. 1. 14. *Et verbum caro factum est*: vbi nomine carnis; anima simul cum corpore intelligitur: sicut in Symbolo exprimitur, quum dicimus: *Et homo factus est*. Facit autem hoc captata occasione ex illis Iudæorum verbis: *Nonne hic est Filius Iosephi*? Caro enim Christi erat illis impedimento, ne crederent Christum esse panem cœlestem. Nunc ergo vult ostendere, imo ipsam etiam suam carnem, esse viuificam: & modum, quo sit viuifica, explicat. De hac igitur carne duo dicit. Primum eam esse viuificam, nempe non minus quàm λόγος ipse Filius Dei naturalis, quem hactenus vocauit panem, qui de cœlo descendit. Hoc facit quum hanc carnem vocat eodem nomine, quo & antea λόγον, nempe panem, panem scilicet viuificum & cœlestem. Sic Apostolus ad Corinthios. *Posterior* (inquit) *Adamus factus est Spiritus viuificans*, id est, homo viuificus. 1. Cor. 15. 45. Sed ex Spiritu, hoc est, ex Deitate, cui cõiunctus est, hoc habet. Deinde explicat, quo pacto caro hæc, sit nobis panis viuificus. Et hoc facit quum ait: *Caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Quod ad primum attinet, ait: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita.* Panis propriè est ipse λόγος Filius Dei naturalis: quia is propriè est, qui descendit de cœlis, & vitam attulit mundo: Verùm, quia caro etiam vnita est huic λόγῳ ὑποστατικῶς: idcirco hæc quoque, panis nomine hic à Christo appellatur, dum ait: Panem hunc esse suam carnem, quam daturus sit pro mundi vita. Atq; ita totus Christus, est panis viuificus: sed Deitas per se, & simpliciter: Caro autem, id est humanitas per aliud, & κατ' ἄλλο, Deitas enim in Christo, est sicut anima in corpore nostro. Vt ergo hæc totum corpus animat (vt ita loquar) & viuificat: Ita illa, quia vita ipsa est, totam naturam humanam reddidit viuificam. Et sicut anima per corpus viuificatum, effecta sua vitalia extra profert & communicat aliis: sic λόγος per carnem, suæ vitæ effecta in nos transmittit, & nos viuificat. Est enim Deitas Christi, fons vitæ: Caro eius veluti canalis quidam. Hinc etiam colligimus, Christum esse non purum hominem, sed Filium Dei naturalem. Nam si caro Christi ideo vocatur panis vitæ, non per se, sed quia coniuncta est λόγῳ ὑποστατικῶς: consequitur in Christo aliam naturam esse, quæ per se panis sit vitæ. Hæc autem non potest talis panis esse natura: nisi hic panis Deus sit. Quod ad secundum: Duplex est ratio, propter quam caro Christi dicitur, & verè est viuifica, panisque vitæ. Vnde est, quia ὑποστατικῶς vnita est λόγῳ, qui est panis vitæ per se. Est enim hac de causa, caro Christi in se viuifica. Sicut & ferrum ignitum ac candens calefacit & adurit, quia cum igne coniunctum est. Et sicut etiam corpus humanum ideo viuit & opera vitæ facit: quia anima præditum est. Cæterum nisi Christus hanc carnem dedisset; in mortem pro peccatis nostris, & in hac, peccata nostra expiasset, iustitiamque nobis, & vitam æternam impetrasset: fuisset quidem caro in se viuifica, sed minimè nobis. Nisi enim Christus mortuus fuisset propter peccata nostra, & posteà resurrexisset propter iustificationem nostram: mansissemus in peccatis, & in morte: ac proinde caro illa, nihil nobis profuisset. Altera igitur causa propter quam caro Christi dicitur, & est viuifica, non tam in se, quàm nobis est, quia in ea peractum est mysterium Redemptionis nostræ, hoc est, quia in hac Christi car-

ne, primùm quidem perfecta Legis obedientia Deo Patri est præstita: dum tota Lex in ea fuit perfectissimè obseruata. Deinde, quoniã in hac Christi carne expiata sunt peccata nostra: dum ea caro, quæ λόγῳ illi æterno inseparabiliter, id est, ὑποστατικῶς vnita erat & est, oblata fuit, vt verum sacrificium expiatorium pro peccatis nostris. Per hanc Christi ad mortem vsque obedientiam, perque hanc oblationem tàmque voluntariam, & efficacem, iustificati, sanctificatique sumus, & liberati à peccatis, à morte, & inferis, vt ad Hebr. & Romanos docemur Hebr. 10. 10. Rom. 5. 19. & 8. 3. *Deus* (ait Apostolus) *cum misisset Filium suum in similitudine carnis peccati, & pro peccato: damnauit peccatum in carne.* Denique in hac Christi carne, quia oblata fuit pro peccatis nostris, non solùm remissa nobis sunt omnia peccata, sed etiam iustitia Christi perfecta nobis imputatur: Et nostra caro, id est, nostra natura corrupta, sanctificata est: tum quia Spiritus indè nobis donatur, quo inchoatur in nobis sanctificatio: tum quia perfecta carnis Christi sanctificatio nobis imputatur: & sumus in conspectu Dei, perinde ac si nihil in nobis superesset peccati, vel corruptionis. Ergo propterea quod caro Christi tradita fuit in mortem propter peccata nostra, factum est vt illa nobis fit verè viuifica. Imò quicquid vitæ nobis communicatur è cœlo, totum illud propter hanc carnem opera Spiritus sancti communicatur: modò nos per fidem charitate efficacem, simus in Christo, iuxta illud, *Est autem hoc testimonium quòd vitam æternam dedit nobis Deus. & hæc vita in Filio eius est. Qui habet Filiũ, habet vitã.* 1. Io 5. 11. & 12. Hanc igitur communicationem Christus explicat dicens *Quam ego dabo pro mundi vita.* Verborum sensus & constructio hæc est: *Panis quem ego dabo* (scilicet in finem vsque mundi, vescendum meis discipulis, qui tracti à Patre, ad me veniunt) *est mea caro.* Caro igitur Christi est viuifica. *Quam* (carnem) *ego dabo* (scilicet in mortem & oblationem) *pro mundi vita*: hoc est, vt per eam ita oblatam, mundus ille, pro quo oblata fuerit, viuificetur, & viuat. Quũ enim ait: *Quam ego dabo* (scilicet in mortem) *pro mũdi vita*; Docet, eatenus carnem suam esse mundo viuificam, quatenus est data à Christo in mortẽ propter peccata nostra; vt iis expiatis vitam haberemus æternam. Hoc etiam ex loco facilè est colligere, eum qui dedit hanc carnem in mortem pro mundi vita non fuisse purum hominem, ac proinde filium Dei per gratiam adoptionis: sed verum ac naturalem Dei filium, verumque Deum. Nam nisi, qui hanc dedit in mortem, fuisset Deus: & nisi caro in mortem data fuisset cum filio Dei, vero Deo ὑποστατικῶς coniuncta, profectò numquam aut peccata nostra in ipsa deleri, & mors absorberi: aut ipsa caro potuisset pro mundi vita efficaciter dari: ipsaque nostra fieri vita, & panis vitæ. Ideo Apostolus ait: Deum redemisse Ecclesiã sanguine suo. Act 20. 28. Quasi dicat, nisi fuisset Deus, qui sanguinem fudit, Ecclesia non fuisset redempta. Sanguine igitur fuit redempta: Sed non alia de causa, nisi quia sanguis iste fuit illius, qui non solùm homo, verum etiam Deus erat. Ita exponit: quomodo caro Christi sit panis vitę: quia primò caro est illius, qui verus est Dei filius, verusque Deus: & deinde, quia cùm sit talis caro, pro vita mundi oblata est. Quare hinc quoque liquido apparet: Christum, quà λόγος, filium Dei esse naturalem, eoque eiusdem eum Patre naturæ, & Deitatis.

X. Vers. 52. *Pugnabant ergò Iudæi alij aduersus alios, dicentes: Quomodo potest hic carnem suam dare, qua vescamur:* Anteà, quum diceret simpliciter, se esse panem, qui de cœlo descenderit, vt vitam daret mundo: tantùm murmurabant Iudæi. Christum tanquam vanum, qui tam magnifica de se prædicaret, irridentes. Nunc autem cùm dixisset non simpliciter de se, sed speciatim de sua etiam carne, eam esse panem cœlestem, qui vitam mundo adferre debeat, Euangelista non ait, Iudæos murmurasse: sed ait, ἐμάχοντο: quasi dicat: ad insaniam redacti: non submissa voce obmurmurabant: sed altis clamoribus inter se vociferabantur, perinde ac si armis pugnarent: quia scilicet dixerat carnem suam esse panem illum. Vnde hoc discrimen? Inde, meo iudicio: Quia quod dixerat Christus in genere, se esse panem cœlestem, qui daret vitam mundo: forte videbant illud intelligi posse metaphoricῶs: & Iesum locutum fuisse de sua doctrina; nimirum illam esse, è cœlo, & quæ vitam adferret mundo: idcirco de illo sermone tantùm obmurmurabant. At verò, quum audiuissent eundem dicere, suam carnem, carnem inquam, quam antea dixerant, esse ex Iosepho & Maria, & quę sola illos impediebat ne crederent in Christum, esse panem cœlestem, & quæ deberet, tradi pro mundi vita, hîc non potuerunt se continere, quin in furorem conuersi, magno clamore inter se vociferarentur, & quasi pugnarent: quibusdam fortè verba Christi defendentibus, & dextrè interpretantibus: aliis tanquam blasphema, omninò damnantibus. Summa: hæc est causa insanientis & pugnantis inter se mundi, quòd dicamus, hunc Iesum esse, panem cœlestem: hoc est, verum & naturalem Dei filium, qui de cœlo descenderit, sumpta scilicet hac nostra carne, vt in ea nostra expiaret peccata, & vitam adferret mundo: & ita Christum crucifixum, esse vitam nostram. Pugnat itaque mundus: alij, de persona Christi, quod non credant eum esse verum Dei Filium, qui de cœlo descenderit: alij de officio, quod non credant ita Christum in carne traditum esse pro mundi vita, vt is solus & quidem crucifixus, ad salutem sufficiat. Hoc est, quod colligo ex illo verbo ἐμάχοντο: dicentes *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum*, seu, quæ vescamur? De tribus autem pugnant. Vnum est: quomodo possit caro Christi esse panis cœlestis: secundum, quomodo ipse possit hanc dare comedendam: tertium, quomodo possit hęc caro esse mundo esse vita. Tria enim etiam dixerat Christus. Primum carnem suam esse panem cœlestẽ. Secundò, se hãc carnem daturum comedendam. Et hoc primo verbo, *Dabo.* Tertio, se daturum hanc pro mundi vita: id est, quæ futura sit mundo vita, & hoc altero verbo, *Dabo.* Innuit enim, hac sola posse mundum viuere. Et verisimile est, alios primum, alios alterum, alios tertium caput exagitasse: ita vt maxima inter ipsos fuerit concertatio. Ergo iis paucis verbis: Quomodo potest hic nobis dare carnem qua vescamur? ἐμάχοντο hæc tria capita complexus est Iohannes.

IX. Vers. 53. *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amẽ dico vobis: Nisi ederitis carnem Filij hominis: & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Primò docet, necessariam esse carnis suæ manducationem, ad hoc, vt veram, perennémque viuamus vitam: hoc facit ver. 53. Secundò explicat vtilitatem, quam sua caro à nobis comesta adfert. Et hoc vers. 4. dicens: *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in vltimo die* Tertio, quod dixerat, de hac sua carne: hanc scilicet adferre vitam se edentibus: confirmat tribus rationibus. & simul etiam explicat quomodo. Atque ita docet, suam carnem, verum esse Panem cœlestẽ, & viuificum: sicut etiam appellauit vers. 51. Quod ad primum attinet, ait: *Amen, amen dico vobis, &c.* Dominus contemtis vanis Iudæorum de sua carne disceptationibus, pergit explicare, quæ de hac sua carne cognitu necessaria & vtilia sunt. Vtinam Christi prudentiam imitaremur omnes, non videremus in Ecclesia tot de hac carne ededa, déque Cœna Domini, concertationes. Ac primùm de necessitate ait: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* Addit etiam de sanguine, vt ostendat, se totum, quantus quãtus est, esse viuificum & necessarium ad comedendum, id est, fide percipiendum. Secundò, vt doceat se perfectam esse animorum alimoniam, cùm det non solum cibum, sed etiam potum. *Non habetis vitam in vobis*: id est, veram vitam, perennem, & perpetuam. Consequitur ergo qui edit carnem Christi, eum habere vitam in se ipso: id quod postea disertè explicabit.

At (inquies) etiam supra dixerat Ioh 5. 26. *Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit et iã Filio habere vitã in seipso.* Atque hinc probauimus Christum, quà λόγος est, esse Patri ęqualem, eoque Deum. Ex hac igitur locutione colligimus idem de omnibus, qui carnem Christi verè comedunt.

Respondeo: Ibi sunt particulæ ὥσπερ καὶ οὕτως. Docet enim eundem ad modum, vitam esse in filio, sicut est in Patre. In pãtre autem est vita, vt fons perennis: sicut declarauimus: Sic ergo etiam in Christo. Verum hic desunt illæ particulę Non enim docet hic Christus, sicut vita est in Patre, & in te: sic etiam habere eandem vitam in seipsis illos, qui comedunt carnem Christi: sed tantùm, qui ederint carnem Christi, & biberint eius sanguinem, eos habere vitam in seipsis. Ergo significat, edentes carnem Christi habere eandem vitam, quam Pater, æternam: sed non eodem modo. Ideo Christus versu insequenti explicat: Quid sit, hanc suam edentes carnem, habere vitam in seipsis: nempe æternam: & eos verè æternúmque viuere. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Caro igitur Christi, & Christus ipse nihil prodest, nisi à nobis edatur, nempe fide, sicut in hoc sermone explicatur: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c. Non loquitur ergo hic de manducatione Sacramentali cœnæ Dominicæ. Nam permulti non edunt sacramentaliter: interim tamen non consequitur, illos non habere vitam in semetipsis: cùm habeant Christum fide. Ergo loquitur de manducatione seu communicatione, quæ extra Cœnæ vsum perpetuò nobis necessaria est, per fidem scilicet in Christum. *In vobis ipsis* Ergo electi etiam antequam fide Christum amplexi sunt, vitam habent in cœlo, in Domino, quatenus

tenus scilicet ad illam prædestinati sunt: non tamen habent in se ipsis: id est, nondum in se viuunt, nisi eum demum, quā carnem Christi fide percipiunt. Nemo enim viuit, vita extra se posita: oportet enim habere Christum in nobis. *Non habetis ait*, non autem, *non habebitis*. Docet ergò, Iudæos, etsi viderentur sibi tum viuere, quum hæc loqueretur Christus, fuisse tamen mortuos. Ac proinde fieri nō posse, vt quisquam veram vnquam habeat vitam, antequā incipiat Christi carnem comedere, etsi ipse sibi videatur perbellè viuere. Quanta igitur sit necessitas comedendæ carnis Christi, his verbis perspicuè docet.

XII. De vtilitate sic ait, *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. & ego excitabo eum in nouissimo die.* Duplicem vitam assequuntur, qui vera fide Christi carnem comedunt. Prima est animæ, atque hæc incipit in hoc seculo: ideò ait, *habet vitam æternam*. Quum ait, *Vitam*, intellige, veram & cœlestem, sed inchoatam, non perfectam. Nam in cœlo vita est beata: quia videtur Deum facie ad faciem. *Hic videmus Deum sed per speculum, & in ænigmate.* 1. Cor. 13. 12. In cœlo vita est quieta, trāquilla: ita hic fideles tranquillam degunt vitam, in conscientia quidem, quia securi sunt de remissione peccatorum: vnde illud, *Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum.* Ro. 5. 1. In mēte verò, quia non sunt soliciti de rebus huius seculi, cum proximo etiam, quantum in ipsis est, pacificè viuunt: vt monet Apostolus Rom. 12. 18. In cœlo vita est beata, quia nulla re indigent, & nihil desiderant ampliùs. Hic pij nulla re indigent, quia sunt sua sorte cōtenti: nam vera pietas secum habet coniunctam αὐτάρκειαν. 1. Tim. 6. 6. Et nihil desiderat nisi complementum inchoatæ vitæ beatæ. In cœlo vita est sanctissima, quia liberati ab omni peccato. Rom. 7. 6. Sancti hic, licet peccatum in se habeāt inhabitans, & subinde labātur, non seruiunt tamen peccato, sed operam dant sanctitati, & veræ iustitiæ. In cœlo ideò vita beata, quia nullus amplius ibi luctus, nullus clamor, nullæ lachrimæ. Apoc. 7. 17. Hic sancti licet secundū carnē plorent, tamen Spiritu etiā in mediis afflictionibus gaudent, & gloriātur. Rom. 5. 3. Hæc prædicant scripturæ sacræ, & hæc sentiunt sancti. Quum verò ait, *Habet*, intellige: Primò quidem, quia ius habet vitæ æternæ Deinde, quia semen habet vitæ illius, nempe Spiritum Dei, qui inchoat in nobis vitam illam cœlestē, vt paulò ante ex parte ostendimus. Tertiò, quia Spiritu fidelis certus est de perfecta vitæ illius cœlestis possessione. Quum autem dicit, *Æternam*, intellige, nunquam penitùs deficientē. Docet igitur, qui vera fide comederunt Christum, eos ita hanc viuere vitam, vt nunquam penitus moriantur, alioqui quomodo æternam haberent? Atque hæc de vita prima, id est, animorum. Altera est corporum ad æternam vitam resurrectio. Hanc explicat quum ait, *Et ego excitabo illum in nouissimo illo die.* At omnes resurgent, etiam impij. Verum, sed ad resurrectionem condemnationis: pii verò, ad resurrectionem vitæ. Ioh. 5. 29. Obseruandum quod ait, *Ego excitabo*. Est igitur Christus ille, qui etiam seipsum excitauit à mortuis, sicut dixerat alibi, *Soluite templum hoc, & tribus diebus erigam illud.* Ioh. 2. 19. Qui enim in flumen lapsus, suum tamen exerit caput, vt ab aquis non suffocetur: idem etiam reliqua sua membra inde tandem eripiet. Deindè obserua illud, *Ego excitabo* Ergò Deus est. Deus enim suscitabit nos, & non alius, vt docet Apostolus Ro. 8. 11. En vtramque vitam, quam, edentes carnem Christi, consequuntur.

XIII. Ver. 55. Sequuntur confirmationes eorum quæ dicta sunt. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Prima ratio à natura veri cibi sumitur. Qui vescuntur vero cibo: ij ita perfectè aluntur, vt numquam moriantur, sed viuant in æternum. Est enim natura & proprietas veri cibi, vt perfectè & continenter alat, & nec ipse pereat nec sinat perire eum, qui ipsum edit, iuxta illud, *Operemini* (id est, operam date) *non cibo* (scilicet edendo) qui perit, sed illi cibo, qui permanet in vitam æternam. Ioh. 6. 27. Sed. huiusmodi cibus corporalis non reperitur in hoc seculo: quia non est vera vita, hæc præsentis temporis vita. Atqui *mea* (inquit Christus) *Caro, verè est cibus* [ id est, verus cibus] *& sanguis meus verè est potus.* Nunquam enim perit in eo hic cibus & potus, qui iis verè vescitur, sed permanet in vitam æternam. Sic infrà, vocat se veram vitem. Iohan. 15. 5. Ergò qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Deinde quod ad corpus attinet, etiam illud suscitabo in nouissimo die. Atque hinc etiā colligitur argumentū pro confirmanda perseuerantia Sanctorum. & certa salute piorum: Christus enim in illis, à quibus verè percipitur & editur, numquam perit, nec finit illos perire. Altera ratio, ver. 56. *Qui edit meam carnem, & bibit meū sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sumitur hæc ratio ab vnione, quæ inter Christum comestum, & nos Christum comedentes, fit, & coalescit. Alludit autem ad illam incorporationem, quæ fit inter edentem ac bibentem, & inter cibos comestos. Cibus extra nos manens, minimè nos nutrit. Cibus sumtus dum in nobis manet, nutrit & viuificat: & si perpetuò maneret, perpetuò viuificaret. Et dum cibus in nostram vertitur substantiam: fit vt ille in nobis sit, & vicissim nos in illo, propter conuersionem substantiæ cibi in substantiam nostram. Idem contingit nobis cum Christo. Extra nos positus non alit. A nobis sumtus, nutrit & vitam adfert. atque conseruat. Et si perpetuo in nobis maneat, perpetuò etiam viuificet, necesse est. Tanta autem vnio fit inter illum & nos. vt ille sit in nobis, & nos in illo: nō quod ille, vt reliqui cibi, mutetur in nostram substantiam: sed is potiùs mutat nos in se, ita vt fiamus Caro de carne eius: sicut Augustino semel dixisse Christus legitur, *Surge, comede & viues, non enim Ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me.* Argumentum igitur Christi, hoc est:

Qui mecum ita fit vnum, vt ille perpetuò sit in me, & ego in illo, is non potest non æternam mecum viuere vitam. Ego enim æternam viuo vitam. Apoc. 1. 18.

Atqui omnis qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, ita fit vnum mecum, vt ille semper in me maneat, & ego in illo. Manet ille in me, quasi mutatus in me, factū que mea caro: Ego maneo in illo, vt cibus semper nutriens & viuificans.

Ergo qui edit carnem meam, habet vitam æternam.

Hinc confirmatur propositum de filiatione Christi naturali. Si enim sit tantùm homo, & non Deus, quomodo potest in nobis manere, nosque viuificare: idque perpetuò. & in sempiternum? Sequitur tertia ratio vers. 57. *Sicut misit me viuens ille Pater, & ego viuo propter Patrem: ita etiam qui ederit me, viuet ipse quoque propter me.* Sunt hic tres viuētes, ordine quodam inter se connexi, ita vt inferiorum vita à superioris vita oriatur. Primus est Pater, qui misit Filium, is viuit, vitam scilicet beatam & æternam, sed per se & à se, quia à nemine illam habet. Alter, Filius missus: hic viuit eandem quam Pater vitam, sed propter Patrem, quia eam habet à Patre, qua λόγος quidem per æternam generationem: quà homo autem per vnionem hypostaticam cum λόγῳ, qui est vnum cum Patre. Tertius est edens carnem Christi. id est, verè credens in Christum. Hic viuit eandem vitam, quam & Christus: sed propter Christum, à quo illam habet, & qui in ipso viuit. Gal. 2. 20. Si radius Solis loquatur & dicat, Sicut Sol, qui me in terram vsque demisit, lucet, sic ego propter illum luceo: & sic etiam qui me percipit, eiusdem Lucis fit particeps, propter me scilicet, receptum: Sic Christus loquitur. Huic autem horum trium viuentium ordini explicando, seruit illa particula similitudinis καθώς. Est enim sensus, sicut qui me misit Pater, vitam viuit beatā & æternam, sed à se: sic etiam ego Filius, ab eo missus, eandem cum Patre viuo vitam, sed propter Patrem, quia scilicet eam habeo à Patre, & Pater in me viuit: & sic etiam, qui edit me, viuit eandem vitam, quam Ego: sed propter me, à quo illam habet, & qui in illo viuo. Hic est sensus. Proinde, vt omnia huius propositionis membra cohæreant: illa particula καθώς omnino referenda est, non ad verbum ἀπέστειλε, sed ad verbum ζῶ, vt liquet. Quare sic construo hæc verba, sicut qui misit me Pater, est ille viuens: vnde scilicet omnis vita, sic ego etiam viuo, sed propter Patrem: & sic etiam qui edit me, viuit, sed propter me. Et sic legitur in Exemplari Syriaco, אבא מטול אבא ומן איכנא דשדרני את הו יחא לעלם אבא חיא ואנא חי ריאכלני. Sic igitur Græcus contextus, est constituendus: καθὼς, ὁ ἀπέστειλέ με πατὴρ. [οὕτω] κἀγὼ ζῶ, [ἀλλὰ] διὰ τὸν πατέρα· καὶ ὁ τρώγων με κἀκεῖνος ζήσεται [ἀλλὰ] δι' ἐμέ. Vnde etiam liquet, illam particulam, διὰ τὸν, accipiendam esse, non pro causa finali, sed pro causa efficiente: vel potiùs pro origine vitæ: sicut quum dicimus, corpus viuere propter animam. Duo autem facit iis verbis: Primò confirmat superiorem sententiam, hac tertia ratione, à qualitate vitæ, quæ est in fonte, deducta. Argumentum primum:

Si quis viuat vitam, quam etiam Pater viuit, hic certè vitam viuit æternam. Pater enim vitam viuit æternam.

Qui autem meam edit carnem, talis vitæ fit particeps, & talem viuit, qualem etiam Pater. Huius minoris probatio à riuulo, qui oritur à fonte, sumitur. Qui enim edit me, ipse viuit vitam, quam & ego, idque propter me, quē edit, & qui in ipso maneo ac viuo. Ego autem viuo vitam Patris, idque propter Patrem à quo sum, & qui in me manet, ac viuit.

Ergo qui manducat meam carnem, habet, viuitque vitam æternam.

Non sine causa autem interposuit illud verbum ζῶντος tanquam epitheton Patris, vt scilicet ostenderet, de se tanquam de Mediatore, per quem hæc vita à Patre accepta

credentibus communicatur, loqui: & ita suum simul indicaret officium, nempe se è cœlo missum esse in terram, vt hanc vitam credentibus, per carnem suam, communicet. Ita ex hoc verbo aliud suppeditatur argumentum, ad eandem superiorem sententiam confirmandam. Est autem hoc.

Sicut misit me viuens ille Pater, sic etiam oportet me meum perficere officium, cuius causa missus sum. Descendi enim de cœlo, vt faciam voluntatem Patris, qui misit me.

Atqui missus sum, vt vitam illam æternam, quam Pater à se viuit, & quam Ego etiam propter Patrem viuo, omnibus meam carnem edentibus, communicē. Est enim hæc voluntas Patris, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.

Ergo oportet me præbere vitam omnibus me edentibus. Quare qui edit carnem meam, habet à me vitam æternam. Hoc enim est, viuere propter me.

Hoc est primum ordo scilicet salutis nostræ, qui est à priori. Alterum, his verbis indicare voluit fontem, progressum, & communicationem huius vitæ: quo nomine tota nostra salus intelligitur. Fons & scaturigo est Pater: est enim sicut Deitatis, sic etiam vitæ & totius salutis fons. Sed cùm dicimus Patrem fontem, non excludimus Filiū & Spiritum sanctum. Non enim de solo patre, sed de toto (vt ita loquar) Deo, Iehoua, dictum est illud, *Apud te est fons* Ps. 36.10. Et *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Ierem. 2.13. Et suprà Christus dixit: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* Ioh. 5.26. Sed ideò Pater nominatur, quia est principiū Deitatis, & ab ipso sunt, Filius & Spiritus sanctus. Ideò pater κατ' ἐξοχὴν, ratione originis, dicitur ὁ ζῶν. Progressus vitę ad nos, est per Filiū vnigenitū, qui quoniā ex viuo patre naturaliter natus est, vitā quoque naturaliter in se habet, sicut qui ex homine rationali natus est, ipse quoque naturaliter rationalis est. & qui ex viuēte, ipse etiā naturaliter viuens est. Imò sicut Pater est vita ipsa, & fons vitæ: sic & Filius, vt ipse ait: *Ego sum vita.* Ioh. 14.5. Sicut enim est lumen de lumine, ita est vita de vita. Ideò quum hic ait, se viuere propter Patrem, si cum Patribus accipimus verba de Christo, quà λόγος est, nihil aliud significat, quàm se ideò vitā habere naturaliter in semetipso, quia in patre viuo naturaliter natus est, sicut homo rationalis diceret, se rationalem esse propter parentes rationales: hoc est, quia ex rationalibus parentibus natus sit. Si verò de Christo, quà homo, sensus est perspicuus, se ideò viuere, quia Pater, cum quo λόγος vnus est Deus, in se habitet: hoc est, propter deitatem suam, quæ nomine patris sæpe significatur apud hunc Euangelistam, vt etiam annotauit Cyrillus. Filius igitur, vt hanc vitam haberemus hic in terris, eámque nobis communicaret, missus à patre, descēdit de cœlis, & homo factus, manifestatu est in carne. Hic est progressus. Cōmunicatio verò huius vitæ in hunc facta est & fit modum. λόγος dum se carni inseparabiliter & hypostaticè vniuit: quia ipse est per se sanctus, & per se viuens, ac vita ipsa, totam etiam carnem ita sanctificauit, & ita viuificauit vt eam fecerit & sanctificam & viuificam sua deitate. Sicut anima corpus: sic vt ignis ferrum: sicut etiam mel dulcia reddit, quibus immiscetur. Huc illud dictum infrà: *Spiritus est qui viuificat: caro* (per se sola) *non prodest quidquā* Fit igitur caro Christi propter deitatem viuifica hoc est, ad promerendum remissionē peccatorum, ad satisfaciendum pro peccatis nostris, ad sacrificium pro mundi vita, denique ad iustitiā & vitam æternam impetrandam efficax. Deinde in carne hac ita in se sanctifica & viuifica effecta, præstat Christus ea omnia, quæ ad salutem & vitam nobis impetrandam erant necessaria: seruat Legem, precatur Patrem pro nobis, denique offert etiam sacrificium pro nobis, à peccatis & à morte liberandis. Et hæc omnia præstat in carne efficaciter: ita vt in hac carne Christi crucifixa sit tota nostra salus & iustitia. Vnde Christus dicitur factus nobis esse sapientia, iustitia, sanctificatio, redemtio. 1. Cor. 1.30. Et ad Rom. *Deus peccatum condemnauit in carne.* Ro. 8.3. Et ad Eph. ait inimicitias sublatas per Christum, in carne ipsius. Ephe. 2.15. Tota igitur vita in carne Christi, hoc est in homine illo crucifixo, qui & Deus est, posita fuit: vt ea nobis communicaretur, ex illa carne mortua propter peccata nostra, & à mortuis excitata propter nostrā iustificationem. Ro. 4.25. Sed vt reapse à nobis perciperetur, & ita verè illius fieremus participes: duo alia requirebantur: verbum scilicet Euangelii, quo nobis totum hoc mysterium vitæ, suprà explicatum, significaretur, & Spiritus sanctus, qui verbum prædicatum mentibus nostris inscriberet, persuaderet, & donata fide, efficeret vt illud beneficium in carne perfectum, seu vitam in carne Christi positam, reciperemus: & ita reapse viuificaremur. Igitur Christus tum ipse per se, tum per Apostolos & alios, prædicauit mundo Euangelium: quod suprà dictum salutis mysterium explicatum fuit, & quotidie explicatur. In Electis ad se à Patre pertractis, per Spiritum sanctum, fidem excitat: hac illi donati, tum agnoscunt in hac Christi carne vitam esse positam, tum eam agnitam recipiunt, & in ventriculum sui Spiritus traiiciunt & retinent. Et hoc est edere carnem Christi viuificam. Inde ipsi viuificati vitam viuere incipiunt cœlestem. Hæc volui fusius & diligenter explicare, tum quia in iis summa & ordo salutis continetur, tum quia necessaria sunt ad veram eorum, quæ sequuntur intelligentiam. Hoc est vltimum. His verò rationibus confirmatur, totum Christum esse viuificum, ac proinde Christum esse illum Panem, qui è cœlo descendit, & qui vitam dat se edentibus: id quod certè præstare nō potuit Manna ab Israelitis in deserto comestum.

XIIII. Sequitur ergo principalis conclusio totius huiusce sermonis, cum repetitione principalis rationis. Conclusio hæc est, vers. 58. *Hic est panis ille, qui de cœlo descendit.* (Ratio) *Non sicut manducârunt Patres vestri Manna, & mortui sunt. qui ederit hunc Panem, viuet in æternum.* Sensus est, Cùm hæc ita se habeant, liquidò apparet, Me esse verum panem, qui de cœlo descendit, non autem illud Manna, quod Patres vestri manducârunt in deserto: Ratio ab effectu. Manna enim illud non potuit adferre vitam se edentibus. Patres enim vestri illud comederunt, & tamen mortui sunt. At hic panis adfert vitam se comedentibus. Qui enim manducant hunc panem, viuent in æternum: vti iam multis demonstraui. Non igitur illud Manna fuit verus panis cœlestis, sed hic, id est, Ego, quantus quantus sum: etiam mea hæc caro. Propositio enim totius sermonis fuit illa, quæ est in vers. 32. *Non dedit vobis Moses panem illum cœlestem, sed Pater meus dat vobis panem illum verè cœlestē:* hoc est, non illud Manna fuit verus panis cœlestis: sed Ego, quem vobis exhibet Pater. Probatio in vers. 33. Panis enim ille Dei est, qui primò de cœlo descendit (id est, è cœlesti Patris regno) qui deinde dat vitam (scilicet veram:) qui denique hanc vitam dat (non vni populo tantùm, sed) Mundo toti hunc edenti. Has rationes anteà variis modis explicauit, illustrauit, & confirmauit: atque in primis illam, quæ deducitur ab effectu panis, seu à vita, quam dat panis iste, non vni populo, sed cuiuis se edenti. Illam igitur propositionem, tanquam conclusionem principalem, repetiit in fine sermonis, & simul repetiit principalem rationem. Resolutio igitur huius postremi versus hæc est: Ego sum panis ille verè cœlestis: non autem illud Manna materiale. Ratio à definitione ad definitum.

Panis enim cœlestis est ille, qui à vero cœlo descendens, veram & cœlestem vitam adfert se manducantibus, in toto Mundo.

Atqui talis non fuit illud Manna. nam præter quàm quòd non descendit è vero cœlo, sed è nubibus, vitā etiam veram non attulit se edentibus. Patres enim vestri manducauerūt Manna, & mortui sunt: adfert autem iste, hoc est, Ego, quantus quantus sum. Qui enim manducat (quisquis ille sit) hunc panem, viuit in æternum.

Ergo non illud Manna, sed hic (quem scilicet videtis) est panis ille cœlestis.

Ex iis verò omnibus, hoc est, tam ex conclusione, quàm ex rationibus, manifesta consequutione efficitur, Christum quà λόγος, naturalem esse Dei Filium, eiusdem cum Patre naturæ.

### *XV. Ver. 59. Hæc dixit in synagoga, docens, in Capernaum.*

Est igitur hæc, quæ in hoc Dialogo tradita est à Domino Iesu, doctrina de pane cœlesti, certissima, atque firmissima: quoniam tradita fuit in synagoga coram doctissimis viris, & à nullo potuit refutari. Cùm verò euicerit se talem cœlestem esse panem: & talis panis esse non possit nisi sit Filius Dei naturalis, & eiusdem cum Patre naturæ: quis dubitet de æterna Christi diuináque natura? Nemo, nisi qui duro sit corde, & ad veritatē minimè flexibili: ideò ait, vers. 60. *Multi igitur ex Discipulis eius, his auditis dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Multi ex Discipulis dicunt: *Durus est hic sermo.* Ergò quòd hæc Christi doctrina, de vera eius Deitate, non omnibus probetur, mirum non est, quoniam etiam tum fuerunt inter Discipulos multi, qui eam non probarent. Deindè obseruandum est, quòd non ait, *Omnes:* sed *Multi.* Ergò licet maior pars sit eorum, qui Christi doctrinam reiiciunt: sunt tamen etiam alii, qui amplectuntur, vt infrà liquet. Notanda præterea causa, cur quidam reiiciant, quia scilicet dura ipsis esse videtur: non autem quòd talis sit ex se. *Durus* (inquiunt) *est hic sermo,*

qui

*quis potest eum audire?* Significatur hac locutione, reiectam fuisse hanc doctrinam à Iudæis, non alia de causa, nisi quia dura illorum erat dentibus: vt etiam edentuli omnem reiiciunt solidũ cibum, licet perfectum. Quid ita? Quia durus est, cùm ipsi sint dentibus destituti. Ita doctrina Christi iis, qui carent dentibus Spiritus, & fidei, dura est. Sic Hæretici doctrinam de Christi Deitate, quia non possunt eam ferre, & sua carnali mente mandere, vt durã damnant: sed ipsi duri sunt corde. Ita durus est Christi sermo, duris corde, tener teneris, & qui ad veritatem flecti se sinunt, à Spiritu sancto. Sic Apostolus de toto Euangelio dixit: *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui seruantur, & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem, illis vero odor vitæ ad vitã.* 2.Cor.2.15.

XVI. Vers.61. *Sciens autem Iesus apud se, Discipulos suos de hoc murmurare, dixit eis. Hoc vos offendit?* De superiori Dialogo dixit Iohannes: *Hæc dixit in Synagoga*: Ergo extra Synagogã fecit hæc verba alia ad Discipulos. Porrò ex eo, quod Iesus in se, & per se agnoscit tacitas Discipulorũ murmurationes, annõ hinc declarauit satis apertè, se verũ esse illum cœlestem Panem, Filium scilicet Dei naturalem, eòq; Deum? Certè veri Discipuli agnouerunt (vt ad finem liberè confitentur se credere) illum esse Dei Filium, scilicet naturalẽ: sed reprobi, eò magis indurantur. Idẽ cõtingit illis, qui hęc quæ perspicuè è Scripturis tradimus de æterna Christi deitate, lecturi sunt. Reprobis videbitur doctrina durissima, & ideò magis illi excæcabũtur: Electi verò confirmabuntur in fide. Hoc vos offendit? Quasi dicat, Ita ne etiã vos Discipulos meos, quibus deberem esse quàm notissimus & meus sermo perspectus: hoc, quod de mea carnę, déq; me pane cœlesti disserui, offendit? Docet turpissimũ esse, eos qui diu in Schola Christi fuerunt, nõdum intelligere, & Christum verum esse panem, qui de cœlo descendit: & suam carnem esse viuificam: & eam non teri dentibus, sed fide tantùm edi.

Vers.62. *Si igitur videritis Filium hominis ascendentem eò, vbi erat priùs?* Augustinus interpretatur in Iohãne, hoc modo, *Quid si videritis*, &c. *Illi* (Discipuli) *putabant, Christum erogaturum corpus suum* (more scilicet aliorum ciborum) *edendum. Ille autem dixit se ascensurum in cœlum* (sic) *vtique integrum. Quum ergo videritis Filium? Quasi dicat, Certè tũc videbitis, quod non eo modo, quo putatis, erogat Filius hominis corpus suum: Certè tunc intelligetis, quod gratia eius, non consumitur morsibus.* Augustinus putat responderi ad offensionem, captam de manducanda carne Christi: & doceri non dentibus edendam, sed spiritu & fide in cœlum subleuatis. Cyrillus, *Frustrà* (inquit Dominus Discipulis suis) *ò vos. propter verba mea conturbamini. Quòd si credere non vultis, vitam vobis è meo corpore dari, quid facietis. quum in cœlum volare me conspicietis? non enim ascensurum me in cœlum solummodo profiteor, ne rursus, quomodo id fieri possit, quæratis. sed oculis etiam vestris ita fieri cernetis. Quid igitur hoc videntes dicetis? Annon erit hoc magnum dementiæ vestræ argumentũ? Si enim putatis carnem meam vitam vobis adferre non posse, quomodo tanquam volucris in cœlum ascendet? Quomodo per aëra volabit? hoc enim similiter humano generi impossibile est. Quòd si præter naturam, caro mea in cœlum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam viuificet? nam qui terrestre hoc corpus, cœleste conficit.* (id est, tale vt possit volare per aërem) *is etiam viuificum reddidit. quamuis natura sui corruptibile fuerit.* Cyrillus putat his verbis responderi ad offensionem illlam, quam inde ceperant, quod dixerat suam carnem esse viuificam, & probari esse viuificam à potentia Christi, qui sicut corpus hoc tulit in cœlum, sic etiam potuit facere viuificum.

XVII. Cæterùm vt intelligatur hic versus, & qui sequuntur, tenendus est sensus. Vers.58 *Hic est panis ille, qui de cœlo descendit*, &c. *Durus* (inquiunt) *est hic sermo.* Quisnam sermo? Tria ad extremum cõcluserat Christus de sua carne. Primùm, Eam esse panem, qui de cœlo descenderit, hoc est, se esse Filium Dei naturalem, qui descenderit de cœlo. Secundò: Eam carnem esse viuificam. Nam pro mundi vita erat tradenda in mortem. Denique eam esse edendam, si quis velit viuere in æternum.

Hæc offenderunt non solùm inimicos Iudæos, sed etiam Christi discipulos, qui Christum quotidie audiebant & sequebantur. Christus igitur omnia illa explicat clariùs, vt tollat offensionem à Discipulis. Quod ad primum attinet sic ait: *Si igitur videritis Filium hominis*, (id est hãc carnem) *ascendentem vbi erat priùs?* subintellige: Quid tũ diceretis? Quasi dicat, Tum reipsa perspiceretis, quæ dixi, verissima esse, Me scilicet in cœlo fuisse Filium Dei naturalem, priusquam huc descendissem, & hanc carnẽ sumsissem. Syllogismus est hypotheticus, Si conspiceretis &c. omninò agnosceretis, me esse Dei Filium, qui de cœlo descẽderit: nemo enimeò ascendit, nisi qui decendit. Ioh.3.13. Atqui, videbitis. Ergò tum agnoscetis me talem esse, qualẽ prædicaui, & ideò tũc vosmetipsos fuisse meis verbis offensos, intelligetis. Ac profectò quod hic Christus ait, se priùs fuisse in cœlo, quàm scilicet factus esset homo: luculentissimũ est testimonium, quo ipse testatur, se non esse Filium Dei adoptione in terris factum, sed natura in cœlo genitum. Quòd verò ait, Filium hominis priùs fuisse in cœlo, confirmat Patrum dogma, de communicatione idiomatum: propter quam fit, vt quod proprium est vnius naturæ, alteri etiã tribuatur, prædicatione tantùm: non autem, quod reipsa ità fuerit, sicut etiam illud, *Filius hominis, qui est in cœlo.* Ioh.3.13. Sic sunt resoluendæ hæ propositiones: Filius hominis est totus Christus. Hic Filius hominis, erat priùs in cœlo, verę, sed non simpliciter, verùm *secundum* altera scilicet natura, nempę diuina, non autem humana. Sic contrà Filius Dei mortuus est, qua parte natura humana, non diuina.

XVIII. Vers.63. Quod ad alterum de carne viuifica, ait, *Spiritus est, qui viuificat, Caro non prodest quidquam.* Explicat quomodo caro sua sit viuifica, nempe, non per se & sua natura: (ita enim nihil prodest ad nostram viuificationem:) sed per aliud, nempe per Deitatem, quacum inseparabiliter & hypostaticẽs, coniuncta est. Nomine autem Spiritus sæpę intelligi Deũ ipsum, seu vim Deitatis, manifestius est, quàm vt egeat probatione. Christus ait, *Spiritus est Deus.* Ioh.4.24. Et Petrus: *Mortificatus carne, viuificatus Spiritu, quo Spiritu olim etiã profectus, prædicauit tẽpore Noe.* 1.Pe.3.18. Et Paulus: *Qui est ex semine Dauid secũdũ carnẽ: Declaratus autem Filius Dei secundũ Spiritum.* Est igitur perinde atque si Christus dicat: Quòd offendamini, quia dixerim meã hanc carnem esse viuificam, mirum non est de illis, qui me non agnoscunt pro Filio Dei naturali, eiusdémque Deitatis cum Patre. quid enim talis caro prodesse posset ad salutẽ æternam, & ad animas viuificãdas? Cæterũ, duo in me sunt, Spiritus, hoc est, vis Deitatis, Deitasque ipsa & caro, hoc est natura humana. Id, quód propriè viuificat, est Spiritus. Quid autem viuificat Spiritus? Primùm carnem ipsam, hoc est, totam humanam in me naturam, atque ita hanc viuificat, vt etiam viuificam reddat. Deinde quidquid in ea gestum est, geritur atque peretur, obseruantiam legis, preces, passionem, mortem. Hæc enim omnia nihil ad salutem Mũdi prodessent nisi ab eo fieret, qui est Deus: ac proindè nisi à Spiritu viuificaretur. Illos prætereà viuificat, qui meã hãc edunt carnẽ, & sanguinẽ bibunt, hoc est, qui credũt, in hac carne sua expiata esse peccata, & hoc sanguine se Deo patri esse reconciliatos, & iustificatos. Quis enim iustificat? Deus. Ro.8.33 Atque ita hos fideles viuificat, vt ipsi quoque viuificati opera edant viua. En igitur fontẽ omnis viuificationis, Spiritum, seu diuinam in me naturã. Quid igitur caro? *Caro* (scilicet sola & per se) *nil prodest*, hoc est tantùm abest, vt ipsa viuificet credentes, vt etiam ad hanc viuificationem nihil per se prosit. Caro enim non prodest quidquam.

At quomodo caro Christi nil prodest, cùm ea sit oblata pro vita Mundi, cùm in ea sit deletum peccatum, & sanctificati simus in sanguine eius?

Non est hic simplex negatio, sed *cum* *restrictione*. Est enim hæc propositio similis illi, de qua suprà cap.5. *Pater* (solus) *non iudicat quẽquam. sed omne iudiciũ dedit Filio.* Io.5.22. Sic *caro non prodest quidquam*: nempe sola, sine Spiritu, sed ipsa à Spiritu viuificata & viuifica effecta, nos etiã viuificat. Apparet igitur, quomodo intelligendum sit Christi dictũ, de carne sua, *Panis, quem ego dabo* (edendum) *caro mea est, quam ego dabo pro mũdi vita*: Vnde scilicet sit carni vis hæc viuificãdi, nempe à Spiritu, & Deitate Christi. Sic etiã hunc locum intellexit, & interpretatus est Cyrillus: *Non imperitè omninò viuificam carnem esse negatis. Nam si sola intelligitur, nihil prorsus viuificare potest. quippe quæ vt viuificante indigeat. Quũ verò incarnationis mysteriũ laudabili cura scrutati fueritis, & habitantem in carne cognoueritis, quamuis nihil penitus caro per se ipsam possit: viuificã tamen esse credetis, nisi etiam Spiritũ sanctum non posse viuificare contenderetis. Nã quoniam cum viuificante verbo caro cõiuncta est, tota est effecta viuifica. Nõ enim ad corruptibilẽ suã naturã, iunctum Dei verbũ detraxit, sed ipsa ad melioris virtutẽ eleuata est. Quãuis igitur natura carnis, vt caro est, viuificare nequeat: facit tamen hoc, quia totã verbi operationẽ suscepit. Corpus enim est, nõ cuiusuis hominis, cuius caro prodesse quidquam non potest sed ipsius vitæ, & Saluatoris nostri Iesu Christi corpus in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitãt, facere hoc potest.* Colos.2.9. *Nam si mel cùm naturaliter dulce sit, ea dulcia facit quibus immiscetur, nõnè stultum erit, viuificã verbi naturam, putare nõ dedisse homini in quo habitat, viuificãdi virtutẽ? Quas ob res. caro quidẽ cæterorum omnium, quidquam verè non prodest: Caro autẽ Christi, quia in ipsa vnigenitus Dei Filius habitat. sola* (se inter omnes carnes) *viuificare potest. Spiritum verò seipsum appellat*

*lat, quoniam Deus Spiritus est*: Io. 4. 24. *& vt ait Paulus, Dominus est*. 2. Cor. 3. 17. Hæc omnia Cyrilli, quæ idcircò in medium adferre volui, vt clariùs quisque videat, hanc quam attuli interpretationem, veram esse ac genuinam. Hinc verò perspicuè colligitur, Christum minimè purũ esse hominem, aut Filium Dei, adoptionis gratia factum, sed verum & naturalẽ Dei Filium, Deúmque ipsum. Quid enim clarius iis verbis: *Spirit⁹ est qui viuificat Caro* (sola) *nõ prodest quidquã*?

At inquies, Tu ita cum Cyrillo interpretaris vocem Spiritus. Nos aliter accipimus.

Quod ita interpreter, postulat contextus. Apertè enim dixit, suam carnem esse viuificam, hoc certè in carnem per se cõpetere nequit. Oportet igitur per aliud sit viuifica. Quid illud esse potest? Nihil creatum. Est igitur natura Λόγος, qui per se est panis de cœlo viuificus, & vita ipsa. Meritò igitur nomine Spiritus accipimus Deitatem Christi.

Deinde hæc interpretatio non pugnat cum aliis scripturis, nec cum analogia fidei, sed cõsentanea est. Item facit ad gloriam Christi, eóque & Patris promouendam: nam qui honorat Filium, honorat Patrem Io. 5. 23.

Postremò hoc est argumẽto, nos esse amicos Christi, quòd quantum possumus, eius gloriam confirmamus. Contrà verò qui quantum possunt, obscurant eius gloriam, & Deitatem, apertè dant significationem sui in Christum hostilis animi. Est etiam hic locus apertus contra eos, qui scribunt, Christum mediatorem esse, secundum humanam tantùm naturã: cùm enim hæc nil per se possit, quomodo secundũ hanc tantùm, Christus Mediator est? Est enim Christus eatenus Mediator, quatenus nos Patri reconciliat, nósque viuificat, vita Patris per ipsum Christum ad nos delata, & nobis communicata. Atqui hoc non facit quatenus homo tãtùm cùm caro nil prosit sola, sed quatenus cumprimis est Λόγος viuificus: & deinde quà homo, factus etiam per Λόγον itidem viuificus. Quid enim proderit caro sine Λόγῳ qui eam viuificet? Nihil planè. Quid preces, quid obseruantia legis, quid opera omnia, quid passio, quid mors, nisi à Spiritu Christi viuificentur, poterunt nobis ad salutem adferre opis? Nihil omninò teste Christo. Ergo vt prosint, opus est eius Spiritu, qui ea omnia viuificet, & efficacia ad nostri reconciliationem reddat, vt docet Apostolus: *Nam si sanguis* (ait) *taurorum & hircorum, & cinis iuuencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem: Quanto magis sanguis Iesu Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad seruiendum Deo viuo?* Heb. 9. 13. Vides vim sanguinis Christi in purgandis consciẽtiis, inde proficisci, quòd oblatus est per Spiritum Christi, & viuificatus à Deitate Christi? Spiritus igitur Christi, hoc est eius Deitas non solùm suã carnẽ, verùm etiam omnia, quæ in ea carne peracta sunt, viuifica efficit. Quare nisi in Mediatoris officio, suas etiam obierit partes diuina Christi natura, hoc est, nisi omnia, quæ Christus egit ac agit vt homo, viuificârit & viuificet: Christus efficax Mediator esse non potest. Stat enim propositio Christi. *Spiritus est qui viuificat: Caro non prodest quidquam.* Atque hæc de secũdo satis: quomodo scilicet caro Christi sit viuifica, non ex se, & per se, sed ex Deitate & per Deitatem, quacum inseparabiliter coniuncta est: vt ferrum ignitum, est etiam ignificum & adurit, non per se, sed per ignem.

XIX. Ad tertium quod attinet: ait vers. 63. *Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt.* Variè hunc versum explicant interpretes. Alij, sunt Spiritus & vita, id est, de Spiritu & de vita. Quasi dicat: Verba quæ loquor, nempe meam carnem esse viuificam, non propriè de carne, quà caro est, intelligenda sunt; sed de Spiritu & vita, hoc est, de mea Deitate, quæ est vita ipsa, omnia viuificans. Sic Cyrillus. Alij, Verba quæ loquutus sum de edẽda carne mea, sunt Spiritus & vita, id est, spiritualia sunt, & spiritualiter intelligẽda, & ita sunt etiam vita, quia spiritualiter intellecta vitã adferunt. Quare non sic accipienda sunt quasi mea caro edẽda sit instar aliorum ciborum, ore scilicet corporis & dentibus: hoc enim modo nil prodest: sed spiritualiter edenda, per fidẽ. Nam hac ratione vitam adfert. Si igitur verba mea spiritualiter intelligatis: Spiritus & vita vobis fuerint. Si carnaliter, non erunt vobis Spiritus & vita. Sic Augustinus, quem omnes ferè sequuntur. Cæterùm ego horum verborum interpretem habeo Apostolum ad Corinth. vbi Euangelium opponit Legi, & Legem vocat literam occidentem: Euangelium verò Spiritum viuificantem. *Litera* (inquit) *occidit*, id est, Lex. *Spiritus autem* (hoc est, Euangelium) *viuificat*. 2. Cor. 3. 6. Sic etiam Christus suum hunc sermonem, quem habuit de pane cœlesti, déque sua carne edenda, quæ pro Mundi vita erat tradenda in mortem: in quo sermone summa totius Euangelij continetur, vocat Spiritum & vitam: quasi dicat, Spiritum viuificantem.

Eodem igitur sensu, Christus appellauit hunc suum sermonem, Spiritum & vitam, quo Apostolus Euangelium vocauit Spiritum viuificantem. Quo verò sensu Apostolus vocat Euangelium Spiritum viuificantem? Si intelligamus, quo sensu vocet Legem literam occidentem: inde clarius apparebit, quare Euangelium vocarit Spiritum viuificantem. Lex quatenus doctrina est tantùm prohibens & mandans, vitámque promittens, sub operum conditione, & iram Dei denuncians, nisi conditionem operum præstemus (Hoc enim proprium est legis officium) Lex, inquam, quatenus lex: neminem vnquam viuificauit, aut viuificare potest. Primùm, Quia doctrina ipsa præcipiens, & prohibens, nullam per se adfert animæ vitam & consolationem, sed tristitiam. Deinde, quia pronunciat quidem & adfert vitam: sed sub conditione operum, perfectæque obedientiæ: verùm obediendi, & Legem perfectè seruandi vim, numquam, & nemini præstat: eóque nunquam potest viuificare, vt Apostolus concludit, Gal. 3. 21. Imò occidit, vt docetur ad Romanos, 7. 8. &c. Contrà, Euangelium primò annunciat gratuitam peccatorum remissionem, & vitam æternam per Christum: hoc tantùm à nobis exigens, vt vera fide credamus in Christum. Hæc verò doctrina suapte natura consolatur, & viuificat. Deinde non solùm hãc tradit doctrinam, verùm etiam fidem quam exigit, hoc est, vim credendi, & vitam in Euangelio oblatam recipiendi: reipsa præstat & exhibet, tanquam efficax Spiritus sancti instrumentum. Hoc docet Paulus cum ait, *Fides est ex auditu, Auditus autem per verbum*, id est, per Euangelium Christi. Rom. 10. 17. Ex auditu igitur Euangelij Fides in nobis gignitur, erga Euangelium, & in Christum. Nusquam autem legimus, ex auditu Legis, quæ obedientiã exigit, esse ipsam vim obediendi, Sicut ex auditu Euangelij ait Apostolus esse fidem. Fide autẽ iustificamur, & viuificamur, quatenus Fides iustitiam Christi apprehendit: Spiritumque regenerantem accipit, vt docet Apostolus Gal. 3. 2. Quia igitur Euangelium fidem quam exigit, etiam adfert & præstat, fideque hac efficit, vt oblatam vitam recipiamus: idcirco dicitur viuificare. Verùm quomodo, & in quibus, hoc efficit Euangelium prædicatum & auditum? Hoc certè non facit per se, & à se. Nam etiam doctrina Euangelij, per se solam accepta, nisi aliud accedat, tantùm annunciat vitam, & fidem exigit, & prætereà nihil efficit: Quia neque fidem largitur, neque vitam. Alioqui omnes qui audiunt Euangelium, fidem reciperent, & per fidem vitam æternam. Non igitur per se viuificat. Imò quia etiam Euangelium ita exigit fidem, vt iram Dei denunciet illis, qui nõ credunt, & homines ex se credere nequeant: Idcircò doctrina etiam Euangelij si per se solam spectetur: non minùs foret litera occidens, quàm lex. Cuius igitur vi, donat Euangelium fidem, & per hanc vitam ipsam? Vi Spiritus sancti, quẽ secum habet adiunctum, quum prædicatur Electis, idque ex Dei bonitate, qui sic statuit, & sic etiam promisit per Prophetas, se ad prædicationem Euangelij Christi, effusurum suum Spiritum. Spiritus enim sanctus, dum prædicatur Euangelium: Primò tanquàm illius Doctor, facit sua vi, vt nõ tantùm in aures, sed etiam in animos, & in corda Electorum penetret, Fide recipiatur, receptúmque viuificet: sed hoc in ipsis duntaxat Electis efficit. Quia igitur Euangeliũ secum habet adiunctum Spiritum sanctum, cùm prædicatur Electis: ideò & ipsum vocatur Spiritus. Quia verò, idem Euangelium per hunc Spiritum inuehitur in corda electorum, fideque per eundem Spiritum in Electis excitata, recipitur & cum ipso, caro Christi viuifica, seu Christus vita ipsa: idcircò Euangelium etiam dicitur viuificare, nõ ex se, sed per Spiritum Christi. Sicut nec caro Christi per se est viuifica, sed per eundem Christi Spiritum.

Nunc tenemus primò, quamobrem Euangelium vocetur Spiritus viuificans: scilicet propter Spiritum sibi adiunctum. Secundò, in quibusnam Euangelium, faciat hoc officium Spiritus viuificantis, nempe in solis Electis. Denique quomodo viuificet, Non ex se, sed vi Spiritus sancti: qui fidem excitat in Electis, & verbum Euangelii illorum infigit cordibus.

Eodem planè sensu, Christus hic verba sua, vocauit Spiritum & vitam: quasi dixerit Spiritum viuificantem. Sed in quibusnam verba Christi sunt Spiritus viuificans? Non in omnibus, sed tantùm in Electis, quos ipse solus nouit. Nobis verò discernuntur à Reprobis: veræ fidei nota. Sensus igitur est: Quæ de carne mea loquor, verba sunt, quæ vi Spiritus sancti credentes viuificant: eóque Spiritus sunt, & vita. Quòd ergo vos potiùs offendant, quàm viuificent, argumento est vos fide esse destitutos, Spiritúmq; sanctum in vobis non operari: sicut posteà subdit, & disertè

discertè explicat, in versiculo sexagesimoquarto.

XX. Tenemus sensum verborum Christi. Caeterum quid his verbis voluit Christus concludere? Hoc in summa: Verbum Euangelij est illud, quo sicut alia omnia Dei dona, sic etiam caro Christi viuifica, offeratur & cōferatur Electis: idque vi Spiritus sancti. Non solùm enim se & suam carnem; sed etiam Euangelium eandem ob causam esse viuificam: quia secum adfert carnem viuificam, & Spiritum viuificantē.

Ac proinde sicut Euangelium non recipitur nisi fide: sic etiam suam carnem non edi, nisi fide. Quod ego dixi de sua carne edenda, quę esa adfert vitā ęternam: non sic illud esse intelligendum, quasi ipsa Christi caro instar aliorum ciborum debeat imponi in os corporis, dentibus atteri, in ventriculum traijci: & quòd hac ratione sit hominem viuificatura: Minimè verò. Sed verum modum eam verè edendi, hunc esse: Primo vt ex parte Christi eam præbentis edendam, is hanc offerat, & exhibeat verbo Euangelij, tanquam proprio vase, ac ceu vehiculo. Deinde vt idem Christus hoc Spiritu tanquam ductore, verbum illud, cum carne viuifica, in corda Electorum suorum inferat: id quod & facit. Ex parte verò edentis: vt Fide, per eundem Spiritum in se excitata, verbum illud in suum cor illatum, & ex verbo, carnem oblatam, recipiat atque edat, tanquam eam, in qua tota Electorum vita posita est. Dicam apertiùs. Concludit Christus, non solùm se vt Λόγον, qui dę cœlo descendit, esse panem viuificum: nec solùm suam carnem esse viuificam: tum quia cùm Λόγῳ vnita est, tum quia in mortem tradita pro nostris peccatis: sed etiam sua verba esse viuifica, propterea quòd secum habeant Spiritum suum: qui Spiritus sicut carnem viuificat, ita etiam ipsa verba viuificet: & hac de causa verba ipsa Christi vocari Spiritum & vitam. Imò tum demum carnem suam edi, & comestam viuificare in vitam ęternam, quum ipsius Euangelium Fide recipitur: (Neque enim alia ratione verbum recipitur, quàm Spiritu & Fide) hoc est quùm credimus Patrē, qui est fons vitæ, misisse Filium suum vnigenitum in terram, vt cœlestem illam & æternam vitam nobis communicaret: Filium verò ipsum, qui viuit propter Patrem, assumtam nostram carnem, suo Spiritu & viuificasse, & viuificam effecisse: in hac verò legem pro nobis impleuisse: Patri efficaciter pro nobis supplicâsse: passum pro nobis esse: Denique hanc in mortem pro nobis dedisse: & sanguinem in remissionem peccatorum fudisse: Ac posteaquam hoc sacrificium pro peccatis nostris Patri obtulisset, & eo peccata nostra expiasset: eandem carnem à mortuis ad vitam reuocasse, in cœlum sustulisse: ibique pro nobis perpetuo intercedere: & nostro nomine cœlum occupare: Rediturum semel, ad nos in cœlestia illa & æterna tabernacula introducendos. Atque ita in hac carne & sanguine non solùm peccata nostra esse expiata, atque deleta: verum etiam mortem esse absorptam: infectos expugnatos. Sathanam iudicatum & condemnatum: iustitiam nobis partam: & vitam æternam non tantùm comparatam, sed etiam in hac Christi carne positam esse: ita vt tota nostra salus & vita sit in hac Christi carne pro nobis crucifixa, mortua, & ad vitam resuscitata. Si, inquam, hoc Euangelium Christi vera fide credamus & amplectamur, tū demū ipsius carnem verè à nobis edi; & esam, nos ad æternā vitam viuificare. Idque propterea, quod sicut vita, quæ fluit à Patre in Filium, per Filium posita est in hac carne, vt propior nobis esset: Sic caro, quę alioqui extra nos est, quò possit reipsa nobiscum coniungi, & ita nos viuificare, verbo Euangelij tanquam vehiculo, nobis electis, non solùm foris offertur, verùm etiam per Spiritum Christi, tanquam verbi ductorē, intrò in animas nostras ducitur atque inuehitur, vt nos Fide per eundem Spiritum intra nos excitata, Euangelium apprehendamus, & ex Euangelio carnem & sanguinem Christi viuificum, hoc est, Christum ipsum percipiamus: Ipsa verò per fidem à nobis apprehensa, atque retenta, (hoc enim est carnem edere) nos cęlesti illa, æternáque vita, viuificat. Tum demum ergo caro Christi dicitur comedi, quum hæc Christi verba de ipsius carne in mortem pro nobis tradita, vera fide creduntur, & in ventriculum Spiritus traijciuntur: Et tunc demum dicitur Christi caro vitam adferre: quum hæc verba de ipsius carne credita viuificant. Id quod certè contingit omnibus electis. Quid ita? *Quia hæc verba* (inquit Christus) *quæ loquor sunt Spiritus & vita*: hoc est, ita secum habent adiunctum illum Spiritum, qui carnem etiam viuificat: vt meritò appellari possint, & debeant Spiritus ipse, ac proinde etiam vita, quia per hunc Spiritum viuificant.

XXI. His igitur verbis docuit Christus, modum, quo edenda sit ipsius caro, non esse corporalem, sed spiritualem: per fidem scilicet in Euangelium: quod Euangelium in summa prædicat, ipsam carnem Christi datam esse in mortem pro expiatione peccatorum nostrorum: & quicunque hoc credit, hunc vitam ex Christi carne æternam habere. Ratio huius est, quòd caro hæc non offertur edenda in catino, aut alio vase corporato, sed in verbo Euangelij: quod, quia per Spiritum, quem habet sibi coniūctum, homines se recipientes viuificat, vocatur & est spiritus & vita. Verbum autem Euangelij non recipitur, nisi Fide & Spiritu. Ergo etiam caro quam offert, non potest inde recipi, & edi, nisi Spiritu & Fide.

Quanquam si Iudæi diligenter verba Christi perpendissent, non in eam venissent cogitationem, vt putarent Christum velle suam carnem edi dentibus. Quid enim dixit? se daturum hanc carnem (in mortem) pro mūdi vita. Non promisit igitur, se daturum Mundo pro illius vita, edendam carnem viuam, sed mortuam, eamque crucifixam. Et sic etiā in Cœna dixit Discipulis suis, *Edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* Quibus verbis significauit, se illis dare suū corpus edendū, non tāquam viuum, sed tāquam pro ipsis in Cruce mortuū. Nam sic etiam omnia sacrificia edebantur non viua, sed mortua. Quod cum ita se habeat: non poterat igitur illa caro mortua, etiamsi ederetur dentibus, vitam adferre animæ æternam, vt Christus promittebat suā edentib. carnem: sed cibus tantùm fuisset corporis. Quare aliud proponebat Christus, quàm carnalem suæ carnis manducationem, quum dicebat, Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.

Ad summam, quum Christus ait: *Verba quæ loquor, Spiritus & vita sunt*, Perinde est ac si dicat: Ad tertium, de edenda carne mea, si velitis habere vitam in vobis, quod attinet: Si hæc mea verba ita intelligatis, quasi hæc caro sit vobis in Patina, aut in Catino exhibenda, & in os corporis imponenda, & dentibus edenda, vt inde vitam habeatis, vos hallucinamini. Verba, verba, quæ ego de hac carne loquor, sunt Spiritus, & sunt vita; hoc est, sunt illa, quæ propter Spiritum viuificantem sibi adstrictum viuificant, nempe credentes. Ac proinde sunt illa quæ meam carnem (quam qui non edit, nō habet vitam in se) secum adferunt, & exhibent credentibus, vt non opus sit hanc meam carnem in frusta scindere, & in lance edendam exhibere. Quare sicut verba, quæ carnem meam offerunt, non recipiuntur nisi fide: Sic etiam caro ipsa non nisi fide editur. Et sicut etiam Spiritus, cuius vi verba in animos Fideliū penetrāt, non percipitur nisi Spiritu, sic etiā caro ipsa, quæ vi Spiritus in animū importatur, non editur nisi Spiritu, & spiritualiter. Hic mihi videtur, genuinus esse Christi sensus, in his paucis verbis: *Verba, quæ &c.*

Quæ cùm ita se habeant, hæc necessariò consequuntur, Primum: Quicunque hæc verba Christi, de sua carne, vera recipit fide, illum edere carnem Christi: sine cuius esu vita haberi nequit. Deinde verba esse illa, quæ sicut vi Spiritus in animos Fideliū penetrāt, sic etiam carnē Christi in eorundē corda important. Tertio: Ac sicut verba non recipiuntur nisi fide; & Spiritus etiā, cuius vi penetrant verba in animos Fideliū, non recipitur nisi Spiritu: sic etiam carnem Christi nō recipi, nisi Spiritu & fide. Postremò, sicut per fidem verè recipitur verbum, & vita ipsa: Sic etiam verè carnem Christi edi, licèt Spiritualiter & per fidem.

XXII. Vers 64. *Sed sunt quidam inter vos, qui non credunt: Nouerat enim à principio Iesus, quinā essent, qui nō credebant: & quis eū proditurus esset.* Quia dixerat sua verba esse Spiritū & vitā, id est, viuifica, potuissent illi excipere: Si tua verba de eadē tua carne viuifica essent: nos etiam, qui ea audimus, sentiremus, nos iis verbis viuificari: quod tamen nō fit. Ait igitur Christus: Quòd non sentiatis vos viuificari, hoc non fit vitio verborum meorum, sed quòd vos non creditis: ac proinde quòd non trahimini à Patre, hoc est, quòd reprobi estis. Nam verba mea, Spiritus, & vita sunt, non iis, qui nō credunt, ac proinde qui non trahuntur à Patre: sed iis, qui credunt, & à Patre trahuntur: id est, Electis. Hoc confirmat Euangelista dicens: *Nouerat enim à principio Iesus, quinam essent, qui non credebant.* Ergò quòd quidam inter vos sint, quibus mea illa verba non sint Spiritus & vita: non inde efficitur, verba mea non esse Spiritum & vitam: sed potius hoc consequitur, tales non trahi à Patre, & reprobos esse. Hanc conclusionem infert, dicens, *Propterea dixi vobis, neminem posse venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre.* Non ait, *Nemo credit*: sed, *quidam sunt qui nō credunt.* Nouerat igitur inter suos Discipulos, esse non tantùm reprobos, qui non crederent: sed etiā electos qui credebant. Quare hinc etiam cōfirmatur Christi Deitas. Solius enim Dei est nosse qui verè credant: & qui fidem simulent: Ac proinde qui sint Electi, & qui reprobi: vt docet Apostolus ad Timotheum, dicens: *Firmum stat fundamentum: nouit Deus, qui sint sui.* 2. Tim. 2. 19. Atqui Christus nouit, qui verè credant, qui non credant: Ac proinde qui sint Electi, & qui Reprobi. Hoc ait Iohannes *Nouerat enim Iesus à principio quinā essent, qui nō credebant.*

XXIII. Verſ. 66. *Ex eo multi diſcipulorũ eius pedẽ retulerunt: nec amplius cũ eo verſabãtur.* Horũ defectio à Christo cõprobat, quod Christus dixerat, eſſe inter illos, qui nõ crederent, veriſſimũ fuiſſe: Ac perinde confirmat Christũ verũ eſſe cordiũ inſpectorẽ, eõq; Deũ. *Dixit ergo Ieſus, duodecim illis: Num & vos vultis abire?* Nouerat optimẽ hos, excepto Iuda, vera in ſe fide præditos, & electos eſſe: neq; à ſe defecturos. Is enim eos elegerat. Deinde Christ⁹ neminẽ inuitũ retinet: ſed eius populus ſpontaneus eſt Pſal. 110. 3. Non ergo interrogat, quaſi ignoret, quid ſint facturi: ſed vt apertã fidei, & perſeuerantiæ confeſſionem ab eis eliciat. Atque ita etiam appareat veritas verborum ſuorum, qui non dixerat neminem credere, ſed quoſdam tantùm eſſe, qui nõ crederent. Ac proinde hinc etiam atque etiam confirmatur, Christum eſſe verum, & natura Dei Filium: quia eſt cordium inſpector.

## CAPVT IV.

### Chriſti, de ſui ex Patre generatione, teſtimonia, ex Iohan. 8. & 9. eorúmque breuis explicatio.

*Teſtim. V. Chriſti, ex Ioh. 8. verſ. 16. & ſequent.*

EST aliud quoque Chriſti de ſua naturali, ex Deo Patre, natiuitate, teſtimoniũ, apud Iohan. cap. 8. Vbi non ſemel, Deum, ſuũ vocat Patrẽ, eóque ſe eius Filiũ profitetur quum ait: *Solus nõ ſum: ſed & qui miſit me Pater.* Ex præcedentib. autẽ & conſequentib. liquet, quonã modo ſe appellet Dei Filiũ, nempe, quia in cœlo ex Deo Patre ſit genitus, ita vt eiuſdẽ ſit cũ Patre naturæ. Nã primũ, verſ. 12. vocat ſe lucẽ Mundi: *Ego* (inquit) *ſum lux Mũdi.* Quũ ait: *Ego*, intelligo, ſolus: quum ait, *Lux*, intelligo, vera: quum ait, *Mundi*, intelligo, totius. Hæc enim alibi explicantur, vt quum dicitur. *Nõ erat ille* (Iohannes, aut vllus ali⁹) *lux: Erat* (Chriſtus) *lux vera: quæ illuminat omnẽ hominẽ venientẽ in hunc Mundũ.* Io. 1. 8. Loquitur enim hic Chriſtus perinde atque ſi Radius Solis diceret: *Ego ſum lux:* Lux autem quod ad ſuã eſſentiã attinet, res eſt Spiritualis & cœleſtis, è Sole à cõdito orbe naturaliter naſcens. quo ad officiũ autem, illuminat, vt res videantur: & viuificat, vt conſeruentur & viuant. Ergo quum Chriſtus ſe vocat lucem, & quidẽ veram, vt alibi explicatur. Io. 1. 9. ſignificare voluit, quo ad ſuam perſonam, ſe eſſe in cœlo, ante Mundi conſtitutionem, è Patre, qui eſt fons Lucis, genitum, eiuſdémque naturæ cum Patre: quo ad officium autem, ſe eſſe auctorem omnis lucis & cognitionis in hominibus, atque Angelis: ſe etiam eſſe auctorem vitæ, in omnibus viuentibus, hoc eſt, ſe vnum, & Filium eſſe Dei naturalem: & totius Mundi Seruatorem. At etiam omnes Fideles lux vocantur: Epheſ. 5. 8. & ſpeciatim Chriſtus ipſos Apoſtolos vocauit lucem Mundi. Matth. 5. 14. ſed non veram lucem: ſicut neque Iohannes erat vera Lux. Vera lux eſt ea, quæ non eſt ab alia participata, ſed per ſe, vt lux Solis. Non vera autem quæ eſt participata, vt lux in corporibus à Sole illuminatis. Omnes Filij Dei, lux ſũt, ſed participatione lucis Chriſti vnigeniti. Solus Chriſtus lux eſt per ſe, & vera. Et quidem de Apoſtolis, cur ſint Lux vocati, cauſa ſatis eſt aperta; nimirum propter Euangeliũ, quod in mundum ferebant, & perlaturi erant: ideò debebant etiam luce bonorum operum omnibus prælucere. Verùm cùm alia Scripturæ loca, tum quæ in hoc capite continentur, docent, Chriſtum voluiſſe ſignificare, ſe longè alia ratione eſſe lucem Mundi, quàm Apoſtoli erant, eo ſcilicet ſenſu quem declaraui. Nã Iudæis dicentibus: *Tu de teipſo teſtaris: Teſtimonium tuum nõ eſt verum*, ſeu idoneum: reſpondit, ideò ſuum teſtimonium eſſe idoneum, quia ſciat vnde venerit, & quò vadat, nempe à Patre è cœlo: & ad Patrem, in cœlum. Nullius autem per ſe ſolius teſtimonium eſt idoneum, niſi is Deus ſit: quia is ſolus mẽtiri non poteſt ſua natura. Significauit igitur hac loquutione Chriſtus, ſe eſſe Deum, vel ſaltem ſe eſſe talẽ lucem, quę de cœlo venerit, à Patre, ſicut radius è Sole, in terram, vt nos illuminaret, ad æternam vitam. Ideò quo ad officium dixit: *Qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, id eſt vitale.

II. Verſu verò 15. Cur accuſat Iudæos falſi iudicij, dicens: *Vos ſecundùm carnem iudicatis?* quia ſcilicet tantùm ſecũdũ externam faciem iudicabant de Chriſto: nihil in eo præter humanam naturam reputantes. Voluit igitur indicare, aliam in ſe ineſſe naturam, ſecundùm quam ſit lux Mũdi æterna: & Dei Patris Filius. Quid etiam ſibi vult illa Ætiologia, in verſ. 16. *Quòd ſi etiam iudicem, iudicium meum firmum eſt: quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater?* Primò dicit, ſe à Patre cœleſti miſſum è cœlo: prius igitur ſe fuiſſe genitum à patre in cœlo, quàm fieret Filius hominis in terra. Deinde Patrem ſemper ſecum eſſe. Quomodo? Sicut Sol eſt cum radio, quem gignit & emittit in terrã. Loquitur enim hic de ſe, & de Patre, ſicut de luce, quę eſt à luce: vt Radius è Sole. Tertiò ideò ſua iudicia, & facta omnia, eſſe vera: quia ſecum Pater omnia agit & iudicat. Eſt enim perinde atque ſi Radius Solis diceret: Splendor meus verus eſt ſplendor, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui me emittit Sol. An non hęc apertè docent, Chriſtum de ſe ita loqui, tanquam de Filio, Dei naturali, & coæterno?

III. Præterea à Iudæis ex contemtu interrogantibus, *Vbi eſt Pater tuus?* Reſpondet: Verſ. 19. *Neque me noſtis, neque Patrem meum:* Profectò accuſat illos, quod neque Deum, neq; ſe eius Filium agnoſcant. At non agnoſcebãt Deũ, vt Deũ: imò, & vt Patrẽ totius populi? Omninò: ſed non vt Patrem Chriſti proprium. At non etiam agnoſcebant Chriſtum, vt hominem? Imò ſuprà dixerant: *Hunc autem nouimus vnde ſit:* Iohan. 7. 27. ſed, non vt Filium Dei naturalem. Cùm igitur deputet illis ſui ignorationem: liquidò demonſtrat, aliã in ſe fuiſſe & eſſe naturam, illis ignotam: ſecundùm quam Filius Dei ſit. Vnde autem hæc ignorantia? Inde, quòd (vt ſuprà dictum eſt) ſecundum carnem tantùm de Chriſto iudicabant: nihil in eo præter carnem, id eſt naturam humanã agnoſcentes. Et argumentum quod ſubdit, idem concludit, ait enim: *Si me nouiſſetis* (*ſicut iactatis, dicentes: Hunc nouimus, vnde ſit*) *Patrem quoque meum nouiſſetis. Atqui Patrem meũ non noſtis. Ergo neque me noſtis.* Hoc argumẽto, quod eſt ductum à natura relatiuorum, clarè docet, ſe naturalem eſſe Dei Filium: quòd tam perfecta inter ipſos ſit relatio, vt qui nõ agnoſcit vnum, neque alterum agnoſcere conuincatur: pręſertim quia Pater in Filio, tanquam in ſua propria relucet imagine. Hebr. 1. 3. Col. 1. 15.

IV. Quæ etiam ſequuntur in verſ. 21. *Ego vado*, (ſcilicet ſponte, quum venerit hora mea, per mortem ad Patrem:) *& quæretis me: & in peccato veſtro moriemini:* idem docent.

Summa huius verſus eſt: Chriſtum breui, per mortem ſponte iturum ad Patrem, in cœlum: & Iudæos, ſui contemtores, in ſuis peccatis relicturũ: ipſos verò Iudæos, etſi preſſi magnis calamitatibus, quæſituri tamen ſint Chriſtum, id eſt, Meſſiam, à quo opem accipiant: nihilominus tamẽ, quia non ex vera reſipiſcentia quęrent, ideò morituros eos in ſuo peccato: nec poſſe, quo Chriſtus, eò & ipſos, nempe in cœlum venire.

Quid ſibi hæc volunt? De aliis filiis Dei, per gratiam adoptionis, legimus, eos fuiſſe perlatos & perferri ab Angelis in cœlum: vt de Lazaro. Luc. 16. 22.

At nemo vnquam, niſi ſolus hic Filius, vſus eſt hac locutione: *Ego vado*: (ſcilicet ad Cœlum, pro meo arbitrio:) Quid igitur ſignificat, niſi ſe talem eſſe Filium Dei, qui Dominus ſit cœli, & qui auctoritatem habet, ſicut anteà deſcendendi de cœlo in terras, ſic poſtea etiam in cœlum, pro ſuo arbitrio redeundi. Reliquos verò omnes homines, niſi fide huic Filio copulati, per hunc in cœlũ introducantur; eò non poſſe peruenire: ſed omnino in peccatis morituros, & ita tandem in infernum detrudendos eſſe?

V. Confirmant hæc quæ ſequuntur. Iudæis enim ſermonẽ Chriſti non intelligentibus, ſed irridentibus, dixit: Verſ. 23. *Vos ex inferis eſtis: ego ex ſupernis ſum.* Argumentum tale eſt:

Quicunque natura ſunt ex inferis & ex hoc Mundo, non poſſunt ad ſuperos, & in alterum mundum cœleſtem venire niſi fide ei, qui ſolus natura eſt ex ſuperis, quique auctoritatem habet eò introducendi, quos vult, adiuncti in cœleſtem illum Mundum, & ad ſuperos, per eum introducantur: ſed in ſuis peccatis moriantur, & apud inferos maneant, neceſſe eſt.

Atqui ego (ſolus, natura) ſum ex ſuperis: vos ex inferis eſtis. Ego (ſolus natura) non ſum de hoc Mundo: vos eſtis natura de hoc mundo.

Ergo meritò dixi vobis, Vos morituros in peccatis veſtris, nimirum, niſi credatis, me eum eſſe, nempe quem me eſſe teſtificor, & Pater teſtificatur: hoc eſt, Lucem Mundi, & qui poſſim vos à peccati & mortis tenebris liberare, & in cœleſtem lucem introducere: & hac fide vos mihi adhæreatis.

Certè his verbis docuit, ſe ſolum in terris fuiſſe, qui ſua natura eſſet oriundus è ſuperis: quia auctoritatem haberet, alios ad ſuperos in cœlum introducendi. Nam Apoſtolos e-

etiam

tiam, qui è mundo erant natura, Christus per gratiam elegit ex Mundo, & in numerum superorum cooptauit: Ioh.1: sed natura solus Christus fuit è superis. Qui enim sunt vere superi? Pater, Filius, Spiritus sanctus: ij natura sunt superi. Angeli, & reliqui beati Spiritus, Omnes Filij Dei, gratia facti sunt ex superis & alterius Mundi hæredes.

Proinde merito etiam Iohannes hos tres, Patrem, Λόγον, & Spiritum sanctum testes in cœlis, hoc est, è superis esse dixit. 1.Io.5.7. Et quum Iudæis, quis esset interrogantibus, respōdit, τὴν ἀρχὴν ὅ,τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, quid aliud sibi voluit iis verbis, nisi se esse illum, quē in summa quotidie se esse illis dicebat? Quid autem in summa dixit, & dicebat de se? Se esse Lucem Mundi, hoc est Primò, quo ad personam, se esse non solùm Filium hominis, vt omnes videbāt: sed etiam Filium Dei, talem qui à Patre, ceu Radius à Sole, è cœlo descenderit. Deinde quòd semper operatus sit cum Patre quæcunque & Pater operatus est, & operatur; sicut Radius cū Sole agit, quæcunque & Sol illuminat & viuificat. Tertio, qui vitam habeat in seipso, sicut Pater: quemadmodum & radius in se lucem habet, sicuti etiam sol. Quartò, cui idem honor debeatur, qui & Patri: veluti etiam radio idem, qui & soli debetur. Denique, Se solum esse ex Patre: & se solum vidisse Patrem; quemadmodum & radius à sole. eóque se solum esse naturalem Dei Filium. Quod ad officium autem attinet, se solum etiam esse mundi lucem. id est, eum, qui solus omnes illuminet, & viuificet, & qui ideò instar radij solaris è cœlo ad nos descenderit, vt suam lucem vitalē, hoc est vitam, quā viuit Pater, & quam etiam ipse propter Patrem viuit, omnibus in se credentibus communicaret. Ac proinde iis verbis, τὴν ἀρχὴν ὅ,τι καὶ λαλῶ ὑμῖν, confirmat se naturalem esse Dei Filium, sicut anteà etiam docuerat

VI. Item ait vers. 26. *Multa habeo quæ de vobis loquar & iudicem.* Denunciat Iudæis, Dei Patris iudicium, sui & suæ doctrinæ contemtoribus: & interim apertè declarat, se doctrinam hanc, quam docebat, accepisse in cœlo à Patre. Sensus est: Possem multis explicare quinā sitis vos, qui interrogatis me, quis sim & de magnis grauissimisque sceleribus possem vos accusare, & propterea etiam condemnare. sed nunc supersedeo, quia non sum missus ad iudicandum, sed ad saluandum mundum: verùm Pater qui me misit, & à quo, hanc quam vobis trado, doctrinam accepi, faciet quod ego nunc omitto: quia verax est, nec sinet inultum vestrum peccatum.

Quum etiam ait vers. 28. *Se audiuisse à Patre, quæ loquitur Mundo: & posteà subdit, ex seipso nihil facere: sed prout doctus fuit à Patre, se loqui:* apertè docet se missum fuisse à Patre, tanquam eius legatum è cœlo. & nihil se agere, aut dicere, nisi quæ in cœlo à Patre, tanquam eius verus Filius, & legatus, accepit in mandatis. Vocat enim hunc, à quo missum se esse dicit, Patrem. Fuit igitur Filius Dei in cœlo, antequam mitteretur legatus in terram.

VII. Quid est etiam quod ait vers. 36. *Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis* & non ait, *Si Pater vos liberauerit, liberi eritis:* sed ait. *Si Filius?* Primo igitur significat, se vnigenitū Filium Dei esse. Deinde penes se vnum, tanquam Dominū totius domus paternæ, facultatem & auctoritatem esse à Patre positam, homines è seruis peccati, faciendi liberos filiósque Dei per adoptionem: vt & ipsi cum vnigenito maneant in domo paterna in æternum: ac proinde se eiusdem esse cū Patre naturæ & potestatis. Est enim solius Dei, liberare à seruitute peccati: & filios Dei efficere.

Considerāda verò est ratio, qua vers. 42 & 43 probat Christus, Iudæos non esse verè Dei filios. *Si Deus pater vester esset.* id est, si essetis veri Dei Filij, *diligeretis vtiq. me,* nempe tanquam naturalem Dei Filium, verūmque eius legatū. Nā ego primum quidem ex Patre processi: deinde etiam à Patre veni. Quid est, ex Patre processi? Natus sum. Proprium enim verorum Filiorum Dei est: vt cùm se mutuò, tum in primis diligāt primogenitum, præsertim si is etiam tāquam legatus à Patre ad alios mittatur fratres. Atqui vos nō amatis me: sed odio habetis, & vultis interficere. Et paulò pòst, Quare sermonem, seu loquutionem meam non agnoscitis? Si essetis Filij Dei, agnosceretis vtique locutionem hanc meam. Est enim propriũ filiorū vnius Patris, & qui eiusdem sunt familiæ, vt paternam & domesticam linguam intelligant. Quod si quidam dicant, Se esse filios alicuius patris: & interim loquelam primogeniti, qui semper est cum patre, nō intelligant: dant apertum testimoniū. se ad illam non pertinere familiam. Tantum abest, vt sint Patrisfamiliæ illius filij: sicut infrà ait de ouibus: *Oues meæ vocem meam audiunt.* Ioh.10.27. Atqui loquutionem meam non agnoscitis. non enim potestis ferre vt illam audiatis. Quæ enim non intelligimus, non possumus audire. Ergo non estis Filij Dei. Et ait interrogatiuè, *Quare?* Quasi diceret: Qui fieri potest, vt sitis filij Patris mei, quum me eius primogenitum, & linguam paternam loquentem, non intelligatis, vt nec audire possitis?

VIII. Cæterùm quòd ad finem capitis respondit Christus, confirmat eam quam defendimus doctrinam. Primùm enim versu 56. ostendit se verum esse hominem & Messiam. Deinde versu 58. ait: *Amen, amen dico vobis, priusquam Abraham fieret, Ego sum. Amen amen.* inquit: Nō est igitur de hac doctrina dubitandum. Quid autem ait? Se fuisse antequam Abraham fieret: hoc est, conciperetur, & nasceretur. Hoc enim significat *Fieret.* Quid verò erat Christus, antequam Abraham fieret? superiùs repetit sæpius, se esse Filium Dei. Erat igitur Filius Dei, antequam carnē assumsisset nostram; ante Abrahamum, ante Adamum, eóque æternus & naturalis Dei Filius. Atque hoc argumentum sumitur ex illa particula. Antequam. Sed alterum etiam sumitur ex duobus diuersis verbis: de Abraham enim ait, antequā fieret πρὶν γενέσθαι: quo verbo significat Abrahamum fuisse creaturam, & habuisse principium. De se verò non vtitur eodem verbo: sed *Sum.* Significat igitur se non esse factum seu creaturam: quantum ad id, iuxta quod erat, antequam Abraham fieret. Imò etiam obseruandum est, eum non dixisse, *Fui,* vel *eram:* sed *Sum.* Significat igitur & à principio mundi, vsque ad finem, se semper eundem esse, & suum statum semper esse æquabilē, quod propriū Dei est. Si enim dixisset, *Fui ante Abraham:* non plus sibi attribuisset quàm Angelis, qui omnes ante Abrahamū fuerūt, sed tēpore circūscripti. Verùm quū ait. *Sum:* eximit se omnibus tēporum momētis, & Deitatem sibi attribuit, quæ nec cœpit vnquā, nec desinet. Inde nomē יהוה deductū est ab hoc verbo, [illegible]: quòd essentia Dei semper fuerit, nec desinit vnquā. nec mutatur, sed semper eadē manet. Est hic certè locus, haud obscurus pro æterna Christi Deitate: & obseruādum est, quod suprà de Abrahamo dixit, nempe illum exultasse, vt videret diem Christi. Fuit igitur Abraham ante Christum, hic verò ait, se esse antequam Abraham fieret. Annon apertè Christus hic ostendit veramque suam naturam? diuinam quidem iuxta quam fuit & est ante Abrahamum; humanam verò, iuxta quam posterior fuit Abrahamo?

IX. *Testimon. 6. Christi, ex Iohan. 9. vers. 35 &c.* Posteaquam Dominus virum illum, qui natus fuerat cæcus, facultate videndi donasset, eumque extra Iudæorum synagogam, propter confessionem veritatis eiectum reperisset, interrogauit hominem in hæc verba: Σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ? Respondit homo ille: Τίς ἐστι κύριε ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν? Hic etiam Dominus noster disertè ait, se esse illum Dei Filium, in quem docuerat esse credendum. Quo verò sensu se vocet Filium Dei, planum fit ex ipso toto contextu, si diligenter examinetur, nimirum se Filium Dei esse, non gratia adoptionis, vt sunt reliqui, factum; sed vnigenitum, ac singularem & talem, qui sit eiusdem cum Patre Deitatis. Nam principiò quum ait: *Tu credis in Filium Dei?* exigit fidem in se. Quam? non aliam planè, quàm eam, qua etiam credebat homo ille in Deum cuius se Christus Filium mox esse dicet. Sic enim ab Apostolis quoque eandem planè in se fidem, quā & in Deum se habere profitebantur, postulauit, dicens: *Creditis in Deum? & in me credite.* Io.14.1. Quasi diceret; tū demū verè creditis in Deū, quum in me credideritis. Quid obsecro significare illis voluit verbis; nisi se vnū esse cū Patre Deū? nec posse credi in Deum, quin credatur in se: quòd sit Filius Dei naturalis? idem etiam hîc demonstrat, dum exigit fidem in se. Scimus enim non esse credendum in quempiā, nisi in Deū; sicut etiam nemo est inuocandus nisi Deus. Vtrunque enim coniungit Apostolus, fidem in aliquem, & eiusdem inuocationem, dicens: *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Rom.10.14. Quis verò sit inuocandus ibidem docet dicens: *Quicunque inuocauerit nomen Domini* (id est Iehouę) *saluus erit.* Quid igitur sibi vult Christus, quum fidem à cæco exigit in Filium Dei, & hunc posteà Filium se dicit esse, nisi se Filium Dei esse natura, eóque eiusdē cum Patre Deitatis? Idem confirmat articulus εἰς τὸν υἱόν. Suprà enim ostendimus, quoties præponitur iste articulus, ὁ, dictioni, υἱὸς τοῦ θεοῦ: indicari Filium Dei, non communem ac vulgarem, quales sunt omnes gratia adoptionis effecti, sed singularem, & alterius generationis, hoc est, vnigenitum & naturalem Dei Filium. Sic de Paulo legimus: *Prædicabat Christum, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.* Act.9.20. Ergo etiam hic, additione articuli, τὸν, docuit se esse Filium Dei vnigenitū, id est, solùm è Patris substantia genitū. Liquet idem ex interrogatione hominis illius: *Quis est* (inquit) *Domine, vt credā in eū?* Nō interrogat de quonam Filio Dei loquatur Iesus: aut quid sit iste Filius Dei, sed quisnā ille sit inter Iudæos? Nouerat enim, oēs Iudæos vocari filios Dei: sed non tales esse, in quos sit credēdū. Intelligit ergo sermonē haberi de illo vnico Dei Filio, qui à-

populo expectabatur, de quo apud Iesa. legimus: *Vocabitur Immanuel.* Et *Filius datus est nobis : & vocabitur nomen eius, Deus fortis.* Ies. 7.14. & 9.6. Et Ps. 2.7. *Filius meus es tu:* qui & Messias appellabatur. Hæc causa est cur non interroget, quid sit iste filius Dei, in quem iubetur credere, aut de quonam loquatur filio Dei, sed tantùm interroget, quis sit. Perinde enim hoc fuit, atque si dixisset, Inter tot homines & filios Dei, qui apud nos sunt: quis est ille vnicus & singularis, in quem vnum salutis fiducia reponenda sit : vt & ego credere in illum possim? Ergo tum ex forma interrogationis, *Quis est ille Filius Dei?* tum ex significatione suæ fidei, quam velit in eo collocare, dicendo, *vt credam in eum*, satis apertè declarat homo iste, se non ignorare interrogationem fieri, non de quouis, sed de vnigenito & naturali Filio Dei, in quem liceat, imò iubeamur credere.

X. Et verba Christi, quum ait: *Et vidisti* (pro vides) *eum, & qui loquitur tecum, ille est:* qui aliud sibi volunt, nisi, Ego ille sum Filius Dei, in quem omnino est, si velis esse saluus, credendum? ac proinde docet se esse Filium Dei vnigenitum & naturalem, in quo perinde collocanda sit salutis fiducia, atque in Patre. Sed quæ sequitur cæci confessio & adoratio, obsignat totum hoc, quod dicimus. At ille ait: *Credo, Domine.* Ecce fidem in Christum, tanquam Filium Dei, verúmq; Deum. Fidem hanc consequitur adoratio: *Et adorauit eum.* Bifariam autem accipitur hoc verbum in Scripturis. Aliquando Theologicὼs & propriè, pro illo cultus diuini actu, quo Deum solum adoramus, & adorare iubemur, id est, agnoscere pro nostro Deo, & Seruatore: & ideò omnia beneficia illi accepta referre, gratias agere, eum colere, & fiduciam in illum reponere. Hæc certè adoratio minimè nisi vni debetur Deo. Aliquando πολιτικῶς & impropriè pro genibus flexis, aliquem, vt regem, & alios in dignitate constitutos, honorare, sicut in veteri Testamento nonnunquam legimus. Si quis contendat, hoc adorationis genere adoratum fuisse Christum ab homine illo, tanquam hominem excellentem, aut Prophetam : facile refellitur. Adoratio enim, quæ adorantur principes, est quædam duntaxat reuerentia, sed sine vlla in eos fide. Neque enim licet salutis fiduciam in hominibus collocare: *Maledictus homo, qui confidit in homine*, inquit Ier. 17.5. Hæc verò adoratio qua illum natus cæcus adorat Christum, coniunctam habet secum fidem in Christum, imò ex fide illa quam postulauit Christus, & quam professus est homo iste: profecta est adoratio. Ac proinde, adoratio hæc significat honorem ac cultum, qui soli debetur Deo, iuxta illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.* Deut. 6.13. Quid igitur hæc adoratio concludit, nisi Christum agnitum fuisse ab hoc homine, pro tali Dei Filio, qui eiusdem sit naturæ & deitatis cum suo Patre?

Quòd si quis iterum excipiat. Etsi ea adoratione qua solus Deus adorandus est, cæcus adorauerit Christum, non inde tamen sequi, illum bene fecisse, ac proinde non consequi, Christum verum esse Filium Dei naturalem, & eiusdem cum Patre deitatis: sine vlla difficultate refellitur exceptio. Christus enim permisit hoc adorationis genere se adorari, neque reprehendit hominem, quòd se ita adoraret. Quòd igitur Christus permiserit, se eo adorationis genere adorari qui soli debetur Deo: aut bene fecit, aut male. Si bene, ergo illi debebatur, ac proinde naturalis est Dei Filius, & eiusdem deitatis cum Patre. Si malè: fuisset igitur in Deum blasphemus: & idololatriam non tam permisisset, quàm probasset. Absit autem, vt hæc de Filio Dei sentiamus, vel etiam cogitemus. Ergo, Christus, dum illum honorem & fidei & cultus, seu adorationis, qui soli Deo debetur, sibi exhibitum admittit: apertè declarat, se Filium esse naturalem Dei.

XI. Quid? quòd quæ etiam sequuntur, idem magis confirmant? Christus.n. sic adoratus ab homine, hæc subiecit verba: *Ad iudicium* (exercendum) *Ego in hunc mundum veni: vt qui nõ vidẽt, videãt, & qui vidẽt, cæci fiant.* Primò, quum ait, *Ego* (scilicet Filius Dei) *veni in hunc mundum:* docet, se anteà fuisse extra hunc mundum, non simpliciter (semper enim vbique fuit ὁ λόγος τοῦ θεοῦ) sed quatenus in mundum venit: eatenus in mundo anteà non fuisse. Quomodo venit? manifestatione facta in carne seu sumtione carnis nostræ. Docet igitur se ante assumptam carnem, fuisse Dei Filium: idque in cœlo, vnde venit. Quòd si excipias, etiam omnis homo, quum nascitur, dicitur venire in hunc mundum, Io. 1.9. nec tamen sequitur fuisse in alio mundo. Respondeo non eodem modo Christum venisse in mundum, vt nos. Nos enim simpliciter, quatenus quanti quanti sumus, creati in vteris matrum, posteà prodimus in lucem: At Christus venit secundùm quid: hoc est, sumtione nostræ carnis, atque naturæ. Item manifestatione sui in carne Heb. 2.16. 2. Tim. 3. 16. Vnde etiam dicitur Christus à Ioh. venisse in carne. Quo loquendi genere significat, aliud esse, qui venit, & aliud carnem in qua venit: quod de nullo puro homine vnquam legitur. Optimè ergo sequitur, eum qui venit, antea etiam, & alibi fuisse, non autem carnem in qua venit. Secundò, quum ait, se venisse ad iudicium (scilicet exercendum) docet se fuisse è cœlo missum cum auctoritate mundum corrigendi, Ecclesiam gubernandi, cæcos misericorditer illuminandi, hoc est, peccatores seruandi, & videntes, hoc est, eos qui sibi videntur soli sapere, & iusti esse, iustè excæcandi & condemnandi. Iudicium enim accipit hic Christus, sicut & suprà capit. 5. pro auctoritate, cùm vniuersum orbem, tum inprimis Ecclesiam gubernandi & regendi, in iudicio & iustitia, vt ait per Esaiam 9.7. Seu pro iure, quod principes in sua habent regna, hoc vel illud faciendi: alios absoluendi & beneficiis iuuandi, alios verò plectendi. Tale ius legitur datum filio: *Deus iudicium tuum regi da.* Psa. 72.1. Et tale ius traditum Filio Dei à Patre legimus. Nam de iure in electos, vt illos seruet, ait: *Dabo tibi gentes, hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 2.8. hoc est, efficiam, vt electi inter gentes, cedant tibi in possessionem & dominium, iure hereditario. De iure in reprobos, illos excæcandi, & damnandi, ait: *Conteres eos virga ferrea, & tanquam vas figulinum confringes eos.* Hoc ius & hanc auctoritatem, quam ibi in Psalmo Pater tradit Filio vnigenito, Regi super Sionem constituto, hic Christus vocat, Iudicium. De hoc autem loqui Christum, liquet à fine, cur hæc dixerit cæco: voluit enim consolari hunc hominem, qui iniquè, & per tyrannidem fuerat è synagoga eiectus. Quomodo verò consolatur? opponendo suam legitimam in omnes homines iurisdictionem Pharisæorum tyrannidi, & apertè dicendo, se tandem velle suum iudicium, id est, suum ius exercere, quod ad hunc finem venerit in mundum. Est igitur perinde atque si dixisset: Bono esto animo, isti primores populi pro sua libidine tyrannidem in populum exercent, & quos volunt, quo iure quáve iniuria pellunt è synagogis, quasi ipsi soli omnia videant & sapiant, reliqui verò versentur in tenebris cæci. At Ego sum ille, qui in populum, legitimum imperium habeo à Patre acceptum: ac proinde istud etiam exercere volo. Ad hoc enim missus, & à Patre vocatus sum. Sed longè alia ratione, quàm isti suam exercent tyrannidem, meum ius exercebo. Exercebo enim iustè, non tyrannicè. Nam quos ipsi pro cæcis habent, ego perfectè illuminabo: ipsos verò superbos, qui sibi videntur sapientissimi, & lumen eorum, qui in tenebris versantur, ego excæcabo, vt quum sibi visi fuerint omnia videre, appareat illos nihil vidisse. Ne cures igitur quòd te è synagoga eiecerint. Hinc colligimus: Christum voluisse his verbis declarare, se esse illum Dei Filium, quem Pater constituit Regem super Sionem montem, cum pleno imperio atque auctoritate, tam cæcos illuminandi, quàm eos qui sibi videntur videre, excæcandi: ac proinde se Filium esse Dei naturalem, & eiusdem cum Patre deitatis. Nam quod hîc Christus de se ait, nempe, se venisse ad iudicium, vt qui vident, cæci fiant: hoc apud Iesaiam Iehoua ipse facturus esse dicitur, *Operuit vos Iehoua spiritu soporis: & clausit oculos vestros. Prophetas & principes vestros, qui vidẽt, operuit.* Iesa. 29.10. Christus itaque quum dicit se ad iudicium hoc exercendum venisse: vt scilicet videntes non videant, & videant, qui non vident: declarat se ita esse Filium Iehouæ, vt sit Iehoua.

## CAPVT V.

### Eadem de re, Christi testimonia, ex Iohan. 10. illorúmque interpretatio.

*Testimon. VII. Christi ex Ioh. 10. vers. 15. & sequent.*

*Καθὼς nouit me Pater, & ego noui Patrem.*

Hic etiam Filium se Dei profitetur: dum nominat Deum, Patrem suum. Certum autem est, Christum de se loqui, quatenus in carne erat manifestatus, secundùm quam carnem, Filius etiam Dei erat, eo sensu & modo, qui de principio fuit à nobis explicatus: sed talia hîc sibi attribuit: quæ nisi Filius Dei sit naturalis, eóque Deus, competere in illum minimè possint. Primò ait, *καθὼς nouit me Pater, & ego noui Patrem.* Siue verbum γινώσκειν propriè pro cognoscere, siue impropriè pro amare accipias, illa particula καθὼς concludit, Christum Filium æqualem esse Patri, cognitione & amore, hoc est, sicut Pater perfectissima & æterna cognitione agnoscit Filium, & eundem perfectissimo & immenso, æternóque amore complectitur: eundem ad modum, Filium perfectissima & æterna cognitione, immenso & sempiterno amore Patrem complecti. Sic enim καθὼς & ὥσπερ, quum de Patre & de Filio dicuntur,

non si

non similitudinis, sed æqualitatis notæ: sicut etiam suprà capite 5. ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ *habet vitam in seipso: sic dedit & Filio habere vitam in seipso.* Io.5.26. Et capite 6.57. καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα. At tu sic interpretatis. Nō solus, sed cū veteri Ecclesia sic interpretor. Deinde mea interpretatio neque pugnat cum analogia fidei, neque enim aliis Scripturis, nec præsenti loco vllam facit vim, ad gloriam autem Christi, eóque & Patris promouendam pertinet. Est enim certa regula: *Qui honorat Filium, honorat Patrem: qui non honorat Filium, nec Patrem honorat.* Io.5.23. Quid ni igitur sic interpreter, quum possim, has particulas, vt significent non simpliciter similitudinem, sed æqualitatem? Hæc autem siue cognitionis, siue amoris æqualitas, de qua hic loquitur Christus, non potest in Christum simpliciter quà homo est, competere. Filium igitur Dei naturalem, & eiusdem cum Patre naturæ eum esse demonstrat.

II. Vers.16. ait: *Se habere alias oues, quæ non sunt ex eadem caula* (id est, ex populo Iudaico) *Et eas* (inquit) *oportet me adducere.* Quænam oues istæ? Omnes electi inter gentes, ad finem vsque mundi. Quis adducit eas in Ecclesiam? Christus ipse: *oportet* (inquit) *illas me adducere.* Christus igitur est ille, qui existens in cœlo, corpore, oues quotidie adducit in Ecclesiam, suo Spiritu. Neque enim satis est verbi per homines prædicatio, sed vt Spiritu Christi, qui est & Patris, adducantur ad Christum & in Ecclesiam necesse est. Atqui hoc præstare non potest Christus, quà simpliciter homo est: est enim opus Dei corda hominum flectere, & trahere in Ecclesiam, vt vera fiant & viua Ecclesiæ membra. Ergò hoc effectu, quo electos omnes in Ecclesiam adducit Christus, cùm præstari à pura creatura id non possit, satis luculenter demonstrat, se non esse filium Dei gratia adoptionis factum: sed è Patre genitum: eoque eiusdem cum Patre naturæ, deitatis, & potentiæ.

III. Neque solum ait, se ponere animam, id est, vitam pro ouibus suis, sed etiam se eam resumere, & habere auctoritatem tam resumendi, quàm deponendi eam. In Epistola ad Hebræos scribitur, Hunc filium Dei assumsisse semen Abrahæ: *Heb.2.16.* hic verò ait, se suam animam ponere. Item, se ideò à Patre diligi, quòd animam suam ponat (hac lege) vt etiam eam resumat. Item: *Nemo* (inquit) *tollet eam à me* (scilicet, inuito) *sed ego pono eam à meipso.* Item, ἐξουσίαν (inquit) *habeo ponendi animam.* Tria dicit, non omnino eadem, sed diuersa. Primùm, se animam, hoc est vitam ponere, id est, sponte mori pro ouibus: & etiam resumere eam, id est, sponte resurgere, (pro iisdem) hoc certè alterum nullius est hominis. Deinde, suam ait animam ita in sua esse potestate, vt nemo nullave res possit eam à se inuito auferre. Hoc etiam nullius hominis est. Statutum est enim hominibus semel mori: Sed Christus à seipso posuit quia voluit. Postremò maius etiam quiddam subdit, dicens: ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν: Non ait se habere δύναμιν, virtutem ponendi animam, & resumendi, vt suprà docuit: sed ἐξουσίαν quoque, hoc est, auctoritatem hanc. Nemo hominum habet ἐξουσίαν animam, id est, vitam ponendi: quia nemini licet, pro suo arbitrio se in mortem tradere: sed neque δύναμιν, eam resumendi Est enim hæc δύναμις solius Dei. At Christus & δύναμιν habuit, qua posset tam resumere, quàm ponere, & ἐξουσίαν, qua liceret & ponere, & resumere, quum vellet. Fuit igitur & est Christus Filius Dei eiusdem naturæ cum Patre. His porrò verbis, Ponendi, Resumendi, loquitur de sua vita, perinde atque si de veste aliqua verba faceret: quam possit pro suo arbitrio, & deponere & resumere. Docet igitur Christus, se fuisse non purum hominem, sed quendam alium, qui primò animam & corpus, ceu vestem quandam assumsit, dum factus est homo: qui deinde vitam deposuit, animam à corpore seiungendo, quum sponte mortuus est: qui denique iterum eam resumsit: pro sua δυνάμει, & ἐξουσίᾳ, id est, quum corpus à mortuis ad vitam reuocauit, manens ipse semper idem atque integer. Quis obsecro erat iste qui hæc omnia egit? λόγος, Filius Dei. Est igitur Christus filius Dei, non solum quà homo, secundum quem mortuus est, sed etiam quà λόγος, secundum quem integer semper manens, humanam vitam instar vestis sumsit, deposuit, & resumsit.

*IV. Testim. S. Christi, ex Ioh. 10. vers. 25. &c.*

QVum verò interrogaretur à Iudæis, vt si esset Christus, id apertè diceret, in hæc verba respondit: *Dixi vobis, nec creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testantur de me.* In hoc capite tres illos habemus testes, qui in terra testificantur, Iesum esse Christum. 1. Io.5.6.8. Sanguinem; quia suprà dixit, se esse illum pastorem bonum, qui animam ponit pro ouibus & eam etiam resumit. Deinde Aquam, id est, doctrinam: ait enim. *Dixi vobis.* Ecce doctrinam. Ea enim de se dixerat ac prædicauerat, & scripturis veteris Testamenti confirmauerat: quæ non nisi in verum Christum poterant competere. Postremò Spiritum, hoc est, vim miracula edendi. Ait enim: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testantur de me.* Adferens verò causam, cur non credant tot testibus Iudæi, ait: *Sed vos non creditis: quia non estis ex ouibus meis.* Hoc verò ab effectis probat. Primò: *Oues meæ vocem meam audiunt.* Quasi diceret: Vos autē nō auditis. Deinde: *ego agnosco oues meas.* Quasi diceret: Vos autē non agnosco. Tertiò: *oues me sequūtur,* Quasi diceret. Vos autem non vt oues me sequimini, sed vt Tigrides & leones, ad necem vsque persequimini. Quartò: *Ego vitam æternam do eis.* Vnde nec peribunt: vos verò morti estis destinati. Probaturus verò, oues suas non posse è suis eripi manibus, eoque nō posse perire: subiunxit, *Pater meus, qui eas mihi dedit, maior omnibus est: neque quisquam potest eas rapere è manu Patris mei.* Hic etiam & suprà, Deum suum vocat patrem. Quo autem sensu, ex multis in hoc contextu locis planum fiet. Primo ait, se non solùm illis apertè dixisse, nempe se esse Christum: Christus autem debuerat esse non solùm filius Dauidis, quod ad carnem attinet, sed etiā filius Dei, quod attinet ad Spiritū, hoc est, ad diuinā naturam, vt ad Roman. & apud Matthæum, ex Psal. docetur. Rom.1.3. Mat. 22.45. Ergo cùm Iesus apertè dicat, se esse Christum: ex consequenti euincit, se esse filium Dei naturalē. Deinde ait, Se agnoscere omnes suas oues: hoc est, omnes electos quotquot scilicet vnquā fuerūt, aut futuri sunt. Sic alibi: *Ego scio quos elegerim.* Io.13.18. Est autem hoc solius Dei, vt docet Apost. 2. Tim.2.19. Christus igitur filius Dei talis est, vt sit Deus. Tertio ait: se dare suis ouib. vitam æternam. Hoc nō est vllius hominis. Dat quidem Deus per homines, sed homines non dant. Quartò ait, se suis ouib. ita dare æternam vitam, vt perire nō queant: & neminem posse has oues è sua eripere manu. Est autem hæc potentia solius Dei, vt ipse ibidem docet. Ergo eiusdem est cum patre potentiæ, eoque & naturæ. Sic enim argumentatur.

Si nemo potest rapere oues de manu patris: certè neque etiam quispiam poterit eas rapere de manu mea: Ego enim & Pater vnum sumus: ita vt sit eadem vtriusque manus, hoc est, potentia.

Atqui nemo potest eas rapere de manu patris: est enim maior, id est, potentior omnibus.

Ergo neque etiam quispiam poterit eas rapere de manu mea.

Hæc est aperta Christi argumentatio, Quod cùm ita se habeat: liquido apparet, illis verbis, quæ probatio sunt maioris propositionis, nempe: *Ego & Pater vnum sumus;* omnino significari, Filium & Patrem eiusdem esse: non solùm voluntatis & consensionis, sed etiam manus & potentiæ: imo eādem esse Filij & Patris manū atque potentiam: vt, sicut nemo potest electos rapere è manu Patris, quia potentior omnibus est (scilicet, creaturis) sic etiam nemo possit eos eripere è manu Filij, eandem ob causam: quia scilicet eadem sit filij, quæ & Patris manus atque potentia: ac proinde etiam eadem natura atque deitas. Quid est enim esse Deum, nisi esse summam & maximam potentiam, qua nulla maior esse possit? Nam quum filius dicit, se & Patrem vnum esse, vera pietas postulat vt interpreter eos esse vnum perfectissimo modo, quo nullæ aliæ res ita vnum esse possint. Sicut enim inter Patrem & Filium perfectissimus est amor, perfectissima cognitio, perfectissima consensio, denique omnia perfectissima: sic etiam perfectissima sit vnitas necesse est. Ergò nō solū ambo vnius sunt consensionis ac voluntatis: neque solùm vnius potentiæ, sapientiæ, naturæ, essentiæ: sed etiam eadem est vtriusque volūtas, manus, potentia, sapientia, natura, essentia. Est enim hæc perfectissima vnitas. Ob hanc vnitatē fit, vt fides, qua credimus in filium, eadem sit cū illa, qua credimus in Patrē. & Baptismus, quo in Christum, idē sit cum illo, quo in Patrē baptizamur. *Vna enim fides, vnum Baptisma,* Ephes. 4.5. Et: *Qui credit in me, credit in eum, qui misit me.* Io.12.44. Idemq; honor: *Qui honorat filium: honorat Patrem.* Io.5.23. Quare nemo non videt Christum ijs verbis voluisse concludere, se ita esse Dei Filium, vt sit idem cum Patre Deus.

V. Confirmant hoc quod dico illa quæ sequuntur: *Sustulerunt igitur rursus lapides Iudæi, vt lapidarēt eum.* Quid ita? tanquam scilicet blasphemum: qui se faceret Deum. Hanc ipsi disertè causam adferunt. Nam cùm Christus vidisset, eos lapides sumsisse, vt se lapidarent, dixit illis: *Multa præclara opera demonstraui vobis ex Patre meo: propter quod*

F

*illorum operum me lapidatis?* Quid verò illi? *Ob bonũ opus non lapidamus te: sed ob blasphemiam, id est, quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.* Hinc apertè euincitur, Iudæos ex verbis Christi postremis, nimirum: *Ego & Pater vnum sumus*: & quod inde conclusit, se eiusdem esse potentiæ cùm Patre: collegisse, Christum voluisse inferre, se esse vnum cum Patre Deum. Nam reliqua verba potuerunt ferre Iudæi: sed quum dixisset, se & Patrem vnũ esse: & inde intulisset quod intulit: omninò cognouerunt, eum se facere Deum: Ideò vt blasphemum lapidibus obruere voluerunt. Neque, vt ex sequentibus apparet, Christus hoc inficiatus est: sed potiùs confirmauit: Apparet igitur ex Christi argumentatione, Christum ita se prædicasse filium Dei, vt intellexerit, se filium esse Dei naturalem, eóque vnum cum Patre Deum.

VI. Ex Apologia etiam Christi ad hanc calumniam, qua accusabatur à Iudæis blasphemiæ, idem liquet. Quid enim Christus respondit? *Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, Dei estis?* Hæc Christi apologia diligenter est nobis explicanda: quoniam benè intellecta, non parum facit ad veram Christi deitatem confirmandam: perperam autem intellecta, abutuntur inimici Christi, vt Seruetus: ad ostendendum Christũ nõ esse verum Deum, sed per priuilegium & gratiam, quemadmodũ blasphemus ille carnis loquitur. Videndus est igitur in primis scopus Christi. Dixerant Iudæi illum esse blasphemum: quia cùm sit homo, faciat se Deum. Christus igitur vult depellere hanc calumniam, & demonstrare, Etsi dixit se vnum esse cum Patre, hoc est se Deum esse: non ideò tamen se esse blasphemum. Hic est scopus. Quomodo verò hunc assequitur scopum? Duplici ad argumentum Iudæorum responsione; quarum prior petitur è Scripturis: altera ex operibus Dei in ipso. Argumentum autem Iudæorum hoc fuit:

Ille est blasphemus, qui cùm sit (purus) homo, facit se & vocat Deum.

Tu cùm sis (purus) homo, facis teipsum Deum.

Ergò tu es blasphemus.

Principiò igitur ad maiorem respondet Christus, ac docet eam non simpliciter esse veram: idque testimonio Scripturarum *Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi, Dij estis?* Sensus est: Scriptura, quæ solui, hoc est, reiici tanquam falsa, aut blasphema, non potest: homines nudos, licet iniquos, vocat tamen Deos: idque tãtùm propter diuinum officium, quod illis à Deo demandatum est: & quo funguntur: hoc est, propter diuinam potestatem, qua in alios præditi sunt. Liquet hoc ex Psa. 82. 6. Vbi Deus iudices populi, quia iniquè iudicabant, & potestate sibi tradita abutebantur ad populos opprimendos, & ad suas fouendas libidines, arguit iniustitiæ: & interim tamen, licet nudi essent homines, imò & iniqui, propter officium vocat Deos, dicens: *Ego dixi, Dij estis*: nec blasphemus fuit Deus, quum sic eos appellauit. Falsum est igitur, quod simpliciter assumitis, illum esse blasphemum, qui cùm sit homo, facit, id est, vocat se Deum. Quare (vt ad minorem respondeam) etiam si darem purum me esse hominem: non ideò tamen blasphemiæ possem accusari, qui vocarim me Deum, dum dixi, me & Patrem vnum esse. Nam si illi meritò fuerunt vocati Dij propter illud officium ad quod vocati fuerunt: & propter potestatem, qua erant à Deo ornati super alios: multò maiori iure ego possum vocari Deus: quia meum munus, ad quod segregatus sum: & mea potestas, quæ mihi est à Patre tradita super alios: longè maior est potestate reliquorum Magistratuum & iudicum. Hæc ratio à minori ad maius subiicitur quum ait: *Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: me, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum?* Quid est sermonẽ fieri ad aliquem? Significat: ex mandato Dei, aliquem ad aliquod singulare officium vocari, & auctoritate diuina ad illud muniri. Sic quum aliquis ad munus propheticum vocabatur: dicebatur verbum Domini factum esse ad illum. Sic igitur ad illos factum fuisse verbum Domini hic dicit Christus, qui ad officium magistratu, cum auctoritate & potestate diuina vocati à Deo fuerant. Et propter hanc potestatem, quia vicarij erant Dei in regendo mũdo, ait fuisse vocatos Deos. Quid verò sibi vult Christus quũ ait de se: *quem Pater sanctificauit, & misit in mũdũ?* Recepta interpretatio hæc est: Christum fuisse à Patre sanctificatum, hoc est, ex omnib. & Angelis & hominib. selectum & segregatum, & ad hoc cõsecratum, vt scilicet esset omnium Seruator, Pontifex, & Rex. quia supra omnes emineret: hoc est, vt esset Messias, in quo vno, virtus, Spiritus, & maiestas Dei excellentiùs quàm in vllo vnquam sese exereret: & hoc officium Christi, dignitatem, & potestatem, opponi potestati iudicum, & regum mundi. At quod hic ait, *Sanctificauit*: suprà dixit, ἐσφράγισεν· τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν, ὁ θεός: Io. 6. 27. id est, hunc enim ad hoc officium selegit ex omnibus, & constituit atque obsignauit Pater, & sua ita sanciuit ac confirmauit auctoritate: vt scilicet is det panem qui non perit: id est, vt sit Seruator mundi. Sed quod alij ad humanam tantùm naturam restringunt: ego extendo ad totam Christi personam. Nam ex tribus personis in cœlo, hic vnus fuit selectus ad hoc officium mediatoris. Deinde ex omnibus creaturis, Angelis & hominibus, hic vnus homo fuit segregatus, qui vnitus verbo, caput esset Ecclesiæ, & supra omnes creaturas emineret, Rex Regum, & Dominus dominantium. Sed cum hac sanctificatione officij complector etiam sanctificationem humanæ naturæ in Christo: quia concepta fuit sancta & sine peccato, & ita fuit sanctificata, vt facta sit sanctificans, sicut ferrum ignitum, fit ignificum.

VII. Argumentatio igitur Christi hæc est: Iudices & magistratus illi, quos alloquitur Deus, sine vlla blasphemia appellati sunt Dij, quia sermo Dei ad illos factus est, id est, quia commissa est illis potestas diuina super populos, vitæ & necis. Atqui lõgè maior mihi homini, quem videtis, potestas & auctoritas commissa est à Patre: is enim me sanctificauit, id est, ex omnibus delegit, vt sim Christus & seruator omnium; quem adorent etiam Angeli, & cui subiiciantur creaturæ omnes, etiam dæmones; & in quo vno virtus Dei sese exerat, vti omnes vident, & in hunc finem misit me in hunc mundum, vt scilicet per me omnes seruentur. Longè igitur maiori meliorique iure, & sine vlla blasphemia, dicere possum, me etiam vt hominem, vnum esse cum Patre, id est, eiusdem cum eo potentiæ, eoque Deum: propter hanc, qua me muniuit potestate & auctoritate Pater, quàm quiuis magistratus. Hæc est ratiocinatio Christi, quàm ex Psalmo, à maiori ad maius, collegit. Psal. 82. 6. Primò enim probauit, etiam puros homines, sine vlla blasphemia appellari Deos, propter officium Dei quod obeunt in terris. Hinc verò à minori ad maius conclusit, se etiam vt hominem longè maiori iure & sine vlla blasphemia, posse vocari Deum, quàm illi. Sed hanc conclusionem profert per interrogationem, quò plus illos Iudæos percellat, & perstringat ignorantiæ, imò malitiæ. Atque ita responsum est ad argumentum Iudæorum: etiamsi daret se purum esse hominem, non ideò tamen se posse accusari blasphemiæ, quod dixerit, se esse Deum; cùm alij etiam puri homines, & quidem iniusti, propter officium & potestatem acceptã à Deo vocentur citra omnem blasphemiam, Dij. Imò si illi meritò propter acceptam illam potestatem dicti sunt dij, se multò iustiùs vocari Deũ: Cùm sua potestas à Deo accepta longè omnium Regum potestate sit maior. Atque hoc de Christo, quà homo est. De eodem verò, quà Filius Dei Deus, sic locum interpretor, nempe, Eum fuisse ante mundi constitutionem sanctificatum, & ceu consecratum ad officium Mediatoris: eoque ad nos sanctificandos, à Patre. Deinde missum in tẽpore in mundũ è cœlis, per carnis scilicet assũptionẽ, quemadmodũ alibi, in responsionib. scilicet ad argumenta aduersariorũ contra deitatem Christi fusiùs declarabitur. Primùm enim ait, *quem Pater sanctificauit*: deinde, *& quẽ misit in mundum.* Missio autem fuit per incarnationem. Ergò ante incarnationem fuerat sanctificatus, hoc est, ad officium Mediatoris consecratus. Ita optimè argumentatur Christus. Si Scriptura non dicitur blasphemare, quòd homines propter officium diuinum, vocet deos: quem igitur Pater ante mũdi constitutionem, ad officium Mediatoris sanctificauit, & deinde è cœlis per assumptionẽ carnis misit in mundum, ad officium scilicet Mediatoris perficiendum, illum dicetis blasphemare, propterea quòd dixit, *Filius Dei sum*, nempe verus, & naturalis, eiusdémque cum Patre essentiæ. Hæc est ad maiorem responsio.

VIII. Verùm ad minorem respondendo, Clariùs ostendit se non esse purum hominem: sed in se homine Deum etiam essentialiter esse: & σωματικῶς inhabitare. Hoc demõstrat ex operibus, quæ faciebat: & quæ solius Dei erant opera. *Si non facio opera Patris mei: scilicet, quæ solus Deus facere potest: nolite credere me esse vnum cum Patre, id est, Deum, Deique filium. Sed si facio, etiamsi mihi non credatis: operibus credite.* Quænam hæc erant opera, quæ demonstrabant Christum ipsum Deum esse? Omnia quidem miracula: sed præsertim, quorum curabat corpora, horum etiam ὡς τὸ πλεῖστον, sanabat animas & sanctificabat: id quod apparebat ex mutata illorum vita. Ex iis poterant Iudæi (sed adiuti Spiritu sancto) agnoscere Deum esse in illo homine Christo: & illum hominem, esse in Deo: hoc est, ex illo homine & Deo, vnam constare personam. Sæpe numero enim nomine Patris, Deum ipsum seu Iehouam, diuinámque essentiã, ac δύναμιν intelligit Christus. Pro nomine autem *Ego*, & *Me*

& *Me*, se hominem, quem omnes videbant, hoc est, suam humanam naturam demonstrabat. Ex humana autem visibili natura, & ex diuina essentia, vna constat persona, qui Christus vocatur. Proinde, quum ait, se esse in Patre, & Patrem in se: Etsi recepta horum verborum interpretatio hæc est, Filium, quà λόγος est, esse in Patre, & Patrem esse in Filio τῇ οὐσίᾳ: atque ita Patrem & Filium, vnum eundémque esse Deum. Sunt enim reuera hæ personæ diuinæ, vnus tantùm Iehoua, qui omnia operatur. Non incommodè tamen possunt etiam sic explicari, vt nomine Patris intelligatur Deitas (sicut antè dictum est) seu, vt loquitur Apostolus, plenitudo Deitatis, quæ in Christo corporaliter inhabitabat, & inhabitat: Pronomine autem *Ego*, & *Me*, Christus suam indicet, quam omnes spectabant, humanam naturam, vt nihil aliud significare voluerit Dominus Iesus, quàm se non humana tantùm, quàm omnes cernebant, constare natura: verùm etiam diuina, quam non videbant, sed tantùm ex operibus considerare poterant. Hoc sanè modo, Christum esse in Patre, & Patrem in Christo, nihil aliud fuerit, quàm ita humanitatem coniunctam esse cum Deitate, & vicissim Deitatem cum humanitate, vt idem Christus sit verus Deus, verúsque homo. Perinde atque si ferrum ignitum & candens diceret, se esse in igne, & ignem in se, atque hanc esse causam, cur calefaciat, & adurat. Quòd si quis nolit credere, spectet effecta ignis in se, & tunc intelliget, se non esse solum ferrum, sed etiam ignem in se.

IX. Cæterùm duo in hac argumentatione insunt, quibus Christus indicat, se Filium Dei esse naturalem. Primùm, quod dixit, se vnum esse cum patre, illud ita Iudæi intellexerunt, quasi se diceret Deum esse: neque id malè interpretati sunt. Quum verò posteà Christus concludit, se non ideò propter hæc verba blasphemasse, ait, *Si Scriptura vocat eos Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui: Me, quem Pater sanctificauit, dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum?* Non dixerat autem præcisè, *Filius Dei sum*, sed, *Ego & Pater vnus sumus*. Et in Apologia, assumit psalmum, vbi vocantur Dij. Ergo Christo, se esse Filium Dei, & se esse vnum cum Patre, & se esse Deum, idem sunt. Deinde ex operibus concludit, se in Deo esse, & Deum in se. Quid autem hoc est, nisi se non esse purum hominem, sed etiam Deum, & duabus constare naturis, diuina scilicet, & humana?

## CAPVT VI.

### Filij, de sui ex Patre ante omnia secula generatione, argumenta, ex Iohan. 11. 12. & 13. capitibus: breuiter explicata.

#### *Testim. IX. Christi, ex Iohan. 11. vers. 4. &c.*

HIc etiã non semel se vocat Filium Dei, & Deũ suum Patrẽ. Quo autem sensu, liquet ex aliquot huius capitib. versib. *Morb⁹ hic* (inquit Christus) *non est ad mortem: sed pro gloria Dei: vt glorificetur filius Dei per eum.* Primò ait, pro gloria Dei inflictum esse illum Lazaro morbum. Quid est autem hoc: nisi, vt Deus per eum morbum glorificetur? Deinde subdit, vt Filius Dei per eum glorificetur. Hæc certè particula, explicatio est superioris sententiæ: quomodo scilicet ille morbus sit inflictus pro gloria Dei, vt scilicet filius Dei glorificetur per eũ. Nõ enim ait: *Et ita glorificatur etiam filius Dei*, sed, *vt glorificetur filius*. Annõ igitur apertè docet, Filium esse illum Deum, pro cuius gloria immissus est ille morbus Lazaro? Nã quod primùm dixit in genere, *Pro gloria Dei*, posteà restringit ad suam personam: qua loquutione indicat, omninò se cõtineri illa voce Dei, non minùs, quàm Pater, cuius est filius, eadẽ voce significatur. Ac proinde se ita esse Filiũ Dei, vt sit De⁹.

Quod si quis neget hanc consecutionem: certè inficiari non potest, quin Christus doceat apertè, eandem esse suam, & Patris sui gloriam: ac rum verè Deum glorificari, quum Filius glorificetur. Cui consentaneum est illud: *vt omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem: qui non honorat Filium, non honorat Patrem.* Io. 5. 23. Si autem idem est Filii, qui & Patris, honor, & gloria eadem: quid consequitur, nisi Filium perinde Deum esse, atque Pater est Deus? imò vtrunque vnum esse atque eundem Deum: quando vnus tantùm est Deus?

II. Hoc autem confirmatur: si spectemus, quo modo Filius fuerit ex morbo Lazari glorificatus, & consequenter etiam Pater Deus. Hoc Euangelista docet versic. 45. *Multi igitur* (spectata Lazari ad vitam resurrectione, per Christum facta) *crediderunt in eum.* Quid hoc sibi vult, nisi agnouerint eum esse verum Dei Filium, è cœlo propter salutẽ populi missum, vitam & resurrectionem omnium: & ideò in eo, tanquam in verò Seruatore, salutis fiduciam collocârunt? Hæc fuit gloria filij: quod scilicet fuerit pro tali, qualis est, verus scilicet agnitus & naturalis, vnigenitúsque Dei filius eóque Seruator. Hinc etiam elucet gloria Patris. *Nam qui credit in me* (inquit Christus) *non credit in me, sed in eum qui misit me* Ioh. 12. 44. Ergò Christus hac loquutione: *Morbus hic non est ad mortem: sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eum*: apertum dedit testimonium; se ita esse filium Dei, vt sit Deus, cui omnis debetur gloria.

III. Ab effectis etiam, quæ in hac habemus historia, confirmat suum de se testimonium. Absens vidit Lazarum mortuum esse: Deinde prædicit eius resurrectionem. *Resurget frater tuus.* Ei perinde erat, reuocare mortuos, in monumentis putridos, à morte: atque homines excitare à somno ad vigilantiã: ideò ait: *Vado, vt à somno excitem eum.* Tandem excitat suo iussu à morte hominem iã in monumento fœtentem. Non erant certè hæc effecta puri hominis. Multa etiam hîc continentur dicta; quibus idem confirmatur & explicatur testimonium Christum ita esse filium Dei, vt sit eiusdem cum Patre naturæ. *Ego sum resurrectio* (inquit) *& vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & quisquis viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Vers. 24. Orat quidẽ Patrem, vt homo & mediator: sed quid subiicit? *Propter turbam circumstantem* (inquit) *hoc dixi: vt credant quod tu me miseris.* Non igitur opus habebat precibus ad excitandum Lazarum à mortuis: sed ideò precatus est, patrem inuocans, vt posteà spectata Patris in filio virtute, agnoscerent omnes hunc verum esse Dei filium, è cœlo missum. Christus enim scala erat Iacob: descendit de cœlis ad nos in terram, vt à terra gradatim homines subueheret in cœlum ad suam maiestatem, deitatem, & gloriam contemplandam. Ideò legem seruabat, Patrem orabat, vt omnes inde ascenderent ad agnoscendum hunc Iesum verum esse hominem, & Deo gratum: Faciebat miracula quum volebat, & sua virtute: vt inde etiam altiùs conscenderent homines, & agnoscerent, hunc Iesum nequaquam purum esse hominem. Omnia tamen ferebat accepta Patri: vt electi à Deitate Christi ad ipsum vsque Patrem Christi contemplandum ascenderent: à quo & ipse, & quæcunque habebat, erant: & ita agnoscerent, Filium, & Patrem, vnum esse Deum.

#### *IV. Testim. 10. Christi, ex Ioh. 12. v. 22. & deinceps.*

VOcat Deum, Patrem suum: quo verò sensu, liquet ex insequentibus. Nam v. 31. *Nunc iudicium* (inquit) *est mundi.* Prædicit tria. Primùm, Diaboli & mundi condemnationem: nempe per suam mortem in cruce. Deinde suæ mortis genus: scilicet, in cruce, dicens: *Nunc iudiciũ est mundi.* Tertiò, electorum per eandem crucem salutem, dicens, *Omnia traham ad me ipsum.* Est autẽ hoc solius Dei, vt ipsemet alibi docet: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Io. 6. 44. Crux vehiculum est, quo Christus vehit suos electos in cœlum. Est igitur Christus filius Dei eiusdem cum Patre potentiæ. Ver. 35. 36. Vocat se lucem: & ad hanc sequendam hortatur. Clariùs autem ver. 46. *Ego lux in mundum veni: vt omnis qui in me credit, in tenebris non maneat.* Perinde est, ac si dicat solis radius. Ego lux veni in mundum vt omnis, qui mei particeps fuerit, non maneat in tenebris. Oſtẽdit autem suprà hoc epitheto lucis, demonstrari æternam Christi deitatem: & substantialem ex Patre natiuitatem: & ad hęc, eum esse mundi seruatorem. Vers. 37. ait Iohannes Iudæos, non credidisse in eum. vers. deinde 39. & 40. causam huius incredulitatis assignans, vaticinium ex Esaiæ 6. 9. adfert: quo docet, Christum fuisse illum Iehouam, cuius gloriam viderat Esaias. Vers. 44. Clamabat etiam hic Filius Dei: & dicebat: *Qui credit in me, non credit in me* (hominem tantùm) *sed in eum, qui misit me.* Vt omnem tollat excusationem Iudæis incredulis, hæc cum clamore dicit. Dicebant enim illi, non esse credendum nisi in Deum: Iesum autem esse hominem. Iesus igitur docet, fidem qua in se creditur, non in hominem firmari: sed in Deum referri, & quidem vsque ad Patrem. Quid hic aliud docuit, quàm se verum esse Deum, vnumque cum Patre? Eos enim qui in se credunt, suam fidem minimè in puram Christi carnem firmare: sed in eius Deitatem, inque ipsum Patrem referre. Non igitur esse idololatram, qui credit in Christum. Et Vers. 45. *Qui conspicit me* (id est, verè cognoscit: is solus) *conspicit eum, qui me misit.* Docet cognitionẽ Patris mittentis, pendêre à cognitione filij missi: ita vt qui eum cognoscit tanquam filium Dei naturalem: in eo etiam, is solus cognoscat Patrem. Non igitur Deum Patrem ab illo agno-

sci, qui filium hunc non agnoscit: nec credi in Deum Patrem, ab eo qui non credit in eius filium. Totum autem in illos dictum est Iudæos, qui ideò negabant in Christum esse credendum, quòd in solùm Deum credendum esset.

### *VI. Testim. 11. Christi, ex Iohan. 13. vers. 3. &c.*

IN hoc etiam capite sæpè Deum suum vocat Patrem. Esse autem Christum Dei Filium natur: â, hîc luce clariùs videre est. Ac primùm quidem sic ait Ioh. Vers. 3. *Sciens Iesus Patrem omnia dedisse sibi in manus, & se à Deo exisse, & ad Deum abire, surgit à cœna.* Tria dicit: Primùm, Patrem sibi omnia dedisse in manus: hoc est se constitutum esse à Patre omnium Dominum, eúmque hæreditarium, quia à Patre: & liberum, quia in manus omnia sibi tradita. Deinde, se à Deo prodiisse. Ad hæc, se ad Deum redire. Etsi primùm ad humanitatem referri potest; & tertium omninò de Christo quâ homo est, intelligatur: secundum tamen, de Christo, quâ homo est, intelligi non potest: nisi vis fiat verbis: neque enim à Deo ἐξῆλθε prodiit filius hominis, sed filius Dei.

VII. Vers. 18. *Non de omnib. vobis loquor: ego scio quos elegerim, sed oportet, vt impleatur Scriptura, Qui edit mecum panem, sustulit aduersum me calcem suum.* Dicturus inter ipsos esse qui calcaneum contra se leuaturus sit: præmonet se non de omnibus Apostolis hoc dicere, se enim scire quos elegerit ad salutem, & ad perseuerantiam in fide. Quasi dicat, Esse tamen inter ipsos vnum, non electum, sed reprobum: qui, vt impleatur Scriptura, structurus sibi sit insidias, & se proditurus. Ergò duo hic docet Christus, quæ solius Dei sunt. Primùm se nouisse electos. Deinde, se illos elegisse. *Scio* (inquit) *quos elegerim.* Est autem duplex electio: vna temporalis ad officium aliquod: de qua alibi ait, *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis est Diabolus?* Io. 6. 70. De hac ad Apostolatum electione certè hîc nô loquitur Christus. Nam apertè eximit ab hac electione, de qua loquitur in præsentia, ipsum Iudam. Posteaquam enim dixisset: *Ego scio quos elegerim,* scilicet, ad constantiam in fide, ideoque ad salutem æternam: mox subiecit de Iuda, *Sed vt impleatur Scriptura: Qui edit panem meum, sustulit aduersum me calcem suum.* Item: *Iam nunc dico, priusquam fiat, vt quum factum fuerit, credatis me eum esse:* quem scilicet toties vobis dixi, Christum, Filium Dei. Ergò quum Christus ait; *Ego scio quos elegerim*: nullo modo eum loqui de electione, qua duodecim ad officium Apostolatus elegerat, manifestũ est. Altera electio æterna est: qua Deus nos elegit, ad æternam salutem, ad fidem in Christum, ad præceptorum ipsius obedientiam, & perseuerantiam in fide Christi. De hac Christum hîc loqui, dubium non est: vti ex ipso liquet contextu. Ergò cùm Christus dicat se illum esse, qui veros Apostolos elegerit, nempe ante mundi constitutionem ad salutis vitæque æternæ communionem, eoque ad constantiam in fide, & hos se nosse; ac proinde quod dicit de tollendo calcaneo, ad illos non pertinere, quòd eos propter electionem, à tanto scelere sit seruaturus: Quis non videat, Christum apertè docere, se Deum esse æternum?

## CAPVT VII.

### Capitis 14. Ioh. breuis explicatio: & Testimonia Christi inde collecta, pro eius æterna ex Patre natiuitate.

### *Testimon. XII. Christi, ex Iohan. 14. vers. 1. & deinceps.*

EST hoc caput plenum consolatione & doctrina: doctrina, inquam, de Christi tum persona, tum officio. Consolatione quidem: quia non solum iubet nos bono esse animo, & non permittere, vt nostra perturbentur corda, quauis, etiam grauissima, tentatione: verùm etiam tradit remedia, quibus possimus nos ipsi aduersus omnes vel grauissimas tentationes munire, ac eas superare. Doctrina verò; quia hic Christus primò, ex professo non solùm asserit, se talem esse Dei Filium, quia verus sit cum Patre Deus: verùm etiam aliquot rationib. hoc confirmat. Deinde, dum se ostendit esse perfectum & vnicum Mediatorem, & dum beneficia per suam mortem, perque suum ex hoc mundo discessum, nobis parta explicat: tradit simul permulta argumenta quibus doctrina de sua deitate confirmatur. Est igitur diligenter, sed breuiter & ἀιαχυνικῶς explicandum hoc caput.

II. Vers. 1. *Ne turbetur cor vestrum.* Scopus Christi est, confirmare discipulos in fide, aduersus tentationem illam, quæ inuasura illos erat, ex Christi cruce & morte. Futurum enim erat vt concuteretur discipulorum fides mirum in modum ex Christi cruce: quînam fieri posset, vt is fuerit verus Mundi seruator, qui tam ignominiosa, & acerba morte affectus fuisset. Christus igitur, vt aduersus hoc scandalum, & tam grauem tentationem muniret discipulos, hunc habuit sermonem. Ac primo iubet eos bono esse animo: nec permittant turbari sua corda. Hæc est enim propositio huius sermonis: *Ne turbetur cor vestrum:* nimirum propter meæ mortis genus, & meum à vobis discessum. Deinde tradit arma, quibus aduersus hanc tentationem se muniant, & sustentẽt. Principio itaque iubet retineri fidem, quam non semel de ipso confessi sunt: nempe, eum esse verum Dei Filium: & apertè docet, se verum esse Deum, dicens: *Creditis in Deum? etiam in me credite.* Primum igitur remedium aduersus omnes tentationes quibus nostra concutitur fides, & variis afficimur animi molestiis, petitur à persona Christi: & istud est, vt retineamus hanc doctrinam, Christum verum esse Deum. Et quemnam Deum? in carne nostra manifestatum: idcóque nostrum Deum & Immanuelem. Quod si iste Deus pro nobis, quis contra nos?

III. Deinde vult vt Apostoli considerent causam finalem suæ mortis, suique ex hoc mundo discessus. Hanc autem esse illorum salutem: quæ salus varias habet partes: quarum præcipua & postrema, sub qua reliquæ omnes cõprehenduntur, est, quòd Christus abeat, vt per mortem ingressus in cœlum, paret illis locum, quo & ipsi tandem veniant: se etiam tandem aliquando reuersurum, vt eos ad se recipiat in cœlum. Interim se illos seruaturum per suum Spiritum. Et simul etiam retineant iubet, se mori non coactũ, quasi non possit resistere principi huius mundi, & morti. sed ideo mori, quia velit Patri obsequi, vt habet ad finem capitis. Altera igitur consolatio aduersus tentationes, sumit ab effectis & beneficiis, quæ sua morte & ascensione in cælum nobis Christus acquisiuit. Et hæc duplicis sunt generis, quædam iam perfecta à Christo & præstita, vti est satisfactio pro peccatis: reconciliatio cum Deo, liberatio à morte: Iustificatio, Sanctificatio, Pax conscientiæ, Ius hæreditatis æternæ, possessio cœli in persona Christi. Hæc omnia significantur synecdochicõs illis verbis, Quòd ascendat ad Patrem, non vt ibi solus maneat, nobis exclusis, sed vt nobis etiam paret locum. Et quidem quotidie parat: dum quotidie pro nobis intercedit, & nostro nomine occupat cœlum. Alia restant perficienda & præstanda in fine seculi. Hæc sunt primò, reditus Christi è cœlo ad nos perfectè ex hoc mundo ad se assumendos. Deinde nostrorum corporum resurrectio. Postremo, perpetua cum Christo in cœlis æternæ vitæ possessio. Hæc significantur illis verbis: *Et quum profectus fuero, rursus veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis.* Tria dicit: primo, se redituturum: deinde, se nos assumturum ad se: quo verbo significat, se nostra corpora ad vitam è sepulcris excitaturũ, & assumturum in aera, & tandem in cœlum. Tertio, nos futuros eum ipso in cœlo, æternùm beatos. Horum omnium beneficiorum firma & solida consideratio, certaque fides ac spes, mirum in modum valet ad frangendas omnes Mundi & inferorum machinas, & ad Sathanæ tentationes depellendas.

IV. Tertiò commemorat beneficium, quo donauit Apostolos: certam scilicet cognitionem Euangelij: nempe, & quonam eat, nimirum ad æternam vitam in cœlum apud Patrem, tam suo quàm nostro nomine: & quæ sit illis ad hunc certa via, nimirum ipse Christus, quatenus mediator est perfectus & vnicus. Tertium igitur remedium aduersus tentationes omne genus depellendas, sumitur à cognitione Euangelij, qua Christus nos donauit, hoc est, à cognitione tum finis, ad quem sumus destinati, redempti, vocati, nempe ad æternam in cœlo vitam, apud Patrem: tum certæ, & verè ad finem consequendum viæ, nempe, hanc esse vnicum Iesum Christum, nostrum Immanuelem: hanc tradit ver. 4. Hæc cognitio certa & firma arrha est nostræ ad æternam vitam electionis: non enim hac donantur nisi electi. Electio autem firma est & immutabilis. Quis igitur hac cognitione munitus, non omnes profliget tentationes, & omnes inferorum portas expugnet?

V. Hæc autem omnia tot sunt argumenta, quibus confirmatur, Christum talem esse Dei Patris Filium, qui sit verus cum Patre Deus. Principio enim exigit fidem in se, qua in Deum creditur: ac tum demum docet verè credi in Deum, quum in Christum creditur, dicẽs: *Creditis in Deum? & in me credite.* Vult igitur, vt fides nostra in ipsum recumbat. quomodo autem potest hoc fieri, si Deus non sit? Scimus hanc esse Christi mentem, vt, si velimus verè in Deum verum credere, ne euagemur extra Mediatorem, sed oculos

los fidei nostræ defigamus in hunc hominem, verum ita, vt agnoscamus eum non esse purum hominem, sed Deum in carne manifestatum, verúmque Immanuelem, & inde ad Patris vsque personam, nostra fide penetremus: iuxta illud etiam: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Ioh. 12. 44. Est enim hoc Christi argumentum.

Vos profitemini fidem in solum Deum, & rectè.

Atqui ego non sum tantùm homo, sed etiam Filius Dei Deus.

Deberis igitur in me etiam, quem videtis credere.

VI. Subdit: *In domo Patris mei habitationes multæ sunt: alioqui dixissem vobis, Proficiscor paraturus vobis locum.* Docet, finalem causam sui discessus, hoc est, suę mortis, esse non tantùm vt ipse ascendat ad Patrem in cœlum, sed vt discipulis quoque in illud ianuam aperiat. Neque enim se solum ibi mansurum, sed suos quoque discipulos, hoc est, qui in se credunt, in illam cœlestem domum, se tandem recepturum. Ideò promittit suum ad nos reditum, in vltimo scilicet die, quum redibit ad iudicandum mundum, quando dicet suis: *Venite benedicti Patris mei: possidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis Mundi.* Mat. 25. 34. Hoc autem beneficio, quod est postremum, complectitur Christus, omnes nostræ redemptionis & salutis partes. Quomodo verò sua morte tot tantaq; beneficia impetrare nobis potuisset, nisi fuisset & esset naturalis Dei Filius? Est etiam notanda illa particula. Vers. 3. *Vt vbi ego sum* (nempe in cœlo, in domo Patris mei) *& vos sitis.* Non enim ait, *Vt vbi ego fuero*, sed, *vbi sum.* nondum autem erat corpore, & anima in cœlo: Docet igitur diuinam in se fuisse naturam, qua iam erat in cœlo, quum tamen corpore in terris adhuc esset & loqueretur.

VII. vers. 4. *Et quò ego vado nostis, & viam nostis.* Hæc est Consolatio quarta contra illam tentationem. Nôrunt discipuli ex sermonibus Christi sæpè auditis, in cœlo esse regnum Patris, quò eundum sit omnibus nobis. Et mortem Christi, nihil aliud esse, quàm transitum ad Patrem in cœlum. Prætereà non ignorant eundem Christum, esse viam aliis ad eundem Patrem in cœlum. Hac de causa primitiæ dormientium vocatur. 1. Cor. 15. 20. tum quia primus est, qui resurrexit ad æternam vitam, tum quia causa est, vt alij ad eandem resurgant. Primum explicat iis verbis: *Scitis quò vadam*, nempe in regnum Patris: quia scilicet scitis, me mox à morte resurrecturum ad æternam vitam. Alterum, quum ait: *Et viam* (scilicet vobis, & aliis ad eandem resurrectionem & vitam) *scitis*: nempe, me esse, vt mox explicabit. Thomæ enim ex quadam mentis obtusione, & sermonum Christi obliuione admiranti, & dicenti, *Domine, nescimus quò vadas, & quomodo possumus viam scire?* Respondit Christus: *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Dum respondet ad Thomæ, & ex consequenti reliquorum Apostolorum admirationem, duo facit. Primùm docet, se perfectum esse Mediatorem, deinde vnicum. Tria enim sunt in summa perfecti Mediatoris officia: vnum, vt significata Dei voluntate ergà homines bona, & persuasa resipiscentia, eos in viam ducat, qua redeatur ad Deum. Hæc cognitio ac persuasio, initium est, & via ad salutem æternam, iuxtà illud. *Hæc est vita æterna* (id est, via ad æternam vitam) *vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioh. 17. 3. Christus vero hoc fecit officium, & facit adhuc suo verbo, & Spiritu in Electis. Ideò vocatur Sapientia nostra. 1. Cor. 1. 30. Atque hoc est Prophetæ officium. Alterum, Mediatoris officium est, vt homines reapse reconciliet Patri, pro illis satisfaciendo, ne de condonatis iniuriis dubitare queant, eóque illos sanctificando. Atque hoc est Pontificis officium. Hoc verò etiam fecit Christus. Ideo ait: *Sum Veritas*, hoc est, complementum eorum, quæ in veteri Testamento sub figuris adumbrabantur de vero sacrificio pro peccatis offerendo: déque vera absolutione, & sanctificatione. Vnde illud: *Per Iesum gratia & veritas* (id est complementum figurarum) *facta est.* Io. 1. 17. Sicut etiam in Christo omnes promissiones habere dicuntur Etiam & Amen, id est, complementum. 2. Cor. 1. 2. Proptereà significantur nomine Iustitiæ & Sanctificationis apud Paulum: Christus. n. dicitur Iustitia nostra, & Sanctificatio. 1. Cor. 1. 30. His verò duabus vocibus exprimuntur omnia, quæ nomine veritatis significātur, h. e. quæ in V. Testamento sub figuris de Messiæ sacrificio, & sāctificatione, qua suum populum erat sanctificaturus, præmonstrabantur. Tertium Mediatoris officium est, vt tandem in æternam & perfectam vitæ cœlestis possessionem, expugnatis hostibus vniuersis, etiā morte, inducat. Christus hoc iam incipit facere, quod ad animas attinet, perficiet verò in fine, quum corpora vnà cum animis coniuncta in cœlum introducet. Ideò vocatur vita: quia sc. vitæ auctor est, mortisque destructor. Hoc verò est vltimum Mediatoris officium, & explicatur, nomine redemptionis, quum Apostolus ait: Christum factum esse nostram redemptionem, nēpe perfectam. 1. Cor. 1. 30. Illis autem quatuor dictionibus ad Corinthios exprimitur perfectum Mediatoris officiū à Paulo. Hic verò à Christo, iis tribus, via, veritate, vita. Ergò Christus perfectus Mediator. Est enim via, quia per hunc iter ad Patrem in cœleste regnum aperitur. Est veritas, quia per hunc reconciliamur Patri, verèque iustificamur, & ita veritas promissionum, & figuratum de Reconciliatione, impletur. Est denique vita, quia per hunc tandem in æternam vitæ possessionem introducemur. Et primum pertinet ad Prophetam, alterum, ad Pontificem, tertium ad Regem. Quid vis ampliùs? Est enim idem ac si dixisset: Ego sum initium, progressus, & finis vestræ salutis. Hoc est primum. Alterum subdit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*: quasi dicat, Ego solus sum Via, Veritas, Vita. His igitur etiam verbis, confirmat se verum esse, & naturalem Dei Filium, non solum, quia eum Patrem suum nominat: sed maximè, quia se solum docet perfectum esse Mediatorem, per quem ad Patrem accedamus, Patri reconciliemur, cum Patre in æternum viuamus. Talis autem Mediator esse non potest, nisi qui Deus etiam sit, hoc est verus naturalisque Dei Patris Filius: vt etiam docetur ad Cor. *Deus erat in Christo* (inquit Apostolus) *mundum reconcilians sibi.* 2. Cor. 5. 19. Nomine Christi sæpè significatur humana in Christo natura. Dei verò: ipsa deitas, diuináque essentia, & vt Apostolus loquitur, plenitudo Deitatis. Col. 2. 9. Quomodo autem in humana Christi natura sit Deus, Paulus docet ibidem, dicens [illegible] h. e. [illegible]: ita vt ex deitate & humanitate fiat & constet vnus Christus: quemadmodum etiam ex anima & corpore vnus constat homo. Et sic loquitur hic Apostolus: & Petrus in Actis. 2. 22. & 10. 38. Dat autem illi officium Mediatoris, dicens: *Mundum reconcilians sibi.* Proinde docet Christum ideò Mediatorem esse: quia non homo tantùm, sed etiam Deus est, nec potuisse Mundum sibi, eoque & Patri reconciliare, nisi Deus fuisset in illo, eo, quo dictum est, modo. Et quia ait: *Sibi reconcilians*, docet absurdum non esse, dicere, Christum esse & Mediatorem, & partem, diuersis respectibus: propter naturam diuinam, pars est, propter officium, Mediator.

VIII. v. 7. *Si nossetis me: Patrem etiā meum nossetis.* Duo dixerat Christus: primum Apostolos nosse, quo iret, nempe ad Patrem: alterum, nosse etiam quæ sit via ad Patrem. Hoc dixerat non tam in commendationem fidei & cognitionis Apostolorum, quàm suæ etiam doctrinæ, & suorum miraculorum, nempe quòd perspicuè & doctrina & factis ostenderit Apostolis, tum quis ipse esset, tum quis suus ipsius pater, ad quem, & ad cuius domum ibat; ita vt potuerint omninò vtrumque optimè nouisse. Thomas respondit, se & reliquos Apostolos, neutrum nouisse: *Non nouimus* (inquit) *quò eas: quomodo igitur possumus viam scire?* Christus, quod ad secundum attinet, de via apertè explicauit, quæ sit hæc ad patrem domumque patris via: *Ego*, inquiens, *sum via.* Quasi diceret: Via ad patrem, patrísq; domū, est Mediator: per hunc enim itur ad patrem in cœleste regnum. Atqui ego sum ille Mediator, & quidem perfectus & vnicus. Quod verò ad primum attinet, de Patre, ad quem & ad cuius ædes ibat: nunc respondet, dicens: *Si nossetis me patrem etiam meum nossetis.* Non explicat autem quid sit, & quis sit: sed tantùm vndè pater possit agnosci, docet, nempe, ex Mediatore. Sensus igitur est: Si, quemadmodum ego & doctrina & miraculis me præbui perspicuè cognoscendum: ita vos probè nossetis me, quis sim: nempe, verum, perfectum, & vnicum Mediator: eoque verus Dei filius: vtique & patrem, ad cuius domum proficiscor, cognosceretis. Via igitur non solum perueniendi ad patrem: sed etiam noscendi patrem, sum ego, nempe agnitus. Est hoc dictum illi simile: Io. 12. 45. *Qui videt me, videt & eum qui misit me.* Ratio vtriusque dicti est, quia Christus imago est patris, tam quà homo, quàm etiam quà Λόγος, & filius Dei æternus est: & in illo homine Christo Pater relucebat, & relucet semper. Et est perinde atque si radius solis illis qui dicerent se ignorare & non videre solem, id est, lucem solis, sic responderet: Si nossetis, & probè videretis me, nosceretis etiam & videretis solem. quid ita? quia radius solis, essentialiter nihil aliud est, quàm sol: & solis lux in radio ita resplendet, vt si quis velit solis lucem intueri, non sit opus, illam alibi quærere, quàm in radio. Ita etiam Christus hic loquitur. Proinde hinc colligimus, sicut radius personaliter (vt ita liceat loqui) alius est à sole, sic Christus alius est à Patre. Sed sicut Radius idem est essentialiter quod & sol, quia eadem lux in vtroque, sic Christus, essentialiter idem quod & Pater: quia eadem vtrique deitas. Et sicut corpus etiam solis, in radio est quodammodo, quia in eo resplendet, ita persona Patris quodam-

modo in persona Christi erat, & est: quia in ipso Christo se se visendum præbebat, & præbet. Quare si quis velit nosce-re & videre Patrem, non est opus, vt vagetur extra Christum, sed modò oculi fidei defigantur in Christum, & spectemus id, quod in Christo resplendet, per ipsius doctrinam, per opera, per sapientiam, per παῤῥησίαν, denique per immensam bonitatem: is verè videndo Christum, videbit & Patrem. Meritò igitur ait: *Si nossetis me, vtique & Patrem meum nossetis.* In summa duo facit his verbis. Primùm docet, quæ sit vera cognoscendi Patrem ratio, nempe si probè cognoscamus Christum Mediatorem, & viam ad Patrem. Christum autem probè cognoscemus, si adiuti eius Spiritu, eum attentè contemplemur: quid dicat, quid agat, apud Euangelistas, & quæ vis in eo resplendeat. Deinde arguit Apostolos ignorantiæ: quòd scilicet videat ex verbis Thomæ, se nondum probè & ritè fuisse ab iis cognitum. Est enim, ac si dicat: quatenus homo & αὐτοπρόσωπος, putabam vos ita profecisse in mea Schola, vt optimè nossetis, & me & Patrem, sed ex vestris verbis iam colligo, me nondum probè vobis esse cognitum, & plenitudinem Deitatis in me exhibitam, vobis probè non esse perspectam: nam si nossetis me vtique & Patrem nossetis. Quid autem concludunt hæc verba, nisi Christum esse Deum?

IX. Et iam nunc cognoscitis eum, & vidistis eum. Duo etiam his verbis facit. Primò docet, Patrem ità in se esse & splendere, vt si velint oculos aperire, facilè illum possint videre, esse enim illum ante ipsorum oculos. Vbinam? in carne Christi, in Mediatore. Proinde arguit Apostolos etiam oscitantiæ, quòd cùm habeant Solem ante oculos in ipso radio, non aperiant oculos, vt eius lucem videant. Illa enim verba: *Cognoscitis iam nunc, & vidistis eum.* Non tàm significant ab Apostolis fuisse cognitum Deum, in Christo, id quod verum erat ex parte, quàm quòd possent, si vellent oculos mentis aperire, illum apprimè cognoscere, & videre. Sensus enim est. Dicitis vos ignorare Patrem, ad quem vado, & tamen eum nunc habetis ante oculos, ita præsentem, vt agnoscatis, id est, cognoscere possitis eum. Imò & anteà diu habuistis, vt potueritis illum videre. Quid igitur hoc aliud sibi vult, quod dicitis, vos non nosse Patrem: nisi vos esse stupidos, & non aperire oculos, sed cæcutire ad præsentem lucem: ita vt videatis, & non videatis? Hæc eadem verba confirmant quod suprà dixi: plenitudinem Deitatis fuisse & esse in Christo, & eam instar Solis, splenduisse ante oculos Apostolorum: ita vt si apertos habuissent mentis oculos, facilè potuissent Patrem in Christo videre.

X. Vers. 8. *Dicit ei Philippus: Domine ostende mihi Patrem, & sufficit nobis.* Prodidit Thomas suam ignorantiam & oscitantiam: Nunc alius etiam Discipulus, Philippus, prodit suam; *Ostende nobis Patrem*, inquiens, *& sufficit nobis.* Quasi dicat, quòd ad viam attinet, scimus iam te veram esse viam, sed Patrem nondum videmus. Ostende igitur nobis Patrem, & tunc sufficeret nobis. Cæterùm quid hæc Philippi petitio p[illegible] se ferat, nisi Philippum nondum agnoscere Christum? nam hoc anteà dixerat Thomæ: *Si nossetis me, nossetis & Patrem.* Atqui non agnoscunt Patrem. Petunt enim vt sibi ostendatur. Dant igitur apertam significationem, se neque Christum cognoscere. Quærunt Deum procul, & eminùs sibi petunt ostendi, cùm illum habeant sibi præsentem, sed cæcutiebant ad tantam lucem. Verùm hoc non contigit, nisi magna Dei prouidentia, vt Christus occasione inde accepta, clariùs de sua Deitate dissereret. Videamus igitur responsum Christi. *Tantum tempus vobiscum sum, & non cognouistis me?* Duo facit. Primò, Magister obiurgat alium Discipulum: imò omnes, quòd tanto tempore fuerint in Schola cum suo Præceptore: & nondum vel præceptorem ipsum cognoscant. *Tantum tempus* (inquit) *vobiscum sum.* Quomodò? Non mutus, neque otiosus, sed perspicuè docens, quis sim: verus scil. & naturalis Dei Filius, talisque Filius in quo sit Pater, in quo plenitudo sit Deitatis, qui eiusdem sit cum Patre naturæ, ideòque verus Deus. Et hanc doctrinam miraculis confirmaui, & meam Deitatem patefeci, omnes morbos curando: cæcos etiam à natiuitate, illuminando, & mortuos in monumentis iam putridos, ad vitam reuocando: Scripturis denique comprobaui, me verum esse Messiam, eòque non simpliciter Filium Dauidis, sed præter carnem, secundum aliam etiam naturam, diuinam scilicet, me Filium Dei esse demonstrando. Tantum igitur tempus vobiscum sum: non dico Fui, sed sum: quia perpetuò vobiscum manens, vos nunquam deserui: Tanto, inquam, tempore vobiscum sum, hæc omnia præstando, quibus satis superque potuit vobis innotescere quis sim: *& tamen nondum cognouistis me?* scilicet verè & solidè? Quanta vestra stupiditas? Quid est autem, quòd quum Philippus petat sibi ostendi Patrem, quòd hunc ignoret, non autem petat sibi Christum ipsum patefieri: Christus tamen, illum obiurgat, non quòd ignoret Patrem, sed quòd non agnoscat Christum ipsum? Ratio est, quam anteà attulit Thomæ ipsi, & mox etiam Philippo clariùs explicabit: nimirum, quòd si rectè agnouissent Christum, non petiissent profectò sibi Patrem ostendi. Cognito enim Christo: Patrem etiam cognouissent in ipso: Quia tota Deitas est in Christo, eòque & Pater suâ οὐσίᾳ. Meritò igitur non obiurgat quod non cognoscat Patrem, sed quod non se Christum cognoscat. Est enim ac si quis peteret à radio Solis, vt sibi ostendat Solem, & Radius responderet: Tanto tempore vobiscum sum, & me totum vobis communico, & interim vos nondum agnoscitis me, nempe, me esse ipsam lucem, quam quæritis vobis ostendi? Absurdissima enim est vestra petitio, nam qui videt me, videt & Solem, lucem nimirum Solis. Si igitur me videtis, & agnoscitis esse lucem Solis, cur petitis vobis Solem demonstrari? Argumento est, vos nondum probè nouisse me, sed cæcutire ad meam præsentiam. Eundem ad modum loquitur Christus.

XI. Sequitur igitur alterum. Ostendit autem petitionem Philippi esse absurdissimam, & non cohærere cum illo suo, *Et sufficit nobis.* Petebat enim sibi Patrem ostendi. Illa verò particula, *Et sufficit nobis*, profitebatur se cognoscere Christum. Christus igitur ostendit, hæc inter se pugnare, & esse absurdissima. Absurdissimum enim est, petere sibi ostendi, vt videatur, quod quis habet ante oculos præsens: imò quod etiam profitetur se videre & agnoscere. Atqui tu Philippe, petis tibi Patrem, id est, Deum demonstrari, vt videas, quem tamen habes ante oculos. Nam qui videt me: videt & Patrem. Imò profiteris etiàm te noscere me, quum dicis: Et sufficit nobis. Hæc verò duo non cohærent simul. Nam qui videt me: videt & Patrem. Ego enim & Pater (vt aliàs docui) vnum sumus. Iohan. 10 30. *Ergo quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?* Sensus conclusionis est: Ergò fieri nequit, vt me agnoscas, & Deum ignores: Quare petitio tua, vt ostendatur Pater, cùm tua protestatione, quòd tibi illud sufficiat, quasi me noscas, non cohæret, sed absurdissima est. Sed Christus vtitur enthymemate: Antecedens, seu assumtum, hoc est: *Qui videt me, videt Patrem.* Ioh. 12. 45. Simile huic est illud: *Qui nouit Filium, nouit & Patrem.* Et illud ad Thomam: *Si nossetis me, & Patrem meum nossetis.* Consequentia. *Ergò quomodo dicis, Ostende nobis Patrem?* Quasi diceret. Fieri igitur nequit, si me vidisti & vides, id est, agnoscis, quin etiam videas Patrem. Assumtum verò probat versu insequenti: *non credis, quòd ego in Patre & Pater in me:* nempe τῇ οὐσίᾳ, vt antè declaratum est, ex Patribus. Sensus enim est: Ego ità in Patre, & Pater in me est: vt Ego & Pater, vnum simus, vnusque Deus. Ac proinde etiam, vt hic homo, quem vides, & Deus in hoc homine habitans, quem non vides, vnum sint, hoc est vna persona, quæ Deus est, & homo, Ergò fieri nequit, vt quis verè noscat me, quis sim: quin is etiam noscat Patrem. Ita apparet ideò dici Patrem esse in Christo, hoc est, in hoc homine Iesu: quia plenitudo Deitatis in eo inhabitat σωματικῶς: Ac proinde Filium etiam esse dici in Patre, non solum, quia Filius, alius Deus non est à Patre, sed etiam quia humana natura ità coniuncta est, cum diuina ex eadem Christi persona, vt idem Deus sit, qui & homo, & qui videt hunc hominem Iesum Christum, Deum vidisse verè dicatur. Neque enim Apostoli propriè petebant sibi illam Patris personam, ex qua λόγος natus est, ostendi, sed Deum, quem omnes Patrem vocabant. Christus autem ita de Deo loquitur, eòque & de sua Deitate, vt suum Patrem fontem esse totius Deitatis in se inhabitantis, & operantis ostendat. Ac rationes, quas subdit Christus, quib. demonstrat suum assumtum, nempe Patrem in se esse, & se in Patre, apertè quod dico, concludunt, vt mox ostendam.

Nunc tenemus explicationem propositionis Christi: *Ego in Patre, & Pater in me est*, hoc est, Ego sum non homo tantùm, vt videtis, sed etiam Deus ille, quem appellatis Patrem: quia reuera, Pater meus ex quo genitus sum, in me est, sua essentia, vt & ego in ipso.

XII. Sequuntur igitur rationes, quibus illam suam confirmet propositionem. Sumuntur autem omnes à virtute Deitatis, quæ in homine Christo sese luculentissimè exerebat, ac proinde declarabat, Christum hominem, vnum esse cum Deo, hoc est, personam vnam, natura diuina simul, & humana constantem. Sed quia hæc virtus seu vis, quæ & Spiritus alibi appellatur, variis modis se exerebat, tum verbis, tum factis, ideò varia inde sumuntur argumenta, quibus confirmatur, ita Christum verum esse Dei Filium, vt sit verus Deus. Rediguntur autem omnes ad duas species, ad Dicta & Facta. Dicta prædicant quis sit Christus. Facta, tanquam sigilla, dicta confirmant. Ideò altera ab alteris separanda non sunt. Sequitur ergò Christus & ait v. 10. *Verba, quæ ego*

*quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera.* Retinendū est, quod dixi, Christum ita loqui de suo Patre, tanquam fonte totius Deitatis vt eo nomine simul intelligat suam à Patre acceptam Deitatem; & hanc doceat illam esse quę in se omnia loquatur & agat. Videtur autem tantùm à doctrina argumentari: sed quia postea subdit, Patrem in se facere opera, hoc est, non tantùm loqui, sed etiam operari. Et ver. 11. ait: *Credite mihi: sin minus, propter opera credite*: ideo ab vtroque argumentatur. Est autem hoc argumentum.

Quidquid ego aut loquor (& hoc quo ad doctrinam) aut facio (& hoc quo ad miracula, & alia diuina opera) non loquor, aut facio ex me ipso, vt homo sum; sed Pater, in me manens, ipse facit opera, id est, omnia agit & loquitur.

Ergò Pater ita est in me, & ego in illo sum: vt ambo simus vnum: Deus & homo.

Idem docet Petrus in Act. & quem hic Christus vocat Patrem, ibi Apostolus vocat Deum. Act. 22. 2. Hoc est præcipuū argumentum; quo hic Christus vtitur ad probandum, se verum esse Deum.

At dices: Ergò etiam Prophetæ erant Deus, quia non loquebantur à seipsis; sed acti à Spiritu sancto, vt à Petro docemur. 1. Petr. 1. 11. 2. Petr. 1. 21. Et quia miracula edebant, non ex se, sed Deus in illis faciebat operà.

Responsio est facilis. Primùm: Ait Christus: *Sed Pater*, id est, Deus *in me manens*. Quomodo autem in Christo manebat Deus? Apostolus docet; Coloss. 2. 9. Corporaliter & hypostaticōs; & ideo inseparabiliter. Non certè sic in Prophetis, & aliis. Quia igitur in solo homine Christo Deus manet *σωματικῶς*; idcircò argumentum concludit de Christo, non autem de Prophetis. Deinde coniungit doctrinam cum factis, dicens, patrem esse, qui facit opera, id est, qui & loquitur & operatur, hic erat ὁ λόγος. Quid autem ὁ λόγος in Christo inhabitans corporaliter loquebatur? se Filium esse Dei: se vnum esse cum patre. Deus verò mentiri non potest. Quę porro loquebatur; ea factis obsignabat. Prophetæ nunquam tale quid de se prædicârunt. Si igitur Christus non fuisset verus Deus, seu Dei Filius, vnius naturæ cum Deo Patre; profectò Deus minimè suis miraculis doctrinam illam cōfirmasset. Quare si coniungas doctrinam cum operibus: & admittas quod Christus dicit, nempe vtrumque fecisse in se homine Deum: profectò videbis, argumentum Christi concludere id quod in Prophetis locum non habet.

Postremò liquet, tunc tantùm Prophetas loquutos fuisse verbum Dei, quum afflarentur à Spiritu Dei, non autem pro suo ipsorum arbitrio: vim itidem edendi miracula, non fuisse in ipsorum potestate constitutam, sed in Dei voluntate: At Christus, quum voluit, pro suo arbitrio, & cœlestia loquebatur, & diuina edebat miracula, tanquam liberam habens ad vtrumque auctoritatem. Hoc autem solius Dei est. Non absurdè igitur ex eo quod ait, & quæ loquitur, & quæ agit, ea non à seipso (quà homo) loqui & agere: sed Patrem in se manentem omnia efficere, Concludit, Patrem in se esse, & se in Patre: id est, se vnum esse cum Patre suo Deum: eòque se & Deum esse & hominem.

Vers. 11. *Credite (ergo) mihi: me in Patre: & Patrem in me esse: sin minus, propter ipsa facta credite mihi.* Cōcludit hoc argumento de sua Deitate: quod explicandum susceperat ipsi Philippo. Quasi diceret: Credite igitur mihi. Est enim hæc conclusio totius argumenti. Docet autem quibus fulcris niti debeat, Discipulorum fides, de Christi Deitate. Primùm, verbo Dei. Deinde miraculis verbum confirmantibus. Duo enim sunt præcipua, quæ fidem faciūt, Christum vnam esse personam, nō humana tantùm; sed etiam diuina natura cōstantem: verbum Dei, quod ita docet: & miracula, quibus verbum fuit obsignatum: præsertim verò ea, quæ Christus edebat: quia illa apertum erant specimen Deitatis in Christo plene & *σωματικῶς* inhabitantis. Quare hic versus confirmat quod diximus suprà: Christum argumentari, nō tā à doctrina, quàm etiam à factis, se in Patre & Patrem in se esse. Duabus enim his rebus Deitas in Christo sese præbuit conspicuam atque illustrem. Est autem notanda illa particula: *Sin minus: propter opera credite*. Docet igitur, quū ait, *Credite mihi*: subintelligēdum esse, propter me, & meam auctoritatem. Et hoc propriè spectat fides: verbum scilicet Christi, per se: quia verbum est Dei.

XIII. vers. 12. Sequitur: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio: & ipse faciet & maiora iis faciet.* Redit ad consolationes: quib. Apostolos solatur de suo discessu, & sumuntur ab vtili: sed simul etiam aliis confirmat argumentis se esse in Patre. Quinta igitur consolatio hæc est. Post & propter meum discessum: multo maiora vos, & alij aliquot credētes, opera præstabitis, quàm ego fecerim. Nā in hunc finem ascendo ad Patrem. Ergò ne perturbetur cor vestrum. Quod ad verba attinet: duo sunt in hoc versu: Promissio, & promissionis ratio, ac confirmatio. Promissio non de singulis credentib. in Christum intelligitur, sed de Apostolis inprimis: & deinde de multis aliis in corpore Ecclesiæ singularibus mēbris: neque id in perpetuum, & continēter: sed ad tempus. Docet hoc Apostolus 1. Cor. 12. 10. 29. *Aliy verò dantur facultates virtutum*, scilicet edendarum. Itē: *Nunquid omnes δυνάμεις?* Et euentus ipse docet. Neque enim in omnibus credentibus promissio hæc, suum habuit complementum: sed in Apostolis cum primis: Deinde in aliquot aliis, temporis successu, & prout operæ pretium fuit, & placuit Spiritui sancto. Deinde quomodo sit completa, liquet in Apostolis. Christus enim in ipsis, & numero & efficacitate, maiora præstitit opera, quàm in sua fecerat persona. Nā plura numero signa edidit per illos: tum Hierosolymis, vt liquet in Actis: tum inter Gentes, vt in iisdem Actis videre est. Maiora etiam efficacitate: quia iis signis, & prædicatione, totum orbem conuertit ad se, per Apostolos: cum in sua persona, aliquot tantùm in Iudæa, ad veram fidem conuerterit. Hæc est promissio.

Alterum, quod in hoc habemus versu, est promissionis ratio & confirmatio. *Nam* (inquit) *ego ad Patrem vado*; hoc est, quatenus homo, in cœlum proficiscor: vbi scilicet plenā omnium potestatem & administrationem accipiam & exercebo. Non est igitur dubitādum, quin maiora sitis præstituri, quàm ego præstiterim. Inde enim largiter Spiritum erat emissurus: vt hoc possent præstare tam Apostoli, quàm alij. Ita, qui plenam, quam habebat vt Deus, potestatem exercebat in terris, per se ex parte: is eandem erat è cœlo per Apostolos perfectè ostensurus & præstiturus. Hæc est simplex verborum interpretatio. Argumentum verò quod hinc colligitur pro confirmanda Christi Deitate: est huiusmodi.

Si propter certa aliquot Deitatis testimonia, in persona Christi edita, credendum est, eum esse in Patre, & Patrem in eo, hoc est, eum non solum hominem, sed etiam Deum esse: multò magis credendum id est, propter plura & maiora eiusdem Deitatis testimonia in aliis, per eundemmet Christum, præstita.

Atqui propter illa credendum hoc est, vt ipse ait Apostolis: *propter opera quæ ego facio, credite*. Maiora autem luculentioraque fuerunt illa, quæ per Apostolos edidit opera: vt ipse me docet.

Dubitari igitur non potest, vel ex iis, quæ per Apostolos gessit Christus: quin verus sit Deus.

Clariùs enim per Apostolos, suæ Deitatis vim re ipsa, id est, miraculis exeruit, quàm per seipsum. Quātum enim hoc est, quod ipse, corpore etiam absens, per duodecim, suapte natura & infirmos & imperitissimos homines, tam breui temporis spacio, sine armis, sed efficaci duntaxat Euangelij prædicatione, miraculis confirmata, totum orbem sibi subiugauit? Et quonam subiectionis genere? non corporali, vt solent Principes huius seculi, sed spirituali: animos hominum à peccatis, & à corrupta natura, in nouam creaturā reformando, & in voluntariam suæ legis obedientiam refingendo: tantáque sui Spiritus copia & fortitudine donando, vt mortem pro ipsius gloria oppetere minimè dubitârint. Spectamus etiam hoc tempore nō pauca huiusmodi exempla, luculentissima certè veræ Deitatis Christi documenta. Hæc. n. omnia Christū & in iis, & in Apostolis operatū fuisse, & operari: satis perspicuū est, è sacris literis. *An experimētū* (inquit Apostolus) *quæritis eius, qui in me loquitur, Christi, qui erga vos non est infirmus, sed potens est in vobis?* 2. Cor. 13. 3. Item, *Omnia possum per Christū, qui me confortat.* Phil. 4. 13. Quid? quod singuli Fideles hoc in se veræ Christi Deitatis habēt testimonium: de quo hîc loquitur Christus? Etsi. n. nō omnes edunt miracula, neque omnes prædicant: omnes tamē vim Christi, in se è cœlo operātis, vocantis, iustificantis, regenerātis, sanctificātis, aduersus Mundū & mortē munientis, sentiunt: & quidem efficaciùs atque viuidiùs, quàm si eo in terra præsenti fruerentur: quemadmodum etiam Apostolis cōtigit; vt nō immeritò dixerit, eos ideò maiora facturos, quia ad Patrem ascenderet. Est igitur hoc alterum Christi argumentum, à vi suæ Deitatis in ipsis etiam Fidelib. operantis: & quidem efficaciùs operantis, dum abest corpore in cœlo, quàm si præsens esset in terra, ductum: argumentum, inquam, est, & certum, & efficacissimum: vt hoc solum pio cuique debeat satisfacere. Confirmatur etiam verbo, *Vado ad Patrem*. Luc. 16. 22. Reliqui ducantur per angelos, is sponte, & pro suo arbitrio iuit.

XIIII. Sequitur cōsolatio sexta, tertium verò argumentū. *Et quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego fa-*

*tiam.* Consolatio hæc est. Post meum discessum, ego non solùm ero vester Aduocatus efficax, ita vt quidquid petieritis in meo nomine, illud sitis propter me consecuturi: sed etiã ego ipse exaudiam. Ergò ne turbetur cor vestrum, propter meum discessum & absentiam. Quòd verò attinet ad argumentum pro deitate Christi: duo de se prædicat iis verbis. Primùm, se esse Mediatorem, in cuius nomine omnia sint à Patre petenda: & per quem omnis precatio fundenda est ad Patrem. Deinde, se esse illum, qui preces nostras exaudiat, & præstet quæ petimus: ac proinde se esse Deum. Est enim hoc solius Dei, audire è cœlo, & exaudire nostra vota ac preces. Et hoc docet quum ait: *Ego faciam.* Et repetit idem verbum: *Ego faciam.* Quamobrem? vt penitùs insigat nostræ menti & memoriæ, se illum esse, qui in cœlo omnia agit cum Patre: qui preces nostras non solùm offerat Patri, vt Mediator: sed etiam exaudiat, vt vnus cum Patre Deus. Ac proinde docet quod etiam suprà ca.5. dicens, Quæcunq; operatur Pater, & se eadem similiter operari. Pater exaudit preces, & facit quod petimus in nomine Christi: idem facit & Christus in cœlo. Est igitur vnus cum Patre Deus. Confirmat hoc argumentum iis quæ sequuntur. Ait enim: *vt glorificetur Pater in Filio:* hoc est, ideò ego faciam quæcunque petieritis patrem in nomine meo: vt omnes agnoscant, Patrem esse in me, & me in Patre, & ita me glorificantes vt Deũ, Patrẽ quoque in me manentẽ glorificẽt. Cõforme est iis illud: *Dedit ei nomen, quod est supra omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium ac terrestrium & subterraneorum, omnisque lingua confiteatur, quòd Dominus Iesus in gloriam est Dei Patris.* Sicut igitur in beneficiis, quæ accipimus à Deo, non est separandus Christus à Deo Patre, ita nec vnius gloria à gloria alterius separanda. Vult enim Pater, sicut omnia agit per Filium, sic etiam in Filio & per Filium glorificari. Quorum autem eadem est gloria & actio, ij etiam eiusdem sunt naturæ.

XV. Hinc sequitur septima cõsolatio, & quartũ argumẽtum. Consolatio: *Ego autem rogabo Patrem: & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Ergò ne turbetur cor vestrum. Hoc.n. vobis expedit, & vtilius est, quàm si carne vobiscum manerem. Primò docet se esse Mediatorem, dicens: *Rogabo Patrem:* & quidem efficacem Mediatorem, quia ait: *Alium consolatorem dabit vobis.* Sed innuit etiam, se esse vnum cum Patre Deum. Quomodo? Solius enim Dei est, dare Spiritum sanctum. Dat autem hunc nõ solùm Pater, sed & Christus. Ait enim: *Quæcunque petieritis, ego faciam.* Apostoli autem petierant Spiritum sanctum non semel: & illis fuit datus. Ergò non solùm Pater dedit Apostolis Spiritum sanctum, sed etiam Christus Filius Dei. Alibi quoque ipse dedit Spiritum S. vt apud Iohannem legimus. ca.20.22. Petrus de Christo ait: *Itaque dextera Dei euectus, & promissum Spiritum sanctum adeptus à Patre: effudit hoc, quod vos nunc spectatis & auditis.* Act.2.32.

XVI. Ver.18. *Nõ relinquã vos orphanos: redibo ad vos.* Octaua consolatio, à suo reditu ad Apostolos in Spiritu sancto. Quũ ait: *Non relinquã vos orphanos:* intelligit in hoc seculo: neq; enim in alio seculo orphani esse possunt Filij Dei. Ergò quum etiã ait: *Redibo ad vos:* de reditu, nõ postremo in fine Mundi loquitur: sed de reditu, quo cũ Apostolis & reliquis piis erat permansurus in hoc seculo vsque in finem, de quo apud Matth. Quis est autem reditus iste? Reditus per suum Spiritum: de quo anteà loquutus est, dicens: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis: vt maneat vobiscum in æternum.* Per hunc Spiritum, qui est nõ solùm Patris, sed etiam Christi, vt Rom.8. liquet, Christus è cœlo redit ad suos, cum illis habitat, & apud illos manet. Hæc autem res, testimonium est apertum Deitatis Christi. Nam hoc est proprium Dei, per suum Spiritum in nobis omnibus habitare, & efficere, vt in ipso etiam nos simus. *Per hoc scimus* (inquit Iohan.) *nos in ipso* (Deo) *manere, & ipsum in nobis, Quia de Spiritu suo dedit nobis.*

XVII. Vers. 19. *Adhuc paululum, & mundus me non amplius conspiciet. Vos autem conspicietis me, quia ego viuo, & vos viuetis.* Nona consolatio ducta à sua resurrectione, quã breui futuram esse docet: & tum se iterum visum iri ab Apostolis. *Adhuc paululum.* Paulò post enim erat moriturus: & mox intra triduum resurrecturus. Ergò, *paululũ adhuc,* scilicet, sum in Mundo. *Et mundus* (id est, homines Mundi huius) *non amplius conspiciet me.* Nam post mortem, Christus non amplius fuit visus ab Impiis, sed tantùm à Piis. Postquam enim resurrexisset, apparuit tantùm Discipulis & sanctis mulieribus: vt Acta, & Paulus testantur. Act. 1. 2. 1. Cor. 15.5. Ideò subdit: *vos autem conspicietis me;* nẽpe in hac etiã carne, oculis corporis. Ratio: *Quia ego viuo:* id est, quia certò reuiuiscam, seu resurgam viuus: non ampliùs moriturus, vt hanc resurrectionis suæ certitudinem exprimat, vtitur verbo præsenti, *Viuo. Et vos viuetis:* id est, non moriemini ante meam resurrectionem. Ergo poteritis me viuentem, vos viui conspicere: Imò certo conspicietis. Ergò ne turbetur cor vestrum, ob meam mortem; quia resurgam. Sed hinc etiam duci argumentum potest pro Christi Deitate, nempe ab ipsius resurrectione. Seipsum enim excitauit à mortuis, vt etiam prædixerat. *Soluite templum hoc, & trib diebus erigam illud.* Io.2.19. Hoc autem est proprium Dei, mortuos ad vitam reuocare.

XVIII. Vers. 20. Sequitur; *In illo die vos cognoscetis, me esse in Patre meo, & vos in me, & me in vobis.* Hæc consolatio est decima, ducta à cognitione, qua post Christi mortem & resurrectionem, acceptúmque Spiritum sanctum, pleniùs erant, quam vnquam anteà cognituri Apostoli, tum ipsam Christi cum Patre vnionem, hoc est, Christum verum esse Deum: tum ipsorum totiúsque Ecclesiæ cum Christo *vnionem. In illo die,* inquit. Hoc nomine significatur totum illud tempus, quod à die Pentecostes post acceptum Spiritum sanctum, vsque ad finem Mundi, quasi dies vnus continuatur. *In illo die:* Posteaquam scilicet resurrexero, atque in cœlos ascendero, Spiritumque paracletum vobis impetrauero, & ego ad vos per hunc meum Spiritum rediero: in toto illo & à toto tempore, seu per illud tempus, *Cognoscetis:* nempe clariùs & pleniùs, quam nunc. Quid cognoscetis? Duas res magni momenti. Primùm quidem, *me esse in Patre:* subaudi, & Patrem in me vt suprà: hoc est, me & Patrem vnum esse τῇ φύσει, eóque cognoscetis perfectam huius meæ naturæ humanæ, cum Deitate vnionẽ: ita vt sint vnũ, persona. Deinde cognoscetis, *vos esse in me & me in vobis:* hoc est, perfectam etiam vnionem, quæ est inter me & vos: ita vt simus vnum corpus. Hanc vnionem, Apostoli etiam ante resurrectionem Christi, vtcunque, hoc est, ex parte nouerant, sed pleniùs & perfectiùs tum demum; quum vberiorem etiam Spiritus sancti gratiam, à Christo iam ad Patris dextram sedente, acceperunt. Tum enim reipsa experti sunt qualis & quanta sit illa sacra vnio, quæ est primùm, inter Deum & Mediatorem: & deinde inter Mediatorem & nos, tanta nimirum, vt primò, in ipso Christo omnis plenitudo Deitatis inhabitet corporaliter, Coloss. 2.9. eóque non tantùm sit homo, Deo charissimus: sed vnus cum Patre Deus. Hanc vnionem agnouerunt etiam ab effectu, quia viderunt Spiritum sanctum à Christo iuxta eius promissionem, in se missum & effusum, vt Petrus docet, Act. 2. 16. Inde enim senserunt, Fontem omnium bonorum, & vitæ, esse in eo homine Christo Iesu: ac proinde & plenitudinem Deitatis: eóque eum, verum esse Deum. Secundò agnouerunt etiam & experti sunt, tantam esse inter se omnesque Fideles, & inter Christum vnionem: vt sint cum ipso vnum corpus, cuius ille sit caput, & nos membra. Proinde ait: *Et vos in me:* (sicut membra sunt in capite, quatenus ab illo pendent, & ei sunt coniuncta.) *Et me in vobis* (sicut caput in membris est, quatenus omnia sibi vnita conseruat, & viuificat) *esse cognoscetis.* Sunt igitur Christus & Ecclesia vnum, ita vt etiam nomine Christi, appelletur nonnunquam Ecclesia ipsa, 1. Cor. 12.12. Hanc vnionem inde senserunt Apostoli: quia recepto Spiritu à Christo, senserunt se multo viuidiùs, quàm vnquam viuificari, sicut etiam, membra corporis, si cognitione prædita essent, quò magis sentirent se à capite augeri; eo magis etiam agnoscerent experientia, quanta sit vnio inter se, & inter caput, se nimirum esse in capite, & caput in ipsis: caput quidem in se tanquam auctorem vitæ: Se vero in capite; tanquam participantia vitæ. Fuit autem hæc cognitio & fidei experientia, magnæ consolationi Apostolis. Hinc verò colligimus: Primùm, non posse verè & certè agnosci, quanta sit vnio inter Patrem & Filiũ: inter Deitatem & humanam Christi naturam: nempe, hunc esse non hominem solùm, sed etiam verum æternumque Deum: nisi ab iis, qui Spiritu sãcto largiter donati sunt: sicut ad Corinth. docet Apostolus, dicens: *Nemo potest dicere* (id est, verè & ex vera cognitione) *Dominum Iesum,* (id est, Iesum esse Dominum & Deum) *nisi in Spiritu Sancto,* 1. Cor. 12.3. Ac proinde: qui nondum agnoscunt, Christum verum esse Deum, hos apertum dare testimonium, se donatos nondum esse Spiritu sancto. Secundò idem colligimus de cognitione, qua cognoscimus quanta sit vnio inter Christum & nos: eam nimirum sine Spiritu sancto haberi non posse. Tanta enim est hęc vnio, vt ea sentiri & agnosci non possit, nisi ab iis, qui Spiritu & vita Christi donati sunt.

XIX. Nunc, an ex hoc loco confirmari possit diuina Christi natura, necne possit, videndum est. Ariani abutuntur hoc loco, ad probandum, Christum esse Deum participatione tantùm, & per gratiam, non autem natura. Quia eo modo (inquiunt) Christus est in Patre, quo nos in Christo, & Chri-

Christus in nobis, vt videntur verba sonare. Atqui in nobis non est Christus, neque nos in Christo, nisi per gratiam Spiritus sancti, & participatione diuinæ naturæ, vt Petrus loquitur 2. Pet. 1. 4. Ergò, Maior est falsa. Verùm quidem est, Christum esse in Patre, & nos in Christo, sed modus non exprimitur hîc vnus & idem esse, imò alibi apertè ostenditur esse diuersus. Quomodo Christus, quà Λόγος, & æternus Filius sit in suo Patre, docuit Christus sæpe, nempe τῇ οὐσίᾳ: quomodo autem idem, quà homo, sit in Patre, hoc est, in Deo, & Deus in ipso, docet Apostolus Coloss. 2. 9. vt suprà est explicatum à nobis. Quomodo nos in Christo, & Christus in nobis, docet partim Petrus dicens: Nos esse participes diuinæ naturæ. 2. Petr. 1. 4. partim Christus hîc: nempe per suum Spiritum. Retorquemus igitur argumentum.

Christus homo non est eo modo in Patre, nec Pater in Christo, sicut Christus est in nobis & nos in Christo,

Sumus autem nos in Christo, & Christus in nobis per gratiam, pérque illius Spiritum, non autem οὐσιωδῶς, sicut Θεὸς in Christo.

Non est igitur Christus in Deo per gratiam. Notanda igitur sunt hæc verba, Christum esse in Patre, bifariam posse intelligi, & ita duas etiam hæreses iis verbis refutari. Prima interpretatio, Nomen Christi potest accipi pro persona Filij seu pro Λόγῳ ipso, & nomen Patris pro persona Patris; vt sit sensus, personam Filij esse in persona Patris, & personam Patris in persona Filij. Atqui hoc intelligi non ita debet aut potest, quasi persona Filij sit persona Patris, hæc enim fuit hæresis Sabellij. Imò si persona Filij est in persona Patris, non esset vna tantùm persona, contra Sabellium, sed duæ, verùm inter se confusę. Ergò neque quasi sint inter se confusæ, ita vt vna non distinguatur ab altera. Constat enim illas ita esse inter se distinctas, vt persona Filij sumserit carnem, non autem persona Patris. Tertius ergò superest modus, nempe τῇ οὐσίᾳ seu vnione essentiali. atque hæc necessariò consequitur, si Filius est in Patre, & Pater in Filio, diuisi ergò non sunt. Quid verò hinc efficitur? Contra Tritheitas, non esse duos, aut tres Deos, sed vnum essentia Deum. Secunda interpretatio, est, si accipiatur nomen Patris essentialiter pro Deo, seu pro ipsa deitate, essentiáve diuina. Et nomen Christi, pro homine illo, in quo est Deus: vt sit sensus, ita hominem Christum esse in Deo, & Deum in hoc homine, vnione hypostatica vnitum, vt iis duabus naturis, vnica constet persona: quæ Deus sit & homo. Tum locus ipse facit contra Arianos & Seruetianos.

XX. V. 21. Sequitur: *Qui tenet præcepta mea, & seruat ea, is ille est, qui diligit me, qui autē diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & conspicuum ei exhibebo meipsum.* Duo hîc habemus: Primùm, notam, qua discernuntur illi, qui verè amant Christum, ab illis, qui amorem simulant, sed non verè amant. Nota est, obseruatio mandatorum Christi, hoc est, conformatio vitæ ad regulam verbi Dei. *Qui habet præcepta mea*, id est, qui rectè in mea doctrina est institutus, & eā firmiter retinet: (Sed hoc non sufficit: ideò subdit) *Et seruat ea* (præcepta, hoc est, Et vitam, ad huius doctrinæ regulā format) *is est, qui diligit me*: id est, is dat certum viuumq; testimonium, se vero me complecti amore. Ergò non ex multa scientia, & cognitione Scripturarum agnoscuntur Christiani, sed ex vita ad normam Euangelij composita. Hoc suprà dixit etiam vers. 15. nunc idem repetit: quia in hoc summa est pietas posita. Quomodo igitur homines sceleratæ vitæ, & impiè viuentes, agnosci à nobis debent pro discipulis Christi? Sequitur alterum, nempe vndecima consolatio ducta à triplici promissione, iis, qui Christum verè diligunt, facta. Omnes autem istæ promissiones, intelliguntur de augmēto, nō de initio dilectionis & cognitionis. Prima, *diligetur à Patre meo*, id est, magis ac magis diligetur, seu dilectionis paternę effecta in se sentiet. Secūda: *Et ego diligam eum*, eodem sensu. Quod ergò non sentiamus effecta amoris Patris & Christi, in causa est, quòd nō amamus Christū. Tertia, *& manifestabo ei meipsum*: nēpe in dies clariùs & illustriùs. Atque hæc cognitio, est vnum ex præcipuis amoris Christi erga nos testimoniis. Clarior ergò & certior Christi cognitio, & profectus in cognitione Scripturarum & Euangelij, merces est, quæ rependitur sincero amori erga Christum, & studio vitam nostram indies magis ac magis conformandi ad normā legis diuinæ. Quare si non proficiamus in hac cognitione, sed potiùs declinemus à veritate, non accusemus Christum, sed nos qui non seruamus eius pręcepta. Hinc etiam colligimus, Christi cognitionem non esse ab hominibus expectandam, sed à Christo ipso. Nam nisi Christus seipsum manifestet, vana sunt omnia nostra studia. Subest aūt tacita adhortatio, ad studium veræ dilectionis, & sanctæ vitæ, si velimus has consequi promissiones. Hinc verò colligimus, Christum esse Deum, dum præcepta Dei vocat sua. Docet enim se illum esse, qui legem dedit in monte Sina. Nam de præceptis Dei eum loqui, dubium non est. Hæc enim illa sunt, quæ nobis seruanda sunt. Item, Si Christus in cœlo existens corpore, ille ipse tamen est, qui se omnibus Electis, & se amantib. manifestat, amplioréque sui cognitione donat, consequitur eum Deum esse, tum quia se manifestat per Spiritus sancti communicationem, (hunc autē communicare solius Dei est) tum quia vbique est, vbicunque sui amantes sunt. Hoc autem solius etiam Dei est.

XXI. Ver. 22. *Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes, Domine, quid est, cur te nobis conspicuū sis exhibiturus, & non Mundo?* Quæstionem hāc proponit occasione inde accepta, quia dixerat Christus, se manifestandum iis, qui se ament, hoc est, non omnibus, sed sui tantùm amatoribus & cultoribus. Interrogat igitur Iudas, quid in causa sit, cur non omnib. se manifestet? Respōdit igitur Iesus, & dixit ei: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manebimus.* Duplex huius rei est causa. Prima ac principalis, est beneplacitum Dei, quia pro sua misericordia gratis alios donat sui cognitione, alios pro suo iusto iudicio in tenebris relinquit ignorantiæ, in quibus nati sunt. Hāc Christus adfert apud Matth. *Abscondisti hæc à sapientib. & intelligētib. & detexisti ea infantibus: Etiā Pater, quia ita placuit tibi.* Mat. 11. 25. 26. Altera propinqua est, & secundaria, hæc est, dilectio erga Christū, & studium pietatis. Qui. n. tales sunt, æquū est, vt quò plures faciunt progressus in studio veræ pietatis & sanctæ vitæ, isti eò etiam maiori indies cognitione Christi donentur: iuxta regulam, *Habenti dabitur.* Matt. 13. 12. Coronat enim Deus sua dona, ait Augustin⁹. Ideò inquit: *Si quis diligit me.* Primā causam tacet Christus in præsentia: & alterā explicat, eámq; à contrario illustrat. Nam propositum illi erat, Apostolos ad studium veræ pietatis, dilectionis, sanctæ vitę, animare & extimulare; promittens fore, vt hac ratione maiores etiā facerent progressus in sui cognitione: *Si quis*, inquit, *diligit me, sermones meos seruabit &c.* Principiò igitur ex dilectione, sequitur obseruatio mandatorum Dei. Deinde consequitur hanc agnitio beneuolentiæ Dei, id est, gratiæ, & donorum eius. Dicitur enim hic Deus nos (magis ac magis) diligere, non ab augmento affectus sui, sed ab augmento effectus, hoc est, gratiæ & donorum, in nobis suorum: quum scilicet suam æternam erga nos beneuolentiam, plurib. gratiæ suæ donis obsignat indies. Hinc sequitur amplior pręsentiæ Dei in nobis sensus. Dicitur enim Deus venire ad nos: quum nobis rationibus, & beneficiis, se nobis patefacit, & efficit, vt eius præsentiam in nobis ab effectis viuidiùs sentiamus. Iis denique omnib. addit donum perseuerantiæ. Se. n. apud veros fideles & sanctos permansurum pollicetur. Ergò quò quis magis sentit se indies augeri donis Spiritus sancti, dilectione Christi, amore iustitiæ, odio peccati, studio proficiendi in pietate, eò efficaciùs sentiet Dei in se præsentiā. Et quò magis hanc senserit, eò etiam fiet certior de dono perseuerantiæ in finem vsque. Adferunt autem hæc piis hominibus magnam & incredibilem consolationem. Quare non immeritò Christus hanc aliis etiam adiecit. Est autem hic etiam argumentum, quo confirmatur ita Christum esse in Patre, vt sint vnus atque idem Deus. Nam ita se coniungit cum Patre, vt ostendat Patrem, id est, Patris personam, nullibi esse vbi non sit & ipse Filius: ac pręsertim in cordibus fidelium. Ideo ait: *Ad eum veniemus* (Pater & ego) *& mansionem apud eum faciemus.* His igitur verbis confirmat, se verū esse Deū. Est enim solius Dei, habitare in cordibus Fidelium, & mansionem apud illos facere, tanquam in templo suo, sicut per Prophetas promiserat, & Apostolus citat ad Cor. *Habitabo in eis & inambulabo in eis.* Christus autē se coniungit cum Patre in hac habitatione. Est igitur ita Dei Patris Filius, vt eiusdē sit Deitatis cum Patre. Vers. 24. *Qui nō diligit me, sermones meos non seruat, & sermo quē auditis nō est meus, sed ei⁹ qui misit me Patris.* Promissionis superioris illustratio, & cōfirmatio, à contrario. Primò qui non diligit, non seruat sermones. Quomodo igitur iactant opera, qui Christum non diligunt? Quomodo verò diligunt, qui fide in eum carent, & vera eius cognitione? Secūdò, Pater non diliget eū (sunt enim antithera subintelligenda) sed oderit. Tertiò, nō veniet ad eum Pater, nec Filius. Postremò, nō facient mansionem apud illum, sed relinquent possidendum Diabolo. *Et sermo quē audistis*, (id est, tota Euāgelij doctrina) *nō est meus*, (id est, nō est à me) *sed eius qui misit me, Patris.* Idē suprà: *Verba quæ ego loquor, non loquor à meipso: sed Pater in me manēs, ipse facit opera.* Item *Doctrina mea non est mea.* Io. 7. 16. quatenus scilicet homo. Non quatenus Deus est, & Dei sapientia, is fons est omnis cœlestis doctrinæ. Nam Petrus ait, etiam

Prophetas loquutos fuisse ex Spiritu Christi, qui in ipsis erat. 1. Pet. 1. 11. Dixerat autem Christus, se & Patrem vnum esse: id est, se Deum cum Patre vnum esse. Si igitur Christus non loquebatur à seipso, sed ex Patre, & si sermo ipsius, sermo erat Patris: efficitur doctrinam de Christi deitate, diuinam esse, non humanam, aut Antichristi.

XXIII. Ver. 25. *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Cõsolator autem ille* (id est) *Spiritus S. quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis.* Decimatertia consolatio inde sumpta, quòd post ipsius discessum accepturi erant Spiritum S. qui doctrinam Christi, vnicam veræ consolationis materiam, hactenus quidem ab Apostolis audiiam, sed nondum benè intellectam, explicando & suggerendo, miris eos affecturus erat consolationib. Est enim horum verborum hic sensus. Hæc quidem omnia, tam quæ in præsentia, quàm quæ aliàs docui, vobis loquutus sum, dum apud vos fui, vestræ salutis & consolationis gratia. Verùm licet consolationem, quæ in mea inest doctrina, non ita iam, vt deberetis, percipere possitis, despõdendus tamen vobis nõ est animus. Nam post meum discessum, percipietis Spiritum sanctum, illum paraclerum, qui à Patre in meo nomine mittetur. Is Spiritus omnia quæ ex me audiuistis, sed non bene intellexistis, perspicuè explicando, & si quid exciderit, in memoriam reuocando, maximis vos afficiet consolationibus. Ergò ne turbetur cor vestrum propter meum discessum, sed potiùs gaudete. Hinc verò confirmatur, non solùm Trinitas personarum, Patris mittentis: Filij, in cuius nomine Pater mittit, & Spiritus S. missi: verùm etiam ipsa Christi Deitas. Quod enim hîc ait: Patrem missurum Spiritum S. infra dicet, se missurum. Io. 16. 7. Docet igitur, se ita vnum esse cum Patre, vt quidquid agit Pater, agat & Filius, sicut suprà etiam dixerat, Ioh. 5. 17. 19. Ac proinde, se verum & vnum esse cum Patre Deum. Item, quum Christus ait: Patrem missurum Spiritum sanctum, in suo, hoc est, ipsius Christi nomine, docet ideò Patrem missurum Spiritum hunc, quia Christus illum simpliciter & gratis promiserat Apostolis. Quomodo autem potuisset Spiritum sanctum ita promittere: nisi tanquam Deus, ius habuisset illum promittendi, deinde etiam mittendi? Impetrauit quidem etiam eum à Patre, tanquam mediator, vt supra v. 16. sed promisit etiam, & misit ipse vt Deus.

XXIV. Ver. 27. *Pacem relinquo vobis: pacem illam meam do vobis non prout mundus dat, ego do vobis. Ne turbetur cor vestrum, neque formidet.* Decimaquarta consolatio: ex eo quod pacẽ, felicẽ rerũ omniũ successum, verámq. felicitatẽ Christus discipulis suis nõ tã precatur quàm reipsa largitur. Est enim horũ verborũ hic sẽsus. Solet Mũdus, hoc est, homines in Mũdo, quũ aut simul cõueniũt, aut à se inuicẽ discedũt, vale sibi inuicẽ dicere, & prosperum rerũ successum mutuò precari, idque in beneuolentiæ testimonium, & verò etiam sæpe numerò frigidæ tantùm ceremoniæ causa. Sed eam pacem reipsa non præstant, nec præstare possunt; quia homines sunt: & pacem ipsumq; rerum successum, in sua non habent potestate. At verò ego, pacem, eamque veram, veram nimirum felicitatem, non nudis precor verbis, sed reipsa vobis do, & penes vos relinquo: nimirum, vt perpetuò sitis felices: & omnia prosperè vobis succedant. Ergo ne turbetur cor vestrum, neque formidet. En quomodo propositionem repetit: & post allatas omnes fermè rationes, cur non debeant turbari: ex propositione facit conclusionẽ. Idcircò hinc liquet, omnia quæ suprà sunt dicta, ad aliam propositionem, quæ est in versu primo, spectare.

Duo autem discrimina inter Valete Christi, & Mundi notanda sunt. Primum: Christus aliam precatur pacem quàm Mundus, ideò ait, *Pacem meam.* Alterũ: alio modo dat, quàm Mũdus, ideò ait, *Non quomodo Mundus dat, Ego do.* Hinc verò maximè confirmatur ipsa Deitas Christi. Est quidem hominum & Mundi, pacem & bonum rerum successum, ipsamque felicitatem, aliis precari & optare: sed solius Dei est, illam pro suo arbitrio reipsa præstare atque largiri; & maximè perpetuam, ita vt tolli non possit. Præstitit autem hoc Christus suis Apostolis, abeundo ad Patrem per mortem, quemadmodum hîc promittit, & res ipsa testatur. Annon etiam nunc idem præstat omnib. suis verè fidelibus, & præstiturus est in finem vsque Mundi? Quis donat pacem conscientiæ? Christus. Quis efficit, vt omnia nobis cooperentur in bonum? Christus. Quis inter medios seruat hostes? Christus. Quis denique in æternam illam cœlestémque pacẽ introducit? Christus. Omnibus enim suis verè Discipulis ait: *Pacem relinquo vobis.* Est igitur talis Dei Filius Christus, vt verus sit Deus. Confirmatur indè, quia se eximit è Mũdo: & ex omniũ electorũ hominũ numero. Cõsiderãda igiť sũt singula verba. Primùm: *Ego*, qui scilicet non sum de Mundo. Deinde, *Pacem*, scilicet, veram. Tertiò, *Do*, non tantùm vobis precor. Quartum, *Vobis*, quia non omnibus, sed tantùm electis. Quintum, *Relinquo*, scilicet, in æternum.

XXV. Vers. 28. *Audiuistis me dixisse vobis Abeo, & redibo ad vos: Si diligeretis me, gauderetis vtique quod dixerim, Proficiscor ad Patrem. Nam Pater maior me est.* Repetit præcipuã rationem: cur non debeant turbari corda Apostolorum propter suum ab illis discessum, dicens, *Audiuistis me dixisse, Abeo & redibo ad vos.* Ergò ne turbetur cor vestrum. Amplificat conclusionem, & eam confirmat, dicens: *Si diligeretis me, gauderetis vtique.* Sensus est: Non solùm non debetis turbari, quòd discedam ad Patrem, sed etiam lætari. Ratio sumitur à natura veræ dilectionis. Qui enim verè diligit, is certè pluris facit eius quem diligit, felicitatem, quàm suum ipsius commodum: & magis illius, quàm suo sibi gaudet bono. Si hîc maneam, commodi quidem aliquid ex mea percipietis vos præsentia: si verò ad Patrem ascendam, magna mihi homini accedet felicitas. Nam quum Pater meus maior me sit, tum fiam quodammodo ei æqualis, quia sedebo ad eius dextram. Ergò si diligeretis me (nimirum vera & sincera dilectione) gauderetis vtique isto meo discessu: tantum abest, vt possent vestra turbari corda. Quasi dicat: Amatis quidem, sed amor vester carnalis est, & multum habet *φιλαυτίας*. Imò etiam Apostolis vtilior erat Christi discessus, quàm carnalis præsentia: ideò debuissent etiam sua ipsorum causa lætari, quòd Christus ascenderet ad Patrem. Nam ex Christi capitis glorificatione, totius Ecclesiæ, ceu corporis pendebat salus & beatitudo. Verùm hanc rationem hîc non adfert: quia suprà fusè eam explicauit, dum ostendit multis, quem fructum illis esset allaturus suus discessus. Quare meritò eam omittit. Est igitur perindè ac si dicat: Hactenus ostendi, quàm vobis vtilis futurus sit meus ad Patrem discessus: Ergò non debent corda vestra turbari: sed potiùs vobis debetis gaudere. Nunc addo & dico, mea etiam causa vos debere hunc mihi discessum gratulari: id quod certè facere tis, si me sincerè diligeretis. Ratio est, quia Pater maior, id est, potentior & gloriosior est in suo illo regno, quàm Ego sim hîc in terris. Et si ascendero eò, fiam ei quadam ratione æqualis, sedebo ad dextram eius. Ergò mea etiam causa gaudendum vobis est, quòd ad Patrem ascendam. Hæc simplex est huius loci interpretatio. Loquitur enim Christus de se quâ homo est, & in forma serui. Et sic ferè Patres locum hunc interpretati sunt de Christo, quâ homo est.

Nunc obiter varias huius loci interpretationes, *Pater maior me est*, audiamus. Arius de Christo quâ Deus est interpretatur: nempe, Patrem esse maiorem Filio: quia Pater Deus est increatus: Filius verò, Deus creatus. Impia & blasphema est interpretatio. Basilius de Christo, non quâ Deus, sed quâ Filius: nec simpliciter maior, sed tantùm ratione originis & principij: quia scilicet Filius ex Patre, Pater à nullo. Neque verò hęc quidquam detrahit de maiestate & Deitate Christi: idcircò reiici non potest. Latini omnes & aliqui Græci, de Christo quâ homo, vt exposuimus. Legatur Augustinus de Trinitate lib. 1. cap. 7. & in Iohan. Hac ratione etiam est seipso minor, quia quâ homo, minor est seipso quâ *λόγος* & Deus est.

Quidam de Christo, quâ Mediator est: ratione scilicet officij, interpretantur. Est enim esse infra Patrem, & supra homines, medium inter vtrosque Patre minorem, id est, inferiorem. His autem verbis Christum voluisse ostendere: quorsum descendisset ad nos, nempe vt nos ad Patrem eueheret in cœlum. Ergò gaudendum fuisse Apostolis, quòd ascenderet ad Patrem: quia eò penetrabat non tam sua, quàm ipsorum causa.

XXVI. Ver. 29. *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt quum factum fuerit, credatis.* Sensus est: Hæc ideò antequã fiãt, vobis prędico, vt postquam videritis completa fuisse, credatis nempe toti meæ doctrinæ, atque illud in primis, quod iam vobis inculco: Me esse in Patre, & Patrem in me. Me scilicet esse illum, quem centies dixi, verum videlicet Dei Filiũ Deumque ipsum. Docet igitur ex complemento vaticiniorum Christi, confirmandam esse totam Christi doctrinam: ac proinde etiam illam, quæ de ipsius est Deitate: *Nõ loquar amplius multa vobiscum: venit. n. Princeps Mundi huius, & in me non habet quidquam:* Quũ ait, *non multa*, significat se breui moriturum, eóque non multa verba ampliùs ad illos facturum. *Venit enim.* Superioris dicti ratio est: Quia Princeps mundi, id est, Diabolus per suos satellites, opus suum, nempe me occidendi, iamiam perficiet. *Et* (pro Sed) *in me nõ habet quicquam:* scilicet iuris & potestatis. Quasi diceret, Perficiet quidem suum opus in me per suos satellites: verùm hoc efficiet, nõ quòd vllũ in me habeat ius. Huius rei ratio, duplex est. Prior: ius enim tantùm habet in homines, qui propter peccatum facti sunt obnoxij morti. At Christus conceptus & natus est sine peccato. Posterior: ius non habet

in poten-

in potentiorem se. Christus potentior est Diabolo. Luc.11.21.22.Ideò Christus habet ius in Satanam:non contrà. Quare his verbis significat: se sponte & volentem moriturum: non autem inuitum & coactum. Cur verò sponte? *Sed* (hæc fiunt) *vt cognoscat Mundus me diligere Patrem: prout autem mandauit mihi Pater, ita facio.* Causa finalis & suprema: Patris scilicet decretum. Christus igitur Filius, qui diligebat Patrem, volũtati eius obtemperauit. Est etiam hæc non vulgaris consolatio. Sensus est: Etsi moriar: non tamen coactus & inuitus; sed volens moriar: idq; non sine causa, sed vt Patri obtemperem, qui sic statuit, nempe propter vestram salutem. Non est igitur cur turbentur corda vestra.

## CAPVT VIII.

### Argumenta pro æterna Filij ex Patre natiuitate ex Io.15.& eorum explicatio.

*Testim.13.Christi.ex Io.15.v.1. & sequent.*

E*Go sum vitis illa vera, & Pater meus Agricola est.* In hoc etiã capite sæpe Christus nominat Deũ, suũ Patrẽ: cóque se eius indicat esse Filiũ. Qualem autem se Dei Filiũ vocet, liquet cùm ex toto cõtextu, tùm præsertim ex ver.19. vsque ad finem. Nã continet hoc caput tres præcipuas adhortationes; & vnam explicationem; adiecta cõsolatione: è quibus singulis, si quis eas diligenter examinet, liquidò apparebit, Christum indicasse, non se talem esse Dei Filium quales nos: sed naturalem, eóque naturæ increatæ & spiritualis ac planè diuinæ. Ac primum hortatur Apostolos, ceu caput mẽbra; ad vnionem secum, tanquam cùm capite retinendã, ac cõseruandam. Nempe per fidem; quæ fides, obseruatione mandatorum Dei exprimitur. Quàm hæc sit vtilis & necessaria: docet simili vitis, & palmitum ipsius vitis. Ex quo simili multa colligit argumenta, quibus ad perseuerandũ in hac secum vnione, Discipulos extimulat: idque à ver.1. vsq; ad 12. Nunc si quis hanc nostri cum Christo vnionem, quæ instar est palmitum, cum vite ipsa, diligenter perpendat; idq; cum omnibus rationibus, quibus Christus ostendit, quàm nobis ea sit non tam vtilis, quàm necessaria: fieri nequit, quin videat oculis Spiritus, Christum minimè purum esse creaturam; ac multò minùs purum esse hominem, qui recẽs sit natus ex Maria.

II. Primò, Christus talis est vitis vera: hoc est, æterna & spiritualis, in quam omnes Electi à condito orbe insiti fuerunt & sunt. Quomodo insitio hæc & vnio vera atque intima fieri iam inde à condito orbe potuit, aut nunc potest; nisi Christus Spiritus sit immensus, infinitus, æternus; qui omnes in se electos complecti, continere, fouere, viuificare, vt vitis palmites, possit? Deinde non solùm omnes Electi in illum sunt insiti, inque illo manent: sed ipse etiam in singulis manet: *Manete in me, & ego in vobis.* Quomodo vel homo purus, vel etiam Spiritus creatus, & finitus, vbique esse potest, & in singulorum habitare Electorum animis, atque corporibus? Habitat enim suo Spiritu. Immensus igitur & increatus sit oportet. Omne enim creatum, finitum est. Prætereà, *Sine me* (inquit) *nihil potestis facere.* Est autem hoc Dei proprium: vt sine ipso nihil possimus, & cũ ipso omnia valeamus. *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*: dixit Apostolus. Act.17.28. Insuper: *καθὼς dilexit me Pater: & ego (ὑμᾶς) dilexi vos.* Annon docet, Patrem Deũ non amasse, vel amare nos nisi in filio priùs à se amato, ac proinde Filium hunc & fuisse ante omnes, & vnigenitum esse Patris? Quum etiam ait: Se amare nos, καθὼς & ipse à Patre fuit dilectus: amore scilicet purissimo, infinito, immẽso, æterno. Annõ apertè docet, se perinde Deũ esse atque Pater est Deus? neque enim talis amor in eum qui non sit æternus, immensus, purissimus, sanctissimus, cadere potest. Imò quum ait; *Manete in illa mea charitate.* & non addit etiam charitatem Patris: docet eandem esse Patris & Filij dilectionem: (nã in vtriusque dilectione manendum est:) Ac proinde docet, sicut est eadem vtriusque dilectio; ita etiam eandem esse vtriusque naturam. Hæc tantùm obseruasse, in prima Christi adhortatione, sufficiat.

III. In secunda, hæc. Primò præceptum de diligendis nobis mutuò, suum esse dicit. Fuerat autem hoc traditum in lege à Deo. Ait: *Si feceritis, quæ mando vobis, eritis mei amici.* Quid si fecerint quæ Dei tantùm? Si non tũc amici: tu Christe, non es amicus Dei. Hoc est impium. Docet igitur se nil aliud præcipere, quàm quæ Deus. Cur igitur non ait: *Si feceritis quæ præcepit Deus Pater?* vt doceret se vnum & eundem esse cum Patre Deum. Neque enim præcepta Dei ideò præcepta vocat sua, quia minister Legis est, sicut Moses. Nunquam enim minister legis Christus vocatur: sed Euangelij. Verùm ideò sua vocat: vt significet se auctorem esse legis. *Elegi vos*: scilicet ad prædicandum Euangeliũ. Auctorem se prædicat & conseruatorem ministerij Euangelij; imò & auctorem fructus Euangelij. Deus igitur est. Deinde hortatur ad mutuam inter se charitatem colendã: idque potissimùm suo facit exemplo, quod amplificat, Ver.12. vsq; ad 18. Atq; hæc est altera vnio conseruanda: nempe mutua inter nos, per Charitatem. Est igitur secunda hortatio, ad charitatem mutuam: Primùm à præcepto Christi: vt eo modo diligamus alij alios, quo ille dilexit nos. Deinde ab eius exemplo, *Posuit animam suam pro nobis.* 1.Ioh.3.16. Tertiò à natura veræ amicitiæ, seu ab officio amicorum. Quartò, ab æqualitate: quæ colligitur à beneficiis multis in ipsos Apostolos collatis: quorum hoc est primum; quòd reuelauit omnia, quæ ipse à Patre acceperat: id est totam cœlestem doctrinã. Secundum, quòd eos elegerit ad officium Apostolatus gratis. Tertium, quòd benedixerit eis, & eorum ministerio: nempè, vt fructum adferrent: id est, lucrarentur homines: & cõstituerent Ecclesiam vbique terrarum. Quartum, quòd velit etiam vt fructus eorum maneat: id est, Ecclesia in Mundo per eorum prædicationem collecta, vsque ad finem. Quintum, quòd constituerit etiam, vt in omnibus exaudiantur à Patre: tum pro illorum salute: tum pro successu prospero sui Euangelij. Conclusio: Cùm igitur tot tantáque in vos contulerim, & confertè decreuerim beneficia: & cùm videatis me vos & omnes homines ita diligere, vt illorum causa constituerim vos Apostolos; Annon æquum est, vt vos meo præcepto, de diligendis vobis mutuò, obtemperetis? & nihil negligatis pro fratrum salute? Ergò hæc mando vobis.

IV. Hortatur tertio loco ad patientiam. Etenim præmonet illos de odio Mundi: déque persecutionibus, quas propter ipsius nomen illi à Mundo perpessuri erant: & ad hoc odium atque ad has persequutiones forti animo gerendas, variis hortatur rationibus, sed cumprimis suo exemplo, & hoc à v.18. vsq. ad 21. *Si mundus vos odit, scitis me prius quàm vos illis odio habitum fuisse.* Primum argumentum, quo persuadet, vt odium Mundi & persequutiones ferant forti animo, sumit à suo exemplo. Sensus est: Vos scitis, quanto odio Mũdus me sit prosequutus, & prosequatur: Me, inquã, Dei Filium: Me, qui tot beneficia in illum contuli: & tamẽ æquo animo tuli & fero. Ergo si vos quoq; meos Discipulos oderit eadem de causa: nõ debet vobis esse mirum, & videri nouum, quũm priùs oderit me: sed debetis meo exemplo odiũ illud forti animo sustinere. *Si de mundo essetis, Mundus quod suum est amaret: quia verò de Mundo non estis sed ego elegi vos ex Mundo; propterea odit vos Mundus.* Secundũ argumentum: à causa, cur Mundus solitus sit odisse Discipulos Christi omnes. Causa quidem, cur oderit speciatim Apost. & omnes veros Episcopos dispensatores mysteriorum Dei, est testimonium veritatis: quia scilicet adferunt lucem Euãgelij, quia detegunt scelera Mundi, & eum arguunt. Qui autẽ malè agit, odit lucẽ. Hanc causam adfert Christus. Io.7.7. *Mundus me odit, quia testimonium perhibeo de eo quòd opera eius mala sint.* Et ad Gal.4.16. *Verũ dicẽs vobis, factus sum vobis inimicus.* Veritas enim odiũ parit. Hãc etsi hìc nõ disertè explicauit: eã tamen indicauit suprà. Nã posteaquã dixisset, se illos constituisse Apostolos, vt eãt in Mundũ, vt prędicent: mox subiecit adhortationem hanc ad patientiam, & ad ferẽdum odiũ Mũdi. Quasi diceret: Statim propter testimonium veritatis odio habebit vos Mundus: sed ne miremini. Me.n. priùs odit propter eandem causam. Sed hìc adfert causam communem omnib. Discipulis Christi & piis viris. Ea verò est: quia quum ij anteà essent de mundo: iam ex illo per Christum selecti, non sunt ampliùs de Mundo. Mundus autem solet odisse qui non sunt sui, vel sibi similes: nimirum peregrinos & alienos: multò magis verò eos qui à se defecerunt: id est, rebelles. Argumentum igitur tale est.

Si essetis de mundo, ei similes, & ad Mundum pertinentes: Mundus vos diligeret. Mundus enim, quod suum est, diligit: & solet contrà odisse eos, qui sui non sunt: & præsertim eos, qui cùm anteà illius essent, posteà ex illo selecti, ab eo defecerunt. Atqui vos non estis ex hoc Mundo; imò eratis anteà de Mundo: sed ego indè vos elegi & secreui, ita vt iam maior causa sit Mundo odio habendi vos, quàm si simpliciter & nunquam fuissetis de mundo. iam enim estis eius rebelles. Ergò mirum vobis non sit nec nouum, si vos oderit: neque propterea tristemini: sed potiùs debetis lætari: quia erepti estis ex Mũdi exitio. *Mementote sermonis, quem*

*ego dixi vobis : Non est seruus maior Domino suo : si me persequuti sunt, & vos persequentur : si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Mementote sermonis mei*, nempe de quo suprà cap. 13. & 16. Argumentum est à comparatis. Principiò supponit quæ antè dixerat : *Non est maior seruus Domino suo*. Mat.10.24. Et: *Si igitur ego laui pedes vestros, Dominus & magister : vos quoque debetis alterum pedes lauare*. Io.13.14 Deinde argumentatur: ideò ait, *Mementotis sermonis*. Argumentum tale est:

Si mundus persequatur Dominum, & is tamen æquo fert animo : certè non debet mirum videri seruo, si se quoque persequatur propter Dominum: sed debet exemplo domini ferre æquo animo. Et si mundus non recipit doctrinam Magistri & præceptoris : mirari non debent discipuli, si suam quoque, quam à Magistro acceperunt, nō recipiat. Non est enim maior seruus Domino, nec Discipulus supra Magistrū.

Atqui vos estis famuli, ego Dominus: vos Discipuli, ego Magister.

Ergò si me persequuti sunt : quid mirum si vos quoque persequantur? Et, si doctrinam meam non recepit Mundus, quid mirum si vestram quoque (quam scilicet à me accepistis) non recipiat? Quare non debetis iis offendi: quum exemplum horum omnium habeatis in meipso : sed potiùs exemplo meo, omnia tolerare : & cum patientia pergere in vestro officio. Non sine causa autem cum persecutione Apostolorum, coniunxit doctrinæ contemptum, & impugnationem. Nihil enim magis cruciat pios Doctores, quàm quum vident doctrinam, quam sciunt esse Dei, contemni & impugnari. Hic etiam vnum habemus præcipuum argumentum, quo confirmatur Christi Deitas, ductum ab electione Apostolorum è Mundo; nimirum quum ait : *Quia ego vos elegi ex Mundo : propterea odit vos Mundus*. Mundi nomine intelliguntur omnes homines nati in peccato, impij, filij iræ & in quib. regnat peccatum. Vnde Ioh. *Omne quod est in Mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex Mundo* 1. Io.2.16. Ita omnes homines prima natiuitate de mundo sunt, quia omnes nascimur in peccatis, filij iræ, mancipia peccati. Seligi igitur ex hoc Mundo, est Deo reconciliari: renasci: exui veterē hominem & fieri nouam creaturam: liberari à malitia, à corruptione Mūdi, & à seruitute peccati: & donari natura cœlesti, atque diuina: &, vt inquit Petrus. 2.c.1.4. fieri participem diuinæ naturæ. In summa, est fieri dissimilē Mūdo: ita vt eos Mūdus nō possit nisi odisse, tanquā omnino dissimiles. Hæc autē naturæ mutatio fit per Spiritū sanctū. Io.3.5. Ac proinde opus est soli⁹ Dei. Est enim illius solius eligere homines in tēpore de Mūdo, per Spiritum regenerationis, in nouam creaturam refingendo: cuius etiam fuit eosdem ante Mundi constitutionem, ad hanc nouam natiuitatem, eóque ad cœlestem hæreditatem eligere. Quum igitur Christus dicat, se eum esse, qui Apostolos è Mundo selegerit, nempe per Spiritum suum eos regenerando; ita vt non iam amplius sint de mundo: apertè declarauit, se talem esse Dei Filium, qui vnà cum Patre, ante Mundi constitutionem ipsos Apostolos, & reliquos omnes, ad salutem elegerit. Id quod etiam alibi confirmat dicens: *Ego scio quos elegerim*. Io.13.18. Verus igitur & naturalis est Dei Filius. Hoc verò confirmatur iis etiam quæ sequuntur.

V. Postremò igitur sic ait : *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia non nouerunt eum qui misit me*. Hic duplicem explicat causam. Primum, causam odij Mundi contra Apostolos præcipuam. Deinde, causam odij Mundi contra Christum, & eius doctrinam. Causam odij Mundi aduersus Christi Discipulos, & imprimis aduersus Apostolos & eos qui Christum prædicant, hanc Christus assignat: quòd oderit Mundus Christum, eiusque nomen. *Sed hæc omnia facient vobis* : id est, ideò vos odio habebunt, & persequentur, *propter nomen meum*: Mundo scilicet exosum, hoc est, quia me priùs odit mundus, vt suprà, vers. 18. dixit. Mirum igitur non est, si odit & persequitur eos, qui ad me pertinēt, & quos è mundo elegi, quique me prædicant. Quæ verò est causa, cur Mundus oderit Christum, & eius doctrinam, cùm nil adferat nisi salutem Mundo? *Quia* (inquit) *non nouerūt eum qui me misit*, nempe Deū, meum esse Patrem: & consequenter, me naturalem esse eius Filium, quem ideò misit Pater in Mundum vt saluetur Mundus per eum. Quasi dicat: Si enim cognoscerent, Deum meum esse Patrem, méque eius naturalem Filium; & cuiusnam rei causa me in Mundum miserit, nempe ex amore erga Mundum, & propter salutem Mundi; Io.3.16. non me odissent, eóque nec vos: sed amarent tam vos, quàm me & Patrem meum. Accusat igitur hîc Mundum duplicis ignorantiæ : quarum vna pertinet ad personam Christi: altera ad officium. Prima est, quòd Mundus Christum, quem hominem nouit, non etiam agnoscat esse naturalem Dei Filium. Hanc exprimit quum ait: *Quia non nouerunt eum qui me misit* : nempe esse meum Patrem, & me eius Filium. Non enim hic loquitur de simplici ignorantia Dei, quem alioqui profitebantur Iudæi se nosse: sed ignorabant, & nolebant intelligere Deum esse Patrem Christi specialem & naturalem. Hæc est prima. Altera est, quòd etiam ignorat officium Christi, seu causam finalem illius ad nos aduentus: nempe eum esse missum à Patre, ex amore Patris erga Mundum, vt per eum saluetur Mundus: officium hoc significare voluit hac voce, *Misit*. Ideò nō dixit: *Quia non nouerunt Deum*, scilicet meum esse Patrem: sed maluit circumscribere, dicens: *Eum qui me misit*. Tacitè subindicans causam finalem huius missionis esse salutem Mundi: impulsiuam autem fuisse, amorem Patris erga Mundum: vt explicatur Ioh. 3. 16. *Sic Deus dilexit Mundū*. Ergò hominibus piis, & minimè contentiosis, constat etiam ex hoc loco, Christum hanc adferre causam odij Mundi aduersus se, & Apostolos, quòd Mundus non agnoscat Deum naturalem esse Christi Patrem, qui ita dilexerit Mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, vt omnis quì credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ac proinde Christum vnigenitum esse & naturalem Dei Patris Filium.

VI. Ver.22. *Si non venissem & loquutus essem eis, peccatum non haberent, nunc autem non habent quod prætexant peccatō suo*. Hic quia causam odij Mundi aduersus Christum, & ex consequenti aduersus suos Apostolos, dixerat hanc esse, quòd Mundus non agnosceret Deum esse Christi Patrem, eóque & Christum esse naturalem Dei Filiū, missum à Patre propter Mundi salutem : ne propterea putaret Mundus, se se ideò esse extra omnem culpam, quòd odisset Christum, quia non nouit eum : idcircò nunc tollit hunc ignorantiæ prætextum, ac docet Mundum non ita Christum quis esset ignorasse, vt propter hanc ignorationem excusari possit. Duplicem enim statuit ignorantiam. Vnam simplicem, quum scilicet ignoramus Deum & Christum, quia simpliciter non potuimus eos agnoscere: & hanc vtcunque docet excusabilem esse, vel saltem sanabilem, de qua 1. Tim.1. 1.13. & Act. 3. 17. Alteram malitiosam, qua quum possimus, nolumus tamen agnoscere & intelligere, & in media luce volentes cæcutimus, de qua in Psal.36.3. *Noluit intelligere, vt benè agat* : Et hanc omninò esse inexcusabilem & desperatam. Talem autem fuisse Iudæorum ignorantiam, probat duplici ratione. Prima sumitur à perspicua Christi doctrina. Christus enim disertis verbis prædicauit illis Euangelium, cuius hæc est summa : *Sic Deus dilexit mundum : vt Filium suum vnigenitum dederit: vt, &c*. Io.3.16. hoc est, Primò, Deū suum esse Patrem : se verò vnigenitum eius Filium, æternum & ὁμοούσιον. Deinde, Deum ex amore misisse hunc filium ad tollenda peccata Mundi : vt omnis qui credit, seruetur. Illi autem ad hanc prædicationem claram atque sonoram malitiosè occluserunt aures. Non habent igitur quod prætexant peccato suo. Hanc explicat v. 22. *Si non venissem & loquutus essem eis*.

VII. Ver. consequens 23. per metathesin positus est hîc sed coniungendus est cum fine v. 24. vt mox ostendam. Secunda igitur ratio sumitur ab operibus Christi, apertis suæ deitatis testimoniis. Christus enim non solùm quis esset & quæ summa sit Euangelij, disertè loquutus est, & explicauit : verùm etiam multis factis & miraculis doctrinam hanc obsignauit. Fuerunt enim hæc Christi facta, certissima & splendidissima deitatis ipsius testimonia : quæ luculenter demonstrārunt, in Christo fuisse omnem plenitudinem deitatis corporaliter. Sed Iudæi ad tantam etiam operum diuinorum lucem sponte occluserunt oculos, ne agnoscerent Christum : ac proinde persequuti sunt eum & Patrem eius odisse. Ergò nullam habent de peccato suo excusationem. Hanc rationem explicat v.24. *Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autē viderūt, & oderunt & me, & Patrem meum*. At nonne Moses & Prophetæ multa & maxima ediderunt miracula? vtique. Sed nemo tamen alius fecit talia, qualia Christus, imò ne ipsi quidem Apostoli; de quibus tamen suprà dixit, illos maiora opera, quàm ipse Christus in sua persona fecerit, effecturos: nimirū quia totū Mundum erāt Christo, vt suprà declarū est, subiugaturi. Nam si spectes virtutē & modū quo facta fuerunt: Prophetæ omnia sua ediderunt in nomine Iehouæ, & iuuante Iehoua: & Apostoli in nomine Christi, qui ipse est Iehoua, neque hæc pro suo ipsorum arbitrio: sed quū volebat Dominus. At sua virtute & potestate Christus, idque pro suo arbitrio. Hac de causa ait, neminē aliū talia edidisse, qualia ipse. Meritò itaq; ait: *Si opera non fecissem: peccatum nō haberent* nēpe hoc speciale, quòd nō credūt me naturalem esse Dei Patris filiū: sed potiùs, quia talē me esse dico, oderūt me

tanquam

tanquam blasphemũ. Ratio: quia si talia ego edidissem miracula, quę & alij: non ea fuisset aperta deitatis in me habitantis testimonia. Proinde potuissent merito isti me reijcere & odisse tanquam blasphemũ. *Nunc autem & viderunt & oderunt*: hoc est, Atqui non solùm talia edidi, qualia nemo alius: sed ipsi viderunt. Quid viderunt? Primò, talia à me edi miracula & fieri opera, qualia nemo alius fecit: Ac proinde potuerũt per hæc, tanquam per luculentissimos deitatis ex me relucentis radios, videre & noscere me & Patrem meũ, in me habitantem & operantem: atque ita vtrumque amare. Deinde, viderunt (vtcunque) ex iis miraculis & me, & Patrem in me operantẽ. Non enim penitus ignorarũt, Christũ esse naturalẽ Dei filiũ: vt docẽt ea verba: *Hic est hæres: ergo filius*. Mat. 21. 38. At verò illi, licet hæc viderint: *oderunt tamen, & me, & Patrẽ meũ*, in me scilicet habitãtem & operãtem. Quomodo etiã Patrem: id est, Deũ oderunt: dum te oderunt? Respõdit ver. 23. *Qui enim odit me, odit & Patrẽ meũ*: scilicet in me habitantem. Ergò nullam habent de suo peccato, deque sua ignorantia, qua fit, vt etiam vos propter nomen meum osuri sint, & persequuturi, excusationem. Hæc est Christi ratiocinatio. Ex qua ratiocinatione facile colligimus, qualem se Dei Patris filiũ appellauit Christus. Primo, ex prima ratione: ait n. Io. 15. 22. *Si non venissem* (scilicet per incarnationem è cœlo) *& loquutus eis nõ fuissem* (id est, dixissem eis aperte & fusè, quis sim, & vnde venerim, & cuius rei causa venerim:) *peccatũ nõ haberent*: scilicet hoc speciale incredulitatis, & odij aduersus me. De incredulitate: hãc fuisse primũ illorum peccatum, docet infrà Christus: *Arguet mundũ de peccato, quia non credunt in me*: Io. 16. 8. 9. Qualis autẽ fuit hæc incredulitas? Quia scilicet non crediderunt in Christum tanquam in Filiũ Dei, Deum. Hanc enim fidem exigebat, Io. 41. 1. *Creditis in Deum; & in me* (tanquã scilicet naturalem eius Filiũ, eoque Deũ) *credite*: eadem scilicet fide, qua in Deũ Patrem. Ergo quum ait, se disertè loquutũ eis fuisse; & ideò illos peccasse, quia loquenti non crediderunt: aperte docet, se illis prædicasse quis esset: nempe vnigenitus seu naturalis Dei filius. Ergò ex Iudæorum peccato liquet, Christum naturalem esse Dei filiũ. De odio: hoc etiam fuisse alterum Iudæorum peccatum: apertè tradit Christus hîc vers. 24. *Oderunt me & Patrem meum*. Quare autẽ oderunt? Inter alias, hæc etiam vna est causa: quia scilicet, quum diceret se esse Filium Dei, illum habebant pro blasphemo: & vt blasphemum oderant, hoc alibi liquet: *Non de bono opere lapidamus te: sed de blasphemia, quia homo cùm sis, facis teipsũ Deũ*. Io. 10. 33. Ergo etiam ex odio Iudæorum in Christum: liquet Christum prædicasse se naturalem esse Dei filium, Patri, deitate æqualem.

Subdit: *Nunc autem nõ habent excusationem de peccato suo*: hoc est, Atqui habent peccatum: & ita habent, vt illud non possint excusare: Consequitur ergo, Christum loquutum eis fuisse ita clarè de sua persona, deque suo officio, vt Iudæi aut ex parte cognouerint (id quod verum est: Matth. 21. 38. *Hic est heres*) aut saltem potuerint cognoscere, Iesum illum qui loquebatur, filium esse Dei: non vt sunt reliqui, per gratiam: sed per naturam. Ex altera etiam ratione idem liquet quæ ducatur ab operibus & miraculis Christi. *Si opera* (inquit) *non fecissẽ inter eos quæ nemo alius fecit, peccatũ nõ haberent*. Docet iis verbis, se talia omnino fecisse opera, & tali modo fecisse: vt perspicuè ostenderit, se filiũ esse Dei naturalem: atque ita perspicuè ostenderit, vt illi facti sint inexcusabiles; propterea quòd virtus paterna, seu vis deitatis, per illa Christi opera palàm & efficaciter sese in Christo exerebat. Ideo subdit: *Nũc autẽ & viderũt, & oderũt & me & Patrem meum*. Quid viderũt? nõ solùm opera ipsa perspicua deitatis testimonia: sed etiam per ipsa viderunt tunc Christum (hoc est, vtcunque cognouerunt eum esse Messiam, & dei Filium) tum ipsum Patrem Deum: nempe in Christo habitare & operari. Illæ enim particulæ *Et, &*, ingeminatæ, indicant, hæc duo verba, *Viderunt*, *Oderunt*, coniungenda esse, cum illo pronomine, *Me*; & cum nomine, *patrem meum*. Et sicut omnes interpretes verbum *Oderunt*, referunt ad *Me*, & ad *Patrem*; ita etiam ego sentio, omninò ad vtrumque referendum esse verbum, *Viderunt*. Videntes enim opera merè diuina: viderunt, id est, nouerunt vtcunque, per illa: primo Christum, nempe, eum esse Messiam, Deique Filium vnigenitum: & deindè, Patrem nempe Deum, in eo homine Christo operantem. De primo Mat. 21. 38. *Hic est heres; ergò Filius*, De altero Luc. 11. 15. *Per Beelzebub, principem dæmoniorum eiicit dæmonia*. Accusat eos peccati in Spiritum sanctum: quòd quum apertè viderent Deum in hoc Iesu operari, & dęmonia eiicere: dicerent contra conscientiam, per Beelzebub eiici dæmonia. Videbant enim opera illa fieri virtute, nõ certè humana, sed diuina, eaque non tam per Christum, sicut aliquando per Mosem & Prophetas, operante quàm in Christo inhabitante, non secùs atque animus habitat in corpore humano. Nam quum volebat, per eam vim hęc edebat miracula: sicut nos quum volumus, per animam cogitamus, loquimur, operamur. Erant igitur illa opera luculentissima deitatis in Christo testimonia, sicut etiam opera nostra humana, manifesta sunt animę humanę in nobis existentis argumenta. Quare sicut ex iis agnosci potest aliquis, an sit homo, nec ne: sic etiam Christus ex suis diuinis operibus agnosci poterat, an esset naturalis Dei Filius nec ne esset. Idem liquidò apparet, illa coniunctione Filij & Patris, in verbo, *Oderunt*. *Et oderunt*, (inquit) *& me & Patrem meum*.

VIII. Quod oderint Christum, id est, illum Iesum, quem videbant hominem, intelligi facile potest. Sed quod oderint etiam Patrem Deum, non ita facile est intelligere. Certè Iudæi facile dedissent, se odisse Iesum: allatis etiam odij sui causis. Sed se odisse Deum: nequaquam concessissent. Imò vbique & perpetuo iactabant & gloriabantur, se patrem habere Deum: se illum colere, amare, se velle ei seruire, & eius gloriam tueri. Quinetiam dicebant, se ideò odisse & lapidare velle Iesum, quod gloriam Dei sibi vsurpasset, & faceret se æqualem Deo. Io. 10. 33. Deinde nulla erat causa, cur deberent Deum odisse in Christo: quem nolebant agnoscere, nisi pro homine. Nam si Christus erat tantùm homo, & eum idcircò oderant, tum quia ipsos reprehendebat, tum quia dicebat, se esse æqualem Deo: quid hic peccabat Deus, cur debuerint illum odisse? Et tamen oderunt, vt ait Christus, etiam patrem Deũ. Ergò necesse est, vt hęc loquutio ita intelligatur, sicut & illa suprà: *Qui videt me videt & Patrem*: Io. 14. 9. Quia (vt ibi explicat) Pater erat in Christo, & Christus in Patre: nempe, essentiali vnione: ita vt qui videbat Christum, is omnino Deum etiam ipsum videre diceretur, sicut qui videt radium solis, solem ipsum vidisse dicitur. Oderunt igitur Christum, immediatè, scientes & volentes. Oderunt & Patrem in Christo existentem & operantem: non tanquam Deum (non enim volebant agnoscere & fateri, Deum esse, qui in Iesu loqueretur & operaretur) sed quasi diabolum aliquem. Quæ enim faciebat Christus miracula, ea contra conscientiam attribuebant diabolo, qui in Christo habitaret. Et tamen is erat Deus: teste Christo apud Lucam & Mathæum. Luc. 11. 20. Matth. 12. 28. Ergò quum ait, *Oderunt Patrem meum*; subintelligendũ est, omnia quæ ago & loquor, in me agentem & loquentẽ: quanquam ipsi nolint videri odisse Deum in me; sed potiùs diabolum. Sicut qui odit aliquem hominem se arguentem: odit & animam in eo homine habitantem, cuius virtute is loquitur & arguit; quanquam odium illud immediatè, aduersus eum, qui loquitur, mediatè autem aduersus animam, cuius virtute loquitur, tendit. Hac igitur loquutione, *oderunt me, & Patrem meum*, conclusit Christus, Deũ in se homine, ita corporaliter inhabitare, vt anima habitat in corpore: ac proinde sicut ex anima & corpore vnus constat homo: sic etiam ex homine, & Deo, vnum constare Christum: sicut etiam piè scripsit Athanasius in symbolo, dicens: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus*.

IX. V. 25. *Sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Oderunt me immeritò.* Alia hic est explicatio. Explicat causam, qui fiat, vt mundus oderit Filium Dei, & eius Patrem Deum; nam contra naturam est, vt quis oderit Deum, qui summè est amabilis. Et Christus quid Mundo attulit, nisi beneficia, tam corporalia, vt curationem morborum, suscitationem mortuorum, & alia id genus: quàm spiritualia, vt salutarem doctrinam, remissionem peccatorum, vitam æternam? Qui fit igitur, vt mundus oderit Filium Dei, & Patrem eius sine causa? Ait esse causam: & hanc explicat, dicens: Sic fieri, quia oporteat impleri Scripturam quæ præuiderat hoc futurum: vt scilicet mundus excæcatus, sine causa legitima odisset Christum Messiam: cuius typus fuerat Dauid: & eius Patrem, nempe in ipso Filio manentem, loquentem, & operantem. Hic etiam confirmatur Christi deitas. Primò enim dum Christus dictum illud Psalmi in se compleri dicit, docet se esse Messiam. Psal. 31. 19. Fuerat enim Dauid pater Messię secundum carnem, typus ipsius Messiæ. Messias autem futurus erat, & filius Dauidis, & ea re homo; & filius Dei, & ea re Deus: vt apud Matth. 22. 43. docuit Christus ipse. Ideò enim Messias græcè Christus dicitur quia vnctus. Quis vnctus? Christus vt homo. Qua vnctione? sua deitate, quã Apostolus vocat Spiritũ sanctificationis Rom. 1. 4. Secundò: coniungit secũ in hoc odio, quo mundus se odit sine causa, ipsũ Patrem: nempe in filio essentialiter habitantem, & omnia cũ filio operãtẽ. Nõ enim ex professo oderunt Deũ Iudæi; sed in Christo: dum oderũt Chri-

stum,& quidquid in eo erat. Docet igitur etiam huius versus citatione,se talem esse Dei Filium, qui in se, essentialiter habitantem habeat Patrem:& ideò qui sit Deus.

X. Ver. 26. *Quum autem venerit consolator ille, quem ego mittam vobis à Patre* (Spiritus, inquam, ille veritatis, qui à Patre emanat) *ille testabitur de me.* Subiicit ad extremum, consolationem:quæ duo habet capita. Primum hoc est: Etsi Mundus,hoc est,homines ipsi ac reprobi, oderunt me gratis,quasi scilic. hominem impurum & blasphemum,qui nomen & gloriam Dei mihi vsurpem, & tãquam seductorem, qui falsam tradam doctrinam:tamen hoc,sicut me consolatur, sic debet vos consolari : nempe quòd Spiritus paracletus ille, quem ego (iuxta meam promissionem) vobis mittam à Patre,hoc est,è cœlesti illa sede, vbi regnat Pater, & vbi est Spiritus,& vbi breui futurus ego sum,quod (inquã) Spiritus ille veritatis, qui à Patre (tanquam à fonte totius deitatis & bonorum omnium) procedit,veniet. Quum autem venerit : ille testabitur (scilicet palam & manifestè, signis etiam editis) de me:nempe,primo,quis sim, an sim verus & naturalis Dei Filius, nec ne. Deinde, an salutarem tradiderim doctrinam,nec ne salutarem:atq; ita, an sim verus Mundi seruator,nec ne sim. At vbinam, & quibusnam, & quomodo,& quando testabitur? Christus hic non explicat, sed aliunde colligitur: nempe vbique terrarum omnibus hominibus,quoad externam prædicationem, reproborum incredulitatem conuincendo, & electis veritatem persuadendo. Ideo quãtum attinet ad persuasionem in corde, ipsis tantum electis, qui non sunt de Mundo, testificabitur partim per prædicationem Apostolorum & aliorum ministrorum,partim per internam in cordibus electorum institutionem & doctrinam: idque in finem vsque seculi. Hoc autem impleturum fuisse,& adhuc impleri,manifestum est. Nã post Christi in cœlum ascensionem multo clarius agnitus fuit Christus, eius deitas, officium, doctrina, quàm quum esset in terris:& primum in ipsis Apostolis; deinde in aliis hoc fuit impletum. Quantam autem consolationẽ hæc promissio attulerit Apostolis,dici non potest. Multò vero maiorem, quum reipsa huius promissionis complementum in se senserunt. Atque hoc est primum caput huius consolationis. Alterum à testimonio Apostolorũ. *Sed & vos testabimini, quia à principio mecum estis.* Quasi dicat: Testem in cœlo habebo Spiritum sanctum,testes in terris vos ipsi eritis, testificantes quæcunque ex me audiuistis, & vidistis, iam inde ab initio,quo mecum estis. Vos eritis enim Spiritus S. organa : per quos & mundum arguet de peccato, quòd non crediderunt in me;& electis,quisnam ego sim palam faciet. Est hæc promissio. Promittit enim Apostolos,post receptum Spiritum S, futuros tam fortes atque constantes, vt non sint dubitaturi, sed palã testaturi mundo, quis sit Iesus Christus: & suo etiam sanguine testimonium confirmaturi. Ita duplex ministerium ostendit futurum in Ecclesia: ministerium Spiritus internum,in animis electorum, & ministerium hominum externum, quod vbique & apud omnes testabitur de Christo *Qui ab initio mecum estis.* Voluit ostendere,fidẽ adhibendam esse doctrinæ Apostolorum; & non esse alios audiendos. Ipsi enim viderunt & audierunt Christum, iam inde ab initio. Facessant igitur Enthusiastæ,& Hæretici omnes,& quicunque doctrinã cum Apostolica non consentientem,tradunt. Ex iis autem,argumentum habemus non contemnendum,pro naturali & æterna Christi filiatione ex Patre Deo. Suprà dixerat,Patrem missurum Spiritum S. Io 14. 26. quibus verbis indicauit,non posse Spiritum sanctũ mitti nisi ab eo qui Deus sit,& qui etiam ratione originis,Spiritu sancto sit maior. Hic verò ait,se missurum hunc Spiritum. Docet igitur,primùm,se quoque Deum esse, & ratione originis,Spiritu ipso maiorem: deinde,se cum Patre vnum esse Deum.

## CAPVT IX.

### Argumenta ex Iohan.16.pro Christi æterna generatione ex Patre collecta,& succinctè declarata.

*Testim. XXIV. Christi ex Io.16. vers.1. &c.*

HIC etiam non semel Christus Deum suum vocat patrem, & se eius filiũ:quo verò sensu,ex ipso liquebit contextu. Scopus Christi in hoc capite est, Apostolos partim munire aduersus imminentia mala & scandala; partim leuare præsenti tristitia, quã cõceperant ex imminente Christi morte:idque facit, vt constantes in se atque vniti,tanquam veri palmites in vite,permaneãt, & in ipso habeant pacem. Liquet hic scopus ex primo & vltimo versu. In primo enim proponit finem totius orationis:in vltimo eundem repetit, licet aliis verbis. Habemus scopum. Ad hunc assequendum,vtitur tum præmonitionibus contumeliarum & persecutionum, quibus erant afficiendi à mundo propter nomen suum:tũ etiam dulcissimis promissionibus diuinorum beneficiorum, cælestisque auxilij: addit & aliquã adhortationem ad extremum. His duobus armorum generibus, munit Apostolos aduersus futura certamina. Nam aduersa faciliùs ferimus; si antequam contingant,de illis præmoneamur,& promissionibus auxilij certa fiat nobis spes victoriæ. Ex iis autem quæ hic dicuntur à Christo,non vulgaria colligere est argumenta, quibus confirmetur diuina eius natura. Seco autẽ caput in tres partes: prima,primis quatuor versibus & medio quinto continetur. Secunda, hinc vsque ad 29. Tertia inde vsque ad finem. In prima prædicit,quæ sint à suis passuri: & aduersus hæc adhibet consolationem.

II. V.1. *Hæc loquutus sum* (pro hæc loquor,phrasi Hebraica) *vobis, vt ne scandalizemini.* Proponit finem totius suæ orationis. Sensus autem est: Præmonui vos anteà de futuro mundi odio aduersus vos propter Nomen meũ: nunc etiam vos præmoneo de variis ignominiis, iniuriis, & persecutionibus:quibus non tam aperti hostes,quàm domestici ipsi,atque adeò columnæ Ecclesiæ vos afficient. Finis huius præmonitionis est, vt ne scandalizemini,hoc est,Ne,si de improuiso & præter expectationem vobis contingant, ita illis offendamini, vt à me deficiatis. Ergò præmonitos de iis vos volo; vt faciliùs aduersa illa omnia sustinere, & in me perseuerare possitis. Hinc igitur habemus finalem causam, cur Deus præmoneat suos de futuris aduersis: vt scil. præuisa minùs feriant, nec putent sibi ea euenire casu, sed Dei prouidentia. Ver. 2. *Alienos à synagogis facient vos &c.* Incipit explicare imminentia mala. Duas autẽ iniuriarũ species prædicit,quas passuri erant Apostoli,non tam à mundo apertisque hostibus,quàm à suis domesticis Iudæis: atque adeò ab illis,quibus Ecclesiæ gubernatio erat commissa, Sacerdotibus,Scribis,& Pharisæis. Prima est iniusta excommunicatio è cœtu populi Dei: secunda est crudelis persecutio ad mortem:& quasi חרם. De illa sic ait, *ἀποσυναγώγους facient vos:* De altera ait, *Imo veniet tẽpus quũ quisquis, &c.* Cùm verò subdit *Arbitretur cultũ se præstare Deo*, docet Apostolos quæsitum iri ad necem,non simpliciter,sed tanquã homines omnium sceleratissimos : ita vt quicunque possit horum aliquem trucidare, videatur sibi omninò gratissimum Deo cultum præstitisse. Hoc igitur auget infamiam. Sequitur duplex consolatio. Prima à causa,propter quam hæc contingent Apostolis. Ver.3. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt,* &c. Sensus est. Non hæc faciẽt vobis, quòd verè coram Deo sitis scelerati,& inimici Dei,vt ipsi putabunt:imò quia non nouerunt Deum, quem vos prædicabitis, meum esse patrem:& quia non nouerunt me,quem asseuerabitis esse Dei Filium, verumque Mundi seruatorem:ideò hæc facient vobis. Ergo cùm habeatis bonam causam coram Deo; propter quam illi, sed falso decepti iudicio, vos tanquam sceleratos mouebunt synagogis, & persequentur ad necem, bono estote animo,& manetote in me constantes. Docet igitur Christus,alto animo comẽndas esse eorum persecutiones, quos error duntaxat & potiùs cæca rabies ad nos oppugnãdos impellit : cùm simus persuasi, nos bonam habere causam,& Deum à nostra parte stare. Secunda consolatio,à prouidentia Dei petitur:seu ab eo,quòd nil nobis accidat,quòd non fuerit prius præuisum à Deo & prædictum, eoque & præordinatum. V.4. *Sed hæc loquutus sum.* Repetitio est,& explicatio causæ, cur hæc prædixerit Apostolis: nempe, vt quum viderint sibi ea ab impiis fieri, de quibus anteà fuerant admoniti,non offendantur. Sensus est: Solent homines, si quid aduersi contingat ex insperato, vehementer turbari,sed si præuideant,aut præmoneantur,non ita. Minùs enim iacula feriunt,quæ præuidentur. Ego itaque hæc, quę ventura sunt vobis prædico, vt hæc mea de rebus futuris vaticinia,memoria teneatis. Et hoc ideò, vt quum posteà venerit tempus illud,quo hæc erunt sustinenda,memores mei & meorum verborum,minùs offendamini:imò consolatione afficiamini, quòd nil contingat, quod non præsciueritis, & quod ex prouidentia Dei non fit. Inde nobis capienda est in ipsis etiam afflictionibus consolatio: quòd nil nobis contingat aduersi,quod non multò antè fuerit & præuisum à Deo, & per Christum in scripturis prædictum: vt illud, *Quotquot piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur.* Ex eo quoque quòd Christus singula quæ casura erant Apostolis, prædicit, testimonium habemus Deitatis ipsius. Non enim Christus ex alieni Spiritus

afflatu

afflatu, sicut Prophetæ, sed ex proprio Spiritu futura prædicebat. Imò Prophetæ, quoties futura prædicebant (vt ait Petrus 1.1.11.) ex hoc Christi Spiritu prædicebant. Quare Christus quoties futura prænuntiauit, toties apertè demonstrauit, se verum esse Deum. Nam (vt docet Ies. 41.23) inde agnoscimus aliquē esse Deum, si futura (scilicet ex se) prædicat, & annūciet. ver. 5 *Hæc autem vobis ab initio, &c. Nunc abeo ad eum qui misit me.* Hic debet notari punctum, & periodus finiri. Occurrit interrogationi, Cur non priùs hæc prædixisti? cur huc vsque distulisti? Respondet: Quòd non priùs dixerim, hoc ideò factum est, quia non fuit opus. *Ego enim vobiscum eram*, quasi dicat, mea præsentia fuit vobis firmum præsidium aduersus omnia aduersa, à quibus vos semper defendi. Ideò nulla fuit causa: cur deberetis præmoneri de futuris aduersis. Quòd verò nunc præmoneam, causa est, *quòd vado ad eum qui me misit*, hoc est, quia posthac destituemini mea corporali præsentia, & multæ res aduersæ vobis imminent: ideò necessitas ipsa postulat, vt de iis rebus ante meum discessum præmoneamini, ne si quid contingat prçter spem, aliquam indè offensionem capiatis. Iam enim opus est, vt ad luctam præparemini.

III. Sequitur altera pars. Hic multis rationibus consolatur Apostolos aduersus illam, quam conceperant ex eius morte tristitiam. *Et nemo ex vobis, &c.* Est hic principium alterius consolationis, ideò illud καὶ, vertere latinè, *Ac nemo ex vobis &c.* vt solet etiam Cicero sic inchoare sententias. Prima consolatio fuit aduersus ea, quæ passuri erant post Christi discessum: à suis Iudæis cum primis & sacerdotibus. Hæc altera consolatio est aduersus præsentem tristitiā, quæ illorum corda occupârat, quia subinde dixerat, se discessurum ad Patrem. Et sic exprimit magnitudinem tristitiæ Apostolorum, dicens: *Ac nemo ex vobis interrogat me, quò vadam?* quasi dicat: Tantáne verò tristitia compleuit cor vestrum ex eo, quòd subinde dixi, me abiturum ad eum qui me misit: vt ne interrogetis quidem me, quò abeam: & in quem finem? Sequitur itaque consolatio ab vtili. v. 7. *Sed ego veritatem dico vobis, &c.* quasi dicat: Quandoquidem vos non interrogatis, quorsum abeam: sed tantùm tristitia cōficimini propter meum discessum: ego dicam vobis quorsum abeam, & quàm vtilis futurus sit vobis meus discessus. *Expedit vobis vt ego vadam* Ratio ducitur à repugnantibus. *Si enim nō abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Hic etiam confirmat se missurum Spiritum sanctum: ac proinde se Deum esse, cùm solius Dei sit Spiritum sanctum mittere. Versiculo 8. *Et cum venit ille, arguet Mundum de peccato, & de iustitia, & iudicio.* Aliquot, & eas quidem præcipuas vtilitates, quas accepturi erant Apostoli ex Spiritu sancto: explicat. Ac primùm quidē, quòd eos donaturus esset tanta sapiētia, tantaque virtute, & animi fortitudine; vt per eos, tāquam per ora heroica, obiurgaturus & conuicturus foret mundum vniuersum, de peccato, iustitia, & iudicio. Hic autem Spiritus qui datus fuit Apostolis, quique per Apostolos arguit Mundum, idem est, qui & lōgè anteà datus fuerat Prophetis, & qui per Prophetas mundum illum arguebat, & futura prædicebat, Spiritus nimirum Christi: vt Petrus docet 1. 1.11. vnde sequitur, Christum cum suo Spiritu, fuisse ante Mariam virginem: & ante orbem conditum. Nam etiam Adamus fuit Propheta. Versicul. 9. *De peccato quidē, qui non crediderūt in me.* Hinc etiam colligitur Christi Deitas. Nam Spiritus sanctus ostendit vsque adeò graue esse peccatum non credidisse in Christum, vt propterea Mundus conuincatur esse adhuc in omnibus aliis peccatis. Quia non credit in Christum. Si verò hoc tā graue peccatum est: ergo transgressio est legis prçcipua. Vbi autem inquam in lege præceptum est, vt credatur in aliquam puram creaturam: & non semper in Deum? imò dum hanc fiduciam prçcipit in primo præcepto Decalogi prohibet illam, quæ collocatur in creaturis. Ab ista igitur prima Spiritus sancti, per Apostolos, accusatione: liquet Christum, esse Deum, in quem, qui non credit, peccat grauissimè.

IV. Versiculo 12. *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam.* Quæ multa? apparet Christum loqui non de dogmatibus: sed de donis, quæ à Spiritu sancto Apostoli erant accepturi: deque iis, quæ per ipsos erat Spiritus sanctus effecturus: vti est conuersio totius mundi ad Christum &c. Hæc enim omnia erant allatura consolationem Apostolis. Ego multa habeo, quæ possem dicere: quæ per vos scilicet effecturus est Spiritus sanctus: quæ omnia faciunt ad vestram consolationem. Sed ideò hæc differo vsque ad ipsius aduentum: quia in præsentia non possetis ferre, hoc est, credere. Ille verò deducet vos in rem præsentem: vt reipsa tunc cernatis, quod alioqui iam credere non possetis. Alia etiam consolatione, ducta à scopo Spiritus sancti in suis actionibus, suos consolatur Apostolos Dominus dicēs: Vers. 14. *Ille me glorificabit*: scilicet per vos. Scopus enim Spiritus sancti in Apostolis, fuit, vt glorificaret Christum. In hoc autem sita est gloria Christi: vt eius doctrina, & regnum stabiliatur, & nihil in eo immutetur: Ipse verò Christus, pro natura Dei Patris Filio, eoque pro vero Deo, in Mundo à suis electis agnoscatur. Hanc enim etiam gloriam petiit ipse à Patre, apud Iohannem, 17.5. Quod igitur ipse petiit à Patre: hoc partim dicit facturum Spiritum sanctum, per Apostolorum ministerium. Quare sensus est: Bono estote animo. Spiritus enim iste nil aliud quæret, quàm gloriam vestri charissimi præceptoris: vt meum scilicet stabiliat regnum, meamque doctrinam. Ideò subditur ætiologia: *Quia de meo accipiet, quod renunciabit vobis:* quasi dicat, Non adferet nouam vobis, & aliis doctrinam, aut nouum de suo instituet regnum: sed meum confirmabit: & quis ego sim, per vos patefaciet. Ergò quicquid Spiritus sanctus dedit Apostolis, siue sapientiam siue vim edendi miracula, denique omnia, à Christo, iam ad dextram Patris sedente accepit. Hinc illud Ephes. 4.8. *Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, & dona dedit hominibus* (per Spiritum sanctum) ideò Apostolus *Discrimina* (inquit) *ministeriorum sunt: sed idem Dominus. Discrimina facultatum sunt sed idem Deus. Et hæc omnia operatur vnus, & idē Spiritus.* 1. Cor. 12.5. At omnia à Patre accepit Spiritus sāctus: vnde suprà Christus ait de hoc Spiritu: *Qui procedit à Patre:* deinde: *Quem mittā à Patre*, omnibus scilicet donis instructum, quæ in vos conferat. Io. 15 26. Quibus verbis indicauit Christus, Spiritum sanctum & à Patre esse, & à Patre omnia quæ attulit, accepisse. Quomodo igitur ait Christus, Spiritum sanctum omnia accepturum à se, & de suo? Ita quidem se habet: sed quia omnia quæ Patris sunt, sunt etiam Filij: & Spiritus sanctus sicut procedit à Patre, sic etiā à Filio, ideò meritò docet Christus, quicquid Spiritus sanctus attulit Apostolis, totum illud à se accepisse. Hoc subdit, dicens: v. 15. *Omnia quæ habet Pater mea sunt propterea dixi, quod de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Tria hîc habemus argumenta pro Deitate Christi. Et vnum pro vnitate essentiæ in Patre & Filio. Primum à scopo Spiritus sancti sumitur. Scopus ille fuit gloria Christi. *Ille* (inquit) *glorificabit me.* Hinc etiam à gloria, qua Spiritus sanctus glorificauit Christum, argumentum sumitur, ad confirmandam Christi Deitatē. Scopus enim Spiritus sancti in toto Apostolorum ministerio, & in larga suorum donorum communicatione, fuit, vt Christum glorificaret: v. 14. Gloria autem Christi in hoc sita erat, & est, tum vt agnoscatur ab omnibus, pro tali qualis etiam fuit apud Patrē, antequam conditus esset Mundus, hoc est, pro Filio Dei, & eiusdem cum Patre maiestatis, tum per cōsequens, vt huic tanquam vnico Patris hęredi, omnes adducerentur, & adducantur gentes, atque ita regnum ei in toto terrarum orbe iuxta Prophetarum vaticinia, amplietur, & firmetur, id quod etiā fecit & facit adhuc Spiritus sanctus. Ergò Spiritus sanctus sua in Apostolico ministerio ἐνεργείᾳ, adducendisque ad Christum omnibus electis, atque ita regno Christi ampliando & propagando: apertū dedit, & dat Christo veræ & naturalis ex Patre filiationis, eoque & deitatis, testimonium. Secundum argumentum: Si quicquid S. sanctus accepit à Patre, accipit etiam à Filio: sūt igitur Pater & Filius vnus atque idē omnis veritatis, vitæ, sapientiæ, denique bonorum omnium, fons. Etenim ab vtroque etiam procedit Spiritus sanctus. Quare tā Deus, Filius, quàm Pater. Tertiū: Si omnia quæ habet Pater, sunt Filij: ergò tota Patris potentia, bonitas, deitas atque maiestas non minus est Filii, quàm Patris. Quare tam Deus Filius, quàm Pater. Ac certum est, si omnia quæ Pater habet, sunt Filii: esse igitur Patri æqualē modis omnibus Filiū: hoc vno tantū excepto, quòd Pater, est Pater ingenitus: & Filius, est Filius à Patre genitus. Proinde non dicit se esse Patrē, nec Patrem Filium: sed tantùm, quæ habet Pater, se etiam habere. Manet igitur ille, Pater: iste, Filius: sed reliqua omnia sunt cōmunia. Imò non posset dicere, quæ habet Pater, mea sunt: nisi esset distinctio personarū. Neque dicit, *Quæ Pater habuit, mea sunt* quasi, quæ dederat, Filio Pater, non iā amplius ipse habeat, sed ait: *Quæ habet* (adhuc) *mea sunt.* Docet igitur totam deitatem ita à Patre datam esse filio, in illa imperscrutabili, & intima generatione: vt tota tamē etiā manserit, & maneat in Patre. Imò nisi haberet eam Pater, neque etiam filius haberet: quia quæ habet, non autem quę nō habet Pater, mea sunt, inquit Christus. Est igitur hic locus, non solùm contra Arianos & Sabellianos: sed etiam contra Tritheitas. Sequitur consolatio à futura propediem sua resurrectione: & à gaudio, quod inde percepturi erant Apostoli.

V. Ver. 16 *Paulisper, & nō videbitis me, &c.* Hic prædicit dolorem eumque maximum, quem accepturi erāt statim post

mortem Christi, idq; breui, Apostoli. Hoc facit, quū ait *Paulisper* (sum vobiscum, *Et* (mox) *me non videbitis*: id est, mea corporali præsentia destituemini. Quasi dicat, Et ita magnū sentietis dolorem. Hunc posteà dolorem comparat dolori mulieris parturientis: ergò magnus. Sed cōtra hunc dolorē, subdit cōsolationem: ac primò extenuat dolorē à breuitate temporis, quo illum passuri erant, dicens: *Et rursus paulisper videbitis me*: nempe primùm oculis ipsius corporis. Nā post tres dies resurrexit, & cōspectus fuit ab Apostolis. Ideo subdit rationem, dicēs: *Quia vado ad Patrem*: id est, quia resurgam, & ascendam in cœlum. Deinde, post ascensionem in cœlum, oculis Spiritus perspicietis me. Eadem vero vtriusque redditur ratio: *Quia* (inquit) *vado ad Patrē*, in cœleste scil. regnum: vnde vestros illustrabo oculos, vt possitis me ibi quoque sedentem ad dextram Patris intueri. Atq. ex verbo *Vado* nempe sponte & mea virtute, *ad Patrem*: se verū esse Deū docuit. Vt enim spōte mortuus est: ita sponte, suaque virtute, resurrexit, & ascendit in cœlum. Postquam extenuauit dolorē à breuitate temporis, quo daturus erat: extenuat denuò illum imò penitus tollit promissione gaudij æterni, infr. ver. 20. 21. 22. His duabus rationibus etiam Apostolus nos consolatur in afflictionibus, primum à breuitate afflictionū, deinde ab æternitate gloriæ, quæ illas cōsequitur: 2. Cor. 4. 17. Cęterùm, quia Apostoli aliquot, nō intellexerant illa verba, *Paulisper & non videbitis me, & iterum pusillum & non videbitis me*, &c. idque dolore occupati, vt fit: ideirco Christus sese explicat. Ac primò quidem Iohannes narrat horum Discipulorum ruditatem, dicēs vers. 17. *Dixerunt igitur quida ex Discipulis eius inter se, &c.* Ne contētus semel eam narrasse iterum repetit, dicens, versic. 18. *Dicebāt igitur, quid est hoc, quod dicit pusillum? Ne scimus quid loquatur.* Sed ne videatur hanc discipulorum illorum stupiditatē narrasse in inuidiam: subdit etiam Christi, de eadem admirationem, dicens, vers. 19. *Cognouit autem Iesus quod vellent ipsum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis, inter vos, quod dixi: Pusillum, & non videbitis me, & iterum pusillum, & videbitis me.* Faciunt hæc omnia ad declarationem ver. 15. Habemus autem hic testimonium Deitatis Christi non obscurum. Est enim solius Dei, agnoscere hominum voluntates: nisi eas ipsi aliqua ratione explicent. Christus autem cognouit voluntates discipulorum, quod vellent se interrogare: cùm tamen illi nullū huius volūtatis signum dederint.

VI. Sequitur explicatio v. 20. *Amen, amen dico vobis, plorabitis & lamentabimini vos: mundus contra gaudebit. Vos autē mœrore afficiemini* Hæc est explicatio illorum verborum, nempe, *Paulisper & non conspicietis me.* Sēsus igitur est, Vos breui propter meam mortem, priuati mea præsentia corporali, eritis miserabiles, pleni ingenti mœstitia, luctu, dolore. Mūdus verò tanquā voti sui compos exultabit. Et vos eò magis tristabimini, & dolore conficiemini, verum quid? *tristitia vestra euadet in gaudium*: nempe, breui etiam, quia scilicet tertio die resurgam. Hæc est explicatio verborum illorum: *Et rursus paulisper, & conspicietis me: quia vado ad Patrem* (resurgēdo.) Sensus igitur est: Cęterùm, breui etiam ablato mœrore, magno cum gaudio me rursus videbitis: nempe, quia resurgam, ascensurus in cœlum. Subdit illustrationem suæ explicationis, ver. 21 *Mulier quum parit dolorem habet, quia venit hora eius. Quum autem peperit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quod gaudeat hominem esse natum in mundo.* Simili mulieris patientis illustrat, quod dixerat, tam de tristitia doloréque Apostolorum, ob amissionem præsentię Christi corporalis, quàm de futuro gaudio, in quod dolor ille conuertendus erat. Comparat enim Apostolos, & in ipsis totam Ecclesiam, mulieri, quæ filium habet præsentē in vtero: sed breui illum est enixura & enisura cum magno dolore. Cæterùm post dolores immēsos, & dū vixerit infans, ęterno gaudio afficienda. Christum verò cōparat ipsi infanti. Sunt autem quatuor præcipua capita hoc simili considerанda, quæ faciunt ad illustrationem eorum, quæ anteà Christus dixerat: Primum est circumstantia temporis, & duplex infantis præsentia. Prima enim infantis præsentia est in vtero matris: altera extra matris vterū. Circumstantia tēporis est, quod licet per aliquod tēpus mulier infantem in vtero gestet: tamē vt tandem hac infantis in vtero præsentia priuetur mulier, & alia longe meliore & iucundiore fruatur, necesse est. Ita duplex est Christi præsentia: vna tēporalis, & carnalis, in medio Ecclesiæ ante mortē: altera ęterna & spiritualis post resurrectionē. Itaque si Ecclesia Christum per aliquot annos carnaliter præsentem in medio sui habuit: tamen necesse tandē fuit eam illa carnali priuari pręsentia, & alia eiusdem Christi multò meliori & iucundiori carne scilicet glorificata, & ad dextrā Patris sedēre, spiritualiter frui. Alterum: Mulier non potest parere fine dolore, iuxta illud, Gen. 3. 16. *In dolore paries,* ita Ecclesia non potuit corporalē Christi in carne mortali viuentis præsentiā amittere, sine maxima tristitia atque dolore. Tertiū: Sed sicut mulier post partū, hoc est, post amissā priorem infantis præsentiam: propter alterā, quæ succedit, meliorem, tanto afficitur gaudio, vt prioris doloris penitus obliuiscatur: Ita Ecclesia post amissam priorē Christi præsentiam: propter alterā quæ successit, spiritualem, qua illū primò oculis carnalibus vidit resuscitatum, & in cœlos ascendentem: deinde etiam oculis Spiritus, vidit, & videt in cœlo ad dextrā Patris sedentē: tanto affecta fuit gaudio, vt priorem omnino dolorem perpetuę mādarit obliuioni. Imò sicut amissio præsentiæ infantis ex vtero, causa est alterius præsentiæ, ante matris oculos: ita etiam mors Christi cum eius in cœlum ascensione, causa est, vt iam eum Ecclesia in cœlo sedentē, oculis fidei intueatur, eiusque præsentia spirituali perfruatur: id quod lōge vtilius est Ecclesiæ, quàm si adhuc eū carnaliter haberet præsentē. Idcirco dixit Christus: *Expedit vobis, vt ego vadam.* Item: *Redibo ad vos, & videbo vos.* Denique, Dolor parientis breuis est, nec diu durat: at gaudium, quod capit ex altera infantis, iā in Mundo nati, præsentia, æternū est, si & infans æternùm viuat. Ita dolor Ecclesiæ ex amissione præsentiæ corporalis Christi in carne mortali, breuis fuit, & quasi momētaneus: ideò rectè dixit *Paulisper*. At gaudium, ex altera eiusdem, iam è ventre terræ suscitati & in cœlestem mundum euecti, ipsique patri ad dextram sedentis, præsentia natum, perpetuū est, & sempiternum. His explicatis, perspicuus factus est sensus huius similitudinis. Ideo Christus post illustratam suorum priorum verborum explicationem, subdit conclusionem: & ait.

VI. Ver. 22. *Et vos igitur nunc quidem mœrorem habetis: sed iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrū nemo tollet a vobis.* Nunc tristitia (inquit) tenemini: scilicet propter meum carnalem à vobis discessum. *Sed rursus* (scilicet post resurrectionem, in alia præsentia) *videbo vos.* Quū debuisset dicere, rursus videbitis me iuxta vers. 16. ait: *Videbo vos*: quasi dicat, non solùm vos me: sed etiā ego, vos videbo. Indicare enim voluit, se nō minori desiderio teneri rursus videndi eos, quàm illi, ipsum. Ergo igitur videbo vos, & vos me. primò resuscitatum, secundò in cœlo ad dextram patris sedētē. & hoc oculis Spiritus. Rursus vos videbo ego, primò in carne glorificata, secundò è cœlo. *Et* (Tunc) *gaudebit cor vestrum*: gaudio scilicet immenso, & omnem priorem tristitiam extinguente. Non ait, gaudebit caro vestra, sed cor: non enim promittit lætitiam carnalē, imò, vt infrà versu vltimo pressuram habituri erant in Mūdo Apostoli, & sēper habet Ecclesia: sed in Spiritu, perpetuò gauisi sunt Apostoli, gaudétque Ecclesia, in mediis etiam afflictionibus, ideo ait, *cor vestrum Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis,* id est, erit æternum. *Nemo* scilicet hominum & tyrannorū: imo nulla res, ne ipsa quidem mors. Nihil enim potest lætitiam Spiritus à cordibus fideliū tollere. Huc illud Apostoli, *Gloriamur in tribulationibus, &c.* Item: *Scio quod neque mors, neque vita, neque angeli neque altitudo, neque profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro:* Rom. 5. 3 & 8. 38.

VII. Ver. 23. *Et ab illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, quæcūque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et hæc consolatio, ab alio effectu Spiritus sancti ducta: nempe à perfecta sapientia, qua erant donandi Apostoli, post Christi ad Patrem ascēsum. Sensus est: *Et ab alio die,* id est, ab eo tempore, quo venerit super vos, hic Spiritus sanctus in finem vsque mundi. *Non interrogabitis quicquam*: nempe sicut nunc volebatis interrogare de re clara: in singulis enim meis ferè verbis nunc hæretis. Tunc vero tanta donabimini sapientia, vt de nulla re, ad salutem, & ad mysterium pietatis pertinente, dubitaturi sitis. Huc illa dicta: *Et nostis omnia: ipsa Vnctio docet vos,* 1. Io. 2. 27. *Non docebit quisquam fratrē suum.* Ier 31. 34. *Omnes erunt Deodidacti.* Ies. 54. 13. At nonne etiā post ipsius resurrectionē, Christum interrogârunt Apostoli de ipsius regno? Primò comparatiuè loquitur Christus, inter primum & secundum statum Apostolorum. Anteà erāt instar puerorum, qui incipiunt legere, hærēt enim in singulis verbis: pòst non multo labore maxima etiam mysteria cœlestia perceperunt. Secūdo propriè loquitur de tempore post acceptū copiosè Spiritum sanctum, *Amen, amen dico vobis.* Cōfirmatio est superioris sententiæ. Hæc est enim causa, cur non sitis me interrogaturi, quia Pater dabit sapientiam. *Si enim petieris Patrē in nomine meo,* tanquam Mediatoris: *dabit vobis* Duo docet: primum, etiā post acceptū Spiritum sanctū opus esse precibus. Deinde hone auctū iri, quia exaudiemur. v. 24. *Vsque ad huc non petiistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit perfectum.* Hic hortatur ad preces. Principio autem reprehensio precedit: *Vsque adhuc.* Deinde

de præceptum sequitur *Petite.* Tertiò, promissio subiicitur: *Accipietis.* Denique consequens additur: *vt gaudium vestrũ impleatur.* Quod ad primum attinet, petimus in nomine Christi, quum petimus propter Christum Mediatorem: ea fiducia prædit, nos propter Christi meritum & intercessionem exauditum iri à Patre. Etsi enim verbis non semper exprimitur nomen Christi, vt quando dicimus, per Christum Dominum nostrum: tamen modo adsit hæc cognitio, & fiducia, quòd propter Christum solum exaudiamur: Tum verè petimus in nomine Christi Mediatoris. At quomodo Apostoli antè nunquam petierunt Patrem in nomine Christi? Certè sine Mediatore nunquam exauditæ fuerunt cuiusquam preces. Imo nec citra Mediatorem, vnquam potuit quisquam accedere ad Deum, & orare. Vnde etiam colligitur, Christum semper à condito orbe; necessariò fuisse Mediatorem in cuius nomine Sancti orarent. Et ipsum Christum, Mediatoris officium fecisse; offerendo Patri omnium preces. Et quid erat persona Pontificis in V.T. nisi typus Mediatoris, quo populus monebatur, Mediatorem esse in cœlo, & per illum Patri offerri preces & sacrificia? Quî fieri ergo potest, vt Apostoli fuerint ita rudes & imperiti, vt orarent sine Mediatore? Quòd si & ipsi suas preces obtulerunt Patri per Mediatorem, quomodo igitur Christus ait: *Vsque adhuc non petiistis quicquam in nomine meo?* Primò, dubium non est, quin in V. Testam. omnes pij precati sint Deum, freti promissionibus factis in Christo, hoc est, in Messia. Neque dubito quin & Apostoli eodem modo, freti illis promissionibus rogarint Deum: Sed tam illi, quàm isti hoc fecerunt, non ita distinctè atque nos, sed confusa Mediatoris cognitione. Nondum enim Patres illi viderant personam Mediatoris vt eum sibi possent proponere ante oculos in suis precibus, & in nomine huius certæ personæ, sibi ante oculos versantis, distinctè precari. Quod ad Apostolos attinet, etsi illi nouerant hanc personam Iesu, esse Filium Dei, & Mediatorẽ, tamen nõ credo eos rogasse Patrem, expressa personæ huius facta mentione, vt propter hũc Iesum Pater preces suas exaudiret, sed in genere propter promissum Mediatorẽ. Huius autẽ rei duplex est ratio: prima quia quum oramus Deum, opus est vt occurrat nobis ante oculos mentis Mediator, qui preces nostras in cœlo Patri offerat, & cuius intercessione exaudiamur. Apostoli autem personam Christi habebant in terris eamque mortalem. Inde fiebat, vt mentibus in cælum eleuatis, non ita occurreret hęc mortalis persona. Ideò petebant non distinctè in nomine huius personæ: sed indistinctè propter Mediatorem. Christus autem iubet, vt in nomine suo, id est, huius, quem videbant, peterent. Hæc est causa cur dicat: *Hactenus non petiistis in nomine meo*, scilicet huius, quam videris, personæ. Ratio secunda: Etsi nouerant Apostoli Iesum illum, ipsum esse Mediatorem: cognitio tamẽ hæc fuit obscura, & imperfecta, dum Christus fuit in carne mortali. Tum demum autem agnouerũt perfectè, eum esse Mediatorẽ, qui pro nobis intercedat, quum viderunt eum ascendẽtem in cœlũ, & sciuerũt eum sedere ad dextram Patris, ita tum demum etiam petierunt à Patre in nomine distincto huius personæ, quæ ascenderat, & quæ in cœlo apud Patrem erat & semper est. Hoc inde etiam apparet, quia Apostoli tum demum scribũt Christum agere nostrum aduocatum & vt Mediatorem intercedere pro nobis, posteaquam ostenderunt eum resurrexisse, & ascendisse in cœlum. Rom. 8. Locus est perspicuus. *Quis est qui codẽnet? Christus est qui mortuus est, qui & resurrexit, qui & sedet ad dextram, & interpellat pro nobis.* Quid hoc obsecro significat, nisi ipsos etiam Apostolos tũ demũ perfectè nouisse Christum esse Mediatorn, in cuius nomine rogandus sit Pater, posteaquam viderunt eum ascendisse in cœlum? Meritò igitur Christus ait: *Hactenus non petiistis quicquã in nomine meo*: id est, in nomine huius personę, quã videtis, & propter me. Sequitur præceptũ, *Petite*: est præceptum, sed simul etiam docet, hoc tum demum eos facturos quum post resurrectionẽ viderint eum ascendisse in cœlũ, & sciuerint ex accepto Spiritu sancto eum sedere ad dexteram Patris. Hoc liquet infrà vers. 26 *Illo die in nomine meo petetis.* Sequitur promissio: *Et accipietis.* Certa promissio, si in Christi nomine, hoc est, fiducia huius Christi, & propter merita & intercessionem huius Mediatoris, petamus. Subdit: *Vt gaudium vestrum impleatur.* Hoc est beneficium, quod cõsequitur ex inuocatione facta in nomine Christi, vnici Mediatoris. Triplici autem de causa, gaudiũ augetur in nobis, posteaquã exauditi sumus propter inuocationẽ factã in nomine Christi. Prima, propter donũ & beneficiũ impetratũ: quisque enim gaudet re, quam optabat, impetrata. Secunda, quia indè magis ac magis persuademur nos à Patre diligi: propterea quod nos exaudiuit. Exaudire enim, testimonium est beneuolentiæ erga illum, quem exaudimus. Tertia, quia indè etiam confirmamur; Christum verè esse in cœlo & nostrum esse efficacissimum aduocatum, ac nostri curam gerere. Oratio igitur in nomine Christi facta, maximum adfert gaudium cordibus fidelium.

VIII. Vers. 25. *Hæc locutus sum vobis per prouerbia: veniet tempus quum iam non per prouerbia loquar vobis: sed palam de Patre meo, annunciabo vobis.* Duo facit. primo docet hactenus rudes fuisse Apostolos: ita vt quæcunque locutus fuerat Christus, licet in se perspicua essent: ipsis tamen visa sint obscura, & in ipsis visus sit loqui παροιμιακῶς: hoc est ambiguè & obscurè. Et reuera cùm tales essent Apostoli: quæ Christus loquebatur, illis erant ænigmata, & [illegible]. Sicut etiam Apostulus ait. 2. Cor. 4. 3. Euangelium suum fuisse & esse velatum: non simpliciter, sed incredulis quibus Sathan excæcat mẽtes. Ergò erat per se apertũ Apostoli Euangelium. Sic Christus loquitur hîc quum ait, *Hæc in parabolis locutus sum vobis.* Nõ ait simpliciter: *Hæc locutus sum in parabolis*, sed ait: *Vobis*, scilicet rudibus; quasi dicat, ideò mea doctrina, licet in se perspicua sit, vobis tamen subindè visa est obscura, quia rudes estis. Obscuritatis igitur causam ostẽdit fuisse non in doctrina, sed in discipulis. Et ideò ait: *vobis*, nempe rudibus & alphabetariis. Secundo, promittit se illos suo Spiritu ita illustraturum, vt nihil amplius in sua doctrina sensuri sint obscuri, aut perplexi. Et hoc est loqui illis palàm & apertè de Patre. Nomine enim Patris intelligit Deũ, & totum cœleste regnum, omnesque res cœlestes. Sẽsus igitur est, Nũc videor vobis figuratè & obscurè loqui de Deo, deque rebus diuinis, & de cœlesti regno, sed breui post effusum missumque in vos Spiritum sanctum, loquar vobis apertiùs & clariùs, hoc est, tunc meam doctrinam, quæ nunc videtur obscura, probè & perspicuè intelligetis. Ergo hic est alia consolatio, ducta ab alio effectu Spiritus sancti, quod scilicet mentes Apostolorum esset illustraturus, quo possent probè & perspicuè omnia regni cœlestis mysteria percipere.

IX. Vers. 26. *In illo die in nomine meo petetis, & nõ dico vobis, quod ego rogaturus sim Patrem pro vobis.* Alia est promissio: Apostolos nimirum tunc petituros omnia à Patre in nomine huius personæ, hoc est, Iesu Christi, id quod ante, vt suprà dixi, nunquam expressè & distinctè fecisse videntur. *In illa Die*, hoc est, Tempore quo absens à vobis fuero, & postquàm misero Spiritum sanctum, quo tum reliquam meam doctrinam, tum etiam me clariùs, quàm hactenus cognoscetis, & scietis me vestrum esse aduocatum apud Patrem. Tunc, inquam, *petetis in nomine meo.* Hîc habemus illam duplicem causam, cur Apostoli ante Christi ascẽsionem in cœlum, non petierint expressè in nomine huius personæ, quę est Mediator. Prima, quia per id tempus illum habebant præsentem in terris, mortalem, nec cogitabant de ipsius pręsentia & intercessione apud Patrem in cœlo. Altera: Quia nondum donati plenitudine Spiritus, illum non nouerant ita perspicuè vt posteà, nempe illum esse Mediatorem in cuius vnius nomine inuocatus sit Pater. Hoc colligitur ex illa temporis circumstantia: *Illo die, &c. Et non dico vobis.* Alia consolatio, ducta ab amore Patris erga illos, & à prompta eius voluntate, illis gratificãdi. *Et non dico*, principio Christus non negat simpliciter se Patrem rogaturum pro Apostolis, & pro nobis: suprà enim sæpè asseuerauit cõtrarium, dicẽs: *Et ego rogabo Patrem, &c.* Io. 14. 16. Quomodo igitur negat? Negat secundũ quid: hoc est, negat se ideò rogaturum Patrem, vt Patrem illis conciliet, & ad illos amandos, & exaudiendos flectat: quasi non sit suapte sponte erga illos propensus, posteaquam amplexi sunt illius filium, pro Seruatore & Domino. Voluit ergo his verbis Christus persuadere Apostolis, non solùm se, sed ipsum etiam Patrem, illos complecti amore maximo, postquam ipsi vicissim filium eius, fide & amore complexi sunt. Et ita Patrem eos amare, ac promptum habere animum illis gratificandi, & benefaciendi: vt nullius, neque ipsius filij, opus habeat tali intercessione, qua solẽt placari & flecti homines nõ admodum erga aliquẽ benè affecti. Debere igitur illos esse securos de optima etiã Patris erga se voluntate. & ita bono esse animo, quòd quicquid petierint Patrem in nomine Christi, Pater libentissimè gratificaturus sit. Hunc esse sensum docent verba insequentia.

X. Vers. 27. *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis quòd à Deo exiuerim.* Hæc redditio causæ declarat, quò sensu Christus dixerit, se non rogaturum Patrem pro ipsis: nimirum, quasi opus sit, vt ipse eos, ceu minime Patri gratos, suo patrocinio apud Patrem defendat, non ita, nõ ita. Ipse enim Pater vos amat, quasi dicat: Estis enim reconciliati Deo, & Deus erga vos placatus est propter veram in me fidem vestram. Quàre non est opus, vt ego illum rogem pro vobis, ei scilicet reconciliandis, & apud illum in gratia

reponendis. Iam enim vos amat, & iam estis reconciliati, quia me amastis: & credidistis me à Deo exiuisse, hoc est, esse Filium Dei, & ob salutem vestram in mundum venisse, hoc est, quia credidistis in me tanquam in verum Dei Filium, & Saluatorem: vera fide per dilectionem operante. Coniungit enim fidem & amorem in Christum: quia vera fides, qua Deo grati sumus, non est sine dilectione in Christum, & eius membra. Sensus est: Inde debetis esse securi de amore Patris erga vos quia creditis in me, tanquam in verum eius Filium, fide per dilectionem efficaci. Est enim fides efficax pignus diuinæ erga nos beneuolentiæ, & reconciliationis. Et similis est iste locus illi apud Lucam: *Ideò dico tibi, remittuntur ei peccata multa*: (Probo ab effectu) *quia dilexit multum*. Luc. 7. 47. Quare illud *Quia amastis & credidistis*, potiùs est ratio, qua probet Deum nos amare, ab effectu reconciliationis per Christum factæ, & amoris Dei erga nos: quàm causa, cur amet nos. Neque enim nostra aut fides aut amor erga Christum, præcedit amorem Dei erga nos: quum apertè Iohannes scribat, *Non quasi dilexerimus Deum sed quod ipse prior dilexerit nos*. 1. Io. 4. 10. Sed cur primo dicit, *Amastis* deinde, *Et credidistis*? Quia primò cœperunt amare Christum tanquam hominem probum, iustum, beneficum, nondum etiam audita & percepta eius doctrina. Hoc inde liquet, quia simul ac vocati fuerunt; eum statim insecuti sunt, ex amore erga illum; quanquam nondum audiuissent Euangelium, aut probe intellexissent ipsum esse Messiam & Filiũ Dei. Posteà verò, audita & percepta doctrina; etiam crediderunt id quod non videbant; nempe hunc esse Filium Dei. Sed non inficior, quin ex hac fide, posteà natus sit amor erga illum, quatenus etiam eum agnoscebant, non tam pro homine probo, quàm pro æterno Dei Filio, qui pro salute nostra venerit in Mundum. Amarunt ergò humano amore, quod viderunt, Christum scilicet quà homo est. & deinde crediderunt quod non viderunt, nempe eum esse Filium Dei, secundùm scilicet naturam diuinam.

XI. Vers. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. Confirmatio fidei Apostolorum. Vos credidistis, me exiuisse à Patre, & venisse in mundum: (per incarnationem scilicet) ita etiam res habet. Nam *Exiui à Patre*. (nascendo ex Patre) *Et veni in Mundum*: (per incarnationem) Ergò Deus verus & homo Christus. Perfectis autem omnibus iis, quæ mihi erant in Mundo perficienda; *iterum relinquo Mundum*, corporali præsentia. *Et proficiscor ad Patrem*; hac humanitate. Hic habemus summam Euangelij: primum caput est Christi natiuitas ex Patre; ideoque Christi deitas. *Exiui à Patre*. Secundum: Christi incarnatio, & humanitas; *Veni in Mundum*. Tertium: Christi officium in carne mortali pro salute nostra; vita, passio, mors. *Iterum relinquo Mundũ*, pro vobis scilicet, omnibus quæ pro Salute vestra erant perficienda in carne mortali, perfectis. Quartum: Christi resurrectio, ascensio in cœlum, sessio ad dextram Patris. *Et vado ad Patrem*. Quintum: Reconciliatio nostri cum Patre propter Christum: *Pater amat vos*. Sextum: Medium, quo hãc Patris beneuolentiam sentimus, fruimurque beneficio Christi: Fides nimirum efficax in Christum, per dilectionem. *Amastis me, & credidistis me à Deo exiuisse*. Septimum: summa religionis & cultus in quo occupari debemus, toto vitæ nostræ curriculo: Inuocatio nimirum, & cultus Patris per Christum Mediatorem, qui iam exauditus est pro nobis. *in illo die in nomine meo petetis*. Nomine enim petitionis, seu inuocationis, totus Dei cultus intelligitur. Hæc est summa Euangelij, in qua & persona Spiritus sancti includitur, de qua paulò ante versu 13. Includitur. n. illa voce. *In illa die*, seu tempore quo scilicet post meum ad Patrem discessum accipietis Spiritum paracletum. Hic apertum habemus Christi testimonium, de sua naturali ex Patre Deo natiuitate: illudque ex verbis Christi collectum, quibus ait: *Exiui à Patre*: Hoc enim nil aliud est, quàm Natus sum ex Patre: quemadmodũ ex cõtextu liquet Duo enim dicit: primùm, *Exiui à Patre*. Deinde *Et veni in Mundum*. Venisse autem in Mundum, significat de omniũ sententia Christum carnem assumsisse, & in carne sese manifestasse. Priùs autem exiuit à Patre quàm sese in carne manifestasset. vt verborum ordo docet. Quid igitur significat, Exiisse à Patre, ante incarnationẽ? nisi è Patre natũ esse, nã exire ex aliquo, pro nasci accipitur alibi quoq; in Scripturis: vt. *Ex te enim exibit dux &c qui regat: &c.* Mat. 2. 6. Idẽ ibi est verbũ quod etiã hic. Itẽ, He. 7. 5. additur de Lumbis, *egressi lumbis Abrahæ*. Idem liquet, ex fide Apostolorum de Christo. Hic enim ver. 27. ait, Apostolos credidisse, Christum exiuisse à Patre. Fides autem Apostolorum, quæ fuerit, apertè exprimitur apud Mat. *Tu es Christus Filius Dei viui*. Matt. 16. 19. Christum igitur exiuisse à Patre & esse Filium Dei viui, idem significant. Clariùs etiam idem liquet Ioh. 16. Fidem enim Apostolorum, quæ fuerit clariùs exprimens: *Nouerunt*, (inquit) *me a te exiuisse*. Io. 17. 8. En primũ Apostolorum fidei membrum, sequitur alterũ: *& crediderunt me a te missum esse*, hoc idem est, quod venisse in mundum. Duo autem hæc membra optime expressit Martha apud Iohan dicens: *Tu es Christus*. (Hoc est subiectum. Sequuntur duæ naturæ, quibus constat, nempe) *Filius Dei viui*, (en Deitatem) *qui in hunc mũdum venisti*. Io. 11. 27. En humanitatem. In hac includitur etiam officium: Quia si venit, venit propter salutẽ nostrã. Vnde Apostolus: *Christus* (inquit) *venit in hũc mundũ; vt peccatores saluos faceret*. 1. Ti. 1. 15. Ergo verbo Exiuisse à Patre, æterna & naturalis Filij natiuitas exprimitur. Idẽ liquet ex eo, quod hanc locutionẽ, Exiuisse à Patre, nusquam legimus de vllo, nisi de Christo. Et tamen multi alij, tam homines, quàm Angeli, leguntur missi fuisse à Deo. Ergo aliquid maius significat exiuisse à Patre, & quod nulli conueniat creaturæ. Quid autem illud esse potest, quàm natum esse naturaliter ex Patre? Neque enim dici potest exiuisse à Patre, carne: hanc enim non habet Pater: ergò, Deitate. Item, Si exiuit à Patre: erat igitur in Patre. Quid autem esse potest in Patre Deo, quod non sit eiusdem naturæ cũ Deo, imò Deus ipse? Quòd si excipias: Erat in Patre, quia exiuit e Patre: Ergo si exiuit, non est amplius in Patre. Responsio est facilis, Ita exiuit è Patre, vt sẽper tamen manserit in Patre. Sic ait Ioha. *Filius, qui est in sinu Patris*. Io. 1. 18. Exiuit etiam radius à Sole, & tamen non separatur à sole: sic Filius exiuit à Patre, vt tamẽ maneret in Patre. Ratio est: Quia generatio illa imperscrutabilis, cum sit immẽsi, facta ex immenso, non est facta extra Patrẽ, quemadmodũ nostra, Nos enim ita nati sumus ex nostris parentibus, vt simus extra parentes, & ab illis seiuncti. Sed intra Patrem illa est facta, quẽadmodum quum λόγος generatur à mente, & manet in mente, & apud mentem. Imò hinc magis confirmatur eius Deitas. Quum enim dicat in altero membro antitheseos: *iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem*: ratio antitheseos postulabat, vt diceret in priori membro; Reliqui Patrẽ, & veni in Mundum: iterũ relinquo mundum & vado ad Patrẽ. verùm non sic. sed ait ibi, *Exiui* Hic verò: *Relinquo*. Et verè, quà homo, reliquit Mundum, est enim corpus & anima Christi extra Mundum hunc, in cœlesti regno. Docet igitur se ita exiuisse à Patre, vt tamen nunquam reliquerit Patrem. Quare semper est in patre, eòque verus & viuus cum Patre Deus, quà λόγος. Nam duntaxat quatenus λόγος exiuit, id est, natus est, ex Patre Deo. nimirum ex Patris substantia.

Confirmatur hæc eadem sententia argumento Apostolorum. Nam vers. 30. Ex eo quòd Christus ostendebat se omnia scire: Apostoli aiunt, *Per hoc credimus* (hoc est, certò cognoscamus) *te à Deo exiuisse*. Quid hæc significant verba, Exiuisse à Deo: nisi Christum natum esse ex Deo, & Deum esse? Argumentum enim Apostolorum hoc est:

Tu omnia scis: Ergo tu verè ex Deo exiuisti, hoc est, natus es ex Deo Deus: est enim solius Dei, noscere omnia.

Idem colligitur ex altero Christi verbo, nempe ex verbo, *Veni in Mundum*. Christus venit in mundum, ergò antea erat extra mundum Neque enim dici potest aliquis venisse in vrbem: nisi priùs fuerit extra vrbem. Vnde non sine causa de homine puro, Christus suprà dixerat: *Quia natus est homo in Mundo*: non autem dixit. *quia venit homo in Mundum*. De se verò quum vult significare se factum esse hominem, ait, se venisse in mundum. Id quod de nullo vnquam puro homine memini me in Scripturis legisse: quòd, quum natus est, dicatur venisse in mundum, Neque verè potest dici: quia nemo mortalium antequam natus est: erat reapse extra mundum.

At inquies, etiam multi pseudoprophetæ dicuntur venisse in mundum.

Non de natiuitate illorum, sed de ingressu ad officium loquitur Iohannes. Quare cùm Christus, volens suam explicare incarnationem, dixerit, se venisse in Mundum: meritò inde colligimus, fuisse eum ante incarnationem extra mundum. Vbinam? in cœlesti regno apud Patrem. (Nam extra mundum nihil est, nisi cœleste regnum, vbi Deus regnat) ac proinde Christum ante incarnationem, fuisse rem subsistentem, & Deum apud Patrem. Hactenus consolatus est Apostolos: sequitur tertia pars.

X. Vers. 29. *Dicunt ei discipuli ecce nunc palam loqueris, nec prouerbium vllum dicis*. Relationem habent ista non solùm ad illa verba versus 17. *Quid est hoc quod dicit nobis. paulisper, & non videbitis me?* Quasi verò, propter auditam tãtum explicationem illorum verborum, in hæc verba exclamârint Apostoli: *Ecce nunc palam loqueris*: sed imprimis referuntur ad illam Euangelij summariam explicationem, quæ habetur in

tur in ver. 26.27.28. Est enim ibi summa Euangelij. Ap stolis igitur, ex tota hac Christi oratione se sentiunt non mediocriter affectos cōsolatione, & Spiritus sancti lumine illustratos. Fuit enim in illis efficax Christi oratio. Audita igitur & intellecta illa Euangelij summam hęc verba pręgaudio exclamarunt: *Ecce nunc apertè loqueris.*

Duo autem obseruemus in verbis Apostolorum: primum Apostolis non parum consolationis & lucis ad agnoscendum Christum, & ad intelligendam Euangelij summam, ex hac Christi oratione accessisse: vt verè testari possent, Christi verba non esse obscura & ænigmatica. Ideo exultãtes dicũt: *Ecce nunc palã loqueris, &c.* Deinde; eosdē tamē ex hac parua diuinæ lucis ac sapientiæ scintilla, nimium sibi præsumpsisse. Putārũt enim nihil sibi ampliùs posse videri obscurum: sed ad summum sapientię gradum se peruenisse. Huius erroris causa fuit, quòd ignorabant, qualibus & quantis diuitiis ditandi postea forent, post acceptum Spiritum sanctum.

Accidit ergo illis, quod paruulis etiã alicuius ditissimi parentis liberis: qui accepto aliquo nummo aureo, videntur sibi esse ditissimi, & nihil sibi ampliùs posse deesse. imò nō posse fieri ditiores: cùm tamen id nihil sit, præ amplissimis Thesauris, quos suo tempore sunt accepturi. Versic. 30. *Nunc scimus, quod scis omnia, nec opus est, vt quis te interroget. Per hoc credimus, quòd à Deo existi.* Hoc ideò dicunt, primùm, quia Christus paulò antè viderat internam ipsorum tristitiam: dicēs. *sed tristitia impleuit cor vestrũ.* Deinde, quia nouerat illorũ volũtatem, qua volebãt eum interrogare de istis verbis, *Paulisper non videbitis me.* Tertiò: Quia (quod maius est) nouerat voluntatem & amorem Patris erga Apostolos: *Pater* (inquit) *amat vos*: quasi dicat, hoc certò scio, vos à Patre amari. Hinc collegerũt, eum omnia scire, & humana scilicet, quia nouerat corda Apostolorum: & diuina, quia nouerat mētem & cor Patris. Ex hac verò Christi plena rerum omniũ quarumuis abstrusarum cognitione, confirmati in fide de eius Deitate, concludunt, eum verè à Deo exiuisse, hoc est, natum esse ex Patre, vt antè exposuimus; eóque verum esse Deum. Hinc igitur, non tam in hoc, quàm in præcedentibus versibus 27. & 28. habemus apertum Christi, de ipsius Deitate testimonium & argumentum.

## CAPVT X.

### Capitis 17. Ioh. expositio: Et argumenta pro Deitate Christi inde deprompta.

#### *Testim. XV. Christi ex Iohan. 17. vers. 1. & sequent.*

Hic Christus Deum inuocat, & Patrem appellat: seque eius vocat Filium, quo autem sensu, ex ipsa Christi precatione facile liquet. Non persequar singula, breuitatis gratia, sed ea tantùm, quæ ad rem nostram pertinent. Sunt autem in hac precatione tria præcipua capita consideranda: primum, Quis roget: alterum, Quis rogetur: tertium, Quid petatur. Faciunt plurimùm hæc tria capita ad rem nostram. Quod ad primum attinet, scimus Christum in hac precatione, eum esse qui rogat: sed hoc facit non quatenus homo tantùm, sed simul etiam, quatenus Filius Dei est naturalis, sed manifestatus in carne, hoc est, quatenus est Pontifex, & pro Mediatoris officio. Triplex enim erat in lege Pontificis officium: Docere, orare, offerre. Docere: nēpe populũ legem, & volũtatem Domini. Orare: nimirum pro populo, & pro se. Postremò, sacrificia offerre pro peccatis, tam suis, quàm totius populi. Christus igitur verus Pontifex & Mediator primùm docuit populum suum voluntatem Patris: nempe, quæcunque ad salutem, cognitu erãt necessaria. *Quæcunque audiui* (inquit) *à Patre, nota feci vobis.* Iohã. 15. 15. Ita patefecit primum Pōtificis officium. Hanc doctrinam hucusque recitauit Iohannes. Deinde orauit cùm aliàs, tum præcipuè paulo antequam accederet ad offerendum sui corporis sacrificium: & orauit tum pro se, tum pro suo populo. Hanc orationem describit hic quàm diligentissimè idem Euangelista. Postremò obtulit sacrificium corporis sui, pro expiatione peccatorum nostrorum. Hanc oblationem, post explicatam præsentem & solemnem precationem, breui explicatione proponet, post alios Euangelistas, ipse etiam Iohannes. Ita iis tribus officiis peractis: declarauit Christus se verum esse Pontificem nostrum. Quare firmiter retinendum est, hic Christum tanquam verum Pontificem hanc habuisse precationem. Oportebat autem hunc Pontificem & Mediatorem, Filium Dei & hominis esse.

II. Alterum caput est: quemnam precatus sit Christus. Notandum igitur est, Christum Pontificem hanc suam precationem propriè & immediatè direxisse ad personam sui Patris; ex hoc enim genitus est: ab ipso etiam missus in Mundum: & apud hunc, suam habuit gloriam ante Mundi constitutionem. Cæterùm hinc minimè consequitur, aut sit negatam Filij & Spiritus sancti personam seperari, aut propterea Filium sibi ipsi supplicare. Ratio contra primum absurdum est, quia sua oratio dirigitur ad Patrem, dirigitur ad totam Patris essentiam, quæ communis est Filio & Spiritui sancto. Ratio contra secundum est: Quia etiamsi non negat hic, vt idem cum Patre Deus sit & rogetur, sed Filius Dei, & hominis, idque in terris positus Sanctum mediatorem. Radius Solis, qui è Sole natus in terramque descendat, si se e terra connectat Solem versus, illique supplicet, vt velit se nubium caligine liberare: principium non tantum Soli, sed toti ipsi Luci, quę in Sole est, & quę ipsius etiam est Radij lux, supplicare dicetur. Ratio est, quia Lux à Sole, & à Radio ipso, non separatur: cùm Sol nil aliud propriè sit, quàm Lux in corpore Solari: & Radius, essentialiter nihil aliud sit quàm Lux in Radio, è Sole natus: neque tamen id dici potest, Radius, supplicare sibi ipsi: non enim supplicaret, quatenus est eadem Lux cũ Sole: sed quatenus Radius, à Sole dependens, & in terram à Sole demissus. Ita cogitandum est de Christo. Tota Deitatis lux, quæ est in Patre, est etiam in Filio. Hoc verum est. Et ita essentialiter, Filius idē est quod Pater: neque hoc respectu, Christus rogat Patrem. Sed idem est etiam considerandus, vt & Filius à Patre natus, & quà à Patre demissus, & à Patre in terram per carnis assumptionē missus, cum hoc officio sibi peculiariter iniuncto, vt Mundum illuminet, & diuinę naturę participem (vt Petrus loquitur 2. 1. 4) efficiat. Hoc itaq; respectu, Filius ita rogat Patrem, vt non rogetur seipsum. Expediuisse hoc solum nobis videor: qui tamen fusius etiam explicabitur, cùm ad Antichristorum Sophismata refellenda venerimus.

III. Tertium superest explicandum: nempe, quid propriè Christus petierit, quum in prima huiusce precationis parte petiit, se à Patre glorificari. Quia hîc Christus precatur Patrem suum, quatenus Mediator, ac Pontifex est, est autem talis non solùm quatenus homo est, sed etiam quatenus Filius Dei naturalis: idcirco gloria hæc, quam petit se glorificari, pertinet non solùm ad humanitatem: sed etiam ad ipsius Deitatem, vt mox explicabo. Ergò ad humanam naturam quod attinet, petit sui corporis, postequàm mortuum, & sepultum fuerit, à mortuis ad vitam excitationem, & tam animæ, quàm corporis glorificationem, & ad dexteram Patris in cœlis sessionem, plenamque super omnia auctoritatem, quemadmodum etiã ante Mundi constitutionem, eam quà λόγος erat, habuerat, & habebat. De hac re nemo dubitat. Hanc etiam glorificationem explicat Apostolus dicens: *Propter quod & Deus exaltauit illum.* Phil. 2. 9.

Quod verò attinet ad suæ Deitatis gloriam, petit, vt ea pateat orbi, & per totum illustretur Mundum, hoc est, cognoscatur, quis sit: nempe, non homo tantùm iustus, & innocens: sed verus Dei Filius, eóque verus Deus, & totius Mundi seruator; qui sui corporis sacrificio per Spiritum suũ æternum oblato, Mundi peccata expiarit: & proinde, vt pro tali ab omnibus Electis fide recipiatur, & colatur. Hoc est præcipuum suæ petitionis caput. Hæc enim cognitio, non solùm pertinebat ad gloriã Patris, quia inde erat Pater glorificandus: sed etiam ad salutem Electorum, quemadmodum vtrumque docet hîc Christus. Vtriusque huiusce gloriæ apertum est ad Philippenses testimonium. Dixi autem hanc suæ Deitatis patefactionem fuisse primum petitionis Christi caput: quoniã ad hanc, ipsa etiã corporis & animæ glorificatio, sessióque ad dextram in excelsis pertinebat.

Duobus autem quod dico, similibus planũ faciã. Esto vas aliquod vitreum, in quo accensa sit Candela, sed vas tanto fimo & luto sit circumquaque obductum, vt lux inde refulgere non possit, deinde in angulo etiam domus iaceat; ita vt non possit ab omnibus conspici, vas autem ipsum, petat tum repurgari, & illustrari: tum ita repurgatum, in sublimi & nō illuo loco cœnaculi, seu hypocausti collocari. Quorsum hæc spectaret petitio? Eò profectò, vt inclusa lux, vniuersis, qui in cœnaculo sunt, clariùs patefieri & communicari posset. Eōdem planè spectat petitio, qua Christus petit suam humanitatem, in qua inhabitabat lux Deitatis, glorificari, & ad dextram Patris super cœlos omnes collocari. Alterum simile: Si radius solis crassa nigráque nube ita obductus sit, vt non queat nobis suum patefacere splendorem,

ac proinde à Sole petat, eum à se depelli nubem, & ita illustrari, quotius n spectaret hæc Radij illustratio? Nemo certè est, qui non videat. Ita planè humanæ etiam naturæ in Christo, quam petebat glorificatio, & ad dextram Patris in cœlestibus sessio, ad ipsius Christi tùm iustitiæ, tùm Deitatis patefactionem spectabat. nam euectus in cœlum, erat inde Spiritum sanctum missurus, variaque dona Ecclesiæ largiter communicaturus: atque ita instar Solis pulsa nubium, hoc est, corruptionis, passionis, & mortis caligine, splendorem suæ Deitatis per illas Spiritus sancti linguas & dona, quasi per Radios in terram demissos, toti orbi patefacturus. Ideo igitur petiit corporis glorificationem, vt patefieret cum primis suæ Deitatis gloria: & hinc agnosceretur pro vero Deo, veroque Mundi Seruatore. Nunc tenemus, quid petierit Christus, tam quod ad humanitatem, quàm quod ad Deitatem attinebat. Quod verò dixi, Christum in hac precatione, petiisse non solum suæ humanitatis glorificationem, verum etiam suæ Deitatis illustrem manifestationem, aliquot adducor rationibus, partim ex contextu, partim aliunde collectis, quas in ipsa contextus explicatione patefaciam.

IV. Venio iam ad precationem. Scopus Christi fuit Apostolos consolari, & vero efficere gaudio: liquet hoc ex ver. 13. Huc spectat, & horum commendatio, & omnis petitio. Dum enim petit tam magnifica & ampla bona, tam pro se, quàm pro Apostolis, & pro tota Ecclesia, ostendit quid post, & propter suam mortem consecuturus sit à Patre & impetraturus, sibi, Apostolis, toti Ecclesiæ. Omnia autem hæc ad maximam faciebant consolationem Apostolorum. Precatur autem Christus pro se, deinde pro Apostolis: tertiò pro tota Ecclesia. Prima pars continetur primis quinque versibus. Hic Christus vt Pontifex, consecrat se Patri: & ei pro se, hoc est, pro sua glorificatione supplicat. In altera consecrat, & commendat eidem Patri suo, Apostolos: & pro eorum salute, & conseruatione precatur. In tertia precatur pro omnibus Electis seu pro tota Ecclesia, eamque Patri consecrat, sanctificat, commendat. Proinde verè, & meritò precatio hæc dicitur esse fundamentum totius Ecclesiæ à condito orbe, ad finem vsque seculorum. Habuit enim hæc Christi precatio iam à condito orbe, habet, & habitura est suam in omnibus Electis, è quibus constat Ecclesia, efficacitatem: Et plena est maximis consolationibus. Priorem partem cogor explicare, quia inde imprimis liquet, an Christus sit tantùm homo, an verò etiam Filius Dei natura, eoque verus Deus, nec ne sit. In aliis duabus partibus, non immorabor. Hæc autem est analysis. Tota hæc prima precationis Christi pars, post præfationem, constat propositione, & tribus rationibus, quibus petitio demonstratur ita esse honesta pro gloria Patris, proque salute Ecclesiæ, vt non debeat non exaudiri. Præfatiuncula Christi hæc est: *Pater venit hora*. Cuius rei hora? nempe passionis, crucis, mortis: in qua offerendum est sacrificium corporis mei, pro salute Mundi. De hac hora alibi sæpè, præsertim Ioh. 12. 27. Pater seruato me ex hac hora: sed propterea veni in hanc horam. Pater illustra nomen tuum. Hæc præfatiuncula ostendit occasionem, vnde permotus sit ad habendam hanc præsentem precationem: nempe inde, quòd instabat hora passionis, crucis, mortis, qua futurum erat, vt desertus à suis quoque Discipulis, & de grauissimis sceleribus accusatus, ab omnibus haberetur non solùm pro puro homine, sed etiam pro homine sceleratissimo: quanta verò hæc ignominia in Filium Dei? Ac si non fuisset paulò post glorificatus, hoc est, à mortuis excitatus, & in cœlum euectus: magis ac magis fuisset hæc opinio in animis omnium hominum confirmata: atque ita & gloria Patris, simul cum gloria Filij obscurata, & salus electorum impedita. Hinc igitur permotus Christus patrem adit, se illi consecrat, & rogat, vt se glorificet. Quare sensus horum verborum hic est: Pater venit hora illa, à te mihi ad hoc destinata, nempe, vt hoc meum corpus in mortem tradam, pro expiatione peccatorum totius Mundi: hoc libentissimè & ex animo, summoque desiderio facio: & vt hoc sacrificium tibi sit acceptum cupio, & rogo. Cæterùm, quia hæc mea mors futura est cum maxima & mei infamia, & omnium etiam Discipulorum offensione: & nisi propediem à mortuis excitet, futurum est, vt à nemine agnoscar quis sim: homo scilicet iustus, Filius verè tuus naturalis, & seruator mundi: atque ita futurum est, vt & tua gloria obscuretur & salus Ecclesiæ impediatur: idcircò Pater, vt me glorifices Filium tuum, peto, & rogo. Hæc est præfatiuncula Christi. Sequitur ergo propositio. *Pater glorifica filium tuum*. His verbis petit (vt antè explicaui) partim sui corporis à morte resurrectionem, & tam animæ quàm corporis glorificationem, in cœlum ascensionem, ad dextram patris sessionem: Et ita suæ innocentiæ qua homo est, manifestationem: partim suæ naturalis ex Patre filiationis, & Deitatis illustrem declarationem, & patefactionem: idque, vt inde etiam pro vero Mundi seruatore ab omnibus Electis agnoscamus, & agnitus fide reciperetur, colaturque: & ita tandem illi seruentur. Hæc est summa petitionis Christi. Sequūtur iam rationes, quibus demonstrat Christus, talem esse hanc petitionem, vt non debeat non exaudiri. Hoc autem fecit, nō patris sed Apostolorū, qui audiebant, & nostri, qui legimus, causa. Prima ratio, à principe primariaque finali causa, quę est gloria Dei, sumitur: Hinc subiicit, quùm ait:

V. *Vt & filius tuus glorificet te*. Ratio sic formatur.

Illa cumprimis oratio, Pater, tibi exaudienda est, qua illud potissimùm petitur, quod ad tuā gloriā facit quàm maximè, & citra quod glorificari nequis. Est enim in omnibus, & antè omnia quærenda tua gloria.

Atqui talis est mea precatio. Nō enim mea tātùm de causa, Pater, peto me glorificari: sed ob tuam cumprimis gloriam, quæ supra omnia mihi quærenda est. Non possum autem te plenè glorificare, tuamque gloriam promouere, nisi prius à te glorificatus, hoc est, resuscitatus à mortuis, iustificatus in Spiritu, euectus in gloriam, exaltatus ad dextram tuam, misso inde Spiritu toti mundo vbi sim, & quis sim, nempe non solum homo iustus, sed Filius tuus, verus Deus, eoque verus mundi seruator, luculenter patefiam.

Ergò glorificare debes me Filium tuum, vt & Filius tuus glorificet te.

Hæc est prima ac principalis ratio. Hic verò apertum colligimus argumentum pro Deitate Christi in hanc formam: Christus petiit à Patre, suam Deitatem patefieri, ergò in eo erat Deitas. Antecedentis probatio, hic incipit. Ex hac enim prima ratione liquet, quæ sit illa gloria, quā petit Filius glorificari: vt & ipse possit glorificare Patrem. Nempe, non solùm humanæ naturæ exaltatio sed etiam diuinæ patefactio, & illustratio. Quum enim ait: *Pater glorifica Filium, vt & Filius tuus glorificet te*: primò docet, tum demum se à Patre glorificatum iri, quùm fuerit à Patre tum signis & miraculis, tum suscitatione à mortuis, totiusque humanæ naturæ glorificatione, tum missione Spiritus sancti, tum denique per Spiritum sanctū in Apostolis loquentem, & operantem, declaratus verus & naturalis Dei Filius, eoque totius Mundi seruator, & pro tali adoratus, & fide receptus: de qua glorificatione, ait Apostolus: *Declaratus est Filius Dei*. Rom. 1. 4. Et ad Philip. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur*. Phil. 2. 10. Et ad Timoth. *Deus manifestat' est in carne, iustificatus in Spiritu, &c.* 1 Tim. 3. 16 Deinde etiam significat, tum quoque patris gloriam, per Filii vicissim promotum iri: quùm ex agnito Filio, agnitus etiam fuerit Deus, verus esse pater Domini nostri Iesu Christi, esseque ille, qui ita dilexit Mundum vt Filium suum vnigenitum dederit, vt omnis in ipsum credēs, habeat vitam æternam. Et ita etiam res ipsa docuit. Pater enim glorificauit Filium: quùm declarauit illum Iesum crucifixum, suum esse, vnigenitum ac naturalem Filium: & proinde verum Mundi seruatorem. Filius vicissim glorificauit Patrem, quùm patefecit eum, à quo missus fuit, esse Deum: & hunc suum esse Patrem totiusque salutis auctorem. Gloria igitur quam petit, patefactio est cùm primis suę naturalis ex Patre filiationis. Confirmatur hæc sententia illo dicto: *Et vidimus gloriam eius, gloriam vt vnigeniti à Patre* (scilicet egressi & nati) Io. 1. 14 Docet his verbis quæ sit gloria Christi: nempe quòd Filius sit vnigenitus, è Patre Deo natus, eoque verus cum Patre Deus. Et Christus ipse ait, se hanc gloriam dedisse Apostolis, & Fidelibus omnibus, quam accepit à Patre, nempe, vt sicut ipse est vnigenitus Dei Filius: sic ipsi fiant Filij Dei. Io. 17. 22. Hoc enim Ioh. explicauit, dicēs: *Quotquot autē receperūt eū, dedit eis hanc autoritatē, ἐξουσίαν vt fiant Filij Dei*, Io. 1. 12. Gloria igitur Christi est, quòd sit Filius Dei naturalis, eoque verus Deus. Sequitur ratio altera.

VI. Versic. 2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt quotquot dedisti ei, det eis vitam æternā. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Construitur hic versus cum superiori, hoc modo: Sic glorifica Filium tuum, sicut etiam ei dedisti potestatem omnis carnis, &c. Nam sensus hic est: Sicut dedisti mihi Filio tuo potestatem in omnem carnem, idque vt omnibus inde Electis dem vitā æternam: vitam autem hāc dare illis nō possum, nisi & ego glorificer, hoc est, agnoscar quis sim: & tu Pater, per me glorificatum glorificeris: (Nam vita æterna hæc est, vt agnoscant te) Sic igitur debes glorificare Filium tuum, vt ipse glorificatus glorificet te, & ex vtriusque glorificatione Ecclesia seruetur. Proinde illa

particula

particula καθὼς, sicut, vim habet particulæ causalis, Quia: quasi dicat, Quia dedisti ei potestatem, vt det vitam: Et hanc vitam dare non potest, nisi glorificatus. debes igitur eum glorificare, vt possit dare vitam.

Est igitur hîc altera ratio, qua probat ab altero, & secundario fine huius petitionis: (Hic autem finis, salus est Ecclesiæ) necessariam esse sui, & per se, Patris glorificationem. Ratio verò sic formatur.

Omnino curare debes, ô Pater, vt possim præstare id, cuius causa dedisti mihi potestatem in omnem carnem: nimirum, vt quotquot dedisti mihi, nempe Electis, reipsa dem vitam æternam, ita vt ipsi eam percipiant, & viuant. Nam in hunc finem dedisti Filio tuo potestatem in omnem carnē, vt quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.

Atqui vt hoc fiat, necesse est, vt & ego à te glorificer, & tu à me glorificatus glorificeris, hoc est, vt electis patefiat primùm quidem mea gloria, quis sim, nempe non solùm homo sine peccato, sed etiam Filius tuus naturalis, verúsque Deus, ac proinde perfectus Pontifex, cui data est auctoritas in omnem carnem: & cui omnes Electi concrediti sunt, iniunctúmque est hoc officium, vt det eis vitā æternam: hæc est enim mea gloria. Deinde necesse est, vt ex perspecta hac mea gloria, tua quoque illis innotescat: nimirum vt agnoscant Te, hoc est, cū quem semper dixi meum esse Patrem, agnoscant, inquam, Te, esse illum verum, qui vnicus & solus est, Deum, ac proinde qualis sis, quàm potens, quàm sapiens, quàm bonus, quàm erga homines misericors: qui sic mundum dilexisti, vt me vnicum Filium tuum illis dederis, vt omnis qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Hæc est enim vita æterna, vt agnoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

Ergo cùm in hac cognitione sita sit salus Electorum, & hæc cognitio sit illa gloria, qua peto, me per te, & Te, per me glorificari: idcirco salus Ecclesiæ postulat, vt Tu glorifices Filium tuum: vt & ipse Filius glorificet te.

Ad hanc alteram rationem quod attinet: ratio propositionis in versu est secūdo. Ratio autem assumptionis, in versu tertio. Propositio cū sua probatione, hæc est, Debes omnino Pater curare, vt dem vitam æternā Electis In hunc enim finem dedisti mihi potestatem in omnem carnem, vt quotquot dedisti mihi, vitam æternam dem eis. Sequitur assumptio. Atqui hoc non possum facere nisi glorificatus: hoc est, nisi agnoscar, &c. vt antè explicatū est. Ratio assumptionis: *Hæc est enim vita æterna, &c.* Sensus secundi versus est perspicuus, tam si consideres Christum, quà Filius est Dei naturalis, & Deus: quàm si eundem contempleris, quatenus est talis homo. Nā quà Filius Dei est, ipséque Deus: sicut quicquid est à Patre est: sic etiam quicquid habet, à Patre habet: Ac proinde omnem etiam auctoritatem quam habet in omnem carnem, id est, in omnes homines, omnésque creaturas à Patre acceperit, oportet. Ita etiam ante Mundi constitutionem omnes Electi traditi fuerunt ei: tanquam designato, imò constituto Mediatori, vt daret eis vitam æternā, Eph. 1. 4. 5. &c. Quà verò Filius est hominis, nemo dubitat quin data sit illi hæc auctoritas à Patre. Sed propriè considerandus hic est Christus, quatenus personam Pontificis sustinebat. Est igitur perspicuus versus secundi sensus. Sed versus tertius plus habet difficultatis.

VII. Vers. 3. *Hæc est autem vita æterna.* Omnes interpretes sic vertunt: *vt cognoscant te solum verum Deum, &c.* Interpretatio verò diuersa. Iustinus in Dialogo cū Tryphone, quē alij etiā nōnulli contra Arianos disputantes secuti sūt sic interpretatur. Hæc est vita æterna: vt Electi agnoscāt te (solum) ô Pater, & (solum) quem misisti Iesum Christum, (esse) verum Deum. Hanc ideò adferebant interpretationem, vt responderent Arianis, qui ex his verbis Christi colligebant solum Patrem esse verū Deum. Sed hac interpretatione, quomodo responderint Macedonianis: qui hoc etiā loco abutebantur, ad probandum Spiritum sanctū non esse verum Deum? Si enim solus Pater, & solus Filius, verus sunt Deus: profectò excluditur Spiritus sanctus. Alii igitur Patres, quos ferè nostri omnes sequuntur, sic interpretantur: vt voce *Patris*, ipsam quidem Patris personam, intelligant: sed illa voce *Solum*, excludant tātùm omnes ab hominibus fabricatos, & fictitios Deos: non autem Filiū, vel Spiritum Sanctum. Cùm enim Scriptura non solùm Patris personam, sed etiam Filium, & Spiritum sanctū multis in locis appellet Deum: próque vero agnoscat Deo: idcircò contendebant hac dictione, *Solum*, non excludi Filiū, nec Spiritū sanctum: quando omnes tres, vnus tantùm sunt Deus. Et huc facere illud Apostoli: *Etsi multi sunt, qui dicuntur Dij: nobis tamen est Deus, qui est Pater.* 1. Cor 8. 6. Hic enim nomine vnius Dei, excludi multitudinem fictitiorum deorum. In nomine autem Patris, includi Filium, & Spiritum sanctum. Sed Patris nomen poni, quia sit principium Deitatis. Nomine verò Domini, qui est Christus, intelligi Filium, non simpliciter, quà vnus est Deus cum Patre, & Spiritu sancto: (sic enim cōprehendi in nomine Patris) sed quatenus consideratur in carne: cum officio mediatoris sibi iniuncto: sic enim est verè Christus, hoc est, Deus & homo, Mediator & Dominus. Hæc est interpretatio recepta. Alii tamen nomine Patris intelligunt non ipsam Patris personam tantùm: sed totam diuinam essentiam, hoc est, Iehouam. Et ita etiam Christum, quatenus consideratur extra carnem in sua simplici maiestate, & gloria: volunt significari nomine patris: Quatenus scilicet nomen patris non restringitur ad personam Patris: sed extenditur ad totam essentiam, quæ vna est omnium trium personarum. Quum igitur Christus ait: *Vt cognoscant te solum* significari aiunt, totam Trinitatem sub nomine patris. Quum verò subdit, *& quem misisti, &c.* de se loqui, quatenus Mediator & Pontifex est: Ita locum hunc, Arianis non fauere. Cæterùm dictum est, Christum in hac precatione, propriè patris sui personam allocutum fuisse, vt manifestum est. Idcirco nomine patris, hoc in loco non possum intelligere totam ipsam diuinam οὐσίαν, quatenus eā significantur, tam Filius & Spiritus sanctus, quàm Pater. Nūc ergo quæ mihi videatur genuina interpretatio huius loci, quo nemo hæreticorum non est abusus contra Deitatem Christi breuiter dicam, eam autē, ex ipsismet Christi verbis colligo.

VIII. Principiò verba Christi græcè sic habent: *αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν.* Articulus præpositus dictioni *μόνον θεὸν*, docet sic esse vertenda verba: *Hæc est autem vita æterna, vt* (Electi) *agnoscant te, illum solum verum Deum,* [nempe, esse quem scilicet Scripturæ prædicant.] Non enim dictio *μόνον*, cum pronomine, *σε*. id est, cum subiecto coniungitur, vt dicamus: *Te solum.* Sed cum dictione *ἀληθινὸν θεὸν*, hoc est, cum prædicato. Porrò *Μόνος*, significat vnum tātū; vnde *μονὰς*, vnitas. Et illud pronomen, *σε*, refertur immediatè ad patris personam, quam alloquitur Christus. Et nomen cognitionis, accipitur pro vera cognitione, quæ cum fiducia coniuncta est. Hæc enim demum, vitam adfert æternam. Sensus igitur est: vita æterna posita est partim in vera cognitione illius veri & vnici Dei: nempe, qui omnia condidit, qui omnia regit, qui solus potest seruare: cuius gloriam enarrant cœli, quem denique scripturæ vbique prædicant, & vnum tantùm esse docent: partim etiam in cognitione veri Christi seu Messiæ, ac Mediatoris: per quem scilicet solum salus contingit. Hæc propositio certissima est, & vbique in scripturis occurrit; per fidem scilicet in Mediatorem, & in Deum verum, homines seruati. Atqui Tu ô Pater mi, ex quo ego natus sum, es ille solus vnicus ac verus Deus: Et ego Iesus, quem ex te natum, misisti in Mundum, sum verus ille Christus. Ergo vita æterna in hoc posita est, vt homines agnoscant Te, ô mi Pater, ex quo ego natus sum, & quem perpetuò prædicaui, esse illum vnicum, & verum Deum. Et me Filium tuum, quem in hunc finem misisti in Mundum, ex officio esse Christum, Messiam, Mediatorem, eóq. Seruatorē. Si sic explicetur hic versus, liquidò apparet, primò, Patrem Christi esse illum verum & vnicum Deum, quem Scripturæ prædicant. Secundò apparet, Christum esse huius vnici & veri Dei Filium: ex eo in cœlesti regno natum: tū quia singulariter se, Filiū eius vocat, & illū, suum Patrē: tum quia dicit, se ab eo missum, nempe è cœlo, vt alibi explicat. Tertiò manifestissimè apparet à nomine veri & vnici Dei; non excludi neque Filiū, neque Spiritum sanctum. Tantùm enim asseritur, Patrē Christi esse illum verum, & vnicum Deum: extra quem non est Deus, vt Scripturæ prædicant, hoc est, esse Iehouā. Quis autem hoc neget? Sed ex hac indefinita propositione, Pater Christi est ille verus & vnicus Deus, extra quem non est Deus, quis inferre queat, Christum eius Filium, & Spiritum sanctum, ab vtroque procedentem, non esse illum verum & vnicum Deum? cùm enim illa dictio *μόνον*, non coniungatur cum Patre, sed cum *ἀληθινὸν θεὸν*: non asseritur, solum Patrem esse verum Deum: Ac proinde non excluditur, Filius, aut Spiritus sanctus, quin sint cum Patre ille verus Deus, sed tantùm docetur, vnicum esse verum Deum, & non plures: & ita asseritur, Patrem Christi esse hunc vnicum & verum Deum vt interim non negetur, Filium & Spiritum sanctum hunc esse verum Deum. Si enim quis dicat, sol est illa vnica vera Lux, quæ Mundum illuminat, & extra quam non est alia: sequitúrne ergo, Radius non est illa vera lux? Proinde liquet, hunc locum nihil facere pro Arianis contra Filium Dei: neque fauere Macedonianis contra Spiritum sanctum. Imò contra apparet, Christum talem esse Dei Patris Filiū, qui & ipse Deus sit. Nam si vnus tantùm est verus Deus, & Pater est iste Deus, Christus verò, vnicus huius Patris Filius,

è cœlo in Mundum missus, vt esset Christus, hoc est, Mediator, & Iesus, hoc est Seruator; Et tam in huius, quàm in Patris cognitione ac fide, posita est vita æterna: effici, vt, Christum eiusdem esse cum Patre naturæ, & maiestatis, atque potentiæ; Ac proinde hunc non minus quam Patrem, esse illum vnicum, & verum Deum. Hoc verò postremum; Christum scilicet ita Filium Dei Patris esse, vt sit vnus cum Patre Deus: confirmatur tota hac altera Christi argumentatione, quam iam explicatam, nunc simili illustro.

IX. Esto Radius è Sole quidem reuera natus, & in terram propter vitam animantium demissus: sed tali tamen nube, crassa nimirum & tenebricosa obductus, vt nihil minus quàm Radius Solaris esse videatur: Esto, inquam, talis Radius, qui Solem vti parentem suum, in hunc alloquatur & precetur modum: Pater Sol, necesse est vt me hac nubis caligine, pro mortalium salute purges ac liberes. Nam vna ex parte, tu quidem reuera es ille vnicus & verus Sol, veraq; lux, quę sola potest omnia illuminare, & viuificare: & extra quam, non est alia vera lux. Tu me præterea genuisti ex te: & genitum misisti in Mūdum hac nube obductum: quo me possunt mortalium perferre ac sustinere oculi. Dedisti porro mihi auctoritatem in omnem carnem, hoc est, in omnia animantia: idque vt hominibus, quos mihi cum primis cōmendasti, lucem ac vitam communicem: ac proinde misisti me, vt sim ceu Mediator quidam, inter te, qui es in cœlo, & inter homines, qui versantur in terra, per quē Mediatorem, tua illis lux communicetur. Atque huius certè lucis & vitæ, reipsa illi facti fuissent, fierentque participes, nisi offensi hac, qua totus sum obiectus, nubis caligine, & tenebrositate, oculos à me auerterent, méque auersarentur. & verè crederent, me verum esse tuum Radium, & à te esse cùm natū, tum missum. Ac ad me quidē quod attinet, ego illis apertè prędicaui, illum quidem è quo natus sum, & à quo fui in terram missus, esse illum vnicum & verum Solem, extra quē non est alius, & qui solus potest illos illuminare & viuificare, Me autem verum, & naturalem esse illius Radium, ab eo in terram missum, vt per me, tanquam per vnicum, & verum medium, tua lux tota in me collocata, illis etiam communicetur, modò ad me accedant, & oculos aperiant: ac proinde multis, & sine intermissione per annos multos hortatus illos sum, ad me accederent, & oculos in me apertos defigerent, tanquam in verum veri Solis radium, per quem solum lucis possunt fieri & vitæ participes; hæc verissima sunt, & quæ ad me pertinebant, quàm diligentissimè præstiti. Sed altera ex parte, plerique omnes offensi huius nubis crassa caligine, qua sum obductus, nihil minùs credere, & agnoscere voluerunt, vel etiam potuerunt, quàm aut eum, hoc est Te, è quo dicebam esse natum, & in terras pro illorum salute demissum, esse illum verum & vnicum Solem qui residet in cœlis, extra quem non est alius, & in quo vno omnis lux sine vllis tenebris, residet; aut me verum esse illius Radium, ex eo natum, ab eo missum & in quo plenitudo lucis inhabitat: verum denique esse medium, per quod vnum illuminati & viuificari possint: Idque nulla alia de causa credere, & agnoscere non potuerūt: nisi quòd offensi huiusce nubis, quibus obductus sum, tenebris, putarūt omnino me nihil aliud esse, quàm densam, & nigram nubē; tametsi multis alioqui bonis, & vitalibus effectis, quæ certè à crassa nube pręstari non possunt, ostenderim sub hac nube, virtutem Solis, hoc est lucem ipsam viuificā latère. Verùm illi, nihil eorum, quæ egi, perpendentes, sed hanc tantùm crassam nubem, crassissimis oculis intuentes, vsque adeò non potuerunt credere eum, à quo dicebam me natū & missum, esse illum verum & vnicum, qui in cœlis habitat, Solem, & me illius esse Radium, in quo tota Solis lux sit posita: vt potiùs, quia hæc dicebam, iudicârint, & dixerint, me esse mendacem & blasphemum: quòd cùm sim (illorum iudicio) cæca & rudis nubes, facerem me verum Soli Radiū, atque adeò ipsam Solis lucem. Ita factum est occasione huius densissimæ, qua sum obiectus, nubis: vt homines non agnouerint, neque Te meum esse Patrem, Patrémque meū, esse illum vnicum & verum Solem: neque Me tuum esse Radium, quem in terram miseris pro ipsorum salute. Ac proinde hac ignorantia factum est, vt auersis à me oculis, méque detestati & execrati, lucis & vitæ maneant expertes. Ac certum est, dū manserit hæc nubes, qua circundatus sum, talis, qualis iam est, nullum ferè agniturum, aut me pro vero tuo Radio: aut illum à quo dico me esse natum, & missum, nempe Te, pro vero & vnico illo Sole, extra quem non est alius. Quantò vero minus hoc agnoscent: quum fuerit hæc nubes facta etiam tenebricosior? id quod breui futurum est, tēpore scilicet tenebrarum & noctis. Ita fiet, vt omnes maneāt in tenebris, & in morte. Ergo Pater, si tibi curę, & cordi est hominum salus, quorum causa me misisti in Mundum necesse est, me hac nubis caligine liberes, & è tenebris, quibus iam obruendus sum, eripias, & omni obscuritate liberatum, Mundo illustrem reddas, efficiasque vt agnoscant me verum & natiuum esse tuum Radium, eóque illum, à quo natum & missum me esse prædicaui, hoc est Te, esse illum verum & vnicum Solem, extra quē nullus alius est Sol: idque vt me agnitum amplectantur, & me amplexi, simul etiam te, hoc est, veram lucem in me manentem, recipiant, & ea recepta, illuminentur ac viuificentur. In hac enim tui & mei cognitione & perceptione, vita hominum posita est. Ergo illustra Radium tuum, & radius tuus illustret te. Hæc est illustratio alterius rationis, qua Christus docet, vsque adeò honestam & necessariā esse suam precationem, vt non possit, nisi cum interitu totius Ecclesiæ, non exaudiri. Non est autem necesse, vt hanc similitudinem, quā à Radio Solis accepi, ad ipsum Christum accōmodem, quando tam perspicua est, vt quisque per se possit id facere: præsertim intellectis huiusce similitudinis capitibus. Sol igitur est persona Patris, ad quem Christus precationem propriè & immediatè direxit. Est enim Pater fons totius lucis cœlestis ac Deitatis. Deinde Radius est Christus, quatenus Λόγος est, progenitus ex Patre. Tertiò, nubes, humana est natura, qua Λόγος ille circūdatus est, & cuius assumtione hypostaticaque vnione factum est, vt descendisse in terrā dicatur. Interim in hac nube, lux æternę Deitatis latebat, & corporaliter inhabitabat, habitátque semper. Atræ & densæ nubis obscuritas, infirmitas est humanæ naturæ, tam affectus animi, quàm passiones corporis, quibus omnibus factum est, vt Christus similis nobis esset in omnibus, excepto peccato: ac proinde purus homo esse iudicaretur. Nouæ & teterrimæ tenebræ, quibus obruendus erat: fuit passio, crux, mors, sepultura. Causa, cur Iudæi non possunt lucem Deitatis videre in Christo, fuit, quia cùm obtusos haberent oculos, destituti lumine Spiritus sancti, nil in eo poterant cernere, nisi extremam carnem. Reliqua ex his perspicua fiunt. Hinc igitur liquet, quæ sit illa gloria, qua Christus petiit glorificari: nempe, tum humanæ naturę glorificatio, tum suæ Deitatis, seu lucis in ea habitātis patefactio & illustratio. Quum enim ait, vitam æternam consistere in hoc, vt homines agnoscant, Patrem Christi, esse verum illum & vnicum Deum: Et se Iesum missum à Patre, esse verū & vnicū Christum: Deum scilicet, & hominem: docet, in hoc etiam potissimùm sitam esse sui, & Patris glorificationem, vt vterque quis, & qualis sit, quídque pro nobis fecerit, perspicuè cognoscatur, & agnitus, fide recipiatur, ametur, colatur, & ita Ecclesia seruetur. Nam qua in re salus Ecclesiæ, vitáque ęterna sita sit: In eadem etiam gloria Patris & Filij est collocata. Inde etiam confirmatur Christi Deitas, quòd tam in sui, quàm in Patris cognitione, ac fide, vitam collocat æternam, dicens: *Hæc est autem vita æterna, vt agnoscant*, &c. Cognitio enim salutifica, solius & vnici Dei viuificātis cognitio est, quia is solus est vita, & salus. Promisit autem hanc viuificam cognitionem, quum dixit: *Scribam legem meam in cordibus eorum.* Item: *In illa die cognoscent me omnes* (inquit Iehoua) *à maximo vsque ad minimum* Ier. 31. 34. Ibi certè cognitio Dei Iehouæ promittitur, & in hac salutem populi, fructúmque noui fœderis collocat. Cùm itaque Christus tā in sui quàm in Patris cognitione, vitam æternam collocet, luculenter demonstrat, tam se quàm Patrem, Deum esse viuentem atque viuificum. Quòd si quis excipiat, Diuersa ratione cognitionem Dei Patris viuificare, & cognitionem Christi, quòd illa viuificet per se, quatenus cognitio illius est, qui tanquam Deus vitáque ipsa viuificat: Christi autem cognitio idem præstet per aliud, quatenus scilicet cognitio est illius, qui Mediator, vitæque communicator, viuificat, ac proinde hinc non effici, Christum esse Deum, facilis est responsio, Christum non posse Mediatorem esse, nisi Deus sit, & homo, vt suprà abundè demonstratum est. Quę causa est, cur sicut Pater, ita etiam ipse Christus vita appellatur, æterna: & sicut ille dicitur suscitare mortuos, sic & iste. Vnde in Actis: *Deus, (id est, Christus) dicitur redemisse Ecclesiam suo sanguine:* Act. 20. 28. Certum enim est, efficacitatem redemptionis profectam esse à Deitate, quæ corporaliter in Christo inhabitat. Ergo optimè sequitur: Si Christi cognitio viuificat, quia cognitio est eius, qui viuificat, non vt instrumentum: sed vt causa verè agens, & vita ipsa: Christum esse verum Deum. Sequitur tertia ratio.

X. Vers. 4. *Ego te glorificaui, &c.* Ratio hæc ducitur à suo officio erga Patrem, & à promissione Patris erga Filium. Alludit enim hîc Christus ad promissiones Patris, de glorificando Filio in carne manifestato: posteaquam ipse suum Pontificis perfecit munus, quod in terra erat perficiendum, de suscitando, inquam, illo à mortuis, euehendo in cœlum, collocando ad dexteram in cœlestibus, supérque omnes prin-

res principatus ac potestates constituendo, denique de eo, toti Orbi, quis & qualis sit; nempe Filius suus, sibi equalis in gloria maiestatis ac Deitatis, seruator Mundi, patefaciendo: quarũ promissionũ pleni sunt Psalmi, & prophetæ. Vt Psal. 110. & 1. *Dixit Dominus Domino meo: sede ad dextram meam donec ponam*, &c. Et: *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, &c. Psa. 8.7. Proinde ipsi etiam Apostoli, postquã Christus resurrexisset, & ascendisset in cœlum, sedissetque ad dextram Patris, ostendebẽt impletas in eo fuisse Scripturas, quę de hisce rebus traditę fuerant: vt liquet tam in Actis, quàm in Epistolis. De resurrectione: 1. Cor 15.3.13. De ascensione, Ephe. 4.8. ex Psal. 67. De sessione ad dextrã 1. Corinth. 15. 27. & ad Heb. 1.2. ex Psalmo 110. De missione Spiritus, per quem patefact⁹ est. Act. 2.17. ex Ioele. 2. Argumentum igitur Christi tale est.

Tu promisisti, Pater, per Prophetas, posteaquam ego super terram te glorificassem, mea obedientia, tam docendo, & legem implendo, quàm corporis mei sacrificium offerendo, atque ita opus meum perfecissem: promisisti, inquam, Te glorificaturum me excitando à mortuis, & euehendo in cœlum. Hac de re extant apud Prophetas promissiones.

Atqui ego iam te glorificaui in terra.

Æquum igitur est, vt me glorifices.

Propositio retinetur. Assumptio est in versu quarto, addita etiam assumptionis explicatione: Conclusio, est in versu 5. in qua conclusione simul etiam apertè explicat, quæ sit illa præcipua gloria, qua petit se glorificari: *Ea* inquit, *gloria, quam habui apud te*. Quod ad sensum verborum attinet, eum breuiter explico. Versus sic habet *Ego te glorificaui super terram*, At quomodo affirmat se glorificasse iam Patrem, cùm supra dixerit, *Glorifica Filium tuum: vt & Filius tuus glorificet te*? Quibus verbis ostendit, se non posse Patrem glorificare, nisi priùs ipse à Patre glorificetur. Hîc Christus loquitur, de inchoata glorificatione, ibi verò de perficienda. Inchoata erat in terra & super terram, perficienda è cœlo: Inchoata erat in Christo, ignominia crucis affecto, perficienda ab eodem iam glorificato. Ideo ait: *Ego te glorificaui supra terram*, hoc est, ego in terra existens, glorificaui te. Quomodo? Perficiendo ea, quæ mihi in terra existenti erant perficienda: *nam opus cõsummaui, quod dedisti mihi, vt facerem*. Ibi vero ait: *Glorifica filium tuum, vt & Filius tuus* (nempe glorificatus) *glorificet te*, nimirum è cœlo. Obseruanda est igitur duplex glorificandi ratio; qua Christus Patrem glorificauit, & nunc etiam glorificat. Prima fuit in terra, quum sua obedientia vsq. ad mortem Patrem glorificauit. Ea enim ratione declarauit qualis sit Pater, tam bonus scilicet & misericors, & beneuolus erga nos, vt Filium suum dederit in mortem, vt omnis qui credit, non pereat. &c. Io. 3.16. Ita ait: *Ego te glorificaui*. Et explicando quomodo glorificauerit Patrem in terra ait: *Opus consummaui, &c.* Licet autem, quum hęc diceret, nondum reapse consummasset, non erat adhuc offerendum corpus in mortem: quia tamen hoc futurum erat certò, & breui, instabat enim hora: idcirco perinde ac si iam consummasset, dixit: *Opus consummaui*. Hoc modo Christus glorificauit Patrem in terris: nempe non tam doctrina & miraculis, quibus antea patefecerat, Patrem in se habitare, quàm sua obedientia vsque ad mortem, Iis enim omnibus apertè ostendit, quàm bonus, quàm misericors, quàm nostri amans, sit Pater: qui ita dilexerit Mundum, vt Filium suum dederit in mortem. Qua de re Apostolus ad Roman. 5. 8. *Comendat autem Deus charitatem suam: quia cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est*, Altera ratio, qua Christus glorificat Patrem, spectatur è cœlo: quum scilicet primùm per Apostolos, emisso Spiritu S. editis infinitis maximisque miraculis, regnum non tam sibi, quàm Patri vbique terrarum recuperauit, & instituit: ac deinde per alios eodem Spiritu è cœlo donatos quotidiè in finem vsque seculi, regit, conseruat, defendit: dum varia fidelibus dona distribuit: dum vocat Electos, iustificat, regenerat, sanctificat, tegit: dum in illis inhabitat suo eodem Spiritu, & omnia operatur in omnibus: denique dum regnat in medio inimicorum suorum. His & aliis operibus è cœlo præstitis, glorificat quotidiè Christus Patrem: quia dum iis significat se ad dexteram Patris sedere in cœlis, simul docet quàm potens sit hæc Patris dextera, & quòd Pater omnia creârit, conseruet, operetur propter nostram salutem: multò verò magis ad extremum glorificabit Filius Patrem, quum non solùm expugnatis, sed prorsus deletis suis hostibus vniuersis, regnum Patri restituet, vt sit Deus omnia in omnibus. En igitur quomodo Christus, & ante resurrectionem glorificauerit patrem, sed ex parte: & post resurrectionem perfectè cum glorificauerit, glorificetque. & glorificaturus sit, in finem vsque seculi: perfectissimè verò in cœlo, quum eum, in suis membris æterno & summo amore, spiritualibus & æternis laudibus quæ percipi à nobis hîc non possunt, in sempiternum glorificabit. Sequitur conclusio.

XI Vers. 5. *Nunc igitur glorifica me tu Pater*. Quid petat, anteà quidem explicatum à nobis fuit, sed ipse etiam hîc non obscure declarat. Quod ad humanitatem igitur attinet, ait, apud temet ipsum, hoc est, non quæro gloriam huius seculi, terrenamque apud homines, sed vt glorificer apud temetipsum, in cœlesti scilicet regno. Sensus est, peto vt me à mortuis excites: excitatum in cœlum subuehas, & in cœlestem illam gloriam recipias, & ad dexteram tuam constituas: vt inde meam toti orbi exeram virtutem, missoque Spiritu S. pateflat omnibus, vbi sim & quis sim: nempe Filius tuus vnigenitus, verus Deus, tecum in cœlo regnans, & ad tuam dexteram sedens. Hoc significat, *Glorifica me apud te*. Quod ad diuinam naturam, apertiùs etiam quænam sit hæc gloria, qua cupit glorificari, explicat, dicens: *Ea gloria quã habui*: quænam hæc gloria? Deitas, qua supra res omnes est. His enim verbis apertè significat, se semper, hoc est, ab æterno, apud Patrem fuisse: eoque se verum esse & æternum Dei Filium, Deumque verum. Ait enim: *Quam habui apud te Patrem*. Ergo Filius à Patre distinctus. *Antequã Mundus* (inquit) *fieret* Ergo æternus. Nam ante mundum nil erat temporis: sed tantùm æternitas. Si fuit apud Patrem, priusquam mundus fieret: ergò Deus est increatus. Mundi enim nomine omnes res creatæ intelliguntur. Ideò dixit, *Fieret*. At ante mundum, ante res creatas & factas, quid obsecro aliud erat, quàm res increatæ, quàm res non factæ, Pater, Filius, Spiritus S. hoc est, quàm Deus ipse creator: Filius igitur res increata, res non facta: sed genitus à Patre, & Deus cũ Patre est. Mundi autem nomine intelligo omnes res factas, seu creatas. Et perinde esse, antequam Mundus fieret, atque antequam quicquam fieret, liquet ex Prou. 8.22. vbi sapientia, quæ est Filius, sic etiam loquitur. Et quid sibi vult in Apostolorũ scriptis, *Ante Mundi constitutionem*, nisi ante omnes creaturas? Manifestum ergo est quum Christus, docet, se fuisse apud Patrem, antequàm fieret mundus, & apud eum suam habuisse gloriam: significasse, se Filium esse Patris non factum, sed genitum: non naturalem, sed æternum: non creaturam, sed creatorem, eóque verum Deum. Quod excipiunt aduersus hũc locum hostes Christi, posteà refutabitur. Propositum enim Christi fuit, demonstrare, idque non Patris, & sua, sed nostra causa, petitionem suam talem esse, quæ non possit vllo modo, quin exaudiatur, meritò reiici. Vt hoc faciat, præter alia suprà explicata argumenta, vtitur etiam hoc quarto: nimirum quòd non petat rem nouam, neque alienam: sed suam, & quam iam inde ab æterno reipsa habuit: Verùm, quoniam nube & velo carnis assumptę, presertim verò tenebris ipsius mortis obscurata erat & quasi iam cum corpore sepulta: idcircò se petere huius illustré manifestationem. Hoc autem esse æquissimum: præsertim quia & carnem assumpsit, & mortem subiit, vt obediret Patri. æquissimum igitur esse, vt sua exaudiatur petitio. Congruit deinde nostra interpretatio cum aliis Scipturis. Nam Ioh. cap. 1.1. apertè scribit, Λόγον, qui postea factus est caro, fuisse apud Deum Patrem, antequam Mundus, hoc est res vlla fieret: idque re ipsa, non in prædestinatione. Probat: *quia omnia per ipsum Λόγον condita sunt*. Fuit reipsa, non autem prędestinatione, Λόγος, qui est Christus, apud Patrem: & suam apud ipsum reipsa habuit gloriam, priusquam Mundus fieret. Id quòd aliis infinitis Scripturæ locis confirmari potest. Ex Prouer. 8.22. Colloss. 2.15. Heb. 1.2. & aliis innumeris. Si igitur Christus fuit reipsa ante Mundi constitutionem, & tunc habuit hanc, qua petit glorificari, gloriam: quid hîc aliud significat, nisi Deitatis gloriam? Nam ante Mundi creationem nil erat penitus, nisi Deus. Est enim hæc firmissima & inexpugnabilis ratio: Christus ait, se gloriã hanc habuisse antequam Mundus fieret. Ante orbem autem conditum nil erat nisi Deitas, seu essentia diuina, quæ est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Quid igitur esse potest aliud hæc gloria, quã Christus se habuisse dicit antequã mundus fieret, nisi eius Deitas? Deinde. Aliæ etiam Scripturæ docent hanc esse gloriam Christi: Naturalem scilicet ex Patre, & substantialem natiuitatem: eoque Deitatem. Apud Ies. ait Iehoua: *Hoc est nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus*. Iesa. 42. 8. Hæc gloria omninò est Deitas ipsa, quæ est Iehoua. Item: *propter me, propter me faciã, &c. gloriã meã alteri nõ dabo*, Iesa. 48. 12. Nomine glorię apertè significauit, per Prophetam, se suam intelligere Deitatem, qua fit vt solus sit Seruator, idque propter semetipsum: Christum autem ibi loqui, liquet ex iis quæ subiicit: *Ego primus, & ego nouissimus*. Hæc enim verba de se profert Christus in Apo. 1. 11. Quid igitur clariùs, quàm hîc etiam apud Iohãnem, Christũ nomine glorię intellexisse suæ

Deitatis gloriam? Sed si etiam contendas, Patrem eum propriè esse qui loquutus sit per prophetam: Inde tamen nihilominus liquet Christum habuisse illam patris gloriam, & de hac in præsenti precatione loqui. Nam ante conditũ orbem, nulla fuit in cœlesti regno gloria, nisi Patris gloria, de qua apud Iesaiã loquitur, atque hæc est ipsius Deitas Christus verò suam à Patre & apud Patrem habuit gloriam, ante orbem conditum. Habuit igitur Patris gloriam, hoc est, Deitatem. Hanc enim à Patre accepit: Quia quicquid est, & habet Filius, à Patre est, & habet. Ac quæ sit hæc gloria, explicatur alibi. *Et vidimus eius gloriam* (inquit Iohan. 14.) *gloriam vt vnigeniti à Patre* (scilicet geniti & missi.) Hic apertè docetur, quæ sit Christi gloria: nempe hæc, quo Filius est Dei Patris vnigenitus, è Patre genitus, cóque verus cum Patre Deus. Hanc enim gloriam viderunt Apostoli è Christi persona relucentem: & sese variis modis, doctrina, miraculis & in transfiguratione, denique tota vita exerentem. Confirmatur hæc interpretatio ex Epistola Petri altera, c.1.16. vbi ait, Christum accepisse à Patre hanc gloriam, quòd fuerit declaratus à Patre, Filius ipsius dilectus. Confirmat & ipse Christus in hac precatione ver.22. vbi dicit se hãc, quam accepit à Patre gloriam, dedisse Apostolis, & aliis fidelibus. Quam obsecro gloriam dedit Apostolis, aliisque fidelibus, in se credentibus? Nimirum hanc, vt sicut ipse est vnigenitus Dei Filius: sic nos simus filij Dei. Hanc enim explicat Iohãnes 1.12. dicens, *Quotquot autẽ receperunt eum* (per fidẽ) *dedit eis potestatẽ, vt filij Dei fierent*. Vbi tamen, quum ait *fierent*, ostendit discrimen, inter ipsius Christi, & aliorum filiationem: quia ipsius est naturalis, cùm sit à patre non factus sed genitus Filius: aliorum verò, id est, nostra, per gratiam adoptionis quia facti Filij Dei. Vnde Christus vocatur vnigenitus Filius à patre: quia solus ex patre genitus est. Atq; hinc fit vt ille sit Deus, quia filius est è patris substantia genitus: nos autem non ita, quia facti. Gloria ergò Christi est, quòd Filius sit Dei vnigenitus, ac naturalis, cóque verus Deus. Idem autem Iohannes in prima Epistola cap.3.1. ait, patrem dedisse nobis hanc charitatem, hoc est, hanc ex charitate erga nos potestatem, & gloriam, vt Filij Dei nominemur, & simus. Filius ergò immediatè, dedit nobis hanc potestatem, gloriam, charitatem: pater verò per Filium. Item alibi, Io. 2.11. *Hoc primum* (inquit) *signum fecit Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam*: hoc est, Deitatem. Item *Et crediderunt in eum* (vt in Deum) *Discipuli eius*. Hęc eadem gloria declaratur nobis ab Apostolo ad Corinth: *Nos autem* (inquit) *omnes retecta facie gloriã Domini, vt in speculo intuẽtes, in eãdẽ imaginẽ trãsformamur, à gloria in gloriã, tãquã à Domini Spiritu*. 2. Cor.3.18. Quęnã, obsecro, est ista Domini gloria, quam in Euangelio tanquam in speculo, per fidem intuemur: & eam intuendo, in eandem imaginem, quę scilicet relucet in speculo, transformamur, virtute Spiritus: idque magis ac magis, à gloria in gloriam perficiendo? Quid, inquam, est, nisi alia lux diuinæ purissimæ, sanctissimæque naturæ, quæ in Christo, per Euangelium nobis proposito relucet? de qua 1 Iohan. 1.5. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*. Et Christus: *Ego* (inquit) *sum lux Mundi* Iohãn.8.12. Ita enim Christus, qui est imago Dei Patris, in Euangelio relucet: vt qui cum oculis fidei intuetur, eos radiis suæ purissimæ glorię, hoc est, sanctissimę deitatis irradiet: atque ita irradiet, vt in se, in que imaginem Dei transformet, suo Spiritu: & eiusdem sui splendoris, ac gloriæ faciat participes: cuiusnam gloriæ? suæ diuinæ naturæ: Apostolo Petro teste, ac interprete: quùm ait, eos fieri, participes diuinæ naturæ: non quo ad substantiam, sed quo ad qualitatem: quam ille in nobis gignit suo Spiritu. 2. Petr. 1.4. Hoc idem confirmatur illis locis ad Rom. *Excitatus est à mortuis per gloriam Patris* (hoc est, per diuinam virtutem, qua declarauit se Deum esse Rom.6.4. Is enim seipsum suscitauit:) Item, *Viuit autem ex virtute Dei*. 2. Corint.13.4. Sed quid clarius loco Apostoli ad Heb.1.3. Vbi Christus vocatur splẽdor gloriæ? Cuiusnam gloriæ? Omninò Deitatis & maiestatis paternæ. Quando verò fuit splendor huius gloriæ? Ante mundi constitutionem: vt ibidem patet. Sicut enim nunquam fuit Sol, sine splendore suæ lucis, hoc est sine radio: ita nunquam Pater, sine Filio. Quid igitur aliud est hæc gloria, quam Christus ait se habuisse apud Patrem, priusquàm Mundus fieret quàm æterna Deitas, quam à Patre accepit, & quã apud Patrem semper habuit? Ac proinde quid aliud est: *Pater glorifica me illa gloria quam habui apud te*: nisi, Fac vt mea æterna hæc Deitas atque maiestas, quæ in hac mortali carne, ceu in tenebrosa nube abscondita est, pulsis tenebris, & purgata, illustrataque huiusce meę carnis nube, toti orbi illucescat? Vt inde agnoscant me, & te, & per hanc cognitionem seruentur Electi? Sicut enim Petrus (2. 1. 17.) vocat gloriam Christi, eam Patris testificationem, qua à cœlo patefecit Apostolis hunc Iesum, suum esse Filium, è sua scilicet substantia genitum: Sic Christus hic petit idem patefieri toti Mundo: nempe, sicut ante Mundi constitutionem, reuera fuit Filius Dei, Deus: sic deinceps post resurrectionem, idem omnibus, & vbique patefiat. Hæc est eius glorificatio. Quare hic locus insignis est pro confirmanda æterna Christi Deitate.

XII. Sequitur iam secunda & tertia pars precationis Christi: Commendaturus Apostolos Patri, multas assignat causas, propter quas ille debeat eos habere quàm commendatissimos. Hæ verò continentur versibus 6.7.8. & 9. partim etiam 10. Sequitur petitio in ver.10. *Pater sancte, serua eos*. Hãc sequũtur alię rationes, propter quas cõmendabat Apostolos Patri. Item, petitionis repetitio & explicatio. Ad causas quod attinet, cur hos commendet Patri Christus: Prima est, quia sunt electi à Patre, ante Mundi constitutionem, *Tui erant* (inquit) Tuos igitur tibi commendo. Secunda, quia traditi Christo, tanquam Mediatori instituendi, seruandi, & custodiendi: imò & vt opera eorum vtatur in conuersione Mundi, *Et dedisti* (ait) *mihi*. Quos igitur mihi credidisti, & commendasti, vicissim tibi commendo. Tertia, Quia non tam prædicatum, quàm manifestatum illis est Euãgelium, Deusque ipse *Manifestaui* (inquit) *nomen tuũ hominibus, quos &c.* Sunt igitur digni, qui commendentur: cùm etiam tu dignos eos iudicaueris, ò Pater, quibus nomen tuum manifestarent. Quare? Quia doctrinam prædicatam, & fide receptam, retinuerunt constanter & obsequenter. *Et sermonem tuum* (inquit) *seruauerunt*. Æquum igitur est, vt eos serues, qui tuum quoque sermonem seruãrunt. Hęc omnia in vers. 6. Hinc verò facilè colliguntur argumenta, quibus demõstratur, Christum talem esse Dei Filium, qui verus sit Deus. *Manifestaui*, inquit, *nomen tuum hominibus*, hoc est, Electis mihi concreditis, reliquis scilicet in sua cæcitate relictis. Quomodo verò manifestaui? num externa tãtùm prædicatione, vt solent & possunt homines? At hoc modò etiam iis quos sibi non tradiderat Pater, nempe reprobis, Pharisæis, & aliis hypocritis manifestauit. Loquitur igitur de alio manifestationis genere, quę scilicet fit per Spiritum sanctum intùs docentem: de quo passim apud Prophetas & Apostolos. Hoc autem modo solus Deus potest docere & docet, suumque manifestat nomen. Quis enim in sua habet potestate hunc Spiritum, nisi Deus? Atque hæc est causa: cur, qui vi Spiritus sancti edocti sunt, vocentur θεοδίδακτοι. Huc illud apud Iere. 31.33. *Ego* (inquit Iehoua) *scribam legẽ meã in cordibus eorum*; quasi dicat, cũ nemo alius hoc possit pręstare: Ego, ego scribam. Cùm igitur Christus dicat, se manifestasse nomen Dei Electis, & cumprimis Apostolis ipsis & hoc fecerit, per Spiritum sanctum, quia alia ratione manifestari non potest: Annõ appertè docet Spiritum S. in sua fuisse manu, quo posset illos intùs docere? Quid hinc verò conficitur, nisi Christum verum esse Deum: & Spiritum sanctum, Spiritum esse Christi: vt etiam vocat Apostolus ad Rom.8.9. Item, Ait se manifestasse nomen Dei non omnibus: sed iis tantum, quos sibi dederat Pater, hoc est, Apostolis & aliis Electis, quos Pater tradiderat Christo seruandos. Item, causam cur his manifestauit, aliis verò non: hanc subdit, dicẽs, *Tui enim erant, & mihi dedisti seruandos*. Quibus verbis satis apertè declarat, se nouisse electos, quibus manifestandũ erat nomen Patris, ipsumque Euangelium: & simul etiã reprobos, quibus nõ erat manifestandũ. Hos autem nosse, proprium Dei est: vt docet Apostolus dicẽs: *Nouit Dominus qui sunt sui, &c.* 2. Tim. 2. 19. Annon igitur Christus Deus? Præterea quòd hic Christus ait, se manifestasse Euangelium Electis, quia electi: reliquis verò non ita, quia nõ electi, nec sibi traditi à Patre: ipsemet apud Matt.11.25 attribuit Patri, *Abscondisti hæc à sapientibus & reuelasti paruulis. Ita Pater, quia sic placitum est ante te*. Et alibi: *Qui didicit à Patre venit ad me*. Io.6.45. Eadem igitur operatio Patris & Filij in docendis Electis Euangelium, per Spiritum suum. Quid hoc etiam aliud innuit, imò concludit quàm Christum eiusdem esse cum Patre potentię, sapientiæ, Deitatis, cùm eædem etiam vtrisque sint actiones, per eundem Spiritum sanctum? Denique hãc etiam ob causam docet se Apostolos commendasse Patri: *quia* (inquit) *sermonẽ tuũ seruauerunt*: nẽpe suo corde: fide cõstanti & sincera: Et infrà ver.7. & 8. ait: Eos verè nouisse, omnia quæ ipsi à Patre illis attulerat, fuisse à Patre: item, verè nouisse, se à Patre exiuisse. Nouerat igitur ipse omnium illorũ animos, corda, fidem sinceram, atque cõstantem. Scriptura autem vbique tradit, solius Dei esse: nosse hominũ corda, & animos. *Tu solus nosti corda filiorum hominum* 2. Par.6.39.

XIII. Sequitur versus septimus & octauus. *Nunc nouerunt omnia quæ dedisti mihi, abs te esse*. Cõmẽdat Apostolos à duobus: Primò, à fide, quòd scilicet verbum Euangelij nõ solùm audiue-

audiuerunt, sed vera fide receperūt. *Verba quæ tradidisti mihi* (inquit) *tradidi eis. Et ipsi ea acceperunt*, scilicet hæc syncerè. Secundò à cognitione Christi. Tria autem de Christo nouerunt ex verbo iam recepto: Eius Deitatem, quod natus sit ex Patre Deo. *Verè nouerunt* (inquit) *me à te exiuisse*. De hoc exitu diximus suprà, nempe hoc verbo significari naturalem Filij ex Patre generationem. Nouerunt eius officium, eum scilicet Patris esse Legatum, è cœlo in terram missum. Ideò ait: *Et crediderunt me à te missum esse*. Eum enim hominem esse non agnouerunt ex verbo, sed ex aspectu. Nouerunt etiam eius fidem in legatione obeunda: quod nil attulerit in Mundum, quod non esset à Patre, imo nil in Christo fuisse, quòd à Patre non esset, & diuinum: ideircò ait: *Nunc nouerunt, omnia, quæ dedisti mihi, abs te esse*. Ex hac fide & certa cognitione, qua Apostoli post acceptum verbũ Euangelij, verè agnouerunt Christum à Deo exiuisse, missum esse, & quicquid in Mundum attulit, à Patre accepisse, nemo non videt Christum Filium esse Dei, non factum à Patre, sed genitum ex substantia Patris.

XIV. Vers. 9. *Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*. Duo facit: Primum, Disertè profitetur se non rogare prò Mundo, hoc est, pro reprobis quicunque illi sint, aut quotquot fuerint, & futuri sint à cōdito orbe in finem vsque seculi, sed tantòm pro iis, quos dedit sibi Pater, hoc est, pro Electis, atque in primis pro Apostolis. Non est autem dubium, quin nouerit, & vniuersos & singulos, quos Pater ei dederat. Nam ait de ouibus suis, se singulas nosse, & nominatim vocare. Ioh. 10. 3. 14. & 27. Est igitur extra controuersiam, quum Christus hanc habuit precationem, eum repudiata tota reproborum turba, singulos Electos non confusè & in vniuersum, sed distinctè & propriè sibi ante oculos habuisse in numerato, & quasi nomina tim singulum quemque patri commendasse, sicut etiam singulum quemque sigillatim nouerat & amabat. Nam etiam Apostolus sic loquitur de Christo, dicens: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Gal. 2. 20. Innuit iis verbis Apostolus: Quum Christus sacrificium sui corporis offerret, singulos electos, inter quos & Paulus erat, fuisse illi propositos ante oculos, atque ita cum pro singulis, & rogasse, & sacrificium obtulisse. Tantam autem electorum multitudinem habere ad numerum ante oculos & vnumquemque singulatim, nominatim, ac propriè nouisse, & commendasse Patri, cuius esse potest, nisi illius, cui omnia nuda & aperta sunt, qui in numerato habet nostros etiam capillos, qui denique immensæ ac infinitæ sit cognitionis? Secundò adfert causam, cur repudiatis reprobis, electos tantùm commendet: *Quia* (inquit) *tui sunt*. Quasi dicat: Repulsam igitur non patiar, quia non commendo tibi alienos, sed tuos, quos scilicet ex reliqua Mundi turba, tibi in filios adoptasti.

XV. Vers. 10. *Et* (pro, Nam) *omnia mea tua sunt & glorificatus sum in eis*. Primum membrum, habet non tam explicationem, quàm confirmationem eius, quod dicit: *Tui sunt, quos dedisti mihi*. Quia enim de electis & speciatim de Apostolis dixerat, eos & suos esse, & Patris. Suos, quum dixit, *Quos dedisti mihi*: Patris, quum subiecit, *Quia tui sunt*. Nunc igitur, hoc non tam explicans, quàm confirmans, generalem subdit propositionem, dicens: *Nam omnia mea, tua sunt: & vicissim, omnia tua mea sunt*: Annon iis verbis apertè docet, sicut nihil habet Filius, quod non sit Patris: sic nec Patrem quicquam habere, quod non sit Filij. vt supra etiam dixerat, Ioh. 16. 15. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*? Verba enim Christi sic sunt construenda: Electi, & inprimis Apostoli, non tam mei sunt, quàm tui. Nam omnia mea, tua sunt, vt omnia tua, mea. Et est proculdubio hæc Christi argumentatio.

Omnia mea, tua sunt, & omnia tua, mea.

Ergò etiam Apostoli & omnes electi, tam tui sunt, quàm mei, & tam mei, quàm tui. Quare meritò eos tibi commendo, non tam quòd mei, quàm etiam quòd tui sunt. Liquet igitur ex hac generali Christi propositione, *Omnia mea tua sunt*: quicquid est Patris, esse etiam Filij, sicut contrà nihil est Filij, quod non sit Patris. Quid autem magis est Patris quàm sua essentia, & sua Deitas? Essentia igitur, & Deitas Patris, est etiam essentia & Deitas Filij. Quare tam Deus Filius, quàm Pater. Imò si eadem Patris essentia, & Deitas, est etiam Filij, sequitur, Patrem & Filium vnum esse & eundem Deum. Quòd si dicas, consequetur ergo hac argumentatione: Patrem esse Filium, & Filium esse Patrem: quia nihil magis est Patris, quàm paternitas. & nil magis Filij, quàm filiatio. si autem omnia, quæ sunt Patris, sunt etiam Filij, & contrà: paternitas igitur erit Filij, & contrà: quare Filius erit Pater. Fallacia est ab essentia, qua vnum sunt Pater & Filius, ad proprietates, quibus distinguuntur personæ. Christus autem hîc loquitur non de proprietatibus, sed de rebus essentialibus. Christus enim suis verbis, prius statuit distinctionem personarum, suæ & patris, dum vna in parte collocat se, qui rogat, & in altera, Patrem, qui rogatur. Deinde quidquid prætereà est Patris, suum etiam esse dicit, & contrà. Ideò non dixit: Tu es ego, & ego sum Tu *omnia mea, tua sunt, & omnia tua, mea*. Excipit igitur personales proprietates, facitque personas distinctas, reliqua verò omnia, facit sibi cum Patre communia. Quare optimè nos ex propositione Christi inferimus, essentiam & Deitatem Patris eandem esse cum Filij essentia & Deitate. Minimè verò inferri potest, aut Patrem esse Filium, aut Filium Patrem. Sequitur: *Et glorificatus sum in eis*, nempe Apostolis. Alia ratio, cur pro Electis, & inprimis pro Apostolis, roget, nun pro mundo. *Quia* (inquit) *glorificatus sum in eis*: Quasi dicat, non autem in Mundo. Sensus est ideò Christum non pro Mundo, sed pro Electis tantùm orare Patrem: quia ab illo non glorificatur, sed potiùs blasphematur, sicut à Iudæis vocabatur Seductor, homo peccator, blasphemus. In Electis autem, hoc est, per Electos, glorificatur, dum eum agnoscunt, credunt, & confitentur, verum esse Filium Dei, Deum ipsum, & Seruatorem Mundi. Sic Apostoli Christum glorificauerunt: & adhuc erant glorificaturi, per totum orbem. Meritò igitur hos commendat Patri, nun autem reprobos. Quare etiam his verbis docet, eos verè & sibi, & Patri gratos, & commendatos esse, imò & hos solos esse Electos, sibique traditos à Patre, qui Christum, quemadmodum & Apostoli, glorificant. Quid autem est glorificare Christum: nisi gloriam quam habuit, antequam Mundus fieret, illi tribuere, eam confiteri, & prædicare? Quænam hæc est? Quòd sit Filius Dei æternus, increatus, & eiusdem cum Patre maiestatis ac Deitatis, vt suprà declaratum est: & sicut videmus Apostolos, pro tali eum agnouisse, & confessos esse. Quare contrà, eos esse reprobos, pro quibus non rogauit Christus: qui nunquam ita glorificant Christum, vt eum ex animo credant, & fateantur, verum esse, æternum, & increatum Patris Filium.

XVI. Vers. 11. *Et non ampliùs sum in Mundo*. Ait in præsenti, *Non sum* quia breui hoc erat futurum. *Et hi in mundo sunt: & ego ad te venio*. Hoc est: Nam ego ad te venio. Est enim explicatio, quòd soli illi maneant in Mundo: Quia ipse vadit ad Patrem. Alia adfertur causa, cur Pater debeat Apostolos habere commendatos: à præsenti rerum statu ducta: nempe, quia cùm Christus, qui hactenus ceu gallina, eos tanquā pullos sub alis protexit: iam iam discessurus esset ab illis, corpore scilicet, & corporali præsentia, illi mãsuri erāt in mūdo, hoc est, inter hostes, multis periculis, & malis expositi. Debet igitur pater, suo patrocinio eos protegere. Hæc verò omnia cò spectant, vt Apostoli & reliqui Electi sciant: quò magis destituti sunt præsẽtia Christi corporali, eo magis se curæ esse patri, & filio in cœlis existenti: Ac sibi posthac non esse quærendam corporalem Christi in Mundo præsentiam: sed eum quærendum esse In cœlo apud patrem, apud quem quiescit: ac proinde sibi quoque esse mentibus, & cordibus apud Patrem, cui sunt commendati, cum Christo recumbēdum & quiescendum. *Pater sancte serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos, &c.* Posteaquam allatis aliquot causis, ostendit, quā obrem tam diligenter cōmendet Apostolos patri, hic explicat suam petitionem: *Serua eos* (inquit) *in nomine tuo*. Hoc bifariam exponi potest. Primùm, *in nomine tuo*: hoc est, propter te, pro tua benignitate, bonitate, &c. Sic ipse Iehoua ait apud Iesa. 48. 11. *Propter me, propter me ego faciam*. hoc est, seruabo Israelem, *vt non polluatur nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo*. Secūdò, *In nomine tuo* hoc est, pro tua auctoritate, quia ad te pertinent, quasi dicat: Hactenus ego custodiui nomine & auctoritate tua: nunc tu ipse, non per alium, tuáque auctoritate serua. Tui enim sunt. *Vt sint vnum*, nempe corpus, benè inter se compactum, & cum capite firmè conglutinatum. Consequitur hoc ex salute. Quos enim seruat Pater, eos vnit, cū, & sub Christo capite in vnum corpus: ita vt facti vnum cum Christo, sint etiam vnum inter se: illisque sit anima vna, & cor vnum, sicut etiam vnus est illis Dominus, vna fides, vnū Baptisma. Quos igitur seruat Pater, eos vnit, & hac vnione seruat. Proinde vbi salus, ibi vnio, ibi interitus, ibi dissipatio. Et contrà, vbi vera vnio, ibi salus, vbi dissipatio, ibi mors. *Sicut & nos*. Indicat vinculum, quo vniantur Electi in vnum corpus cum Christo: ac proinde docet, qualis sit hæc vnio. Vniuntur Spiritu Dei, & proinde vnio est spiritualis: Namquare vnum sunt Pater & Filius, tam extra carnem, quàm in carne manifestatus? Spiritu, hoc est, Deitate, quæ sæpe nomine Spiritus significatur. Cùm enim duo sint, distinctione personarum vnum sunt Deitate, quam essentiam appellamus. Eodem Spiritu vniuntur Electi cum Christo capite in vnum corpus, eodem, inquam, Spiritu & Deitate in nobis, non quidem sua plenitudine, & corporaliter, vt in Christo, sed ex parte, & per efficacia inhabitante, sicut etiā Po-

tius intelligit, quum ait, nos fieri participes diuinæ naturę. 2. Petr. 1. 4. Neque enim nos, Spiritus essentia, vnum sumus, quia nec sumus Deus, sed Spiritus effectis, nempe regeneratione, sanctificatione, gubernatione, fide, charitate, consensione animorum, atque doctrinæ, & aliis effectis, quæ Pater per Christum suo Spiritu in nobis efficit, simus vnum cum Christo, & inter nos. Pater enim vnit, cum Christo vnit, Spiritu vnit. Proinde illa particula, *Sicut & nos*, non est æqualitatis, sed similitudinis nota. Quum ea dicitur de Patre, & de Filio, vt suprà sæpe vidimus, nota est æqualitatis. Quum verò de nobis, & de Deo, similitudinis tantùm nota est. Ratio est: quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Non potest igitur æqualitatis inter nos, & Deum, esse nota. Inter infinitum autem & infinitum, inter immensum, & immensum, tanta est non solùm ęqualitas, sed vnitas, vt non possint esse duo infinita, & duo immensa, sed vnum tantùm. Quum igitur, de Patre & de Filio legitur hæc particula, *Sicut*: æqualitatis est nota. Ex hoc autem loco, vbi Christus ait se & patrem vnum esse, non ineptè cum patribus colligimus, Christum verum esse Deum. Sed quia infrà versu 22. & 23. clarius hæc vnio exprimitur: ideò hîc supersedeo, ibi rem melius explicaturus.

XVII. Vers. 12. *Dum eram cum eis in mundo, ego seruabam eos in nomine tuo.* Respondet ad tacitam obiectionem, cur non citiùs discipulos tuos commendasti patri, & dedisti ei seruandos? ait: Dum fui cum illis in mundo, ego seruaui illos, idque non meo, sed patris nomine, qui eos mihi tanquam custodi, dederat seruandos. Et quidem feci officium diligenter, ita vt nemo ex illis perierit, nisi filius perditionis. Nũc autem ad te venio, hoc est, discedo ab illis hoc corpore. Ergo, quia antehac fui cum illis, non commendaui, nunc quia relinquo eos in mundo, tibi pater reddo seruandos. Hic est simplex sensus. Loquitur autem hîc Christus, vt Mediator, & de custodia visibili, qua Apostolos vsque ad suam mortem seruauit. Ideò si interroges, num Christus post mortem desierit esse custos & seruator suorum Apostolorum, & solus pater eos rexerit? Respondeo, sicut duplex est Christi præsentia, corporalis ac spiritualis. sic etiã duplex est custodiendi ratio, qua Christus suos discipulos custodiuit & custodit. Corporalis & visibilis vna (hæc finem habuit in morte Christi, vel saltem in ascensione in cœlum, Et de hac loquitur hoc in loco.) Altera spiritualis atq; inuisibilis. Hac etiamnum custos est omnium suorum discipulorum, vnà cum Patre, de qua alibi ait: *Ad eum veniemus, Ego & Pater, & mansionem apud eũ faciemus.* Io. 14. 23. Ex hac responsione, quæ certissima est, liquet primò Patris nomine sæpè significari non tantùm Patris personam, sed totam simul Dei essentiam, tam in Filio, & in Spiritu sancto, quàm in Patre. Commendans enim Apostolos Patri, vt eos custodiat, non se excipit Christus ab hac cura & custodia, quà Λόγος est. Hinc secundò liquet, Christum esse ita Dei filium, vt vnus sit cum Patre Deus. Nam fatentur omnes, Christum etiam post mortem, & ascensionem, custodem & seruatorem fuisse Apostolorum iuxta illud apud Matth. 28. 20. *Ecce Ego vobiscum sum vsque in finem seculi.* Vel igitur fuit custos Apostolorum, post ascensionem, quà homo, vel quà Deus. Non simpliciter quà homo, hîc enim quà homo, resignat hanc curam & tutelam Patri Deo, & rationem adfert, cur in hanc resignet, quia scilicet non sit futurus ampliùs cum eis in mũdo hoc, nempe visibili præsentia, sed in cœlo apud patrem. Deindè apertè hac resignatione, docet, solum Patrem Deum eos curaturum, & seruaturum. Ergò si Christus etiam post mortem & ascensionem in cœlum, suos Apostolos, & alios discipulos in finem vsque mundi, tam ipse seruauit, & seruat, quàm Pater, cui eos commendauit: efficitur tam Christum esse Deum, quàm Patrem: Ac proinde Patris nomine, sæpenumero non solam Patris personam in scripturis significari, sed totum Deum. Idem quoque colligitur ex iis quæ dixit de Iuda. Is nondum perierat, & de eo sic loquitur, quasi iam in orcum esset detrusus, quia nouerat certò eum damnatum iri, cum Diabolo, & nouerat de eo scripta fuisse, quæ in Psa. 108. continentur. Ideò dixit, eum periisse, vt impleretur Scriptura. Imò nouerat eum esse ex numero reproborum, & ad interitum destinatorum, non minùs quàm reliquos Apostolos nouerat esse ex electis, qui sibi verè traditi essent à Patre. Ideò vocat illum, filium perditionis. Nam quòd inter datos sibi à Patre connumerat ipsum quoque Iudam, hoc ideò fecit propter hominum iudicia: quia electus ad Apostolatum, ad ipsam quoque vitam æternam electus fuisse, hominibus videretur. Sed ideò vocat filium perditionis, vt ostendat, eum fuisse ex destinatis ad perditionem. Certè, nosse qui sint ex electis, & qui ex reprobis, solius Dei est, vt antè ex Apostolo ostẽdimus. Annõ igitur Christus etiã hæc de Iuda asseuerãdo, præ se tulit, se talẽ esse Dei filium, qui vnà cum Patre alios ad æternam vitam elegerit, alios ad perditionem, ante conditum mundum, destinârit, & ordinârit?

XVIII. Ver. 13. *Et hæc loquor in mundo.* Causa finalis assignatur, cur hanc precationem audientibus Apostolis, ad Patrem habuerit, nempe non sua, neq; Patris, sed Apostolorum causa. Vt inde scilicet, maximo afficerẽtur gaudio: dum audirẽt se tantopere commendari à vero & æterno Dei filio, Patri cœlesti, se fuisse à Patre electos, Christo traditos, vtriq; charos, nunquam perituros, & alia quæ hîc habentur, quæ omnia ad maximam spectabant Apostolorum consolationem. Ergo idem est finis, cur eandem scriptã nobis reliquerit precationem, nimirum vt & nos qui credimus in eum, videamus, quinam simus coram Patre, quid habituri, vbi futuri, nimirum vbi & Christus: Et ita, vero & solido afficiamur gaudio, quo omnes Sathanę tẽtationes possimus sustinere. Porrò hoc gaudium, suum vocat Christus, tum, quia ipse illius est auctor: tum quia nostram felicitatem, suã esse ducit. Scriptura autem vbiq; tradit, veram animi consolationem, pacem, gaudium, esse à Deo, & Deum huiusce auctorem esse. Idcircò ait Apostolus: *Deus Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* 2. Corin. 1. 3. Item: *Et pax Dei exultet in cordibus vestris,* Col. 3. 15. Item: *Et pax Dei custodiat corda vestra.* Phil. 4. 7.

XIX. Vers. 14. *Ego dedi illis sermonem tuum & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo. sicut & ego non sum de mundo.* Alia causa, cur commendet Patri discipulos: quia propter Euangelium quod à Christo receperunt, odiosi facti sunt Mundo. Ratio ducitur ab effectu doctrinæ Christi. Qui enim eam fide recipiunt, eos Deus eripit è mundo, & inserit Christo, eoque dissimiles facit mundo, ingenio, moribus, cultu, sicut & Christus est. Nam propter receptionem doctrinæ Christi: vi Spiritus Dei eripiuntur è mundo, & rebelles fiunt contra mundum, pro Christo. Opus igitur habent protectione Dei. *Sicuti ego non sum ex hoc mundo.* Christus non erat ex Mundo, tum quia Deus, tum quia conceptus sine peccato. Nunquam enim fuit de mundo. Apostoli fuerunt de Mundo, sed posteà erepti sunt de mundo. Ergo similitudinis est, non æqualitatis nota, illud *sicut*.

XX. Vers. 15. *Non rogo vt tollas eos è mundo: sed vt serues eos à malo.* Ad explicationem petitionis hæc pertinent. In summa indicat, se velle vna quidem ex parte, vt simus milites in Mundo pro se contra mundum, & perpetuò pugnando, multa accipiamus vulnera, & plurima patiamur incommoda. Ex altera tamen se nolle, vt à mundo vincamur, & malis obruamur, sed ab illis seruemur. Si Christus non petit, vt tollamur è mundo, sed tantùm, vt seruemur à malo, ergo neque nos debemus simpliciter petere, vt nos eripiat è mundo, sed tantùm vt seruemur à malo, sicut habem⁹ in precatione Dominica. Pugnãdũ igitur strenuè, sed certi esse debemus de victoria propter Christũ. *Ex mũdo nõ sunt. sicut & ego nõ sum de Mundo.* Repetitio est causæ superius allatæ. Mũdus totus illis erit infensus. Idque mea causa, quia vt mihi adhærerent, defecerunt à Mundo, quemadmodum & ego nunquam fui de mundo. Ergò debent tibi esse commendati.

XXI. Vers. 17. & 19. *Sanctifica eos per veritatem tuam, Sermo tuus veritas est.* Alia petitionis explicatio, petit enim vt sanctificentur ad ministerium Apostolicum, quo mox erant functuri per totum orbem.

Porro verbum hoc, Sanctificare, est diligenter mihi explicandum, non solùm propter intelligentiam huius versus, sed maximè propter versus deciminoni explicationem: vbi Christus ait, *Ego sanctifico meipsum.* Est enim locus ille non vulgaris, pro confirmanda Christi deitate. Sanctificare Hebræis propriè est, aliquid à statu rerum profanarum separare, & Deo consecrare: & ab vsu profano, in vsum sacrum & diuinum conuertere. Ita hoc verbum duo in se complectitur, terminum à quo, & terminum ad quem, hoc est separationem à profano vsu, & consecrationem ad spiritualem. Sic dicebantur sanctificari primitiæ, tam frugum quàm liberorum. Et Christus hoc idem docet hîc, quum ait, Discipulos non esse ex hoc mundo. Nam ex mundo separârat, & sibi ac Patri consecrârat.

Cæterùm quia hæc sanctificatio & consecratio neque ab vno tantùm fit sanctificatore, neq; vno tantùm modo, hinc fit, vt ex variis modis, quibus varij etiam aliquid sanctificant, varia quoque significata huius verbi, sanctificare, in scripturis reperiantur. Deus enim sanctificat: Christus vt Mediator sanctificat: Nos etiã sanctificamus, sed diuersa ratione. Dicam de verbo primùm quatenus de nobis: deinde quatenus de Deo, postremò quatenus de Christo prædicat.

Quod ad nos attinet, primùm nos dicimur sanctificare Deum, quum illum glorificamus, fide, fidei confessione, & obedientia. Hæc significatio deriuatur à prima illa & gene-

…ali, de qua diximus. Hac enim ratione, dum illum, vel verbis, vel factis, prædicamus sanctum, bonum, misericordem, omnipotentem: quodammodo separamus & vendicamus à rebus profanis, vt à diis profanis & fictitiis, qui tales non sunt, nec ea possunt, quæ verus Deus. In hac significatione, sæpè accipitur, vt quum in Num. 20.12. Deus accusat Mosen, & Aaron, quod non se sanctificauerint, hoc est, glorificauerint: quum scilicet ad aquas contradictionis non crediderunt, & reipsa non sunt confessi, Deum posse aquam de petra elicere. Sic iubemur sanctificare Deum & nomen Dei, hoc est, glorificare fide, fidei confessione, obedientia. Secundò: Dicimur sanctificare nos ipsos, vel alios, vt passim præcepta occurrunt in Scripturis quibus iubemur sanctificare & nos, & alios. Vt: *sanctificate Ecclesiam sanctificate populum,* &c. Sed tunc potiùs significat præparare ad sanctificationem, quàm verè & propriè sanctificare. Ratio est: Quia etsi quod ad externa attinet, possumus nos, & alios à rebus profanis separare, & Deo consecrare, non possumus tamen cor, & affectus à corruptione naturæ, & à peccato in obsequium, Deo reipsa consecrare, & deuouere. Iubemur quidem hoc facere, sed quia non possumus, idcircò Deus hoc pro sua facit gratia, & iubet, vt saltem non præparemus, quod ad externa, quæ possumus, attinet, ad sanctificationem: Id quod fit, quum à negotiis profanis, consecramus nos ipsi, verbo Dei audiendo, precibus habendis, Sacramentisque percipiendis, ieiuniis & aliis pietatis exercitiis.

Quod ad Deum attinet. Is nunquam dicitur sanctificare seipsum. Est enim semper sanctissimus, & non habet superiorem, cui se consecret. Dicitur verò nos sanctificare, & id quidem propriè, quum nos totos, è seruitute peccati sibi consecrat, ad seruiendum iustitiæ, totos, inquam, mentem in primis cor atque affectus.

Hoc facit, internè quidem per suum Spiritum, nos renouando, & regenerando, & à peccato ad iustitiam, à corruptione naturæ in nouam creaturam, & veteri homine in nouum conuertendo, atque ita totos nos, à seruitute Satanæ, sibi in suum obsequium vindicando. Externè verò, per verbum Euangelij, efficaciter nos vocando, & in suum fœdus recipiendo, symboloque fœderis, sibi obsignando, & consecrando: ita Deus propriè nos dicitur sanctificare: quia totos nos sibi consecrat, sua gratia. Iuxta hanc significationem accipiuntur dicta illa: *Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Exo. 31.13 Et apud Hier. 1.5. *In vtero sanctificaui te,* nempe non solùm ad officium propheticum, ex aliis hominibus, & à rebus profanis segregando, sed etiam regenerando, & nouam creaturam faciendo, atque ita verè ad munus etiam propheticum sanctificando. Item illud: *Deus autem sanctificet vos per omnia.* 1. Thess. 5.23. Quare verbum sanctificandi, quum dicitur de Deo, complectitur mortificationem carnis à seruitute peccati, tanquam terminum (vt loquuntur) à Quo. Et viuificationem Spiritus, ad seruiendum iustitiæ, tanquam terminum, ad Quem. Et totius huiusce spiritualis motus continuationem ad extremum vsq; vitæ nostræ Non enim vno die perficitur hæc sanctificatio, sed toto vitæ nostræ cursu. Deus igitur nos semper sanctificat, dum sumus in hac vita.

In hac significatione accipitur etiam hîc, *Sanctifica eos in veritate seu per veritatem. Sermo tuus veritas est.* Est enim similis locus apud Apostolum ad Ephes. qui hunc explicat, *Christus tradidit semetipsum, vt Ecclesiam sibi sanctificaret, postquam mundasset eam lauacro aquæ in verbo vitæ, id est, vt per Euangelium exhiberet eam sibi sanctam, & sine ruga.* Eph. 5.25.26. Petit ergò Christus vt Pater inchoatam sanctificationem, seu regenerationem in Apostolis, continuet, & in finem vsque perficiat: magis ac magis eos replens donis Spiritus sancti: constantia, patientia, fortitudine animi, & aliis donis, atque ita verè sanctificet & consecret ad ministerium Apostolicum, sicut olim Hieremiam ad propheticum. Hæc autem Christi petitio tum maximè exaudita fuit: quum in die Pentecostes, misso Spiritu de cœlo, eos magis quàm vnquam sibi Deus consecrauit, ad prædicandum Euangelium in toto terrarum orbe. Rationem subdit Christus, cur hoc potissimùm petat pro Apostolis.

*Sicut (enim) tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.* Quasi dicat: Nam sicut me misisti in mundum, sic etiam & ego hos mitto, ad idem officium, Euangelij, scilic. prædicandi, faciendum Ergò sicut tunc tu me sanctificasti Pater (Vnde illud: *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Io. 10.36.) sic debes hos etiam sanctificare. Est enim hæc sanctificatio illis pernecessaria: quamquam longè alia fuit sanctificatio Apostolorum, quàm Christi.

XXII. Versic. 19. Sequitur alia ratio ab Exemplo. *Et pro eis sanctifico meipsum vt sint & ipsi sanctificati per veritatem.* Quasi dicat, in hunc etiam finem sanctifico meipsum (nempe tibi Pater) pro ipsis, vt ipsi quoque sanctificati sint. Debes igitur, & tu Pater eos sanctificare: Argumentum est à suo exemplo: Sed simul ostendere voluit, vndenam sanctitas in Apostolos immediatè fluat, & per quem conferatur: nempe à se, & per se. Ergò, vt hic insignis locus intelligatur: videndum, quomodo hoc verbum de Christo prædicetur.

Notandum igitur verbum sanctificandi, de Christo prædicari, & passiuè & actiuè Passiuè, dicitur sanctificatus à Patre: vt, *Quem Pater sanctificauit,* &c. Ioh. 10.36. Quonam modo fuit à Patre sanctificatus? Primùm quidem, quatenus ὁ Λόγος, Filius Dei, destinatus, & consecratus fuit, ad officium Mediatoris faciendum, eóque ad nos sanctificandos. Deinde, quatenus eius corpus & anima, hoc est, tota humana illa natura, fuit ex omnibus creaturis selecta, vt Λόγῳ vniretur ὑποστατικῶς, & vt in ea totum salutis mysterium perficeretur. Ideò etiam hæc natura dicitur sanctificata, quatenus à peccato fuit præseruata: dum sine viri seminè fuit in vtero virginis concepta, & plenitudine Spiritus donata. Hæc est sanctificatio, qua Pater sanctificauit Christum, totum quidem, quia totum ad hoc sibi eum consecrauit vt esset Mediator: Sed respectu cumprimis humanæ naturæ, dicitur sanctificatus, quatenus hanc solam selegit Pater ex omnibus creaturis, ad vnionem cum verbo hypostaticam, & quatenus hanc solam à peccato in sui conceptione præseruauit, solamque Spiritu S. repleuit.

Tenemus, quomodo verbum sanctificandi prædicetur de Christo passiue, & quomodo fuerit à Patre sanctificatus, sanctificatur à nobis etiam idem Christus, quum à nobis glorificatur. Nunc videndum, quomodo Christus sanctificet se, & alios Nam actiuè hoc verbum prædicatur de Christo, idque bifariam: quia & seipse sanctificauit, & alios, nempe electos, sanctificat. Vtraque significatio sese offert in hoc ver. 19. Quomodo autem seipsum sanctificauit? Primùm quatenus Λόγος: quum carnem, quam assumserat, sua Deitate sanctificauit. Secundò, quatenus Mediator: cum seipsum sanctificauit voluntaria obedientia erga Patrem, & reipsa totum se, ipse exhibuit ad implendam voluntatem Patris, ad omniaque Mediatoris officia perficienda, quorum postremum in terris fuit, offerre sacrificium corporis sui. Hoc modo Christus seipsum sanctificauit, qua de sanctificatione loquitur, hoc loco. Deinde Christus dicitur nos sanctificasse, & sanctificare, bifariam, primò quidem imputatione suæ perfectissimæ sanctitatis. Christus enim nobis, in se credentibus, sicut non imputat peccata nostra, sed contrà suam imputat iustitiam, sic etiam suam imputat sanctitatem & sanctificationem, qua peccatum, quod adhuc in nobis renatis inhabitat, in conspectu Dei, rectum est: & reputamur ita sancti, perinde ac si nulla in nobis naturæ corruptio superesset. De hac sanctificatione loquitur Apostolus ad Cor. 1.1.30. quum ait, Christum factum esse nobis nostram, non solùm iustitiam, sed etiam sanctificationem. Et de hac loquitur etiam hic Christus, quum ait: *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Quid est, *pro eis*? Eorum loco. Nos igitur in sua persona ita sanctificauit, & consecrauit Patri, tum tota vita, tum sui corporis oblatione, vt illud perinde fuerit, atq; si nos sanctificassemus nos ipsos, idque tam perfecta sanctificatione, qua Christus se sanctificauit. Et de hac imprimis intelligitur illud ad Hebr. 10.5. *Quapropter quum ingressurus esset Mundum, dicit: Sacrificium, & oblationem noluisti, &c. Tunc dixi: Ecce adsum. In capite libri scriptum est de me, vt faciam, Deus, voluntatem tuam, &c.* Infert inde Apostolus, Deum non acquieuisse in sacrificiis cuiusuis generis, sed in sola Filij sui, & Pontificis nostri obedientia ac sacrificio. Hunc enim solum, voluntatem Dei perfecisse. Posteà infert: *Qua voluntate* (Dei per Christum perfecta, & impleta) *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi.* Hæc enim voluntatis Dei perfecta impletio, sanctificatio est Christi, & hac nos sanctificati sumus, quia nobis imputatur. Secundò, nos sanctificat Christus, reali suæ sanctificationis communicatione, per suum Spiritum, nobis facta: qua reformati, & regenerati, sanctam degamus vitam. Inserit enim nos sibi per suum Spiritum, & ita insitis realiter suam communicat sanctitatem, & de hac speciatim Apostolus ad Ephes. 5.25. *Christus* (inquit) *dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro illa vt eam sanctificaret, postquam eam purgasset lauacro aquæ.* Quibus verbis docet Apostolus, Christum quotidie sordes nostras eluere sua sanctitate, per suum Spiritum nobis communicata, donec tandem penitus nos reddat sanctissimos & purissimos: De vtraque ad Rom. 8.1. De vtraque etiam intelligo hæc Christi verba: *Ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati.*

Nunc etiam tenemur, quomodo Christus eos sanctificet,

Habet autem hoc non parum ponderis, ad confirmandam Christi deitatem, nimirum quod & seipsum sanctificauerit, & quod sancti ficet etiam nos tum imputatione, tum reali communicatione, suæ perfectissimæ sanctitatis. Deus enim propriè is est, qui nos, vt causa efficiens, sanctificat: sicut Scripturæ passim docent. Quod si quis contendat, Christū non esse illum, qui nos sanctificet, sed illum tantùm cuius sanctitate, tam imputata, quàm realiter communicata à Patre sanctificemur, & hoc significare Christum voluisse, quum dixit: *Ego pro ipsis meipsum sanctifico, vt sint ipsi sanctificati:* quòd voluerit tantùm ostendere, vnde sanctitas, qua sanctificamur, ad nos fluat, non autem se esse illum, qui nos sanctificet: Qui, inquam, hoc contendit, is mox refellitur duplici Apostoli testimonio, primò ad Ephes. de eadem re loquens, de qua & hîc Christus, nempe de oblatione sui corporis, facit Christum non tantùm causam materialem, vnde sanctitas ad nos perfluat, sed etiam efficientem, quæ nos sanctificet, dicens: *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea* Ephes. 5. 25. Ecce & sanctitatem, & fontem, vnde fluat. Fons, est Christus, sanctitas, est ipsa voluntaria expositio, & oblatio corporis sui pro nobis. Sequitur: *vt eam sanctificaret, postquam eam purgasset,* nempe Christus ipse. Ecce causam efficientem, quæ nos sanctificat, Christum ipsum. Quod enim Christus ait: *Ego sanctifico pro eis meipsum,* Apostolus dicit: *Christus exposuit semetipsum pro ea.* Quod verò Christus ait: *vt sint & ipsi sanctificati.* Apostolus ait: *vt eam sanctificaret.* Ergo verba Christi Apostolo interprete, sic sunt intelligenda: Vt sint & ipsi sanctificati, non solùm mea sanctitate, sed etiā per me, & à me. Deinde, ad Hebr. apertè scribitur, Christū, causam esse efficientē, quę nos sanctificet. Ait enim Apostolus: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes.* He. 2. 11. Quod ad naturā, quā assumsit, attinet, omnes ex vno Patre sumus Adamo. Quod ad filiationē, propter quam propriè nos vocat fratres, omnes sumus ex vno Patre Deo. Sed ille genitus Filius, nos facti. Io. 1. 12.

His explicatis, satis apparet viris doctis, & iudicio præditis: an Christus sit talis Dei Filius, qui etiam sit Deus, necne sit. Sed quò res fiat dilucidior, & magis perspicua, argumentum explicabo.

XXIII. Duo præcipua nobis sunt perpendenda, in hac, de qua hîc loci loquitur Christus, sanctificatione, ex quibus liquido apparebit, Christum, Filium esse Dei, Deum: quando illa duo in puram creaturam competere non possunt. Eorum primum est, quod ait, *Ego meipsum sanctifico:* præsertim si addas Apostoli explicationem. Hebr. 9. 14. nimirum, quòd se obtulerit (hoc est enim seipsum sanctificare) per Spiritum æternum. Alterum est, quòd ait, *Pro eis: vt sint & ipsi sanctificati:* nempe non solum mea sanctitate, sed etiam à me, hoc est quòd Christus non solum sit ille, qui nobis sanctitatem acquisiuerit suo sanguine, sed etiam qui nos vt causa efficiens sanctificet. Ad primum quod attinet, constat ex sacris literis, nullius puri hominis esse, seipsum totum, tam animum & cor, quàm corpus ipsum, verè & iuxta propriam verbi significationem, Deo sanctificare, sed quotquot sanctificantur, à solo Deo sanctificari. Verbum enim sanctificandi ex propria sua significatione, quum de sanctificandis hominibus loquimur, duo vt antè diximus complectitur, nempe, totius hominis, tum è statu naturæ corruptæ, & ex seruitute peccati, liberationem, tum in statum nouæ creaturæ assertionem, inque perfectum Dei obsequium, consecrationem. Id quod aliis vocibus, nempe renouatione, regeneratione, exuitione veteris hominis, & induitione noui, & aliis similibus exprimitur dicendi formis. Vt quòd Deus eripuit nos de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filij sui dilecti. Hoc est sanctificare. Vt quòd Deus liberauerit nos de manu inimicorum nostrorum, vt ita liberati, seruiamus ei in sanctitate & iustitia, coram ipso omnibus diebus. Luc. 1. 24. Hoc est sanctificare. Item, vt ad Romanos: *Nunc autem liberati à peccato, serui facti estis iustitia.* Roman. 6. 18. Hoc est sanctificare. Denique quid propriè sit sanctificare, docet Apostolus, Hebr. 9. 13. *Si enim sanguis taurorum sanctificat ad carnis purificationem, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo, mundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti:* Hoc propriè est sanctificare Hoc autem solius esse Dei, & non hominis, aut vllius creati Spiritus, apud pios extra controuersiam est. Vbique enim scriptura tradit, Deum illum esse, qui nos sanctificet. Ac proinde etiam extra controuersiam est, nullius esse Spiritus creati sese à peccato præseruare, & ne in peccatis concipiatur, cauere. Atqui Christus etsi non regenerauit (neque enim opus habuit regeneratione, qui conceptus est sine peccato) perfecta tamen obedientia, sese totum Patri iamante, ab initio suæ vitæ, vsque ad mortem, mortem autem crucis, consecrauit, & hoc est, quod hîc dicit: Ego meipsum sanctifico. Ergo, etsi nil aliud adderet, tamen hinc apertè consequitur, Christum purum non esse hominem, neque Filium per gratiam adoptionis, sed per naturam, Deumque verum. Quod si excipias: At, quòd perfecta obedientia sese Deo Patri consecrârit, damus, verùm hoc ideò fecit, & facere potuit, quia perfectæ erat & sanctissimæ naturæ, sine peccato conceptus: Quòd autem fuerit ita conceptus, hoc habuit tantùm à Patre. Pater enim eum sanctificauit, vt ait apud Iohann. 10. 36. Proinde, non hinc efficitur, eum esse Deum.

Quod sine peccato sit conceptus, conuenit inter nos, sed quòd hoc solum à Patre acceperit, non damus. Contendimus verò, Filium etiam seipsum in sui conceptione, sanctificasse. Quomodo hoc fuerit factum, explicatum à nobis fuit: nimirum τὸν Λόγον, qui factus est caro, dum carnem assumeret, carnem illam, vt sui Spiritus conceptam, & ab omni peccati labe præseruasse, & plenitudine suæ sanctitatis repleuisse, ac quasi (vt ita loquar) ædificasse, sed sine vlla substantiæ, & naturæ humanæ mutatione, veluti etiam ignis ferrum, cui in fornace coniungitur, in suam conuertit naturam, non quod ferri substantia in substantiam ignis conuertatur, sed quod ignis totam suam vim, cuius capax potest esse ferrum, ferro communicet. Atqui hinc facilè intelligitur, quomodo Λόγος seipsum, quod ad assumtam carnem attinet, sanctificârit. Argumenta autem, quibus hoc confirmetur, non desunt.

Qui carnem, quam Λόγος assumsit, sanctificauerit, eum nemo dubitat, fuisse Patrem. Vnde Christus: *Quem Pater sanctificauit.* Ioh. 10. 36. *Omnia autem qua agit Pater, eadem & Filius similiter agit* Ioh. 5. 10. Id quod non solùm de operibus quæ posteaquam manifestatus est in carne, cum Patre operatus est, verum etiam de omnibus aliis, quæcunque Pater vnquam fecerit, tam in Mundi creatione, quàm post orbem conditum, intelligendum esse: demonstratum à nobis fuit, quum hunc locum explicaremus. Non minùs igitur Christus, quà Λόγος est, seipsum, quo ad carnem assumtam attinet, sanctificauit, quàm fuerit à Patre sanctificatus. Deinde causa, cur quod nasciturum erat ex virgine, nasciturum esset totum sanctum, hæc adfertur ab Angelo, nimirum, propterea quòd virtute Spiritus sancti, qui virtus Altissimi appellatur, illud erat concipiendum. Luc. 1. 35. *Spiritus* (inquit) *sanctus superueniet in te:* idcóque quod nascetur ex te sanctum, &c. quibus verbis ostendit, Spiritum sanctum illum fuisse, qui carnem è virgine assumendam, sanctificârit, seu Patrem suo Spiritu. Atqui Spiritus sanctus non minùs est, & dicitur Christi Spiritus, quàm Patris. Rom. 8 9. Gal. 4. 6. Non minùs igitur Christus, quà Λόγος, & Filius Dei est, suam carnem sanctificauit, quàm Pater, cum per Spiritum sanctum, qui est & Patris & Filij, & qui essentia idem est, quod Pater & Filius: ea fuerit sanctificata.

Proinde non sine causa Apostolus Roman. 1. 3. 4. duo in Christo prædicat. Nempe carnem, secundum quam, docet eum esse ex semine Dauid: Et deitatem, quam vocat Spiritum sanctificationis, secundum quem Spiritum ait, declaratum esse filium Dei. Cur verò Spiritum Christi, Spiritum sanctificationis appellauit? non solùm quia alios sanctificat: sed cum primis, quia carnem assumtam sanctificauit. eo, qui à nobis suprà explicatus est, modo. Fatemur igitur, Quod Christus perfecta obedientia sese totum Patri vsq; ad mortem cōsecrârit, & vt ipse hic loquitur, sanctificârit, hoc ideò illum potuisse facere, & reapse fecisse, quia totus erat sanctus, & in sui conceptione à Patre sanctificatus. Sed negamus humanam eius naturam in sui conceptione, fuisse à sola Patris persona sanctificatam, & contendimus, vt iam demonstratum est eam non minùs à Filio, quàm à Patre sanctificatam fuisse. Ac proinde tantū abest, vt hac ipsa Christi sanctificatione, quæ facta fuit in vtero Virginis, infirmari possit argumentum de deitate Christi, ductum ab altera sanctificatione, qua se Patri, perfecta obedientia sanctificauit, vt potiùs indè magis ac magis confirmetur. Ideò enim Christus perfectissima obedientia sese potuit totum Patri sanctificare & consecrare: quia priùs non minùs ipsemet, in sui, quod ad carnem attinet, conceptione sese sanctificauerat, quàm Pater. Sed præter hæc addo, quod Apostolus tradit ad Hebr. 9. 14. quomodo nempe Christus sese Patri consecrarit, oblatione sui corporis. *Per Spiritum* (inquit Apostolus) *æternum.* Hinc duo sequuntur: primùm, hunc Spiritum fuisse Christi Spiritum. Etsi enim aliquis sanctificari potest alterius Spiritu, sanctificatio tamen non fiet ab ipso, qui sanctificatur, sed ab eo, qui sanctificat. Ac proinde semper Spiritus, per quem aliquis sanctificatur, illius fuerit qui sanctificat. Si enim aliquis homo dicetur mouere se per animam: per animam suam sese mouere, omnino

intellig-

...igeretur, non autem per alienam. Quòd si aliquis per ... moueatur, non ille mouebit se, sed ab alio mouebitur. Cum igitur Christus sese sanctificauerit, seu obtulerit Patri per Spiritum æternum, efficitur, Spiritum hunc, Spiritum fuisse & esse Christi, non autem alienum à Christo. Deinde consequitur etiam, hunc Spiritum fuisse ipsam deitatem, seu (vt Apostolus vocat, Coloss. 2.9.) ipsam plenitudinem Deitatis in Christo corporaliter inhabitantis. Nullus enim Spiritus, æternus Spiritus est, nisi verè Deus, & huic soli propriè conuenit nomen *ἀΐδιος*: quia is solus est ἀεὶ ὤν. Christi igitur Spiritus, ipsa est æterna Christi deitas. Atque ideò magis inde liquet, quòd hac particula *per Spiritum æternum*, indicare voluit fontem vnde efficacitas sacrificij Christi fluat, nempe ex ipsius deitate. Neque enim efficax fuisset sacrificium ad emundandas conscientias nostras, nisi is, qui sacrificium obtulit, non tam homo quàm etiam Deus fuisset, imò nisi ad sacrificij ipsius oblationem, concurrisset vis Deitatis. Ideò non simpliciter dixit: *Qui seipsum inculpatum obtulit*, sed addit, *per Spiritum æternum*. Cum hoc dicto consentaneum est illud, *Deus Ecclesiam redemit sanguine suo*. Act. 20.28. Hac de causa, de principio Epistolæ, Apostolus conclusit, Christum esse non tam hominem ex semine Dauid, quàm verum Deum. Liquido igitur apparet nomine Spiritus æterni, Apostolum intellexisse æternam Christi deitatem. Quare ex eo, quod Christus ait, *Ego sanctifico meipsum*, adiecta Apostoli glossa, quòd hoc fecerit per Spiritum æternum, meritò concludimus, Christum verum esse æternumque Deum. Sed adde iis verbis Christi *Ego sanctifico meipsum*, alteram circumstantiam, quam Apostolus loco iam citato ad Hebræos adiecit, nimirum causam finalem, cur Christus se ipsum sanctificârit, seu consecrârit in mortem, Patri. Ait hanc fuisse, vt sua morte intercedente, fœdus nouum confirmaretur, Hebr. 9.15. Quibus ex verbis luculenter apparet, Apostolum, cum ait, Christum seipsum obtulisse per Spiritum æternum: docuisse, Christum esse noui & æterni fœderis, sicut confirmatorem, sic etiam auctorem. Nam sua morte fœdus confirmauit. Fœdus autem non confirmatur aliorum, sed ipsius testatoris morte. Fuit igitur Christus noui Testamenti auctor, quia confirmator. Quis porrò ignoret, auctorem Testamenti non tam veteris quàm noui esse ipsum verum Iehouam, sicut liquet apud Ierem. 31.33. vt ipsemet etiam Apostolus ibidem citat? Ergò quum Christus ait, *Ego sanctifico meipsum*, nempe in fœderis noui confirmationem, vt Apostolus interpretatur, apertè docet, se verum esse Iehouam illum, qui noui Testamenti, & auctor, & confirmator est. Hoc est primum argumentum, inde deductum: quòd Christus seipsum sanctificauit. Confirmatum verò tum à circumstantia Spiritus æterni, per quem se offerendo in mortem seipsum sanctificauit, tum causa finali, propter quam sanctificauit, nempe à confirmatione fœderis, per ipsius Testatoris mortem facta.

XXIV. Sequitur alterum, ex illis Christi verbis, quibus finalis causa suæ sanctificationis exprimitur. *Precor* (inquit) *vt & ipsi sint sanctificati in veritate*, nempe à me, vt ex Apostolo ostendimus ad Ephes. & ad Hebræos Eph. 5.25. Heb. 2. 11. His enim verbis duo docuit Christus: vnum, se illum esse, qui sicut se sanctificauit, sic etiam nos in sua persona sanctificauerit, & sanctificet Patri: alterum, se etiam eum esse cuius sanctificatione & sanctitate sanctificemur, idque tum suæ perfectissimæ sanctitatis imputatione, tum reali eiusdē per suū Spiritū facta cōmunicatione. Vtroq; autē satis apertè conuincitur, Christum filiū esse Dei vnigenitum, Deumque ipsum. Nam quod ad primum attinet, vbique sacræ scripturæ docent, solius esse Dei homines sanctificare, & eos sibi totos consecrare exuendo veterem hominem, & induendo nouum: auferendo ab eis cor lapideum, & dando cor carneum: liberando à seruitute peccati, & efficiendo seruos iustitiæ, denique è mancipiis Sathanæ in filios sibi regenerãdo, & in templū Spiritus sancti consecrando. Cùm itaque Christus ille sit, qui nos & semel in sua persona sanctificârit, & quotidie magis ac magis sanctificet, vt ad Eph. 5.26. Apostolus docet, quin etiam cùm ideò se sanctificârit, vt nos quoq; per ipsum sanctificaremur: idcircò, sicut inde euincimus eū esse verum Deum, quia seipsum totum sanctificauit, sic etiā inde facilè eadem ratione idem concludimus, quia nos sanctificauit atque sanctificat, nimirum, quia solius Dei est, homines sibi totos verè & propriè sanctificare. Accedit confirmatio: quia seipsum sanctificauit, suumque obtulit Patri sacrificium, per Spiritum æternum, sic etiam quos sanctificat, per Spiritum suum sanctificat. Ad utrum quod attinet: Christus nos sanctificat imputatione suæ perfectissimæ sanctitatis, quemadmodū docetur ad Rom. 8. priorib. versibus. Docet enim ideò nihil damnationis esse iis, qui in Christo sunt, quia vis viuificantis Spiritus (quam appellat legem Spiritus vitæ) in Christo perfectissima, liberat nos à lege peccati & mortis, ex quo sequitur, eam nobis imputari. Quomodo enim sanctitas in Christo perfectissima nos liberat à lege peccati & mortis, nisi quia illa nobis ita imputatur & reputatur vt nostra, perindè atque si nullæ prorsus in nobis essent peccati reliquiæ? Cæterùm vt huius perfectissimæ sanctitatis, quæ in Christo reapse existens nobis imputatur certum testimonium atque pignus habeamus, sanctificat nos, reali etiam eiusdem sanctitatis communicatione, sed ex parte, idque per suum Spiritum, quo in omnibus viuit agitque credentibus. Atque hæc est vtraque illa sanctitas, de qua ait Christus: *Ego sanctifico meipsum pro illis, vt & ipsi*, &c. Vtrumque verò ita se habere tam quod de imputata, quàm quod de communicata diximus Christi sanctitate, nimirum nos vtraque, à Christo ipso, tanquam à causa efficiente sanctificari, liquet ex iis locis in quibus Christus simpliciter dicitur nos sanctificare. Obsecro autem, quomodo Christus suam sanctitatem vel imputare, vel communicare singulis electis, vbique terrarum, & omnibus possit temporibus, si Deus non sit æternus & immensus, qui vbique sit, & vi suæ deitatis sese ad omnia extendat, & in omnibus agat? Certè (vt de imputatione dicam) sicut peccata nostra nobis non imputare solius Dei est, Psal. 32.2. sic suæ sanctitatis imputatione, nos habere pro verè sanctis, eiusdem solius Dei sit necesse est. Ille autem hanc nobis imputat, qui nos ea sanctificat. Quomodo verò Sol (vt de communicata dicam sanctitate) suam nobis communicare posset lucem, nisi suis radiis ad nos vsque pertingeret? Quia itaque lucem reipsa communicat: sequitur, eum esse quodammodo propter suos radios vbique sparsos, immensum. Idem de Christo cogitandum est. Quare cum reapse omnes suos electos sua sanctificate, ceu luce vbique sparsa, illustret, & viuificet, idque omni tempore & loco, apertum dat ipse testimonium suæ immensitatis, eoque & deitatis, quæ suis radiis omnium electorum corda perfundat. Argumentum igitur est minimè contemnendum ad confirmandam Christi deitatem, hoc, quod inde sumpsimus, quia & sanctificauit seipsum, & nos etiam sua sanctificat sanctitate.

XXV. Sequitur versicul. 20. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro iis, qui credituri sunt per sermonem eorum, in me*, &c. Hæc est pars tertia precationis Christi ad patrem, in qua posteaquam pro se, deindè pro Apostolis precatus est, nunc orat pro tota reliqua Ecclesia, seu pro omnibus Electis. Sunt autem duo præcipua capita huiusce præsentis precationis.

Vnum ad salutem pertinet Ecclesiæ, in hac etiam præsenti vita: Alterum ad perpetuam eius felicitatem in altero seculo. Nam primum caput est de vera & perfecta vnitate Ecclesiæ, deque *κοινωνίᾳ*, quam habet cum Patre & Filio eius Iesu Christo. Precatus est enim Christus vt omnes electi, qui eandem Euangelij doctrinam, per Apostolos primùm prædicatam, deinde literis mandatam ex animo amplectuntur, sicut omnes in eundem credunt Iesum Christum, sic etiam omnes in vnum coëant corpus, sub vno eodemque capite Iesu Christo, idque vinculo eiusdem Spiritus sancti. Atque vt ita vnum effecti cum Christo, & inter se vnum etiam fiant cum Patre: & (vt Iohannes loquitur) *κοινωνίαν* habeant non tantùm cum Apostolis, & inter se: sed cum Patre, & Filio eius. Tum demum enim perfectam fore vnionem, & nos (vt loquitur Christus) consummatum iri in vnum. Hoc caput habemus versu 20. 21. 22. 23. Fuit autem exaudita hæc Christi precatio. Itaque non immeritò scribit Iohannes: *Hæc autem scribimus vobis, vt & vos κοινωνίαν habeatis nobiscum, & κοινωνία nostra sit cum Patre, & Filio*, &c. 1. Ioh. 1.3.

Alterum caput est, de æternitate felicitate in cœlo cum Christo. Precatus est enim hoc quoque Christus, nempe, vt omnes fideles tandem ibi sint, vbi & ipse, nimirum in cœlo apud Patrem, vt ibi plenam ipsius gloriam apertè videant, & videndo, felicem beatamque in summo amore vitam in perpetuum traducant. Hoc caput habemus versu 24. vsque ad finem. Ex vtroque autem capite, testimonia habemus deitatis Christi non obscura. Breuiter verba Christi percurro.

XXVI. Ad primum igitur quod attinet, ait, *Non solum autem*, &c. Tria hic habemus. Primum, pro quibus orârit Christus, ac proinde pro quibus etiamnum intercedat apud Patrem, nempe pro tota, & sola sua Ecclesia. *Nō solùm pro iis* (Apostolis) inquit, *sed etiam pro iis, qui credituri sunt*, &c. Iohan. 17.20. Nempe pro omnibus & singulis Electis. Nouit autem singulos pro quibus rogauit & rogat. Deinde habemus hic, quænam sit vera Ecclesia, nempe illa, quæ

doctrinam Apostolorum amplexa, totam salutis fiduciam in vno collocat Christo. Ideò ait: *Qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Vera igitur Ecclesia, sua fide in Christum, Deum illum esse testatur, & Christus hoc probat testimonium, quoniam vult in se, tanquam in verum, æternumque Dei filium, credi. Postremò, Quisnam sit totius doctrinæ Apostolorum scopus, nimirum fides totius salutis in Christum. Certè scopus finisque Christiani hominis, debet esse Deus. Ideò Deus sic definitur, Esse ille à quo omnia, & per & propter quem omnia. Ro. 11. 36. Quomodo igitur doctrina Apostolorum proponit Christum tanquam scopum, in quo totam collocemus fiduciam, si non est Deus?

XXVII. Vers. 21. *vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Tria sunt in hoc versu, quæ in aliis etiam explicat, Petitio, explicatio petitionis, & certus quidam finis huius petitionis. Principio ait: *Vt omnes vnum sint,* hoc est, peto efficias, vt omnes vnum sint corpus, nempe (vt mox explicat) sub vno capite, totum corpus viuificante. Hæc est enim summa huiusce petitionis, vt scilicet omnes fideles, sicut vnam & eandem Apostolorum doctrinam amplectuntur, & sicut vnam & eandem in Christo fidem ex animo profitentur, sic in vnum coeant corpus, sub vno capite Christo, per totum orbem diffusum: quàm coitionem, communionem sanctorum vocamus. Et hic est fructus passionis Christi, vt Filios Dei congregaret in vnum. Est enim hæc regula retinenda, Christum hîc antequam iret ad mortem, sub forma precationis explicasse fructus suæ passionis, seu sui sacrificij efficacitatem. Quæcunq; enim hic petiit, vi sui sanguinis impetrauit.

Deinde ait: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Ordo, & sensus verborum hic est. Peto, ô Pater, & rogo efficias, vt sicut tu es in me, & ego in te, atque ideò verè inter nos vnum sumus, sic etiam illi in nobis sint, atque ita verè sint nobiscum, & inter se vnum. Illa particula, *sicut,* nota est similitudinis, non autem æqualitatis.

Neque enim potest Ecclesia, eodem planè & æquali modo esse vnum corpus, sicut Pater & Christus vnum sunt. Hoc porrò simili, duo præcipua huiusce vnitatis Ecclesiæ capita, aperit Christus. Vnum apertè tradit, alterum indicat, sed versu insequenti istud etiam explicat. Horum duorum capitum primum est fundamentum seu caput vnitatis Ecclesiæ, alterum est eiusdem vnitatis vinculum. Fundamentum autem, & caput vnitatis, est id, in quo ipsa vnitas consistit, & sub quo omnia membra coalescunt. Quotquot enim in vnum quasi corpus coeunt, illa sub vno aliquo ceu capite, totius vnitatis principe coeant, necesse est. Quoniam omnis vnitas, est in vno, & ad vnum. Multæ lineæ in vno puncto collectæ, vnum constituunt sphæricum corpus: Multa membra sub vno animalis capite coacta, vnum efficiunt corpus animale. Multi ciues sub vno rege, vnum sunt corpus politicum, quod regnum appellatur. Sic multi fideles, sub vno capite viuo & viuificante collecti, vnum constituunt corpus Ecclesiasticum. Hoc caput in Ecclesia, omnes sub se fideles ceu membra coacta continens, atq; viuificans, & in quo vnitas Ecclesię consistit & nititur, quodnam est? Est Christus ipse: non simpliciter quatenus homo, aut Mediator, sed quatenus vnum est cum Patre, qui est fons omnis vnitatis, & totius vitæ scaturigo. Sicut enim in humano genere, caput continet sub se reliqua membra sibi vnita, non quatenus est nudum caput, sed quatenus fontem totius vnitatis & vitæ in se habet animam: Ita Christus, caput Ecclesiæ est, quatenus secum semper habet Patrem totius vitæ fontem & omnis vnitatis principium, vt hoc significauit Christus, cum dixit: *sicut tu Pater in me & ego in te:* Hinc enim pendet vnitas Ecclesiæ. Idcircò Iohannes vnionem nostram docet esse non in filio solo, sed in Filio simul & in Patre, dicens 1. Io. 1. 3. *Et societas nostra sit cum Patre, & cum filio eius Iesu Christo:* sed immediatè vnimur Christo & per Christum Patri: ideò ait idem Ioh. *Qui habet filium, habet & Patrem* 1. Ioh. 2. 23. Christus ergo, caput vnitatis Ecclesiæ explicans, ait: *Vt sint vnum in nobis,* hoc est in me tanquam Mediatore, & per me in te, tanquam in principio vitæ & vnitatis. Loquitur enim hîc Christus tanquam medius inter Patrem & nos, nempe vt pontifex, & Mediator coniungens immediatè nos sibi, & per se Patri. Id quod meliùs explicat versu 23. dicens *Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati, seu perfecti in vnum.* Pater enim, tanquam supremus est in Christo Mediatore: Christus vt medius in nobis, qui sumus infimi, habitat. Ac proinde nos immediatè côiuncti sumus Christo, & per Christum Patri supra quem nihil est, & in quo est fons omnis vitæ, & omnis boni. Caput igitur & fundamentum totius vnitatis Ecclesiasticæ, est Christus cum Patre. Ideò ait: *In nobis vnum sint.* Et infrà ait: *Ego in eis, tu in me, vt sint consummati,* hoc est, perfecti *in vnum.*

Tum demum enim vera & perfecta est vnitas Ecclesiæ, quum sumus vniti Christo, & per Christum Patri. Nam sic etiam vnitas, quæ est inter Patrem & Christum, perfecta est vnitas, quia sicut à Patre incipit, sic etiam in Patrem desinit. Ideo recto ordine dixit: *Sicut tu pater in me.* En quomodo vnitas incipit à Patre, in Christo. *Et ego in te.* En quomodo eadem vnitas, finem habet in Patre. Sic nostra vnitas incipit à Patre: quia is misit filium, vt nos sibi vniret. Et desinit in Patrem: quia Christus ideo nos sibi vnit, vt ad Patrem adducat. Tunc demum, perfecti sumus in vnum. Hoc est primum vnitatis caput. Alterum est nexus, quo vnimur Christo, & per Christum Patri. Omnia enim quæ alicui vni copulantur & vniuntur, aliquo nexu copulentur & vniantur necesse est. In corpore humano, omnia membra vniuntur capiti, & inter se, vinculo Spiritus seu animæ. Ita in corpore Ecclesiæ, omnes electi vniuntur capiti Christo, in quo Pater est, nexu Spiritus sancti nos Christo capiti copulantis, & diuinæ ipsius naturæ participes efficientis, qua simus Filij Dei.

XXVIII. Hunc nexum explicat Christus, quum subdit versiculo 22. *Et gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Quænam sit hæc gloria quam à Patre accepit, & quam nobis dedit, anteà explicatum est. Est ipsa diuina natura, essentia, Deitas, cuius communicatione genitus est Filius Dei Patris, Deus de Deo. Huius fecit nos participes per Spiritum sanctum, quum suæ dignitatis & filiationis communicatione nos efficit Filios Dei. Omnia enim bona, ad æternam salutem pertinentia, à Patre Christus, per hunc Spiritum nobis communicatum, communicat. Proinde hic est nexus, quo vnimur capiti Christo, & per Christum Patri, quatenus Christus per Spiritum sanctum, suam nobis gloriam communicat, Filios Dei nos efficiendo, & ita cum Patre suo coniungendo. Ideò ait, *Ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis.* (hæc est θέωσις) In quem verò finem dedit nobis hanc gloriam? *vt,* inquit, *vnum sint nobiscum,* scilicet, & inter se, *sicut & nos vnum sumus.* Ideo n. vnũ sunt ipsi Pater, & Filius & Spiritus sanctus, quia vna est omnium Deitas, quæ etiam nomine Spiritus nonnunquam significatur. Sic igitur etiam nos vnum simus cum ipsis participatione eiusdem gloriæ, & diuinæ naturæ, per Spiritum sanctum. Hanc verò vnionem cum Christo per Spiritum sanctum, & cum Patre per Christum, sequitur vnio inter nos, omniaque vera Ecclesiæ membra. Illa enim huius est causa, efficitque, vt verè simus consummati in vnum, tametsi diuersis, longisque locorum interuallis dissiti sumus ab inuicem. Lineæ certè sphæricæ, in vno centro & puncto coniunctæ, quia vnum sunt cum centro, multò etiam perfectiùs sunt vnum inter se ratione centri, in quod omnes coeunt, licet vna procul distet ab alia, quàm si omnes propius inuicem essent, sed sine centro, cui vniantur. Propter centrum igitur, cui sunt vnitæ lineæ omnes, verè dicuntur perfectæ, & consummatæ in vnum. Quare ex hoc etiam membro apparet, quandonam omnes fideles verè sint vnum, nimirum quando omnes, etsi longis locorum interuallis à se inuicem distant, eiusdem tamen Spiritus Christi vinculo Christo Mediatori copulantur, & per Christum patri, atque ita vnum sunt in Christo, & in Patre, per Spiritum sanctum. Tum demum sumus verè perfecti, & consummati in vnum, quemadmodum loquitur Christus. Atque hoc est mirabile huiusce vnitatis mysterium: quæ constat Deo Patre, Christo mediatore, & Ecclesia, vinculo Spiritus sancti, cum Christo, & cum Patre coniuncta. Ideò rectè Christus ait: *Ego in eis, tu in me, vt sint perfecti in vnum.* Ita explicauimus duo prima capita huius contextus, nempe petitionem, & petitionis explicationem.

XXIX. Quod ad tertium attinet, Illud est duplex finalis causa, cur hanc Ecclesiæ vnitatem petat. Prima, vt hinc perspicuè innotescat gloria Christi, nimirum, Christum verum esse Dei filium, à Patre in mundum missum, & Patri charissimum ante mundi constitutionem. Quomodo verò hoc, ex hac vera Ecclesiæ cum Christo, & cum Patre, per Spiritum sanctum vnione innotescat, explico. Ex hac vnione, oritur totius hominis regeneratio & totius vitę renouatio. Participes enim simus lucis illius cœlestis, de qua Iohannes, *Deus lux est, &c.* 1. Io. 1. 14. Et Christus: *Ego sum lux mũdi.* Io. 8. 12. Hoc docet Apostolus, Ephe. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Hæc autem lux latêre in nobis non potest, sed sese profert per bona opera. Christiani enim sese mutuò diligunt, & inter se pacem vnitatemque Spiritus & charitatis colunt: Hanc verò vitæ mutationem & vnitatem fidelium, vidit & nouit mundus, tunc primum inter nos haberi cœpisse,

quùm

Sum amplexi doctrinam Apostolorum, credere cœpimus Christum. Ex mutatione igitur vitæ, eoque ex vnitate Ecclesiæ & ex fructibus huius vnitatis cum Christo & Deo, agnoscunt homines hunc Christum, quem credimus, verè esse à Deo missum: verumque vt prædicabatur, Dei filium, omnipotentem: quandoquidem ita homines, qui in eum credunt, immutat & renouat, vt eos repleat sanctitate, vereque faciat diuinos, atque cœlestes.

Hic est finis non postremus, cur nos sibi vniat Christus, & regeneret per suum Spiritum: nempe vt ex hac vnione, pateficat mundo sua ipsius gloria atque deitas & omnipotentia. Meritò igitur ait: *Vt credat mundus, me à te missum esse.* Et idem repetit versu 23. *Et vt cognoscat mundus me à te missum esse.* Quid nostris dissidiis, odiis, inimicitiis, scelerata vita aliud facimus, quàm quòd negamus, Christum, in quem credere nos profitemur, missum esse à Deo, verumque esse Dei filium? Quibus autem argumentis magis confirmare possumus Christum verum esse Dei filium, Deumque ipsum, quàm sancta vita, quàm mutua concordia, pace, charitate? His enim testamur nos factos esse participes diuinæ naturæ, quam in Christo prædicamus corporaliter inhabitare.

Altera causa finalis est, vt hinc etiam patefiat, quanta nos beneuolentia Pater diligat: quippe qui filium suum misit in mundum, vt nos suo Spiritu sibi & per se Patri vniret, & hac vnione redderet sanctos, felices, beatos. Vera igitur vnitas fidelium cum Christo, cedit in gloriam Christi & Patris, & in salutem Ecclesiæ.

Ex hoc autem contextu proferunt se duo non leuia argumenta, quibus Christus declarauit, talem se esse Dei filium, qui etiam cum Patre sit Deus. Primum, Christus ex æquo vnà cum Patre se facit caput, in quo vnita sit Ecclesia, singulique fideles. *Vt sint* (inquit) *in nobis vnum.* Quomodo autem potest esse caput in quo tota Ecclesia sit collecta, & à quo singuli electi viuificentur, nisi in eo sit plenitudo vitæ, & Deitatis? Alterum: Sicut nos vnum sumus cum Christo, & cum Patre participatione gloriæ, quam Christus à Patre acceptam nobis communicauit, hoc est, diuinæ naturæ, qua facti sumus Filij Dei: Sic Christus est vnum cum Patre, plenitudine huius gloriæ, hoc est Deitatis, quam ante Mundi constitutionem accepit à Patre, in sui ex Patre ineffabili generatione. Qui autem vnum est cum Patre, plenitudine gloriæ, & Deitatis, quid aliud esse potest, quàm vnus cum Patre Deus? At sicut fideles, quia participatione diuini Spiritus vnum sunt cum Deo, homines diuini meritò possunt appellari: Ita Christus, quia plenitudine Deitatis vnum est cum Patre Deo, verissimè dicitur verus esse Deus. Nam eandem ob causam nos dicimus viuere, non autem vita ipsa, nimirum, quia vita Dei per Christum nobis communicata est ex parte: At verò Christus dicitur vita ipsa, quia in ipso plenitudo est vitæ, sicut & in Patre. Ergo etiam, quia plenitudo Deitatis in ipso corporaliter inhabitat, & hac vnum est cum Patre: omnino verus esse Deus dicendus est. Est enim Filius in Patre, & Pater in Filio plenitudine Deitatis: sicut Sol in radio, & radius in Sole plenitudine Lucis. Imò lõgè etiam perfectiori modo, & qui omnem creatæ mentis captum excedit. Ergò multo veriùs Christus dicitur, & est Deus, quàm radius Solis, Sol appellari solitus est.

XXX. Versicul. 24. *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, & videant gloriam meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante Mundum conditum.* Alterũ quod petit à Patre pro tota Ecclesia singulisque electis, & quod reapse suo sanguine impetrauit, est vt sint cum Christo in cœlo in perpetuum, ibique gloria deitatis, & regni Christi perfruantur. Sunt autem tria membra huius versus, diligenti consideratione digna: & quæ non parum deitatem Christi confirmant. Primum est petitio, suæque voluntatis significatio: *Volo* (inquit) *Pater, vt quos dedisti mihi, mecum sint, vbi sum ego.* Alterum, est causa finalis, cur velit eos secũ esse: nimirum propter ipsorum felicitatem. *Vt conspiciant* (inquit) *gloriam illam meam.* Tertium est, Huius gloriæ explicatio: nempe quòd sit Filius è Patre natus, & dilectus ante mundi constitutionem: & eandem ob causam destinatus etiam, ad totam hanc gloriam, quam quatenus etiam homo, consecutus est: nimirum, quòd sit factus Mediator, pontifex, rex totius Ecclesiæ, seruator, hæres vniuersorum, Sessor ad dextram Patris, iudex viuorum & mortuorum, supra omnes angelos exaltatus. Hæc enim omnia ex illo consequuntur amore, quo ipsum vt vnigenitum Pater complexus est, ante constitutionem mundi. Hęc est gloria Christi, vt paulo pòst etiam ex scripturis monstrabo. Ad primum quod attinet, ait: *Pater, quos dedisti mihi, &c.* Verbum illud, θέλω, licet non nunquam vsurpetur, pro velim: nihil tamen impedit, quin hoc loco, accipi simpliciter possit, pro, *volo:* non quidem vt sit verbum imperantis: sed vt sit certa iustissimæ, & ideò immutabilis Christi voluntatis, significatio. Hæc enim omnia, sonora & clara voce proferebat Christus propter Apostolos; & propter nos etiam scripta reliquit: vt in vers. 13. apertè expressit, se hæc omnia dixisse, *vt gaudium suum in illis esset perfectum.* Hæc autem certa, suæ certissimæ & immutabilis voluntatis, significatio, plurimùm faciebat ad consolationem Apostolorum, & nostram. Meritò igitur dixit, *Volo*: non autem, cupio, desidero. Sic solent Filij, quum aliquid certi constituerunt, promiseruntque, quod tamen sine Patris assensu obtinere nequeunt; hac fiducia Patrem alloqui, vt dicant, pater hoc peto, & pro beneuolentia, qua me complecteris, audeo dicere, Volo. Hoc est enim desiderium meum, quod quia persuasus sum, esse iustissimum, eoque tibi fore gratissimum: idcircò etiam certò constitui, & promisi. Scio enim te idem velle. Ita etiam hic loquitur Christus. Et ratio à fine huius precationis ducta, confirmat quod dico. Nam finis fuit tum Apostolorum, tum nostri omnium consolatio, quæ inde oritur, quòd nouimus certam hanc esse voluntatem Christi, vt simus vbi & ipse, in cœlo. Nouimus autem, voluntatem patris non esse diuersam à voluntate Filij. Certi igitur sumus de futura beatitudine. Quare sensus est: Nunquam, ô pater ero contentus: nisi illi, quos dedisti mihi, sint vbi & ego, in cœlo, inque æterna beatitudine. Nam quia dedisti mihi, scio te hoc velle: propterea & ego hoc idem volo. Hinc autem apparet, eandem esse Christi & Patris voluntatem. Neque enim Christus ita loqueretur, *Volo*: nisi eadem esset & patris voluntas. Quum enim suum tantùm explicauit desiderium, quà homo, non est absolute locutus, *volo*: sed, *Si fieri potest, transeat a me calix.* Mat. 26.36. Hic simpliciter ait, *volo.* Eadem igitur Patris & Filij voluntas: ac proinde eadem Deitas. Ex illo etiã verbo in præsenti, *Sum*: facile est colligere, Christum non esse purum hominem, sed Filium Dei immensum, Deumque ipsum. Nam quum hæc diceret, erat iam in cœlo, & in cœlesti regno: quia ait, *Vbi sum ego.* Non erat autem corpore, hoc enim erat tunc duntaxat in terra. Alia igitur natura, quàm humana, erat in cœlo. Atqui hinc apparet, quomodo Christus sit vbique, sua nimirum Deitate, non autem corpore. Id quod inde confirmatur: Quia si esset vbique suo corpore: vbique etiam futuri essent omnes fideles suis corporibus. Apertè enim ait Christus, se velle, vt ibi sint secum, vbi & ipse. Confirmatur etiam resurrectio mortuorum, nostraque corpora, futura in cœlo gloriosa. Fideles enim, qui futuri sunt, vbi & Christus, non constant tantùm anima, sed etiam corpore. Ergò tam corpore, quam anima in cœlo tandem sint, necesse fuerit.

XXXI. Ad secundum verò quod attinet, ait: *Vt videant gloriam illam meam, &c.* Verbo videndi, intelligit non simplicem inspectionem gloriæ Christi: sed plenam ac perfectam visionem, cum beata fruitione coniunctam. Ex illa enim visione, orietur Christi fruitio, nostraque æterna beatitas. Nam si vita æterna & salus nostra in eo sita est (sicut supra dixit) vt agnoscamus, quanquam obscurè, in hoc seculo, Deum & Christum: Plena igitur felicitas erit in aperta plenaque visione gloriæ Dei & Christi. At nonne Apostoli viderant iam gloriam Christi? *Vidimus gloriam eius, &c.* Io. 1. 14. viderunt scintillas, nõ plenum fulgorem. Sensus igitur est, Volo tandem in cœlum recipiantur fideles omnes, vbi & ego iam sum mea Deitate, & breui etiam, corpore. Quorsum? Vt gloriam meam, quam in terris Apostoli & aliquot alij, ex hac carne, sed obscurè, refulgentem, vtcunque viderunt, & adhuc post meam resurrectionẽ clariùs visuri sunt: in cœlo perfectissimè, & pleno solidoque fulgore lucentẽ, perspicuè qualis est, videant, & ea perfruantur. His igitur verbis futuram nostram felicitatem exprimere voluit: & quanam in re posita sit, docere: nimirũ in plena ac perfecta visione, & fruitione gloriæ Christi. Salomon ostendit Reginæ Sabæ omnem suam gloriam cõspiciendam: sed non fruendam. 1. Reg. 10. At Christus volet vt sua cõspecta perfruamur.

At quænam est hæc gloria Christi? Hanc explicat duobus verbis: nomine dationis, & nomine dilectionis, ante mundi constitutionem. Ad vtrumque enim refero, πρὸ καταβολῆς κόσμου illud, *Ante mundi constitutionem*: Et tam cum verbo, *Dedisti*, coniungo, quàm cum verbo, *Dilexisti*: vt congruat cum eo, quod suprà dixit, vers. 5. *Ea gloria quam habui, antequam Mundus existeret.* Si enim Christus eam gloriam apud Patrem habuit, antequam mundus existeret, ergò Pater eam dederat Christo ante mundi constitutionem. Gloria igitur Christi consistit, cum primis, in re accepta à Patre ante mundi constitutionem: & in dilectio-

ne qua Pater eum dilexit, itidem ante mundi constitutionem. Quid autem ante mūdi constitutionem, vel Pater dare potuit, vel Filius accipere, nisi Deitatis gloriam? Igitur primum verbum non potest referri, nisi ad æternam ex Patre filiationem, eoque ad Deitatem Christi. Nam antequā Mundus fieret, nihil erat nisi Deus; nullave gloria, nisi gloria Dei. Quare si reapse, & Pater dedit hanc gloriam Christo, ante mundi constitutionem: & Christus eam habuit accepitque ante mundi constitutionem, vt supra ostendimus, consequitur hanc gloriam esse ipsam æternam Christi filiationem, ipsamque Deitatem, quatenus à Patre accepta, tota est in filio. Ideircò non sine causa duos adiecit articulos, quum dixit, *Vt videant τὴν δόξαν, τὴν ἐμήν: illam gloriam, illam meam*: quasi dicat; illam æternam ac diuinam: & illam meam propriam ac singularem, nempe, quòd sim Filius tuus æternus, increatus, tibi ὁμοούσιος. Vt ita interpreter, cogunt tum alia Scripturarum loca, quæ suprà citauimus de hac gloria: tum ipsa Christi verba de hac eadem ter in hac precatione repetita. Primum: ver. 5. *Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, antequàm mundus fieret*: Quæ quàm bene respondeant iis, quæ in hoc versu habet perspicuè apparet ex vtriusque collatione. Nomine autem gloriæ, suprà versu quinto ostendimus, intelligi ipsam æternam & essentialem ex Patre, Filij natiuitatem, adeóque ipsam Deitatem. Deinde versu 22. eandem vocem repetit: *Gloriam quam dedisti mihi, dedi eis*. Quid autem dedit nobis Christus? Hanc dignitatem, gloriam, & auctoritatem, vt simus filij Dei, quicūque in illum credimus. Io. 1. 12. Postremò hic ait: *Vt videant gloriam*. Est autem absurdum, eandē vocem, ter repetitam in eadē precatione, & de qua potissimum tota fere loquitur oratio: in diuersa trahi significata.

Præterea, hæc reuera est præcipua gloria Christi, quòd solus est æternus, naturalis, & ὁμοούσιος Patris æterni Filius. Accedit ratio deducta ab illa temporis circūstantia, vel potiùs ab æternitate: *quam* (inquit) *dedisti ante mundi constitutionem*: *Et* vt supra, *quam habui apud te, antequam mundus existeret*. Item Iohannes ait, 1. 14. *vidimus gloriam eius, &c.* scilicet ex parte. Hîc verò Christus: *vt videant gloriam*, inquit, *meam*, scilicet plenè.

Non est igitur absurdum, si ita interpretemur: Quoniam hæc interpretatio & cum analogia fidei, & cum aliis Scripturis, & cum ipso contextu consentanea est.

XXXII. Sequitur altera explicatio gloriæ Christi nempe, quod Pater eum dilexerit, ante mundi constitutionem. Refero hāc gloriam, primò quidem, ad Christum, quà Λόγος, & æternus est Dei Filius. secundo, ad eundem, quatenus etiam est homo. Nam hunc hominem vel potius humanam naturam in Christo, antequam esset creata & ἀνυπόστατος τῷ Λόγῳ vnita, nempe ante mundi constitutionem, amauit Pater: Quemadmodum etiam omnes electos: iuxta illud *Iacob dilexi, &c.* Rom. 9. 13.

Et ex hoc amore factum est, vt hanc etiam humanā naturam in Christo, tanto honore, & gloria coronârit (sicut loquitur Scriptura): vt eam hypostatica vnione coniunxerit cum æterno Λόγῳ: vt nomen Filij Dei consecuta sit, vt vnà cum Λόγῳ facta sit Mediator, Pontifex inter Patrem & homines, Rex, Iudex viuorum & mortuorum, vt in ea deletum sit peccatum, sublatæ inimicitiæ, mors extincta, Sathan expugnatus, deuictus mundus. Vt in ea confirmatum sit fœdus æternum, redempti electi, reconciliata Deo, quæ in cœlo & quæ in terra. Vt fuerit à mortuis ante corruptionem excitata, in cœlum euecta, ad dextram Patris collocata, supra omnes Angelos constituta. Denique, vt tandē ventura sit ad iudicandum mundum: & futura sit speculum, in quo lucidissimè splendeat tota Patris, Filij, & Spiritus sancti Deitas, atque Maiestas: ac proinde futura sit omnium electorum beatitudo. Nam apertè ait Christus, nos visuros esse ipsius gloriam, hoc est, Deitatē. Et Scripturæ apertè tradunt nos visuros Deum oculis etiam corporeis: vt legimus apud Iobum, cap. 19. 26. *Et in carne mea videbo Deum, saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius: & oculi mei conspecturi sunt.* Atqui manifestum est, Deum in sua essentia, seu nudam ipsam Deitatem, videri humanis oculis non posse. *Quem nemo hominum vidit* (ait Apostolus) *sed nec videre potest.* 1. Tim. 6. 16.

Ergò quomodo videbimus hanc gloriam Christi, hoc est, Deitatem? In ipsa & ex ipsa Christi carne, glorificata, clarissimè refulgentem. Quare cum ait: *vt videāt gloriam meam*: intelligit Deitatem, sed in carne glorificata refulgentem. Hinc sequitur, alteram Christi gloriam, nempe humanæ naturæ glorificationem ex priore gloria, nempe ex Deitate, pendere. Et ideò amatum fuisse hominem Christum à Patre, ante mundi constitutionem: quia amatus fuerat priùs Christus Λόγος, æternus Dei Filius. Quare ex hac gloria, quam ait ab omnibus Electis visum iri, apertum colligitur argumentum, Christum non solùm hominem, sed etiam Deum esse. Si enim hæc gloria est ipsius Deitas, siue naturalis dignitas, quia vnigenitus est Dei Patris, æternúsque & ante Mundi constitutionem dilectus Filius, vt sumus interpretati: est igitur Deus. Propterea quum ait, *vt videant gloriam*: ostendit finem, cur velit nos secū esse in cœlo, esse nostram beatitudinem, quam verbo, videndi gloriam suam, describit. Scripturæ autem passim docent, nostram beatitatē in eo positā esse: non solùm vt videamus & cognoscamus Deū sicuti est: 1. Cor. 13. 9. sed etiam vt videamus Deum, saluatorē nostrum, iis nostris oculis: vt ante ostendimus ex Iobo. c. 19. v. 26. Hic verò nō potest esse Pater, aut Spiritus sanctus: sed solus Christus. Sic Christus in cœlo erit obiectum nostræ beatitudinis, lucerna lucens, & stella matutina, vt ait Iohan. Apoc. 21. 23. & 22. 10.

XXXIII. Sequitur vers. 25. 26. *Pater iuste & Mundus te non cognouit. Ego autem te cognoui, & ij cognouerunt quod tu me miseris. Et notum feci eis nomen tuum & notum faciam, vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.* Epilogi loco tria facit. Repetit vnà ex præcipuis causis, propter quas non pro Mundo rogarit, aut roget: sed tantùm pro se, & pro suis Discipulis, Electisque omnibus. De mundo ait: *Pater iuste, mūdus te non nouit.* Sensus est: Etsi iustus & summe bonus es, tuámque bonitatem omnibus modis, Mundo declaras, atque etiam ego illam prædicaui: Mundus tamen te nō nouit, quasi dicat, nec vult noscere. De se ait: *Ego autem te noui*, nempe simpliciter, & perfectè, & à nemine mortalium edoctus. De Discipulis Electisque omnibus, primò ait, *Et ij nouerunt, me à te missum esse*: hoc est, me tuum esse Filium, & Legatum, Mundique seruatorem. Ac quod ad cognitionem attinet Patris, subiicit: *Et notum feci eis nomen tuum.* Hæc omnia locum habent assumtionis. Conclusio reiicitur: sed subintelligitur, nempe, Meritò igitur non pro Mundo rogo, sed tantum pro me, & pro meis Discipulis, Electisque omnibus. Hic habemus Mundum, hoc est, reprobos nunquam vera Dei cognitione, & fide præditos esse: solos autem, & omnes Electos, vera Christi & Dei cognitione ac fide donari. Quantus igitur thesaurus est, cognitio Christi, & Dei? hāc enim, præcipuam ob causam iudicauit Christus nos dignos: qui commendemur Patri. Et contrà, pro Mundo non fuisse orandum: quia is non nouit Deum. Ad hæc incrementum cognitionis ac fidei, promittit, dicens: *Et notum faciam*: nomen scilicet tuum. Hæc est etiam promissio, quæ ad omnes pertinet Electos: Et est altera causa, cur Discipulos suos commendārit Patri, quia non solùm nouerunt, sed magis etiam posthac essent indies eum cognituri, Christo Patrem magis ac magis notum faciente. Locus est pro perseuerantia sanctorum in fide. Christus promittit se Electis suis, posteaquam semel notum eis fecit nomen Dei: illud indies magis ac magis notum facturum. Tantum igitur abest, vt horum fides possit penitus deficere, vt potius semper accipiat incrementum necesse sit, Christo eam cōseruante & augente. Postremò addit finalem etiam causam, eámque duplicem, cur augeat Dei in Electis cognitionem. Prima est, *Vt charitas, qua* (inquit) *dilexisti me, sit in eis*, non ait, *sit erga illos*, sed *sit in eis*. Nam antequam cognoscant Electi Deum, charitas Dei est erga illos, quamquam nondum in eis. Is enim dilexit nos in Christo ante Mundi constitutionem, quamuis nos talem Dei amorem neque cognoscamus, neque ab effectis sentiamus. Sed tum demum amor iste Dei, incipit esse in nobis, quū illum agnoscimus, & per Spiritum sanctum diffunditur charitas Dei in cordibus nostris, vt ait Apostolus Rom. 5. 5. Tunc enim charitas Dei, qua Christum diligit, & nos in Christo, dicitur esse in nobis, quum vi Spiritus sancti per fidem & alia effecta amoris Dei erga nos, sentimus nos verè à Deo amari in Christo. Altera finalis causa. *Et vt ego* (inquit) *sim in eis.* Neque hic ait, *Sim pro eis*, sed, *in eis*. Nam etiam ante cognitionem Dei & Christi, Christus fuit pro nobis passus, & pro nobis intercessit, sed ante fidem, non est in nobis Quid igitur est Christum esse in nobis? Apostolus docet Gal. 2. 20. *Viuo autē iam non ego, viuit autem in me Christus.* Tunc enim Christus dicitur esse in nobis, quum per Spiritum suum in nobis viuit, & ita viuit in nobis. vt faciat nos viuere.

Obseruandus est hîc ordo salutis nostræ. Primò, Pater ante Mundi constitutionem amauit Christum amore immenso & perpetuo, vt vnigenitum, charum. Secundò: In Christo elegit nos: & in eodem dilexit, Ephes. 1. 5. Pater enim intuendo & diligendo Filium, caput Ecclesiæ, totum etiam eius corpus, quod est Ecclesia, intuitus est, & dilexit in Filio. Tertiò, Eodem planè amore dilexit nos, quo & Christum. Quartò, Pater ex amore hoc, tum erga Filium, tum erga nos, misit Filium, qui seruaret nos. Sic Deus

dile

lexit Mundum, Io.3.10. Ideò ex hac Filij missione, concludit, nos fuisse amatos à Patre. Quinto: Filius missus etiam homo, solus per se, nouit Patrem, totum verò Mundum erit Dei ignorantem, ideò ait: *Mundus te non nouit*: (neque Electi suapte natura) *Ego autem te noui.* Sextò: Christus igitur præter alia Mediatoris officia quæ perficit, Electis se primò manifestat non tam verbo, quàm Spiritu sancto. Deinde notum facit & Patrem: ideò primò ait: *Et hi nouerunt, me à te missum esse.* Et deinde: *Notum feci eis nomen tuum.* Neque enim Patrem noscere possumus, nisi in Christo cognito. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, Io.14.9 Septimò: Hanc cognitionem tam sui quàm Patris, eóque fidē in Electis inchoatam, non solùm non negligit: sed etiam paulatim auget in dies. *Et notum*, inquit, *faciã, &c.* Octauo: Prout augetur in nobis hæc cognitio & fides, eo etiam magis ac magis diffunditur charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum, hoc est, sētimus reipsa, nos à Patre amari in Christo, & eo quidem amore, quo Christum amauit, & amat. Rom.5.5. Est enim hic fructus fidei & agnitionis Dei. Ideò ait: *Vt charitas, qua dilexisti me, sit in eis.* Nonò. Quanto magis augetur in nobis tum cognitio Dei, tum sensus amoris illius erga nos; eo etiam magis ac magis Christus in nobis viuit, & nos regit suo Spiritu: ideò ait: *Et ego in eis &c.* Decimò: Quia verò Christus semper viuit in nobis, nósque viuificat: ideò & in animis nostris à corpore etiam separatis viuit æternùm. Et corpora tandem viuificabit, ad vitam immortalem & beatam Rom.8.11. Hinc verò etiam colligere licet, Christum esse verum Deum. Primò inde, quòd non solùm semel Apostolis, sed etiam quotidie omnibus Electis in cœlo existens corpore, suo Spiritu notum facit nomē Dei, & hanc cognitionem paulatim eodem Spiritu suo auget. Neque enim hoc est vllius creati Spiritus. Secundo loco inde, quòd in singulis Electis manet, viuit, regnat suo eodem Spiritu. Ipsum igitur Christi Spiritum esse immensum, eóque & Christum, & eius Spiritum esse Deum, oportet.

## CAPVT XI.

### Christi testimonia pro sui æterna ex Patre natiuitate, ex Ioh.20. breuibus exposita.

*Testim. Christi 16. ex Ioh.20. ver.17. &c.*

DIxit ei Iesus, *Ne me tangito, nondum enim ascendi ad Patrem meum: sed proficiscere ad fratres meos, & dic eis: ascendo ad Patrem meum: & Patrem vestrum: Deum meum & Deum vestrum.* Maria quum vellet Christum à mortuis excitatum, quem anteà putauerat esse hortulanum, ex reuerentia castissima amplecti: prohibita fuit à Christo iis verbis: *Noli me tangere*, &c. Et causam, cur pro illo tempore non permiserit se ab ea tangi: hanc attulit, *Nondum enim ascendi*, inquit, *ad Patrem meum.* Et mox subdit: *Sed vade ad fratres meos, &c.* Variæ sunt huius loci interpretationes, piæ & graues apud Interpretes: sed hæc etiam mihi non videtur absurda: quia simplicissima est, & vsitatæ apud nos locutionis: nempe vt propositio constet his duobus membris. Primo: *Noli me tangere*: Altero: *Sed* (nēpe statim) *vade ad fratres meos, & dic eis, &c.* Ac ratio, cur non debeat se tangere, subdatur: *Nondum enim ascendi ad Patrem.* Vt sensus sit: *Noli me tangere*; hoc est, ne hic mihi moram trahas in me cōplectendo: quasi non sis amplius me visura, & quasi ego sim mox ad Patrem discessurus. Sed curre tu ad fratres, & significato me resurrexisse, & ascensurum esse ad Patrem. Ratio, cur non debeas nectere hanc moram: sed confestim tunc perficere officium apud Apostolos, est: *Quoniam nondum ascendi ad Patrem meum.* Quasi dicat, multum adhuc temporis vobis superest ad fruendum mea præsentia. Nondum enim ascendi ad Patrem. Manebo enim adhuc vobiscum aliquot dies, vt possitis mea corporali præsentia frui. Sine mora igitur vade ad fratres: quoniam hæc res maioris est momenti: quàm occupari in me amplectendo. In hanc sententiam adduxit me particula aduersatiua, *Sed vade.* Quasi dicat: Noli hîc tempus terere me tangendo: sed dictum factum, vade ad Discipulos meos, & tuum perficito officium, quod tibi mandaui. Atque hinc colligitur doctrina vtilissima: Non esse propter affectus priuatos, etiam honestissimos, publicam fūctionem diuinam negligendam.

II. Porrò duo hîc nobis sunt consideranda, quæ ad rem nostram pertinent. Primùm: Cur Christus duo hæc epitheta, det Patri, vt non contentus nomine Patris sui, eum etiam vocet Deum suum, & Deum Apostolorum? Alterum, cur cùm faciat Deum, Patrem & Deum, tam Apostolis, quàm sibi communem: non tamen dixerit: *Ascendo ad Patrem nostrum, & Deum nostrum.* Sed priori loco suum dixerit, & Patrem, & Deum. Deinde adiecerit, *Patrem vestrum & Deū vestrum?* Ad primum quod attinet, significare voluit, duplicem eamque maximam coniunctionem, & necessitudinem, quam cum Apostolis & reliquis Fidelibus, quos omnes vocat fratres habebat atque habet: nimirum quòd verè simus illius fratres cum ratione filiationis diuinæ, quam communem habemus in cœlo Patrem: tum ratione creationis quà communem habemus Deum creatorem. Maior enim est coniunctio, quod communem cum Christo habeamus non solùm Patrem, verùm etiam Deum, hoc est, creatorem: quàm si communis tantùm nobis, cum Christo esset Pater, non etiam creator Deus. Duplex igitur amicitiæ nexus nos cum Christo coniungit: vnus quòd ille perinde est homo creatus à Deo, atque nos sumus. Alter, quòd nos perinde sumus Filij Patris cœlestis, atque ille: quanquam longè diuersa ratione. Ad alterum igitur quod attinet: ideò non dixit: *Ascendo ad Patrem nostrum, & ad Deum nostrum*: sed dixit primùm: *Ad Patrem meum, & Deum meum*: deinde: *& ad Patrem vestrum, & Deum vestrum.* Quia voluit indicare quoddam discrimen esse, tum inter filiationem suam & nostram: tum inter creationem sui & nostri. Docet enim primò, alia ratione Patrem cœlestem suum esse Patrem, & suum esse Deum, quàm sit noster aut Pater, aut Deus. Proinde non dixit: *nostrum Patrem, & Deum*: sed, *meum, & vestrum.* Secundo, docet non solùm alia, sed excellentiori etiã ratione, eundem suum esse & Patrem & Deum: quàm sit noster vel Pater, vel Deus. Proinde priori loco dixit, *meum*; deinde secundo loco dixit, *vestrum.* Atque ita se res habet. Nam quod ad creationem attinet: Primò, Christus vt homo, ita fuit creatus à Deo Patre, vt ab hac sui creatione, nō excludatur ipse Filius. Christus enim quà λόγος, tam creauit illam humanam, quam assumpsit carnem, Gal.4.4. quàm etiam Pater: vt liquet ex Ioh. c.1. Nam Christus vt homo, factus est. Per ipsum autem λόγον omnia facta sunt, & sine ipso, nihil factum est, quod factum est. Quis verò nostrûm potest dici seipsum creasse? Deinde Christus vt homo, conceptus est sine semine viri, sed huius loco, vi Spiritus sancti, eóq; sine peccato: nos verò in peccatis. Et natura illa humana ὑποστατικῶς vnita fuit τῷ λόγῳ: ita vt quodammodo dici possit deificata: non quod ad substantiam naturalésve proprietates attinet: sed quod ad quasdam pertinet qualitates: nobis verò non ita accidit. Excellentiori igitur modo Pater cœlestis creator est, eóque Deus Christi, quàm noster. Ac proinde non sine causa, priùs dixit: *Deum meum*: deinde *Deum vestrum.* Quod verò attinet ad filiationem diuinam: Eius duplex tantùm reperitur ratio: nempe, vt aut ex natura sit: aut ex gratia. Omnis enim filius, aut genitus est, eóque naturâ filius est: aut factus per adoptionem, eóque filius adoptionis est. Christus autem iis verbis, *Ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, seiungit se ab illa ratione, quà nos Filij Dei sumus: & apertè indicat se alio præstantiori modo esse Filium Dei, quàm nos simus; Nos certè non sumus nisi adoptionis gratia, eóque facti Filij Dei, vt Iohannes docet, 1.12. Ergo concludit se solum, filium esse natura, eóque genitum, nō factū. *Vnigenitus* (inquit Iohannes) *Filius qui est in sinu Patris, &c.* Io.1.18 Nam etiam quà homo, Christus natus est Filius Dei, tum quia conceptus de Spiritu sancto, tum quia caro illa vnita fuit vnione hypostatica τῷ λόγῳ, qui Filius est Dei æternus, & increatus, ex substãtia Patris genitus. Luc.1.35. Testatus est igitur Christus iis verbis, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Se Filium esse Dei genitum, non factum, & natura, non gratia. Accedit confirmatio ex versibus eiusdem cap.21.22.23.

III. V.21.22. &c. *Sicut misit me Pater, ita & ego vos mitto.* Hîc etiam illud καθὼς, nota est similitudinis, non æqualitatis. Quomodo enim misit Pater Filium in Mundum? Misit cū plenitudine Spiritus & Deitatis, in ipso corporaliter inhabitantis: vt Paulus docet Col.2.9. Et Iohannes Baptista ait, Datum esse illi Spiritum non ad mensuram, Io.3.34. misit etiam cum plena naturalique auctoritate, remittendi peccata, vt apud Matth. legitur, Matt.9.6. Christus verò vtcunque hoc communicat Apostolis, sed ex parte, & dono, pérque Spiritum sanctum, non natura. Ideò ait Iohannes, *Et quum dixisset, afflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum sãctum.* Dedit rem ipsam cum Symbolo. Symbolum Spiritus sancti, fuit externus afflatus Christi, res, ipse Spiritus sanctus. Dedisse autem non eo modo, quo ipse accepit à Patre, sed

ex parte & dono; liquet ex Iohan. 1.16. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Deinde dedit potestatē remittendi peccata. Ideò ait: *Quorū remiseritis peccata, remittuntur eis. Et quorū retinueritis, retenta sunt.* Sed hanc etiam potestatem accepisse Apostolos, longè diuersa ratione à Christo, quàm Christus acceperit à Patre, manifestū est. Christus enim eam habuit natura & simpliciter: Apostoli verò acceperunt dono, & alligatam verbo Euāgelij. Nam Christus propriè is erat; qui remittebat per Apostolos, & adhuc remittit peccata. Apostoli autem tantùm fuerunt ministri Christi: vt Paulus docet, & loquitur, 1. Cor. 1.9. Similitudinis igitur nota est καθὼς, quum ait: *Sicut misit me Pater, sic ego etiam mitto vos.* Tota autem hæc Christi actio apertum fuit testimonium Deitatis ipsius.

Quis enim dare Spiritum S. posset, nisi Deus, cuius ille est Spiritus?

Atqui Christus eum dedit Apostolis tanquam rem suam: id quod indicauit suo afflatu. Eo enim Symbolo significauit, tam in sua potestate fuisse, Spiritum sanctum donare, quàm etiam erat, ex ore humano Spiritum vitalem efflare, & tam naturaliter in se fuisse, & esse Spiritum sanctū, quàm erat etiam flatus quem efflabat: ac proinde tam facilè, & naturaliter à se prodiisse, & prodire Spiritum sanctum, quàm etiam prodibat humanus halitus.

Ergo quum Christus largiatur Spiritum sanctum, tāquam naturaliter suum, & Spiritus sanctus nō sit nisi Dei, & Deus: apertè testatur se quoque Deum esse.

IV. Habemus aliam eiusdem doctrinæ confirmationem vers. 18. & 19. Cùm enim Thomas ex inspectis & contrectatis Christi manibus, & latere, verè excitata in eo fide credidisset, & aperta confessione testificatus esset, Christum suum esse Dominum, suúmque Deum: Christus fidem hāc, & confessionem suæ Deitatis approbans, ait: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* An non satis hac fidei, & confessionis Thomę approbatione, confirmauit, se talem esse Dei Filium, qui verus sit Deus? Dubitari ergo non debet, quin Christus, prędicando se Filium esse Dei, significare voluerit, se talem esse Patris Filium, qui vnigenitus sit ex eius substantia: eóque vnus etiam sit cum ipso Deus Iehoua.

## CAPVT XII.

### Christi de sui æterna generatione ex Patre testimonium: quod moriens quasi totam hanc doctrinam confirmaturus in cruce protulit.

*Testimon. 17. Christi, ex Luc. 23. vers. 34.*

CHRISTVS inuocat Deum, Patrē suum appellans. Fatetur ergo se esse eius Filium. Quo autem sensu: liquet ex precatione. Orat enim pro illis & Iudæis & Gentibus qui ex ignorātia curauerant eum crucifigendum, & crucifigebant: in hæc verba: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant:* Dum ait: *Pater*: ostendit illum qui cruci erat affixus, hoc est, seipsum verè esse Filium Dei Patris. Dum ait: *Ignosce*, docet eos peccasse in eo facto, quod admiserunt, & admittebant. Quodnam illud erat? Non erat hoc, quòd eum simpliciter curassent crucifigendum & crucifigerent: verum erat, quòd pro eo scelerato, & in primis blasphemo crucifigerent eum: qui tamen talis non erat, sed innocens. Hoc erat ipsorum peccatum. Quæ autem obsecro fuit illa blasphemia: propter quam potissimùm curarunt Iudæi Christum crucifigendum? Nempe hæc: Quod sæpe dixerit & confirmarit, nec vnquam retractarit, se esse illum Filium Dei. Hoc inde liquet, Primò, quia hoc fuit præcipuum crimen, de quo illum accusarunt Iudæi apud Pilatum, dicentes: *Nos legem habemus* (nēpe aduersus blasphemos) *& secundùm Legem nostram debet mori: quia Filium Dei se fecit.* Io. 19.7. Hoc idem, illi obiiciebant & exprobrabant in cruce existenti, iis verbis, *Qui verò præteribant, conuiciabantur ei, mouentes capita sua, & dicentes: Tu qui destruis templum, & triduò readificas: serua teipsum. Si Filius Dei es: descende de cruce.* Item: *Principes sacerdotū, cum Scribis illudebant ei, & dicebant præter alia: Confidit in Deo: liberet eū nunc si vult. Dixit enim, Filius Dei sum.* Mat. 27.39. Hanc verò vocem Christi, à Iudæis habitam fuisse pro blasphemia, & idcirco curatum ab ipsis fuisse, vt is tanquam blasphemus crucifigeretur: liquet ex Iohan. 10.31. vbi, quia Christus appellauerat Deum, suum Patrem, & se eius Filium: voluerunt eum tanquam blasphemum lapidibus obruere. Et Christus ibidem ostendit, hanc fuisse blasphemiam illorum iudicio, propter quam volebant lapidare, quia scilicet dixerat, se esse Filium Dei. Quare verò iudicārunt Iudæi hanc fuisse vocem blasphemam? Quia intelligebant optimè, Christum se facere Filium Dei naturalem: eóq; Deo æqualem, & Deum ipsum. Liquet hoc ex Io. 10.33. Item: Lex, de qua Io. 19.7. erat in eos qui sibi nomen Dei vsurparent.

Manifestum igitur est, hoc cum primis fuisse peccatum illorum, qui crucifigendum curauerant, & qui crucifigebant Iesum, quòd eum non simpliciter crucifigerent, sed quod crucifigerent vt blasphemum: hoc est, quia dixerat se esse Filium Dei. Idcircò verò iudicasse, hanc vocem esse blasphemam, quia nouerunt Iudæi Iesum, quum se vocaret Filium Dei, se talem appellasse, non ea ratione, qua reliqui omnes Iudæi Filij Dei vocabantur in Scripturis: sed alia ratione, nimirum quòd natus esset ex substantia Dei, eóque Deus de Deo. Hoc igitur est illud peccatum, pro quo dimittēdo rogat Christus: quum ait: *Ignosce eis Pater, quia nesciunt quid faciant.* Dum verò ait, *quia nesciunt, quid faciant*: apertè ostendit illos fuisse in ea re hallucinatos, quòd putabant, ideò Christum esse blasphemum, quia talem se prædicaret Filium Dei, qui Deus esset. Ac proinde à contrario docet Christus in cruce, verum esse, & minimè blasphemum; quòd ipse talem se esse asseuerasset Dei Filiū; qui Deus sit. Quare Christus in cruce positus, coram toto populo, iàm iam moriturus, dum testatur Patri, Iudæos, & reliquos in hoc fuisse hallucinatos, quòd putarint ideò Iesum esse blasphemum, quia talem se prædicasset, & prædicaret Dei Filium, qui Deus esset: apertum simul à contrario dedit sibi testimoniū veræ deitatis: & se verè talem esse Dei Filium, qui Deus sit, æqualis Patri, palam prædicauit. Est autem magni faciendū illud testimonium, quod quis moriturus testificatur. Ac non video, quomodo possit improbari hæc argumentatio, nempe, Testatur Christus hallucinatos fuisse Iudæos in hoc, quod eum putarint blasphemum, quia talem se prædicauerat, & constanter prędicabat, esse Filium Dei, qui Deus sit: ac proinde tanquam blasphemum illum crucifixerunt. Ergo idem Christus testificatur hoc esse verissimum, nempe se talem esse Filium Dei, qui Deus sit: & eos, qui hoc de Iesu Christo sentiunt, minimè hallucinari. Similis est locus ad Corinth. *Si cognouissent, nunquam dominum gloriæ,* (de Christo loquitur) *crucifixissent.* 1. Cor. 2.8. Ex iis verbis optimè quis argumentabitur in hunc modum.

Testatur Apostolus, ideò Principes huius seculi crucifixisse Christum, quia non cognouerunt eum fuisse & esse Dominū gloriæ, hoc est, verum Deum. (Hæc est enim summa illius sapientiæ, quam dicit absconditam esse in mysterio, & quam si cognouissent illi, nunquam Dominum glorię crucifixissent.)

Testatur igitur Apostolus Christum verum esse Dominū gloriæ, hoc est, Deum. Esse enim Dominum gloriæ, idem est atque verum esse Deum: quia solus Iehoua Dominus est, & Rex gloriæ, vt in Psal. appellatur. Psal. 24.8.

II. Neque est, cur quispiam excipiat, Christum hoc noluisse, quod nos affirmamus; dicere: sed potiùs non esse verum, quod Iudæi ex ipsius verbis colligebant: & hac in re falsos ipsos fuisse: ac proinde etiam errasse, quòd putarint ipsum esse blasphemum. Nam constat vna ex parte, Iudæos sic verba Christi, quibus dicebat, se Filium esse Dei, interpretatos fuisse, quasi significaret, se ex Dei, tanquam sui Patris substantia genitum esse, eóque esse Deum. Altera etiam ex parte manifestum est, ipsos quoque Apostolos, Christique Discipulos omnes, eodem modo eadem Christi verba intellexisse: quemadmodum ex ipsorum scriptis (vti etiam ex sequentibus libris fusiùs demonstrabitur) facilè est colligere: vbi Christum vocant Filium Dei vnigenitum, Deum verum, Deū magnum, & super omnia benedictum. Io. 1.14. 1. Io. 5.20. Tit. 2.13. Ro. 9.5. Ita eodem sensu, tam impij Iudæi, quàm pij Christi discipuli, eadem Christi verba, quibus aiebat, se Filium esse Dei, interpretati sunt. Sed illi iudicabant, verborum Christi sensum esse blasphemum, isti autem verissimum. Nihil porro certius est, quàm Discipulorum Christi, de sui Præceptoris verbis, iudicium esse piissimum, reliquorum verò Iudæorum, qui illa verba blasphemię perstringebant, & palàm accusabāt, impiissimū. Manifestum igitur est, quum in cruce Patri commendauit Christus se crucifigentes, quòd nescirent quid facerent, hoc eum voluisse concludere, & protestari, illos fuisse hallucinatos, non in sensu verborum, quum dicebat se esse Filium Dei, (nam idem etiam fuit sensus Apostolorum) sed in iudicio, de vero verborum sensu, quòd scilicet ipsi senserint, Christum non esse talem Dei Filium, qui Deus sit,

ac pro

[illegible]oinde verba ipsius fuisse blasphema, Christus in cruce, quã Iudex, definit, vti horum hallucinentur, non in sensu [illegible]rborum (est enim idem apud omnes) sed in iudicio de [illegible]ate sensus verborũ: vtrum sit blasphemus, an verò cer[illegible]pius. Quis autem non videat, cùm vnam partem Christus ignorantiæ, & falsi iudicij damnet, eum alteram partem probare, & eius iudicium laudare? Concludit ergo, & palàm iuxta Discipulorum suorum sententiam protestatur, se tam esse Dei Filium, qui verus etiam sit Deus.

III. Atque vt ingenuè fatear, hæc vna Christi precatio, est mihi instar mille demonstrationum. Quid enim sibi voluit aliud Christus coram toto Mundo, illis verbis, *Nesciunt, quid faciant*: nisi, crucifigunt me isti miseri tãquam blasphemum, quia constanter dixi, me esse Filium illum tuum, ô Pater, vnigenitum, & proprium, qui solus è tua substantia genitus, solus etiam inter omnes Filios tuos tibi natura æqualis sim, eóque verus Deus: quasi hoc dicto, iniquè diuinum honorem mihi, quem pro nudo homine tantùm agnoscunt, cõtra legem vsurpauerim, eóq; in te blasphemus fuerim: sed tu nosti Pater, rem ita se habere, sicũt docui & prædicaui: hos verò falli, dum putant, ideò me esse blasphemũ quia purus homo cùm sim, ipsorum iudicio, faciam me tibi parem, & Deum: & ideò etiam tanquam blasphemum crucifigunt: Ignosce igitur, Pater, quia nesciunt quid faciant cùm me non agnoscant pro tali Filio tuo, qualem tu solus nosti, & quibus tu dignaris reuelare: Quid, inquam, voluit aliud in cruce Christus iis verbis, quàm palàm protestari, & suo sanguine confirmare, quod Iudæi putabant blasphemũ esse mendacium, illud ipsissimam fuisse, & esse diuinam veritatem: nempe se talem esse Dei Filium, proprium, vnigenitum, qui natura Patri suo Deo æqualis sit, eóque verus cum Patre Deus?

Atque hæc sunt testimonia cœlestia; Patris nimirum, Filij, Spiritus sancti, atque adeò ipsorum etiam Angelorum: quibus luce clariùs demonstratur, Iesum Christum talem esse Dei Filium, qui solus quoque sit à substantia Dei Patris genitus, eóq; verus cum ipso Iehoua.

*LIBRI QVARTI FINIS.*

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS

## Liber Quintus.

*Qui est posterior, de æterna Filij, ex Dei Patris substantia generatione.*

### CAPVT I.

Testium, qui in terris doctrinam de Iesu Christi æterna filiatione confirmarunt, partitio. Eadem de re Iohan. Baptistæ testimonia quoque breuiter explanata.

NVnc relinquum est, vt illorum quoq; testimonia percurramus, qui hoc idem testificati sunt in terris, quod vidimus confirmatum è cœlis.

Ac primùm quidem examinabimus testimonia bonorum virorum: deinde testimonia hominum impiorum, & Christi ipsius hostium, attingemus. Postremò quid ea de re, ipsi etiam Diaboli senserint, indicabimus.

Primus itaq; testis, omni exceptione (vt loquuntur) maior, qui testatus est in terris non semel, Christum Iesum talem esse Dei Filium, qui verus sit Deus, fuit Iohan. Baptista. De quo alter Iohannes: *Fuit homo*, inquit, *missus à Deo, cui nomen erat Iohannes. Is venit ad testimonium dandum*, id est, vt testaretur *de illa Luce* (hoc est, de Christo) *vt omnes per eum crederent*. De qua Luce subdit: *Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mũdum*. Hinc colligimus, quæ Iohan. Baptista de Christo testificatus est, ea esse verissima, & certissima: quia testatus illa est, non vt priuatus homo, sed vt Dei legatus, in hunc finem missus, vt nomine Dei testimonium daret Christo, veræ & æternæ ex Deo Patre natiuitatis, veræque Deitatis. Huius igitur testimonia audiamus. Is non semel Iesum Christum appellauit Dei Filium. Sed quonam sensu? Non certè ea ratione, qua nos Filij Dei sumus: neque etiam ea tantùm, qua conceptus erat è Spiritu sancto: sed cum primis eam ob causam quòd eum agnosceret esse æternum Filium, solum è Patris substantia genitum, non factum, eóque verum Deum. Hoc quod dico, perspicuũ fiet, si verba Iohãnis perpenderimus. Quinquies autem legimus apud Iohannem Euangelistam, datum fuisse Christo testimonium, à Iohãne Baptista.

*II. Primum testimon. Iohan. Baptistæ, ex Iohan. 1. vers. 15.*

IOhannes [inquit Euangelista] *testatus est de eo, & clamauit dicens, Hic est, de quo dicebam: Is qui ponè me venit, prælatus est mihi, quia prior me erat, &c.* Scopus Iohannis, in huc, & aliis testimoniis fuit demonstrare Iudæis, & omnibus hominibus, Quisnam verus esset, æternus, perfectúsque Seruator Mundi, per quem solum seruantur, quicunque seruantur: eum nimirum esse Iesum, qui post se venit ad officium faciendum, & quem tandem digito demonstrauit; & præterea neminem. Quicunque igitur cupit salutem, ad hunc ei esse veniendum. Vt hoc præstet, describit eius personam, & officium. Personam quidem, docendo eum esse, & hominem in tempore natum, qui breui suo functurus sit officio: & æternum simul, vnigenitúmque Dei Filium. Officium vero, significando tum in genere, illud esse omnium præstantissimum, & hoc officio illum sibi antecellere: (Esse enim ita plenum gratia, veritate, & omnibus donis, vt omnes ex ipso accipiant) tum speciatim explicando, per hunc factam esse manifestatámque gratiam & veritatem: hunc baptizare in Spiritu S. & tollere peccata Mundi. Hæc autem omnia, de Messia fuerant scripta. Hunc igitur Iesum, esse Messiam. Quod ad vers. 15. attinet, ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, &c. Tria testatur de Christo: Aduentum in carnem, ad officium Mediatoris obeundum: Officij præstantiam: Et æternam Deitatem. Primùm ait, Christum venisse post se. Permulti referunt ad vtriusque natiuitatem, ita vt ideò Christus dicatur venisse post Iohannem, nempe in Mundum: quia post natum Iohannem, menses sex, natus est Christus. Est hoc verum: sed nihil, aut parum ad rem. Propositum enim Iohanni fuit, ostendere Iudæis, rametsi ipse prior prodiisset in medium sua prædicatione, & nouo Sacramento, nempe Baptismi: & multis propter austeritatem vitæ esset admirationi: se tamen non esse Christum, qui in illis diebus expectabatur. Sed qui post se iamiam proditurus erat in lucem, prædicaturus Euangelium, & baptizaturus in Spiritu sancto, peccata Mũdi ablaturus, & qui iam in medio illorum erat, licèt ignotus: hunc esse Christum. De prioritate igitur & posterioritate (vt ita loquar) temporis in officio obeundo, non autẽ in nascendo, loquitur Iohannes. Deinde dictio ἐρχόμενος, confirmat quod dico. Si de natiuitate locutus fuisset, dixisset in præterito ὀπίσω μου ἦλθεν (iam pridem enim natus erat) non autem in præsenti ἐρχόμενος, qui venit, id est, qui iamiam in foribus est, nempe vt prodeat in lucem, suo functurus officio. quid opus est multis? Apostolus Paulus optimus est huius loci interpres: dicens in actis. 13. 25. *Quum autem expleret Iohannes cursum suum* (nempe sui officij) *dixit, Quẽ me suspicamini esse, non is sum ego. Sed ecce venit post, cuius pedum soleam non sum dignus qui soluam.* Apertè verba Iohannis interpretatur Apostolus de aduentu ad officium faciendũ, non autem simpliciter de aduentu in mundum. Postremò sequens membrum idem confirmat. *Ille*, ἔμπροσθέν μου γέγονεν: id est, *antecessit me*. Ea enim re, Christus venit post Iohannem

Baptistam : qua etiam anteuertit. Certè non anteuertit tempore. Quomodo enim qui posterior tempore venit: tempore etiam anteuertisse dici possit? Anteuertit autem officio. Ergo quum ait, *Qui ponè me venit*: intelligit de officij functione.

III. Alterum igitur quod Iohannes de Christo confessus fuit, est, Christum, officij præstantia, se anteuertisse. Hoc enim significat: *Qui ponè me venit* ἔμπροσθέν μου γέγονεν. sicut cōtingit etiam cursoribus. Sæpe enim accidit, vt qui posteriùs incipit currere, ita vt sit ponè priorem: posteà fiat illi ἔμπροσθεν, præstantiâ cursus. Ideò appellat Iohannes, Christum, se fortiorem, seu valentiorem: vt ille locus sit huius explicatio. Matth.3.11. Est enim collatio officij Iohannis Baptistæ, cum officio Christi, qua ostendit Iohannes, Christum in suo officio, esse præstantiorem & fortiorem se: Quia Iohannes baptizat aqua, Christus autem Spiritu: Iohannes arguit peccata, Christus ea tollit. Est igitur Christus fortior Iohanne, eóque antecedit Iohannem dignitate officij. Quod verò subdit, ætiologia est, cur dixerit, Christum se officij præstantia antecedere: *Quia*, inquit, πρῶτός μου ἦν. Vbi superlatiuum πρῶτος, pro comparatiuo positum est: hoc est, primus pro priore. Sed hoc diuersè exponunt interpretes. Alij, *Prior*, dignitate. Ideò vertunt, quia præstantior me est. Alij, *prior*, tempore. Quomodò verò? Non certè simpliciter: quia quod ad humanam naturam attinet, Iohannes prior fuit Christo. Imò etiam quod attinet ad officium prædicandi: Christus venit post Iohannem, vt hic habemus. Quomodo igitur tempore, Christus Iohanne prior erat? Est omnino necesse, hoc intelligi de alia in Christo natura, qua non solùm Iohanne Baptista, sed etiam omnibus aliis hominibus, & Angelis, & cuiusvis generis creaturis, prior fuerit & sit Christus: eóque æternus. Similis locus est ille, vbi Christus ipse dixit, *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Io 8 58. Voluit autem ibi hac locutione suam indicare æternam, diuinamque naturam. Voluit igitur etiam Iohannes iis verbis, Christo testimonium dare, æternitatis: & ea re, veræ Deitatis. Hæc est Patrum interpretatio, à qua non video cur debeam aut meritò possim recedere: Quando, præterquàm quòd consentanea est, cum aliis Scripturis, & cum analogia fidei: maximè etiam congrua est cum proposito tam Iohannis Euangelistæ, qui citat hoc testimonium: quàm Io. Baptistæ, qui palam & disertè protestatur, Iesum Christum omnibus modis se esse maiorem: quando denique nulla vis fit, aut Grammaticæ, aut præsenti contextui. Multis igitur rationibus adducor, vt Patrum interpretationem sequendam esse censeam: neque ab Hæreticis, vlla ratione posse refutari, contendam. Principiò necesse est vt testimonium in primis Iohannis Baptistæ, quod priore etiam loco Euangelista profert in medium, consentaneum sit cum illa Iohannis Euangelistæ doctrina, cuius confirmandæ causa, tam hoc, quàm reliqua omnia testimonia citantur. Quid autem obsecro præmisit de Christo ipse Iohānes Euangelista? Principalis propositio de illo λόγῳ, quem postea dixit factū esse carnem, & quem Baptista vocat Christum, hæc fuit. *In principio erat λόγος: & hic λόγος erat apud Deum: & hic λόγος erat Deus.* Tria hæc membra ita ordinata sunt inter se: vt semper insequens clariùs præcedente explicet naturā τοῦ λόγου. Nam primo membro asseritur eius æternitas. Secundo, eius distinctio, & verò etiam vnitas cum Patre: Tertio, apertè ipsius Deitas explicatur. Ergo quum Iohannes Euangelista, citāt testimonium Iohānis Baptistæ, quo tradita iā à se doctrina de Christo, atque in primis de illius æternitate cōfirmetur: efficitur, genuinam esse interpretationem eorum, qui hæc Baptistæ verba, nempe: *Prior me erat*: de æternitate Christi, quà λόγος est, interpretātur. Huc etiam spectat, quod ipse Euangelista ait de officio Baptistæ. *Is venit ad dandum testimonium*, id est, vt testaretur *de Luce illa.* Io.17. De quanā Luce? *De illa vera* (hoc est, de Christo, vt ipsemet explicat) *quæ illuminat omnē hominē venientem in hunc Mundum*: nempe iam inde ab orbe condito: Ac proinde quæ æterna est, & fuit ab initio. Si hoc fuit officium Iohannis, vt testaretur de hac Luce, quæcūque de illa verè prædicantur; & præter alia, æternitas quoque de illa prædicatur, est enim Lux, quæ iam à condito orbe illuminat omnem hominē, venientem in hunc Mundū: Omnino necesse est Iohannem Baptistam, aliquādo testimonium dedisse huic Luci, quę est Christus, æternitatis.

Atqui inter verba Baptistæ, nulla apertiora pro Christi æternitate, reperiuntur istis, *Prior me erat*. Consentaneum est igitur, vtrumque Iohannem, hæc verba: *Prior me erat*: nō aliter intellexisse, quàm Christum esse æternum, quo ad alteram naturam, quæ humanam assumsit.

Præterea pulchrè etiam congruit hæc interpretatio cum proposito Iohannis Baptistæ. Propositum enim ipsi fuit in tota officij sui functione, indicare populo, quis verus esset Christus, æternúsque ille Seruator, per quem vnicum, sicut nunc, sic etiam semper contingit salus hominibus: atque ita ad hunc singulos electos adducere, vt seruarentur. Totum hoc liquet tam ex iis quę narrat Euangelista, de officio Baptistæ; quàm etiam ex iis, quæ de ipso vaticinati priùs fuerant Prophetæ, Iesaias & Malachias. Iesa. 40. 3. Mal. 3. 1. Æternitas igitur Christi fuit illi testificanda; & quidem priore loco, sicut fecit etiam aliter Iohannes, dicens: *In principio erat λόγος*, &c. Quid? quod optimè consentit cum iis, quæ insequuntur? Nam mox dicit, Omnes homines, à condito scilicet orbe, quicquid gratiæ & veritatis alicuiúsve boni, habuerunt: totum hoc eos accepisse de plenitudine huius Christi tanquam ex cornucopiæ. Item docet ipsam quoque Legem, per quam habetur cognitio Dei, per Mosen quidem fuisse datam, tāquam per Ministrum: sed reuera à Christo, fuisse traditam Mosi: *Quia Deum nemo vidit vnquam Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* His enim verbis enarrauit Iohannes, quicquid cognitionis fuit vnquam, aut est in hominibus atque Angelis: totum illud profectum esse à Christo, vnico secretorum Patris cognitore.

Oportuit igitur Iohannem priori loco sternere viam, iis persuadendis: hoc est, priùs testificari, hunc esse æternum. Quare meritò hæc Iohannis verba: *Iste prior me erat*: de æternitate Christi interpretamur. Ac vide quàm bene etiam hoc modo fluat contextus: & vera reddatur ratio, cur officij dignitate sit præstantior Christus, Iohanne: nempe, quia sua etiam persona antiquior est omnibus: eóque Deus est.

Est enim hic sensus verborum Iohannis: Tametsi qui ponè me venit, nimirum ad prædicandum, ad baptizandum, & ad nos seruandos (iam enim adest pię foribus) posterior me sit, ratione inchoati officij: is tamen dignitate, & efficacitate ipsius officij, me antecedit: quia dignitate etiam personæ me antiquior est & omnibus hominibus: eóq; ęternus est, verú que Deus. Tria enim (vt diximus) iis verbis, Iohannes de Christo testificatus est. Primò eius humanitatem; dicendo: *Qui post me venit*, Secundò, eius officium, dicendo ἔμπροσθέν μου γέγονεν nempe officij pręstantia. Tertio, æternam eius Deitatem, dicendo: *Quia prior me erat.*

Est enim hæc ratio: cur verbi gratia, Christus baptizat in Spiritu sancto: cùm Iohannes tātùm aqua: cur Christus doceat per Spiritum sanctum, cùm Iohannes tantùm voce: cur Christus tollat peccata Mundi, cùm ipse Iohannes ea tantū arguat. Ratio, inquam, huius discriminis inter vtriusque officium est. quia Christus prior est Iohanne, hoc est quia ęternus est Deus.

At, inquies licèt interpreteris dictum, *Prior me erat*, de prioritate temporis, non inde tamen sequitur, Christum esse æternum, sed tantùm priorem fuisse ipso Iohanne. Non enim ait: Prior omnibus est, sed tantùm: *Prior me erat*. Imò pulcherrimè, hoc sequitur. Nam si prior tempore est ipso Iohanne Christus, aut est iuxta humanam naturam, aut iuxta aliam. Non iuxta humanam: Est enim Christus, natus post Iohannem Baptistam. Ergo secundùm aliam. Illa vel erit creata, vel increata. Non creata. Quia nullam in Christo agnoscit Scriptura sancta naturam creatam, præter humanam. Ergo diuina sit & fuerit, necesse est. Optimè ergo consequitur, Si Christus prior tempore est ipso Iohannes, priorem eum esse iuxta naturam diuinam, quæ sola verè æterna est. Ac proinde Christum, æternum esse Deum.

Hanc interpretationem libenter sequor. Quoniam plurimum facit ad confirmandum Iohannis Euangelistæ propositum, cuius causa citauit testimonium Baptistæ, nempe Christum, quà λόγος est, fuisse in principio, ante omnes creaturas, eóque æternum. Et eo etiam libentius sequor, quòd Iohannes in suis testimoniis, ter eandem plane locutionem repetit. Id quod certè non fuisset necesse; si voluisset tantùm ostendere, Christum simpliciter dignitate officij, esse præstantiorem se; præsertim, quia præstantia hæc, in eo simpliciter est satis explicata, quòd dixit: *Is* ἔμπροσθέν μου γέγονεν. Quid est enim antecedere aliquem, non tempore, sed dignitate officij, nisi esse illo præstantiorem? Voluit igitur aliquid maius testificari hac voce: *prior me erat*. Quare, cùm postea Christum vocat Filium Dei vnigenitum, talem omnino prædicauit esse Filium, qui sit æternus, verúsque Deus.

IV. Simili autem explico, atque illustro, quod hic de Christo testificatus est Iohannes. Suppone primum quicquid Lucis est, non solùm in stellis, sed etiam in igne, esse à Sole. Deinde finge patremfamilias, prætermittere famulum cum candela accensa, vna, aut altera hora ante Solis ortum

ou'

familiam à somno excitet, & eam ad Solem excipiendum præparet. Finge postremò familiam, spectata splendida candela, ad illam exultare, eamque interrogare, Tu-ne es Lux, quæ ventura nobis erat? Et candelam respondere: sum. Sed qui post me venit, Sol, ille mihi prælatus est, est, ille me immenso sui Luminis splendore antecessit. Quia prior me erat, sicut causa prior est suo effectu, & etiam excellentior. Nam ita plenitudinem in se habet luminis Sol, vt de plenitudine eius, non solum ego, sed etiam omnes nos, quicunque lucis aliquid habemus, totum illud acceperimus. Eundem ad modum, loquitur Iohannes hoc in loco. Iohannes enim erat lucerna ardens, vt dixit Christus. Sol, est Christus, vt ipse ait: Ego Lux Mundi, Ioh. 5. 14. & 8. 12. Missurus Pater hunc Solem in Mundum, præmisit Iohannem lucernam, qui homines excitaret & præpararet, ad excipiendum Solem iustitiæ, Christum. Iudæi voluerunt exultare ad lucem candelæ, vt dicit Christus, Ioh. 5. 33. sed Iohannes repulit eos, & testificatus est de Christo, se non esse Solem, sed illum, mox sua luce, sese patefacturum. Etsi, inquit, post me venit, quod ad sui manifestationem attinet: Luminis tamen præstantia me anteuertit, & antecedit. Ratio est. Quia prior me erat, vt causa suo effectu. Nam de plenitudine lucis eius, non solùm ego Iohannes, sed omnes etiam alij qui ante me fuerunt, & quotquot nunc sumus, accepimus. Quis non videat hanc optimam esse rationem, Ille Sol ideò me anteuertit suo splendore: quia ante me erat, hoc est, quia causa est, non solùm mei, sed omnis etiam alius luminis, ita vt de plenitudine eius nos omnes acceperimus? Hac enim circumscriptione concludit candela Iohannes, eum qui post se venit, verum esse Solem iustitiæ, verumque & æternum Deum. Ita Iohannis Baptistæ testimonio, confirmatum est, id quod priori loco suprà Iohannes Euangelista de Christo proposuerat: Nimirum: *In principio erat ille Λόγος.*

V. Sequitur ex verbis Baptistæ, confirmatio alterius propositionis Iohannis Euangelistæ. Confirmatio hæc est. *Et de plenitudine eius nos accepimus, & gratiam pro gratia.* Dixerat enim Euangelista, Λόγον carnem factum, etiam inter nos habitasse, plenum gratiæ & veritatis. Nunc illud confirmat testimonio alterius Iohannis, dicens, ipsum etiam Baptistam priùs hoc de Christo, in suo publico testimonio testificatum fuisse: De plenitudine scilicet eius, nos omnes accepisse, & gratiam ac veritatem, per ipsum esse factam, hoc est, Christum esse fontem omnium bonorum inexhaustum, & in omnes Electos exundantem, ita vt omnes de eius plenitudine accipiant.

Duo autem facit iis verbis Iohann. Baptista. Primò confirmat, Christum se & aliis hominibus esse priorem, eoque æternum. Omnes enim homines quicquid boni habent, & habuerunt vnquam, iam inde à condito orbe, de Christi plenitudine acceperunt. Est autem omnis efficiens causa, prior suo effectu: Et is à quo omnes semper acceperunt, prior illis qui acceperunt.

Secundo loco describit officium Christi. Talem enim describit Christum, vt doceat, eum vnicum esse, perfectissimum æternum, liberalissimumque Seruatorem Mundi, Vnicum quidem, quia is solus ita plenus gratiæ & veritatis, vt ex ipsius plenitudine omnes acceperint. Perfectissimum autem: quia plenus gratiæ & veritatis, instar Fontis inexhausti, è quo cœlestes aquæ, in omnes Electos, continuo effluunt cursu. Æternum verò: quia iam inde ab orbe condito quotquot gratiæ & veritatis participes fuerunt, per hunc fuerunt. Ideò ait: *De plenitudine eius omnes nos accepimus.* Denique liberalissimum: quia omnia donat gratis, & copiosissimè sineque intermissione. Ideò ait: *Gratiam pro gratia.* Quicunque igitur salutem cupit, huic ad Christum esse confugiendum concludit Iohannes. Hæc est summa. Quod ad primum igitur attinet, quum ait: *De plenitudine eius*, intelligit Christum esse fontem inexhaustum bonorum omnium, in quibus nostra salus, vita, & felicitas consistit. Hoc explicauit Iohannes Euangelista, dicens: *Et habitauit inter nos, & spectauimus gloriam eius, gloriam, inquam, vt vnigeniti egressi à Patre, plenus gratia & veritate.* Iohan. 1. 14. Et Paulus ad Corinthios dicit: *Christus factus est nobis à Deo sapientia iustitia, sanctificatio, redemtio.* 1. Cor. 1. 30. Et idem ad Col. vno verbo expressit, dicens: *In quo inhabitat plenitudo Deitatis.* Col. 2. 9. Quum enim dicis, Deitatis plenitudinem, dicis omnia. Quum verò ait, *Accepimus*: Docet hanc bonorum omnium plenitudinem, non esse in Christo inclusam, vt ipse solus illis bonis fruatur, sed in eo esse propter nos, nimirum vt ex ea omnes Electi percipiant.

Est igitur Christus non instar putei, in quo aquæ scatutientes manent conclusæ, sed instar fontis, qui perpetuo & continuo fluxu aquas salutis in omnes Electos deriuet, omnibusque communicet. Quum porrò ait: *Nos omnes*: Non loquitur de se tantùm, & aliis Iudæis, qui tum temporis viuebant (quasi verò ipsi soli, ex hoc fonte aquas salutis hauserint) sed de omnibus loquitur Electis, qui vnquam fuerunt ab orbe condito, & qui futuri sunt vsque ad finem Mundi, tam inter Gentes, quàm inter Iudæos. Inprimis tamen de se, reliquisque Iudæis, qui illò vsque temporis vixerant in fœdere & gratia Dei, sermo illi fuit. Scopus enim Iohannis Baptistæ fuit, præferre Christum omnibus, Abrahamo, Mosi, Prophetis, denique vniuersis hominibus: & quidem hunc vnum, verum & perfectissimum esse Seruatorem, quia vnigenitus sit Dei Filius. vt hoc perficiat, docet in vno Christo, plenitudinem esse bonorum omnium, Lucis, vitæ, salutis: ex qua plenitudine, omnes, quotquot vnquam vitæ & salutis fuerant participes, acceperunt. Est igitur vnicus omnium Seruator. Imò sententiam hanc Iohannis Baptistæ extendere licet longiùs atque latiùs: nimirum ad omnes homines etiam reprobos, & plenitudinem interpretari, non tantùm gratiæ & veritatis, sed cuiusuis generis boni. Quicquid enim boni reperitur in hominibus, rebúsque omnibus, totum hoc ex plenitudine Christi sumtum est. Nam quòd simus, de plenitudine Esse ipsius Christi accepimus. *Omnia enim per ipsum facta sunt.* Io. 1. 3. 4. 9. Quòd viuamus, de plenitudine vitæ Christi accepimus. *In ipso enim vita erat, & vita erat lux hominum.* Quod simus intelligentia & luce rationis prædιti, de plenitudine lucis Christi accepimus. *Erat enim Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Proinde tam de Christo, quàm de Patre illud Apostoli intelligo: *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* Act. 17. 28. Nam tam Christus, quàm Pater, Deus est rerum omnium auctor. Quod igitur ait Iohannes omnium hominum nomine, est perinde ac si stellæ omnes dicerent de Sole, In ipso est plenitudo omnis Lucis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, nempe iacto hoc fundamento, Quicquid lucis est in Stellis, illud à Sole esse. Hinc sequitur: Primùm quidem nihil boni in nobis esse à nobis, sed tantùm à Christo. Deinde, si quid boni cupimus, ad Christum nobis esse confugiendum, & ex plenitudine eius accipiendum. Quum verò ait: *Gratiam pro gratia*, docet non solum omnia bona à Christo, tanquam è fonte in omnes homines effluere, sed etiam gratis, & copiosissimé. Gratis: Quia bona hæc omnia appellat, Gratias, Copiosissimè & quasi continuo fluxu: Quia ait: *gratiam pro gratia*: Quasi dicat חֵן עַל חֵן, *gratiam super gratiam*: Ita vt vna communicata gratia, mox alia donetur, & gratia gratiæ continuo fluxu succedat, & quidem semper gratis, quia gratia succedit gratiæ, non autem meritis nostris. Hanc gratuitam & copiosissimam gratiarum & bonorum omnium communicationem, in Christo & per Christum nobis factam, eleganter explicat Apostolus, cum alibi, tum maximè ad Ephes. capite primo. Ita Iohannes Euangelista, his verbis Baptistæ, tanquam certissimo testimonio, confirmauit alteram suam de Christo sententiam, qua dixerat: *Et habitauit inter nos.* Iohannes autem Baptista, duo præcipuè de Christo testificatus est: Vnum, eum esse æternum, quia prior omnibus est: & (vt Cyprianus interpretatur) ante omnes est, Deinde, eum esse vnicum perfectissimum, & liberalissimum Seruatorem. *Quia de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia, seu super gratiam.* Ex vtroque autem apertè colligitur Christum esse Deum, & filium Dei genitum, non factum. Si enim æternus: Deus igitur est. Quia quæcunque sunt facta, in principio & in tempore facta sunt. Si etiam Christus talis est Seruator, in quo plenitudo sit, & semper fuerit bonorum omnium, ita vt de plenitudine eius, omnes quotquot ab orbe condito fuerunt, acceperint quicquid habuerunt boni, & semper etiam inde in nos omnes effluat indeficiens cœlestis aquæ copia, quid aliud esse potest Christus, quàm verus Deus? Solus enim Deus, fons est vitæ æternus. Et si de plenitudine eius, nos omnes accipimus: Ergo quotquot participes sunt diuinæ naturæ, vt loquitur Petrus Apostolus, 2. 1. 4. de plenitudine Deitatis in Christo acceperunt. Quare in Christo plenitudo erit Deitatis æterna, eoque verus sit Deus necesse est. Imò hinc habemus ceu definitionem Dei. Quid enim est Deus aliud quàm æternum, & summum bonum, quod se gratis & liberaliter aliis semper communicat? Talis autem est Christus vt describit Iohannes,

Ac quum Iohannes, de se quoque dicat, se accepisse de plenitudine Christi: videndum est, quando acceperit. Quando nam? Certè cùm adhuc esset in vtero Matris. Ibi enim fuit sanctificatus, & Spiritu repletus, vt disertè scribit Lucas. A Christo igitur accepit Spiritum hunc, & sanctificationem. Nondum tamen Christus quà homo, erat in Mundo,

Quomodo igitur de sua plenitudine, Christus communicauit Iohanni Baptistæ, si non erat Deus? Ab hoc igitur, quòd Christus nondum existens homo, tamen tanquam fons gratiæ indeficiens, continuo fluxu, in Iohannem, & in omnes Electos, à condito orbe, destillabat gratiam suam: Annon satis apparet, eum neque purum esse hominem, neque potentiæ finitæ, sed infinitæ, eoque verum Deum?

VI. *Vers.17. Nam lex per Mosen data est: Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Duo facit hoc versu Baptista: Primum, tacitæ respondet obiectioni. Potuissent Iudæi obiicere, Quomodo tu dicis omnes nos accepisse de plenitudine huius Iesu? Nam vt reliquos Patriarchas, & Prophetas omittamus: Certe Moses non accepit de hoc Iesu. Ille enim fuit ita gratus Deo, vt ab eo legem acceperit, nos autem ab isto tuo Iesu. Nos etiam tantùm Dei beneficium, nempe legem accepimus à Mose, non à Iesu. Respondet Iohannes per concessionem: Fateor, per Mosem datam fuisse legem, sed contendo per solum Iesum Christum factam fuisse gratiam omnem & veritatem. Nam per legem, neque Moses ipse sibi, neque aliis gratiam & veritatem, eoque salutem conferre potuit, verùm tam ipse quàm alij omnes, & nos ipsi, salutem à solo mediatore Christo accepimus. Hoc liquet ex promissionibus Dei, factis Adæ, & confirmatis aliis Patribus, atque inprimis Abrahæ. Ita certum est gratiam & veritatem per solum Christum factum esse. Atqui hic Iesus est ille Christus. Hoc infrà probabit Iohannes: Ergò gratia & veritas per solum Iesum Christum facta est. Quare, neque Moses obstat: quin vera sit propositio. Omnes nos de plenitudine Christi accepisse, quod ad ea attinet, quæ ad salutem pertinent, cùm etiam ipse Moses non per alium iustificatus sit, quàm per solum Christum. Deinde etsi per Mosen data est Lex, non tamen ab ipso Mose est Lex, sed tantùm per ipsum, vt per Ministrum: Gratia verò & veritas ita per Christum facta est, vt in ipso & ex ipso sit. Fuit enim & est fons plenus gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Io. 1.14. & 16. Vnde verò Lex? Ab ipso Christo. Nam etiam Lex est data ex gratia, seu ex fauore, quo Deus complexus est hũc populum præ aliis. Deu. 4.33. &c. Exo. 20.2. Atqui omnis gratia per Iesum Christum facta est: quia omnia beneficia, inter quæ est & Lex præstita populo Dei, per Christum, & à Christo fuerunt: vnde & Apostoli tam à Christo, quàm à Patre precantur gratiam. Quare tantum abest, vt Moses tollat huius dicti veritatem: *De plenitudine eius omnes accepimus*, vt potiùs eam confirmet. Nam Moses quoque, de plenitudine Christi accepisse conuincitur, tum quia per Christum iustificatus est, tum quia à Christo, & per Christum, legem accepit. Ita ostendit, Christum esse longè maiorem Mose, & antiquiorem, hoc est, æternum, eoque Deum. Deinde iis verbis explicare incipit præcipua Christi beneficia, quæ ad nos seruandos, cumprimis sunt necessaria. Tria enim præcipuè requiruntur ad hoc, vt salutis fiamus participes, & citra quæ seruari non possumus. Principiò tanquam fons reliquorum omnium beneficiorum, ipsa Dei gratia requiritur, hoc est, æternus fauor, amor, misericordia erga nos Dei: qua gratia, nos ante Mundi constitutionem elegerit in filios, amarit, misertúsque sit nostri. Hunc esse fontem salutis ostendit Christus dicens: *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum, &c.* 3.16. Hic fauor significatur nomine Gratiæ. Est enim totus merè gratuitus, & fons gratiarum omnium. Alterum, est complementum promissionum, & figurarum veteris Testamenti, de redemtione nostri per sanguinem, & oblationem Agni immaculati, seminis promissi & benedicti, quo nostra expiarentur peccata, & satisfieret diuinæ iustitiæ, seu fides ipsa est in seruandis & complendis promissis, quæ veritas appellari solet. Quàm necessaria fuerit ad salutem, hæc promissionum, de expiatione peccatorum nostrorum, per sanguinem seminis benedicti, & per oblationem Agni immaculati, veritas, & complementum, vbique docent Scripturæ, præsertim verò Epistola ad Hebræos, vbi concluditur sine sanguinis effusione, non fieri remissionem peccatorum. Heb. 9.22. Hoc esse secundum quod ad salutem nostri pernecessarium erat, docet Christus, Iohan. 3.16. Postquam enim dixisset de primo: *Sic Deus dilexit Mundum*: subiecit de secundo, dicens: *Vt Filium suum vnigenitum dederit*, nempe in mortem, pro salute Mundi, sicut promiserat, & typis sacrificiorum adumbrauerat. Hæc redemtio & λύτρωσις, significatur nomine veritatis. Hoc enim nomen, *Veritas*, relationem habet ad promissiones, & ad figuras, seu typos. Idcircò complementum promissionum, dicitur veritas. Tunc enim apparent veræ, quum suum habent complementum. Vndè dicuntur promissiones habere in Christo suum Etiam & Amen. 2. Cor. 1.20. à quo Amen, est אמונה, & veritas & fides. Item quod succedit figuris ac typis, veritas appellatur, nempe res ipsa vera ac solida. Tertium beneficium ad salutem necessarium, & sine quo reliqua duo nobis inania, & inutilia sunt, est vera Dei cognitio, seu Fides, quæ Dei cognitione & visione significatur, vt passim in sacris literis liquidò apparet. Quàm hæc sit necessaria, docent Scripturæ. Nam sine fide impossibile est placere Deo Heb. 11.6. Christus hoc tertium subiicit Ioha. 3.16 dicens: *Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* In iis tribus præcipuis capitibus, sita est tota hominum salus. Quorum primum, est in Deo, nempe gratia. Et quum dico Deum, intelligo Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quatenus sunt vnus Deus. Alterum est in Christo Mediatore, nempe Redemptio, & promissionum, ac figurarum complementum, de expiatione peccatorum omnium. Tertium in nobis hæret, Fides scilicet, & cognitio Dei per Spiritum sanctum, qui est Spiritus Christi, nobis donata. Hæc tria beneficia in nos conferri, per Christum & à Christo Iesu, testificatur hîc Iohannes Baptista.

Ac proinde concludit, verè hunc Iesum, quem digito demonstrauit: Fontem esse inexhaustum omnis gratiæ, veritatis, bonorum omnium, & de plenitudine eius, omnes sanctos accepisse, & nos accipere, & ideo verum esse, perfectissimum, liberalissimum, æternumque Mundi seruatorem. De duobus primis testatur in versu 17. dicens: *Lex per Mosen data est: Gratia & Veritas per Iesum Christum facta est:* Opponit autem verbum, *Facta est*: verbo, *Data est*: Quasi dicat, Lex quidem per Mosen data est nobis, sed per eundem vt illius Legis nihil est salutis in nobis effectum, nihil eorum quæ promittebat, impletum. Itaque fuit quidem data, sed nihil est effectum. At per Christum, gratia & veritas facta est. Gratia dicitur facta esse per Christum: quia reapse nobis impetrata, & præstita est per Christum, sicut Apostoli docent.

Ac ne putes, eo tantùm tempore, hanc gratiam fuisse nobis per Christum factam, quo Christus erat in carne, audi Apostolum, qui docet hanc gratiam fuisse nobis factam ante Mundi constitutionem. *Qui* (Deus) *seruauit nos, & vocauit vocatione sua sancta, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito, & gratia quæ data quidem est nobis in Christo ante tempora secularia, sed patefacta nunc est, per illustrem illum aduentum Seruatoris nostri Iesu Christi, qui & mortem aboleuit, & vitam in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium.* 2. Tim. 1.9. Quis verò hîc non videat apertam Christi æternitatem ac Deitatem? Quid est enim, *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, nisi, Christus effecit iam inde ab æterno, vt simus propter se, grati Deo Patri, & vt promissiones de nostra salute, veritatem & complementum in nobis, propter ipsum habeant? Quòd enim hîc docet Iohannes Baptista, ἡ χάρις διὰ τοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ ἐγένετο, idem est cum illo, quod ait Apostolus, *In laudem gloriæ* τῆς χάριτος αὐτοῦ: Ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Eph. 1.6. Et quod Iohannes Baptista ait, καὶ ἡ ἀλήθεια (אמונה) διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ ἐγένετο. Idem est cum eo, quod Apostolus ait, *Quotquot enim promissiones Dei sunt, in ipso* (Christo) *suum habent* Ναὶ & Ἀμὴν 2. Cor. 1.20.

Reuera igitur fuit nobis hæc gratia facta per Christum, ante tempora secularia, sed perspicuè & reapse patefacta per eundem in tempore, quum sese manifestauit in carne. Quando verò veritas fuit facta promissionum? iam inde ab initio Mundi. Nam statim Deus simulatque promisit, cœpit per Christum præstare quod promisit, Adæ & aliis Electis omnibus remissionem nimirum peccatorum, salutemque æternam.

Cùm igitur Christus effecerit iam inde ab æterno, vt simus grati Deo Patri, & iam inde à condito orbe, vt promissiones de salute, suum complementum, & veritatem in Electis cœperint habere (id quod idem est, atque gratiam & veritatem per Iesum Christum esse factam:) Hæc autem reapse effecisse non potuerit Christus, si reuera ipse, nihil tum subsistens fuisset, quis non videat, Christum æternum esse Dei Filium, in quo electi, in quo dilecti, in quo grati effecti, in quo in Filios adoptati, in quo veritatem promissionum diuinarum, iam à condito orbe consecuti sumus? Adde quòd Iohannes Baptista, dicendo, Per Mosen quidem datam fuisse Legem, per Iesum Christum verò factam esse gratiam & veritatem: Concludere voluit, Iesum Christum non solùm præstantiorem esse Mose, quippe qui potuit ea præstare quæ Moses minimè potuit, verùm etiam eodem esse antiquiorem. Nam gratia & veritas, antiquior est Lege. Fuit enim gratia, vt ostendimus ex Apostolo, data ante tempora æterna. 2. Tim. 1.9. Et idem Apostolus ad Galatas docet. Fœdus gratiæ, factum reuera, iam à condito orbe, cum Adamo, & aliis Patribus, renouatum, cõfirmatúmq; fuisse cum Abrahamo, annis ante datam Legem

430. Imò

Imò ex hac gratia factum est, vt etiam tandem fuerit data per Mosen, vt docet passim Moses ipse. Ergo in Iohannes Baptista dixisset, Christum esse priorem idem demonstrasset de omnibus illis qui vnquam partes fuerunt gratiæ, (Omnes etiam acceperunt de plenitudine Christi,) Mox idem speciatim de Mose conclusit hoc argumento.

Ille per quem gratia & veritas est facta, antiquior est illo per quem Lex data fuit. Est enim antiquior gratia & veritas ipsa lege, quoniam etiam ipsa Lex ex gratia data est, Est autem Christus, ille, per quem facta est gratia & veritas: Moses verò per quem data est Lex.

Christus igitur non solum Iohanne Baptista prior est, sed etiam ipso Mose, & ex consequenti omnibus hominibus, qui de plenitudine eius acceperunt, gratiam pro gratia.

VII. Versic. 18. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ille enarrauit.* In hoc versu tria facit Iohannes Baptista: Primùm occurrit alij Iudæorum obiectioni, qui contendebant Mosem præstantiorem esse Christo, nec accepisse illum de plenitudine Christi, ac proinde non esse Mosem propter Iesum Christum deserendum. Quid ita? Moses enim charissimus omnium fuit Deo, quippe qui sine hoc Christo, Deum viderit, & cum eo locutus sit, ore ad os, & facie ad faciem, id quod alij concessum est nemini, vt idem Deus testatus est Num. 12. 8. Respondet Baptista, falsum est Mosem propriè vidisse Deum. Nam Deum nemo hominum vidit vnquam. Ergo neque Moses. Confirmatur idem speciatim per Mosem ipsum. Quum enim is petiisset à Deo, vt sibi liceret illius videre gloriam: Respondit Deus, *Non poteris videre gloriam meam. Non enim videbit me homo & viuet.* Exod. 33. 20. Verum igitur est quod ait Iohannes: *Deum nemo vidit vnquam*, eoque nec Moses. At, quid igitur sibi vult Deus, quum ait, Se ore ad os loqui cum Mose, & in visione ac clarè, non per ænigmata? Num. 12. 8. Comparatiuè loquitur, hoc est, Quia clariùs, & familiarius cum Deo locutus est Moses, quàm vllus vnquam alius. Quibus enim, aut manifestiore aliquo symbolo, & specie, aut maiori Spiritus sancti copia & lumine, sese Deus patefaciebat, ij dicebantur vidisse Deum, vt notum est in Scripturis. Cæterum nemo hominum quamuis sanctissimorum, vidit vnquam Deum, vt ait Iohannes Baptista. Imò neque Dei voluntatem quispiam vidit seu cognouit per se. Quid verò sibi vult verbum videndi? Videre pro audire etiam capitur: *Omnis itaque populus* (inquit Moses) *vidit tonitrua. & vocem buccinæ, &c.* Exod. 20. 18. Et in hac significatione hic etiam potest accipi. Vult enim ostendere Iohannes, Mosen non propriè audiuisse Deum Patrem loquentem, sed filium qui iam in carne manifestatus est, illum fuisse qui in specie humana loquebatur cum Mose, & cum aliis patribus, & qui voluntatem Patris vt suam reuelabat. Ideò subiicit: *Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis*, scilicet omnibus, eoque etiam Mosi: Quare quicquid Moses de Deo audiuit, intellexit, tradidit populo, totum illud à filio, qui postea manifestatus in carne, inter homines versatus est, accepit: quasi dicat, Quis igitur non videat, Christum præferendum esse Mosi, & hunc vnum tanquam cœlestem doctorem, qui vnus enarret voluntatem diuinam, esse audiendum præ Mose, & prophetis, & me? Et hoc satis est pro explicatione scopi Iohannis Baptistę in iis verbis.

Cæterùm propositionem Iohannis intelligo in genere & absolutè, nimirum, Neminem hominum vidisse vnquam Deum, siue eius essentiam, siue voluntatem & naturam, aut etiam videre posse, quocunque velis modo, sine Christo. Sic enim ipse suam explicat propositionem, dicens: *Filius qui est in sinu Patris ipse reuelauit nobis* Quasi dicat: Nemo hominum vidit Deum sine Christo: Ipse enim filius enarrauit nobis, hoc est, Quicunque agnouerunt Deum, ij agnouerunt per Filium, qui enarrauit nobis. Huic dicto consonum est illud, *Nemo nouit patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare* Matt. 11. 27. Duo igitur iis verbis adscribit Christo Iohannes Baptista. Vnum, Hunc vnicum esse, qui Deum Patrem viderit ac videat, quive eius voluntatem & secreta omnia nôrit. Et huius rationem esse: Quia vnigenitus est Filius, in sinu semper Patris existens, Nihil igitur eum latere potest eorum quæ sunt Patris. Sic Christus ipse ait. Io 6. 46. *Nō quòd Patrem viderit quispiam, nisi is, qui est ex Deo, hic vidit Patrem.* Atque hinc liquidò apparet quod in capite Iohannis sexto dicitur, Christum esse ex Deo, nihil aliud esse quàm natum esse ex Deo Patre. Quod enim Christus ibi dicit: *Nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem:* Iohannes Baptista hîc dicit: *Filius ille vnigenitus qui est in sinu Patris: is enarrauit*, eoque *vidit Deum*. Hoc igitur est primum quòd hic Iohannes Baptista attribuit Christo. Alterum est, Hunc vnum esse, qui possit voluntatem Patris eiusque naturam explicare ac reuelare. Imò hunc vnum esse, qui Dei voluntatem, naturam, & ingenium patefecerit omnibus qui Deum vnquam quonis modo nouerunt. Hoc significat, quum ait: *Vnigenitus ille Filius, enarrauit nobis*. Græcè est ἐξηγήσατο, hoc est, explicauit, exposuit. Quid enim est ἐξηγεῖν? Rerum alioqui obscurarum perspicua interpretatio, & explicatio. Significat igitur solum Christum, verum esse paternæ voluntatis, & naturæ, consiliorum, & secretorum, sicut perfectum conditorem, sic etiam fidelissimum interpretem & explicatorē, idque propterea quod is solus, Filius est vnigenitus, solus in sinu Patris, solus Deum Patrem videns. Hinc consequitur, Primò, falsum esse, Deum à Mose propriè visum fuisse: deinde, quicquid cognitionis Dei habuit Moses, totum illud eum accepisse à Christo, eoq; & legem. Ita responsum est ad id, quòd de Mose obiiciebant Iudæi, eum vidisse Deum. Deindè iis verbis confirmat duas propositiones, quarum Prima est, Christum priorem esse omnibus, ipso etiam Mose, eoque esse æternum. Altera, omnes ex plenitudine Christi accepisse: Quòd, sicut Christus solus, fons est inexhaustus bonorum omnium, omnis gratiæ, veritatis, salutis: Sic etiam in solo Christo sint thesauri scientiæ atque sapientiæ absconditi. Docet enim hac propositione: *Deum nemo vidit vnquam*, omnes homines suapte natura ignorantes esse Dei, nec posse Deum agnoscere sine Christo doctore, & interprete voluntatis naturæque paternæ. Ac quotquot ab orbe condito Deum cognouerunt, illos idcircò cognouisse, quia Christus vnigenitus Dei Patris illis reuelauit ac explicauit. Quid hinc consequitur, nisi & Christum priorem esse omnibus, quia omnes didicerunt à Christo: Et omnes homines quicquid vnquam habuerunt scientiæ & cognitionis, Dei eos totum illud accepisse ex plenitudine sapientiæ, & scientiæ Filij vnigeniti Iesu Christi? Quare vtranque etiam illam propositionem, nempe, *Et ille prior me erat*: Et, *de plenitudine eius accepimus omnes*, veram esse constat ex hoc præsenti versu. Postremo iis verbis explicat Tertium Christi beneficium, ad salutem consequendam pernecessarium & sufficiens, nempe veram Dei cognitionem, eoque & Fidem. Ait enim: *Deum nemo vidit vnquam*: nempe per se, & sine Christo. Cognitio igitur Dei, & Fides non est ex nobis, sed ex Christo. Vnigenitus enim ille Filius enarrauit nobis. Quare Christus ille est, qui nos donat vera Dei, & sui cognitione ac fide.

Quid verò hinc efficitur? Christum perfectissimum esse mundi seruatorem. Si enim per solum Christum primo gratia, deinde veritas est facta, & postremò ipsa etiam Dei cognitio ac fides per eundem nobis donatur, in quibus tribus rebus tota nostra salus posita est, profectò efficitur Christum perfectissimum esse vnicum, æternum, liberalissimumque Seruatorem. Ac proinde qui salutem cupit, huic eundum esse ad Christum, non ad Mosem, non ad Iohannem Baptistam, aut ad vllam aliam creaturam. Atque hic est scopus Iohannis Baptistæ, vt omnes homines Christo adducat, tanquam vnico, & vero Seruatori.

VIII. Hic porrò versus, multa nobis suppeditat argumenta, quibus æterna Christi Deitas confirmatur. Primùm enim, dum Iohannes Baptista negat vllam creaturam Deum vnquam vidisse, aut etiā, (vt Apostolus addit. 1. Tim. 6. 16.) videre posse, nempe ex se & per se: Et hanc perfectam Dei Patris visionem ac cognitionem vni Christo attribuit, atque ita attribuit vt eum affirmet vnicum esse doctorem, qui homines possit docere Dei voluntatem atque naturam, profectò eximit Christum è numero talium rerū creatarum, quæ nihil aliud sunt, quàm res creatæ: quod autem non est creatum, & interim res est verè subsistens, intelligens, volens, Deus sit, necesse est. Clariùs explico hoc argumentum. Si Christus purus homo est, & non alia ratione Filius Dei, quàm ea qua reliqui etiam pij homines Filij sunt Dei, efficitur Christum non vidisse Deum Patrem. Ait enim Baptista in vniuersum de omnibus hominibus, quamuis sanctissimis Dei Filiis, imò de creaturis omnibus: *Deū nemo vidit vnquam*. Vidit autē & semper videt per se, ex se, & perfectissimè Deum Patrem Christus, quia vnigenitus semper in sinu est Patris, & omnibus nobis illum patefecit. Non est igitur Christus purus homo, aut ea tantum ratione Filius qua reliqui homines, nempe per gratiam, sed per naturam. Quare ab ea perfectissima & propria visione, qua Christus semper videt Patrem, euincitur, eum esse naturalem Dei Filium. Proindè meritò dixi illa verba, (*Vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris*) cōtinere rationem, cur dicat, illū videre Deū Patrem, & aliis reuelare: quia scilicet vnigenitus est Dei Filius in sinu Patris sēper manens. Deinde

hoc confirmatur à cognitione Dei & fide, qua Christus nos donat. Nam Christus ille est, qui omnes electos donat vera Dei cognitione & fide. Filius enim vnigenitus enarrauit nobis. Est autem fides, & cognitio Dei, solius Dei donum, vt passim scripturæ prædicant, vnde & omnes qui Deum verè cognoscunt, vocantur θεοδίδακτοι, non tam quia docti sunt Deum, quàm quia docti sunt à Deo. Est igitur Christus Deus. Inde etiam probatur hęc doctrina, quòd Christus appellatur à Iohan. Baptista μονογενής. Est igitur Filius Dei Patris, non factus, sed genitus, quemadmodum superiori libro explicatum fuit. Si enim genitus est solus ex Deo Patre: Ergo ex substantia Patris genitus est: id quod propriè significat verbum gignere, ex propria scilicet substantia procreare, non autem eo modo quo vel nos, vel Angeli dici possunt Filij ex Deo geniti. Quomodo enim solus μονογενής, si nos quoque eadem planè significatione, dicimur & sumus geniti ex Deo? Solus Christus vocatur & est proprius Dei Filius. Oportet ergò etiam solum propriè genitum esse ex Deo Patre. Quid autem est propriè generare, nisi (vt diximus) à propria substantia sibi similem procreare? Si igitur Christus est μονογενής, & proprius Dei Patris Filius, necessariò efficitur, illum esse alio modo ex Patre genitum, quàm nos simus, & alterius illum esse filiationis, ac generationis ab ea, cuius nos sumus: Illius nimirum, quæ fit ex parentis substantia, non autem quæ impropriè dicitur, & quæ fit ex gratia, & per Spiritum regenerantem, aut etiam in vtero matris operantem, & quasi officio virilis seminis fungentem. Modus certè diuersus, quo ille genitus est homo, ab eo quo nos generamur, impedire non potest, quin simus illius fratres, vt optimè ad Hebre. intellexit, & docet Apostolus. Quomodo ergò μονογενής, si tantum homo est? Confirmatur argumentum ab articulo præpositiuo ὁ μονογενής: excellentioris igitur est generationis ex Deo Patre quàm nos simus. Quæ autem illa? per naturam certè & ex Patris substantia. Aliud argumentum est ab eo, quod ait Iohannes Baptista, Christum quem vnigenitum Dei appellauit, esse (nempe semper) in sinu Patris. Si igitur Christus quum esset corpore & anima duntaxat in terris, erat tamen etiam in sinu Patris, qui in cœlis habitare dicitur, erat vtique & ipse tum etiam in cœlo, id quod idem ipse Christus confirmat, dicens: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Io.3.13. Non erat autē humana natura in cœlo: ergò præter humanam, alia natura erat & est in Christo, qua semper fuit in cœlo, etiam quum corpore esset in terris. Quæ natura autem illa esse potuit, aut potest, quàm increata, atque diuina? creata enim finita cùm sit, multis in locis simul esse non potest. Ex iisdem verbis hoc elicitur argumentum. Si Christus semper in sinu Patris est: Sequitur primò Filiū esse distinctum à Patre. Alius.n. est ille, cuius est sinus, alius ille, qui est in sinu alterius. Deinde, Christum Patri esse non solum charissimum, sed etiam ita intimum & vnitum, vt ab eo separari, & diuelli non possit. Hoc enim significat esse in sinu alicuius, esse illi intimum, & ab eo ἀδιαίρετον. Idcircò vxor dicitur esse in sinu mariti: quia marito est ita intima, vt cum illo sit vna caro. Deut. 13.6. Hoc idem significare voluit Baptista, quum dixit, Filium esse in sinu Patris, hoc est, ita illi vnitum & intimum, vt vnum sit cum Patre. Liquet etiam hoc ex sequela quam infert. Sic enim argumentatur: Solus filius vnigenitus est in sinu Patris. Solus igitur ipse vnigenitus filius, videt Patrem, & omnia quæ sunt Patris, secretissima quoque consilia, ac proinde solus potest ea nobis enarrare. Quomodo autem valet hæc sequela, si esse in sinu Patris, non significat ita intimum esse Patri, vt sit in Patre, & vnum cum Patre? Sicut enim nemo nouit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est (vt ait Apostolus 1. Cor.2.11.) sic nemo nouit quæ sunt Patris, nisi filius, & filij Spiritus, qui in ipso Patre est. Deinde quod ait Iohannes Baptista, in sinu Patris esse: Christus ait se esse in Patre Io.10.38. Iohannes igitur Baptista quū dixit, filium esse in sinu Patris, significauit eū esse in Patre, & vnū cū Patre, vt loquitur Christus. Io. 10.30. Nouit enim filium λόγον esse in Patre, sicut verbum in mente, & sapientiam in sapiente. Si λόγος noster in mente, præditus esset intelligentia & acie videndi, is solus verè diceretur, videre mentem. Eandem habet argumentationem Christus apud Io.6.46. nempe solus filius est in Patre: solus igitur Filius videt Patrem.

Hactenus primum Iohannis Baptistæ de Christi deitate testimonium: quod Testimonium, dedit illi in publica & frequenti concione.

### IX. Testim. 2. Ioh. Baptistæ ex Ioh.1.v.19.&c.

ALterum testimonium dedit illi, apud legatos primorum Hierosolymæ, Sacerdotum, & Pharisæorum, vt Iohannes Euangelista narrat, inquiens. *Et hoc est testimonium Iohannis, quum miserunt Iudæi Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas, vt quærerent ex ipso: Quis es tu?* Tria sunt huiusce testimonij membra. Priore negat Baptista, se esse Christum, negat se esse Eliam, nempe personaliter. Erat enim Spiritu dūtaxat & virtute Eliæ, Elias, vt Christus docuit, & vt etiam explicatur apud Lucam. Matt.11.14. & 17.12. Luc.1.17. Negat denique se esse illum Prophetam, quem scilicet sperabant Iudæi futurum Mosi similem, perperam Mosis verba interpretati. Deut.18.15. Altero membro docet, Quid ipse sit, non quidem persona (hoc enim erat omnibus notum) sed officio. Ait enim se esse Christi præconem: eoque Christi præcursorem & ministrum, qui in hunc finem sit præmissus, vt tum prædicatione pœnitentiæ, tum Baptismo aquæ, populum præpararet ad excipiendum Christum seruatorem mūdi, & ad Spiritus Baptismum, cuius Baptismi auctor est Christus. De prædicatione pœnitentiæ ait versu 23. *Ego (sum) vox clamantis in deserto.* Cuius clamantis? certè Dei, à quo missus fuerat. Io.1.6. Erat enim instar præconis, qui alta tantùm & sonora voce ea in publicum offerebat, quæ Deus intus in Spiritu tacitè illi dictabat & suggerebat. Hic verò Deus, qui in Iohanne clamabat, erat Christus. Nam etiam ante dixit, Filium illum esse, qui enarrauit sibi omnia, quæ de Deo tenebat. Apostolus quoque ita loquitur: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christi?* 2.Cor.13.3. Item Petrus ait Spiritum Christi fuisse in prophetis, & per illos prædixisse, quæ futuræ erant Christo passiones. 1.Petr.1.11. Si igitur Christus est ille, qui suo Spiritu, & in Prophetis, & posteà in Apostolis locutus est, consequitur etiam, cum fuisse, qui in Ioha. Baptista clamabat. Christus igitur Deus, & Ioh. Baptista præco Christi fuit. Ac dū confirmat testimonio Iesaiæ suum ministerium, liquido demonstrat Christum verum esse Iehouam. Cuius enim erat præcursor Ioh. Baptista? Christi. Et cuinam parandam esse viam prædicabat? Christo. Liquet hoc ex prędicatione Iohannis Baptistę, testimonio Euangelistarum, & maximè Pauli, Actor.13.24. Is autem, cuius apud Iesaiam præcursor fuit Io. Baptista, & cui vt populus paret viam prædicare iubetur (de se enim illud vaticinium interpretatur) verus est & appellatur Iehoua. Sic enim loquitur Iesaias, cap.40.v.3. *Vox clamantis in deserto:* פנו דרך יהוה. *& rectam facite semitam* לאלהינו. Christus igitur verus Iehoua. Confirmatur hoc ex Malachia, apud quem idem habetur de Iohanne Baptista Christi præcursore vaticinium. *Ecce, Ego* (inquit Iehoua) *mitto legatum meum* (angelum meum) *qui parabit viam ante me, & statim veniet ad tēplū dominus ille, quē vos quæritis, & angelus fœderis, quo vos delectamini. Ecce veniet, ait Dominus exercituū.* Mal.3.1. Christus enim apertè locum hunc interpretatur de Io. Baptista. Matt.10.11. Cui autē parauit viā Iohannes? Christo: vt liquet tū ex Euangelistis, tū etiā ex propheta ipso, qui mox subdit: *Et statim veniet ad tēplum suum dominus ille.* Quū ait *veniet dominus ille*, docet hunc dominū, esse Messiā. Quū verò ait: *Ad templum suum*, docet hunc dominum & Messiam, esse Deum. Templum enim non erat nisi Dei, & Deo dicatum. Qui etiam ibi loquitur de Iohanne dicens: *Ecce ego mitto angelum meum*, Iehoua est, vt liquidò apparet ex fine primi versus, & apud Ioh. cap. primo. v.6. Est autem ille, qui misit Iohannē Baptistam Christus. Est enim Baptista, legatus seu Angelus Christi, & præparauit Christo viam. Ergo Iohannes Baptista dum docet se esse vocem clamantis in deserto, & se prædicatione pœnitentiæ parare viam Christo, & hoc testimonio Iehouæ confirmat, simul etiam apertè significat, quid sit Iesus Christus, nempe non homo solùm, sed etiam Deus. Hactenus de sua prædicatione. De Baptismo subdit: *Ego baptizo aqua.* Est hic ἔλλειψις. Deest enim alterum antitheseos membrum, quòd posteà v.33. expressè addit, nempe: *Medius autem vestrum est, qui baptizat Spiritu sancto.* Interrogatus enim Ioh. Baptista, cur baptizet, si non est Christus: negat se propriè baptizare. Se enim tantùm esse ministrum aquæ, alium esse qui verè baptizat, cuius ipse seruus est, & quem ipsi ignorent: Discrimen enim facit inter suum ministerium & Christi. Iohannes baptizat aqua, nempe externa tantùm corpora lauando, tanquam Christi minister, Christus autem Spiritu, animas regenerando. Ac proinde confirmat se verum esse Christi seruum & præcursorem, quippe qui sicut doctrina, sic etiam Baptismo homines præparat Christo, à quo per Spiritum sanctum regenerentur. Quare mihi videtur adferre causam cur baptizet: quia scilicet Christi minister sit, qui baptizat in Spiritu. Tertio, huiusce testimonij secundi membro, veram Christo asserit Deitatem, partim dum innuit hunc, esse illum, qui baptizet Spiritu sancto, hoc est, qui immutet animos. (Est enim hoc solius Dei) partim dum idē confirmans, subdit, ver.27. *Hic est ille, qui post me venit, qui prælatus*

...tus est mihi, cuius *non sum dignus, vt soluam cor*...m. His enim verbis docet, se verè indignissimum esse ...el minimo, & vilissimo seruitutis genere, Christo io...t. Quid enim vilius, quàm exuere alieni calceos? Dum Iohannes ita sese verè demittit, Christum extollit, in...lancis cuius quantò magis pars vna deprimitur, tantò altera eleuatur. Docet igitur Iohan. Christum neque ...rum esse hominem, neque ea tantùm ratione Filium Dei, quia conceptus est de Spiritu sancto: multò verò minùs, es...se Filium Dei adoptione, seu potiùs natura.

Si enim Christus purus esset homo, & Filius Dei gratia adoptionis, aut ideò tantùm, quia conceptus est homo ille vi Spiritus sancti, profectò Iohannes non fuisset indignus qui Christo inseruiret, nec magno aliquo honorifico officij genere nedum vt calceos solueret. Nam nemo hominum est tam humilis conditionis qui non sit dignus qui alteri homini quamuis magno regi, aliquo seruitutis genere inseruiat. Quantò magis Iohan. Baptista Christo, si Christus tantùm homo erat? Cùm & genere nobilissimus esset Iohannes, ex tribu sacerdotali, patreque sacerdote, & vitæ esset inculpatissimæ, scientiæ ac doctrinæ non vulgaris maximæ apud omnes existimationis. Filius Dei per gratiam, qui & sanctificatus fuerat in vtero, plenus Spiritu sancto, Propheta & plus quàm Propheta, ita vt à multis haberetur pro Christo? Quomodo igitur non erat dignus, qui corrigiam calceamentorum solueret Christo, si Christus tantùm erat homo? At erat quidem tantùm homo, sed in vtero matris conceptus ex Spiritu S. Verùm, An non etiam Ioh. Baptista vi Spiritus sancti, in vtero fuerat sanctificatus? Et tamen reuera erat indignus qui vel solueret Christo corrigiam calceamentorum eius. Non enim loquitur hic Iohannes ex quadam simulata & hypocritica humilitate, sed reuera nouerat se esse indignum, qui vel hoc minimo officio Christo inseruiret. At hoc dixit Ioh. spectato discrimine, quod erat inter suum & Christi officium. Verùm neque hoc impedire poterat, quin Ioha. dignus esset qui inseruiret Christo, cum vocatum se sciret à Deo, vt esset ipsius legatus, & propheta. Personam cum persona conferebat Iohannes non tantùm officium cum officio. Alia igitur causa fuit cur nouerit se indignum esse, qui seruiret Christo, nimirum, quia nouerat eum Filium esse Dei natura, verumque Deum. Hæc est summa secundi testimonij. Est autem notandum, hoc secundum testimonium, datum fuisse à Iohanne Baptista Christo in genere. Sed nondum speciatim ipsi personæ Iesu à se indicatæ. Sciebat enim Messiam versari inter Iudæos, sed nondum de facie illum nôrat. Verùm quæ sequuntur, ea dat personæ Iesv.

### X. *Testim. 3. Ioh Baptistæ, ex Ioh. 1. vers. 29. &c.*

POstera die vidit Iohannes Iesum venientem ad se, & ait: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi.* Hoc testimonium dedit Iesu Christo præsenti, & in publica concione, digito eum demonstrans. Quinque autem de illo testatur. Primum, ipsum esse illum qui & vnico sui corporis sacrificio peccata mundi efficaciter expiet, & iis peccatis Electos in se credentes liberet, atque hoc facit, quum ait: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.* Quum ait (*Ecce*) digito indicat hominem Iesum, præsentem. Quum verò subdit (*Agnus ille*) docet, partim, hunc vnum veram & vnicam esse victimam, ad peccata expianda efficacem, præter hunc igitur nullum inueniri posse sacrificium pro expiatione peccatorum. Partim etiam, Christum sacrificium esse expiatorium pro peccatis, non simpliciter, sed quatenus effuso sanguine pro nobis, mortuus est. Alludit enim dictione agni, cùm ad sacrificia omnia veteris Testamenti, quæ certè non offerebantur viua sed mortua, tum verò maximè ad agnum paschalem pro liberatione populi ex Ægypto mactatum, & ad vtrumque agnum, tam qui manè, quàm qui vesperi, quotidie pro peccatis populi occisus offerebatur. Num. 28. 3. Sacrificium igitur pro peccatis non posse esse sine sanguine agni, *Nā sine sanguinis effusione non fit remissio,* ait Apostolus, Heb. 9. 22. Quum verò ait (*Dei*) duo significat. Primum quidem, hunc esse victimam, quam Deus vnicam ad expiationem peccatorum nostrorum, iam inde ab æterno elegerat, & deinde à condito orbe promiserat, & typis adumbrârat. Deinde, voluit Christum victimam esse non terrenam & humanam, sed diuinam ac cœlestem: Deo ita gratam, vt propter hanc vnam verè placatus sit mundo: Sicut & Apostolus vocat Christum, hominem cœlestem, 1. Cor. 15. 47. Denique, dum ait (*Qui tollit ἁμαρτ peccatum mundi*) duo itidem docet. Vnum est, Christum illū esse, qui omnia Electorum peccata iam indè ab initio mūdi, ad finem vsque eiusdem, vbique locorum admissa & admittenda, quasi in vnum corpus, cum tota naturæ corruptione collegerit, & collecta in sese receperit, suique corporis oblatione, pœnas pro nobis dando, expiârit. Hæc est enim prima significatio verbi tollendi peccata. Sic apud Ies. 53. 12. *iniquitates multorum* (hoc est, electorum omnium) *ipse pertulit.* Quonam modo? Paulo ante explicauerat dicens: *Tradidit in mortem animam suam.* Item Pater ait *propter scelus populi mei percussi eum.* Et Petrus: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, &c.* 1. Petr. 2. 24.

His igitur verbis docet Iohannes Baptista, Christum esse veram & diuinam hostiam, quæ oblata pro nobis, efficaciter erat peccata mundi expiatura. Hoc est primum. Alterum verò, quod verbo tollendi docuit, est, Christum esse illum, qui peccata nobis remittat, & quasi debita, è libro expungat & tollat. Hæc est enim altera huius verbi significatio. Sic Hos. 14. 2. *Conuertimini ad Iehouam, & dicite ei, omnem tolle iniquitatem.* Est verbum נשא eleuare ab aliquo, & auferre. Idē ibi significat, quod idem αἴρειν: tollere, scilicet de medio, & auferre. Vtraque autem significatione, non obscurè significauit Iohannes Christum, quem Filium Dei vocat, talem esse Dei Filium, qui etiam Deus sit. Nam quod ad primam attinet significationem, peccata tollere, hoc est, pro peccatis satisfacere, peccataque expiare nemo poterit, qui Deus non esset. Docet hoc vbique Apostolus, maximè verò in epistola ad Hebræos, vbi ostensurus vnico Christi sacrificio peccata omnium electorum esse expiata, eoque omnia veteris legis sacrificia euanuisse, in primis & ante omnia demonstrat Christum, non tantùm hominem, sed etiam verum esse Deum. Huc spectant, tot, tantaque testimonia in primo cap. quibus Christi Deitatem prædicat. Huc pleraque omnia, quæ scribit de Melchisedeco, vt, qui fuerit ἀμήτωρ: qui ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Idem fecit in epist. ad Rom. Nam primo cap. docet, Christum & ex semine esse Dauidis, quo ad carnem, & Filium Dei quoad Spiritum seu Deitatem. Deinde concludit huius tanquam veri non solùm hominis, sed etiam Dei obedientia, iustos esse multos constitutos, omnes nimirum electos. Idem facit præclarè in epistola ad Col. ca. 1. & 2. Idem longè antea fecerat Dauid, cùm alibi tum in Psalm. 110. Ostensurus enim Christum Messiam, qui ex suo semine nasciturus erat, futurum talem Pontificem, qui suo sacrificio efficaciter populum esset Patri reconciliaturus & seruaturus, primò docuit eum verum esse Deum, dicens: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*: Sicut Christus ipse locum illum interpretatus explicauit, nimirum se non solùm filium Dauidis, sed Dei etiam (alia nimirum, præter humanam, natura) esse filium, Mat. 22. 42. Quid Iesaias? Antequam perueniret ad describēdam vim sacrificij Christi in cruce (id quod facit capite 53.) abundè sæpe docuit, variis in locis, hunc qui peccata nostra in se tandem recepturus erat, verum esse Iehouam. Accedit consensus omnium Ecclesiarum, & doctorum iam inde à diebus Apostolorum, in hæc vsque tempora. Omnes enim vno consensu docuerunt, Mediatorem inter Deum Patrem & nos, efficacem esse non posse, qui purus sit homo, eoque oportere, vt is etiam Deus sit. Ergo Iohannes dicendo Christum esse illum agnum, qui (sui scilicet immolatione) peccatum mundi tollit, hoc est, expiat, apertè significauit, Iesum talem esse Dei Filium, qui etiam Deus sit: & huc pertinet illud Act. 20. 28. *Deus redemit Ecclesiam sanguine suo.* Ad alteram verbi significationem quod attinet, manifestum est, solius esse Dei peccata tollere, hoc est, à nobis auferre, debita è libro expungere, omnes iniquitates delere. Vnde etiam Pharisæi, *Quis potest* (inquiunt) *remittere peccata, nisi solus Deus*: Mat. 2. 7. Cuius enim est nomen delere, nisi creditoris? Ideò apud Iesa. 43. 25. *Ego, ego* (inquit) *Deus, qui deleo iniquitates propter me.* Et apud Hos. 14. 2. *Conuertimini ad Iehouam & dicite ei, Omnem tolle iniquitatem.*

Et Nos, ex Christi mandato, non ab alio, quàm à Deo petimus, vt remittat nobis debita nostra. Ergò iis verbis Iohannis Baptistæ, idem Christus prædicatur esse ille, qui peccatum mundi tollit, aufert, remittit, condonat: & ita simul etiam declaratur verus Deus esse. Quamuis prior significatio propriè in hunc competit locum vbi Christus, agnus Dei appellatur.

Alterum quod de Christo hic iterum testificatur Iohannes: est, eum esse priorem se. Quibus verbis, vt anteà demonstrauimus, indicare voluit æternam Christi deitatem. Hoc autem repetiit valde commodum. Quum enim dixisset Christum esse agnum, qui tollat peccata mundi, vt ostenderet, hoc illum non posse facere, si purus homo sit, mox apertum subiecit testimonium de eius æterna, eoque vera deitate. Tertiò testatus est Spiritum sanctū in specie columbæ, supra Christum descendisse, super eum mansisse...

fisse, & inde docente sic Patre, se agnouisse hunc Iesum, esse eum qui baptizet Spiritu S. & esse Filium Dei.

Hæc sunt verba: *Et ego non noueram eum* (nempe de facie) *sed vt manifestatus fiat Israeli: propterea veni ego baptizans aqua.* Duplex fuit finis aduentus Ioha. Baptistæ: Primus vt populum præpararet ad excipiendum Christum prædicatione pœnitentiæ ac Baptismo aquæ, de quo officio, & fine ante locutus est. Secundus, vt ostenderet populo quisnam esset Christus, nimirum iste Iesus Mariæ filius, & quid sit, nempe non homo tantum, sed æternus filius Dei, Seruatórque mundi. De hoc fine, hic Iohannes loquitur, quum ait: *Sed vt manifestus fiat Israel:* ait ergo:

*Tum testatus est Iohannes, dicens, Conspexi Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, qui etiam mansit super eum.* Pater duo significare voluit Iohanni Baptistæ hoc symbolo Spiritus sancti, in specie columbæ: Vnum hunc Iesum, qui fuit à Iohanne baptizatus aqua, esse illum, qui baptizat omnes Electos Spiritu sancto. Hoc exprimit mox Iohannes dicens: *Sed qui misit me, vt baptizarem aqua, is mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est, qui baptizat Spiritu sancto.* Fuit igitur columba illa, super Christum, symbolum officij Christi, seu illius rei, quam præstiturus erat Christus, nempe quod is solus baptizaturus erat electos Spiritu sancto, eos ex feris & gryphis regeneraturus in columbas, vt simus placidi ingenij, & simplices, sicut columbæ. Tales enim efficit Christus, quos suo Spiritu baptizat, ac regenerat. Secundò symbolum etiam fuit vnctionis, qua Christus vnctus fuit, & inauguratus ad officium Messiæ, Pontificis scilicet & Regis, feliciter obeundum. Fuit enim Christus, vt Pontifex, & Rex spiritualis, vnctus vnctione spirituali, hoc est, Spiritu sancto, cuius visibile symbolum fuit species columbæ. De hac spirituali Christi vnctione plenæ sunt Scripturæ, vt illud ex Ies. cap. 61. v. 1. Luc. 4. 18. *Spiritus Domini in me: propter quod vnxit me, &c.* hoc est primum. Deinde significare voluit hoc eodem signo Pater, hunc Iesum, suum esse Filium, & se cum suo Spiritu, semper manere in hoc Filio. Hoc etiam exprimit Iohannes Baptista. Nam posteaquam dixisset, se vidisse hunc Spiritum supra Christum descendisse & mansisse, & inde didicisset hunc esse, qui baptizat in Spiritu sancto, mox conclusit, dicens: *Ego igitur vidi.* quid vidisti? *Spiritum descendentem super ipsum, & (ideo) testor hunc esse Filium illum Dei.* Fuit igitur symbolum, non solùm officij Christi, sed etiam præsentiæ Patris, & Spiritus sancti in Christo perpetuo manentis, ac proinde hunc Iesum, verum esse Dei Filium, tam quatenus homo est, quàm quatenus Λόγος. Quà homo quidem non solùm propter vnionem hypostaticam cum Λόγῳ; sed etiam quia conceptus de Spiritu sancto, iuxta illud: *Spiritus sanctus superueniet in te, atque ideo etiam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Altissimi.* Luc. 1. 35. Atque in hunc finem apparuit Spiritus sanctus in specie columbæ, animalis innocentissimi & sine felle, vt significaret se illum esse, cuius virtute homo ille Iesus fuerat conceptus sanctissimè, & sine peccato. Quà Λόγος verò, quia genitus ex substantia Patris, vnus est cum Patre & Spiritu sancto Deus, ab vtroque ἀδιαίρετος & inseparabilis. Hoc significauit Pater Iohanni Baptistæ non solùm sua voce, *Hic est Filius meus ille dilectus, &c.* Sed etiam præsentia Spiritus sui in specie columbæ. Hoc enim symbolo, partim confirmata & obsignata fuit vox patris, *Hic est Filius meus*, partim indicatum, qualis sit Filius Dei Christus, nempe talis, in quo Pater & Spiritus sanctus semper maneant, eoque vnus sit cum Patre Deus. Iohan. 10. 30. Sicut enim Pater semper est in Filio (vt Christus loquitur) & hoc significauit hic sua præsentia & voce super Christum delata; ita ipse Spiritus sanctus semper est, & manet in eodem Filio. Et hoc ipsum declarauit hoc symbolo viuentis, & supra Christum manentis columbæ. Idem enim testificatus est Spiritus sanctus sua præsentia, & symbolo columbæ, quod Pater sua præsentia & voce. Et hoc docet alter Iohannes, quum ait: *Tres sunt qui testificantur* (nempe idem de Christo) *in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus:* 1. Iohan. 5. 7. Pater autem testificatus est, Iesum talem esse suum Filium, vt ex ipsius substantia genitus sit: quemadmodum ostendimus, quum Patris testimonium examinaremus. Idem ergo etiam testificatus est, Spiritus sanctus suo signo. Ideò subiecit Iohannes: *Et hi tres vnum sunt*, nempe non solùm consensione testimonij, sed etiam vnitate essentiæ. Atque hoc inde habet confirmationem, quod Iohannes Baptista posteaquam & vocem Patris audiuisset & Spiritum sanctum, in specie columbæ super Christum manentis vidisset, testificatus est, Christum non solum illum esse qui baptizet Spiritu sancto, sed etiam esse illum Dei Filium, qui vnigenitus est. Intellexit igitur ex qualitate etiam symboli Iohannes Baptista, Christum talem esse Dei Filium qui vnius sit cum Patre & cum Spiritu sancto deitatis, atque essentiæ, inque illo inhabitare plenitudinem, non solum donorum omnium Spiritus sancti, sed ipsius etiam totius deitatis. Quartum igitur, quod Iohannes Baptista, nomine Dei Patris testificatus est de Christo præsente, fuit alterum speciale Christi officium: nempe hunc illum esse; qui non aqua, sed Spiritu sancto homines verè baptizet, renouet, regeneret, viuificet, & hoc quum ait, v. 33. *Et ego non noueram eum. Sed qui misit me, vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat, super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum: Hic est qui baptizat S. sancto:* Ex hoc autem officio Christi proprio, quis non videat demonstratum fuisse à Iohanne, imò ab ipso Deo Patre, Iesum verum esse Deum? Nam quid sit baptizare Spiritu sancto, notum est, esse nimirum, homines regenerare, abluere à peccatis, innouare, filios Dei efficere, tollere præputium cordis, exuere veterem hominem, & induere nouum. Cuius autem est hoc facere nisi solius Dei? *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine* (inquit Iobus c. 14. v. 4.) *nisi tu, ô Deus, qui solus es?* Et Dauid sic orat: *Cor mundum crea in me, Deus: & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Psal. 51. 12. Est igitur solius Dei cor mundum creare, & regenerare. Idcircò Iehoua *Scribam legem meam* (inquit) *in cordibus eorum.* Ier. 31. 33. Hoc est enim baptizare in Spiritu sancto. Et apud Ezechielem 11. 19. *Auferam cor lapideum, & dabo cor carneum.* Et in Deut. 30. 6. *Dominus Iehoua circumcidet cor tuum.* Quod ibi promisit Moses de Iehoua, quod esset circuncisurus corda Israelitis. Hoc Iohannes Baptista docet impleri in Iesu Christo, quum ait, hunc esse illũ, qui baptizet Spiritu sancto. Apostolus etiam explicat Christum illum esse, qui nostra circũcidat corda, in Baptismo per regenerationem. *Per quem* (Christũ, inquit) *circumcisi estis circũcisione, quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi, consepulti, cum ipso per Baptismũ.* Col. 2. 11. Cum hęc ita se habeant, apertè Iohannes Baptista testificatur, Christum verum esse Iehouam, dum ait, illum esse, qui baptizet Spiritu sancto, hoc est, qui circuncidat corda nostra & regeneret in nouas creaturas.

Quintum, quod de Christo testificatus est: illũ esse verum Dei filium, dicens: *Et (igitur) ego vidi & testificatus sum* (scilicet constanter, testorque) *quod hic est filius ille Dei.* Qualis verò? talis: qualem Spiritus descripsit, æternus, vnigenitus, eoque ex substantia patris, verusque Deus. Atque hinc colligimus, quoties Christus vocatur Filius Dei, tam à Iohanne Baptista, quàm ab aliis piis, indicari eum esse Filium Dei naturalem, Deumque ipsum, qualem prędicauit Iohannes Baptista.

### XI. *Testim. 4. Ioh Baptistæ ex Io. 1. v. 35. &c.*

*Postero die stabat Iohannes & duo ex discipulis eius, &c.* Fuit hoc suprà explicatum, atque inde deductum fuit, Christum verum & æternum esse Deum. Non est igitur opus repetitione. Hic verò apparet, quis fuerit scopus Iohannis Baptistæ in omnibus iis testimoniis, sua prædicatione & Baptismo, nempe vt omnes mitteret ad Christum, tanquam ad vnicum seruatorem: quia etiam solus inter homines, Deus est. Est enim Immanuel. Notandum autem omnia hæc Iohannis Baptistæ testimonia, ad vnum redigi syllogismum cuius prima propositio est, de natura, déq; officio Messiæ in se, quem venisse iam & in medio ipsorum Iudæorum versari, quanquam de facie ignotum dixerat. Altera propositio est, de persona Iesu, hunc scilicet esse Messiam seu Christum. Propositio igitur syllogismi hæc est.

Christus seu Messias non homo tantùm est, sed etiam æternus Deus, quia licet vna natura pone me venerit, altera tamen prior me, eoque & omnibus hominibus erat, & fons est inexhaustus bonorum omnium, ex cuius plenitudine omnes nos homines, iam inde à condito orbe accepimus & quidem gratiam supra gratiam. Nam licet per Mosen lex data sit, per hunc tamen Christum gratia & veritas facta est. Et cùm Deũ nemo vnquam per se viderit: Christus vnus ille est, qui Deum semper & perfectissimè vidit ac videt, ac proinde qui illum etiam nobis omnibus manifestauit. Est enim vnigenitus ille Dei filius, in sinu Patris semper existens, eoque à Patre inseparabilis. Est ille Iehoua, cui, vt (iuxta vaticinium Iesaiæ 40. 3.) tum prædicatione, tum Baptismo pœnitentiæ, præpararem populum, & hunc ad viam ei complanandam, hortarer, missus sum. Est enim ille, qui non aqua vt ego tanquam eius seruus, sed Spiritu sancto, tanquam Deus, homines baptizat, atque regenerat in Filios Dei. Est talis ac tantus, vt non sim vllo mo-

[…]modo dignus, qui vel corrigiam calceorum eius soluam; [ipse] qui prior me erat, éstque æternus Dei Filius, in quo [quie]scit residet Spiritus Patris: solúsque est agnus ille Dei, nõ [solum] qui possit tollere, sed etiam, qui reipsa tollit peccatũ [mun]di. Hæc omnia de Messia prædicat Iohannes Baptista: & [...] possunt scripturis veteris Testamenti confirmari, ta[...] debuisse esse Messiam. Atque hæc est propositio, sequitur assumtio.

Atqui hic Iesus, quem digito vobis ostendo, est ille Christus, de quo ante dixi. Hoc verò tam certum est, quàm Deus Pater verax est. Super hunc enim vidi Spiritum descendentem & manentem super eum; vocémque Patris dicentis: *Hic est filius ille meus, &c.* audiui. Hoc autem signũ dederat mihi Deus Pater, quo agnoscerem, quisnam verus esset Christus, qui baptizat Spiritu sancto.

Ergo hic Iesus est ille æternus Dei filius, qui prior me erat: qui baptizat Spiritu sancto: qui tollit peccata mundi: de cuius plenitudine nos omnes accepimus: per quem gratia facta est, & veritas: qui genitus est ex Patre Deo: qui semper in eius est sinu: qui Patrem omnibus patefecit: Denique est ille Iehoua, cui excipiendo, complananda vobis est via.

Hæc est summa huius testimonij Iohannis de Christo Iesu. Hinc verò apparet si concedatur, Iesum esse Christum: necessariò consequi, hunc esse æternum filium Dei, Iehouam.

### *XII. Testim. 5. Iohan. Baptistæ, ex Iohan. 3. vers. 27. &c.*

R*Espondit Iohannes, & dixit, Non potest homo à seipso accipere quicquam, nisi ipsi datum fuerit è supernis.* Occasio huius responsionis Iohannis Baptistæ, & eorum quæ de Christo prædicat: nota est ex contextu. Offensi fuerant discipuli Iohannis, quòd vidissent Christum baptizare: & frequentem populum, neglecto Iohanne Baptista ad Christum confluere. Offensio autem hæc profecta fuit, partim ex nimio carnali amore, quo, vt fit, erga suum præceptorem afficiebantur discipuli: partim ex falsa, quam de Iohanne conceperant, opinione, quasi ipse præstantior esset Iesu: ac proinde fieret ipsi iniuria à Iudæis, qui eo neglecto, conuolarent ad Iesum. Ita igitur exponunt Iohanni hanc suam offensionem; & queruntur, quòd & Christus baptizet, & Iudæi ad eum concurrant. Scopus itaque Iohannis in hoc suo, ad querimoniam suorum discipulorum, responso, fuit: liberare suos discipulos hac perniciosa offensione, & eos tum dehortari, ab ista falsa, quam de se conceperant, opinione: atque etiam ab illo nimio carnali, & immoderato, quo erga se afficiebantur amore, vnde tota offensio fuerat profecta: Tum etiam contrà hortari ad magnificè sentiendum de Iesu, & vt ad eum ipsi vnà cum reliquis, accederent audiendum: doctrinámque eius, obsequenti fide amplecterentur. Hic est scopus, quemadmodum ex vltimo versu liquet. Vt hoc efficiat, sese deprimit & Iesum magnificat: docens, hunc infinitis nominibus præstantiorem esse, & se, & aliis omnibus hominibus: quippe qui Filius sit Dei, natus ex Patre Deo. Hunc igitur & sibi & reliquis omnibus, esse præponendum, & præ omnibus audiendum. In hunc ergo finem multis laudibus celebrat Iesum: vt inde hortetur discipulos ad eum audiendum, & vera fide complectendum: posita, quam acceperant, offensione, de Christo baptizante: déque Iudæis ad eum confluentibus. Nam multis rationibus docet, Non esse, cur aut ipse, aut illi succenseant, vel Iesu quòd prædicet & per discipulos baptizet; vel Iudæis, quod se neglecto, ad Iesum confluant: sed contrà potiùs esse, cur etiam ipsi cum aliis omnibus, ad Iesum quem demonstrauit esse Christum, accedant. Omnes ferè hæ rationes ducuntur à dignitate Christi. vt tamen illæ inter se distinguantur: breuiter ostendemus, vnde immediatè ducantur. Prima igitur ratio ducitur à voluntate Dei. *Homo non potest recipere quicquam nisi fuerit ei datum è cælo.*

Hæc certissima est propositio, in iis, quæ ad corpus, multò magis in iis, quæ ad animum, pertinent. Non est autem mihi è cœlis datum, vt sim Christus, eóque vt Ecclesia ad me tanquam ad suum seruatorem, & sponsum confluat: datum verò est huic Iesu. Ostendi enim, & testificatus sum, non ita multo antè, hunc esse Christum, me priorem, Filium Dei vnigenitum, qui semper est in sinu Patris: qui baptizat Spiritu sancto, qui tollit peccata mundi, &c. Indignari igitur, aut quòd Iesus baptizet, aut quòd Ecclesia Dei ad illum sese conferat, quasi hinc aliquid mihi detrahatur, & illi iniquè tribuatur, quid aliud est, quàm irasci Deo, qui hoc ipsi dedit honoris & dignitatis, non autem mihi? Hinc sequitur altera ratio, quæ à testimonio & à voluntate ipsius Iohannis Baptistæ ducitur. *Vos ipsi mihi testes estis, me dixisse: Non sum ego Christus, sed missus sum (qui apparerem) coram eo.* Sensus est, tametsi Iudæi voluerunt me honore Messiæ afficere, missa etiam ad me legatione: Ego tamen hunc nolui, neque volo honorem, propterea quod reuera nõ sum Messias. Contrà nihil mihi magis est in votis, quàm vt omnes ad hunc Iesum properent, quod is sit verus Christus: Ego, eius tantùm præcursor, & huiusce rei vos estis mihi testes. Quòd igitur optetis, aut curetis vt neglecto Iesu, omnes ad me accurrant, contra meam hoc facitis voluntatem. Nunquam enim hunc affectaui honorem, sed illi delatum volo, & deferri cupio, cui etiam iure debetur: nempe Iesu. Tertia ratio est, à simili sponsi & pronubi. Si sponsa veniat ad sponsum, illum audiat, & nunquam ab eo discedat, sed tota à sponso pendeat, non autem hoc præstet pronubo, & pronubus qui amicus est sponsi, hoc videat, & audiat, tantùm abest, vt hac re tristetur, tristarive debeat, vt potiùs propter hanc causam, maxima afficiatur lætitia, quia videt impleri quod ipse curauit perficiendum. Est autem Iesus Christus sponsus Ecclesiæ, quia filius æterni Patris, ad hoc in terram missus, vt eam sibi in matrimonium duceret: Ego verò pronubus Iesu Christi sum, & amicus, qui ideò fui missus à Patre, vt curarem Ecclesiam huic Filio Dei desponsandã, eámque illi præpararem & adducerem. Ergo quod audiam ex vobis, & videam ipse Ecclesiam ad hunc suum vnicum sponsum currere, hunc audire, huic adhærere, tantùm abest, vt vllum hinc capiam dolorem aut tristitiam, vt potiùs immenso exiliam gaudio, quòd videam illud perfici, quod & summis mihi erat in votis: & pro meo curaueram perficiendum officio. Hoc est, quod ait: *Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Quidni igitur & vos hunc Ecclesiæ concursum, gratulemini Iesu Christo, tanquam sponso: Si, vt debetis, & me, & illum amatis? Quarta ratio est ab impossibili & absurdo seu ab eo quod curari non potest. Fieri nequit, quin ille crescat, & ego imminuar. *Illum enim oportet crescere, me autem minui:* nempe quod ad vtriusque ministerium attinet: Non secus atque oportet solis splẽdorem super terram augeri, Luciferi autem, & reliquarum stellarum obscurari, & euanescere, ad illius aduentum. Stultus autem foret, & ridiculus, adde & iniquus, si quis aut doleret exortum solem, suum perficere cursum, & omnibus stellis illustriorem fulgere, aut ne luceret, cuperet, & conaretur impedire. Tales vos etiam esse videmini, qui doletis & Christum, suum facere officium, & Ecclesiam ab illo doceri, & cœlesti, vitalique lumine viuificari. Quinta ratio ducitur ab antithesi inter originem Christi, & reliquorum omnium hominum, eóque à dignitate & excellentia Christi. *Qui supernè venit, supra omnes est: qui è terra est, terrenus est, & terrena loquitur: qui è cælo venit, supra omnes est. Qui supernè venit.* hoc est, qui originem habet e cœlo, non tam quod ad causam efficientem; quàm quod ad suam attinet naturam: is certè supra omnes illos est, qui suapte natura, sicut originem habent è terra, sic etiam terreni sunt, & ideò etiam terrena agunt & loquuntur. Quis hoc possit inficiari; cùm etiam cœlum quod supra terram est, quò altius est terrâ, eò etiam terrâ sit nobilius, atque dignius? Atqui Christus è cœlo venit, originem inde ducens, & ex Patre Deo genitus. Ego verò & omnes homines, qui fuerunt vnquam, sunt, aut futuri sunt, sumus nostra origine è terra. Ideò terreni tantùm sumus nostrapte natura, ac proinde nihil etiam possumus agere, aut loqui, nisi terrena. Est igitur Christus supra omnes homines, non tantùm supra me. Ac proinde meritò omnes ad eum confluunt, & confluere debent, non autem ad me. At nonne & Iohannes Baptista, ac Prophetæ, & Apostoli, locuti sunt cœlestia, & eorum doctrina cœlestis fuit? Principiò loquitur Iohannes de origine naturæ, tam Christi, quàm nostræ, non autem de iis, quæ naturæ accidunt. Quod ad originem attinet, certissima est propositio Iohannis Baptistæ. Quod verò spectat ad accidentia naturæ, sicut naturæ diuinæ Christi accidit, vt etiam carnem habeat è terra, sic contrà nostræ naturæ terrenæ accidit, vt etiam Spiritum accipiat è cælo, per quem regenerati, cœlestia & loquamur, & agamus. Quare optime conclusit Iohannes, Christum esse supra omnes, quia sua prima natura originem habeat è cœlo, hoc est, quòd genitus sit ex Patre Deo. Idem repetit cum explicatione: *Qui è cælo venit, supra omnes est.* Venire igitur ἄνωθεν, nihil aliud est, quàm venire è cœlo. Quid verò est venisse Christum è cœlo? Est in cœlo genitum ex Patre, factum deinde esse hominem. Est ad summ-

mam, id quod Apoſtolus ait, 1. Tim. 3. 16. Deum manifeſtatũ eſſe in carne: hoc eſt, τὸν λόγον, genitum ex Patre Deo, Deum ſeſe in carne manifeſtaſſe. Hoc voluit cõcludere Iohannes Baptiſta. Annon igitur eſt æquum, vt Eccleſia neglectis hominibus, accedat ad Deum audiendum, qui in carne manifeſtatus eſt? Deinde comparatiuè poteſt propoſitio Iohannis Baptiſtæ intelligi hoc modo: Prophetæ & Apoſtoli ſi conſiderentur ſine comparatione ad Chriſtum: locuti ſunt è cœlo magna cum auctoritate. Si verò comparentur Chriſto: locuti ſunt quaſi è terra. Sic ad Hebræos cap. 12. 25. ait Apoſtolus, Moſẽ locutũ eſſe nomine Dei in terra: Chriſtum verò è cœlo eſſe, & de cœlo loqui. Sexta ratio eſt à dignitate & certitudine Doctrinæ Chriſti. *Et quod vidit & audiuit* (nempe Chriſtus à Patre in cœlo) *hoc* (fideliſſimè) *teſtatur: & teſtimonium eius nemo recipit.* Eſt igitur doctrina Chriſti tum cœleſtis atque diuina, quia eam à Patre Deo habet: tum certiſſima, quia eam audiuit, & vidit in Patre. Et deinde hanc, & non aliam docet atque teſtatur in mundo. Auditum enim & viſum ſimul attribuit Chriſto: vt doceat eum eſſe, eorum quæ docet, non ſolùm auritum, ſed etiam oculatum, hoc eſt certiſſimum teſtem. Eſt igitur Chriſtus præ aliis omnibus audiendus. Sequitur reprehenſio ingratitudinis Mundi. *Et nemo* (id eſt, ferè nemo, ſeu perpauci) *eius Teſtimonium recipit.* Tanta eſt cæcitas, & ingratitudo hominum.

At nonne, & Iohannes Baptiſta, & Prophetæ quæ ſciuerunt: ea etiam à Deo audiuerunt? & quæ audiuerunt, ea fideliſſimè tradiderunt? Vtique: Sed longè diuerſa eſt ratio, & in tempore, & in modo audiendi. Chriſtus quà λόγος eſt Patris, audiuit immediatè; & vidit iam inde ab æterno ex Patre, quæcunque in mundo docuit. Quomodo verò vidit & audiuit? non quod vnquam fuerit, quando hæc ignorauerit, ſed in illa ſui generatione ex Patre, imperſcrutabili, & æterna, ſicut accipit quicquid eſt, ſic etiam accepit quicquid habet & nouit. Et hoc docet Iohannes Baptiſta, dicens: *Filius vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Id eſt, ideo nouit & enarrat Deum, diuináque eius conſilia; quia ea nouit, quum fuit genitus Filius, & fuit in ſinu Patris. Fuit autem genitus ex Patre, & in eius eſt ſinu, iam inde ab æterno. Omnia igitur nouit ab æterno: & ideò nouit: Quia filius eſt, ex Patre genitus. Sic Chriſtus apud Iohann. m, 6. 46 *Non quod Deum viderit quiſpiam* (inquit) *niſi qui eſt ex Patre.* Quare innata eſt Chriſto tota eius doctrina atque ſcientia. At nos omnes, & Prophetæ, aut ex reuelatione Spiritus Chriſti, aut ex lectione ſcripturarum, idque per gratiam, non per naturam: quicquid de Deo habemus cognitionis, accipimus. Etſi igitur eadem eſt doctrina, quam tradunt Prophetæ, & Apoſtoli, cum illa, quã tradidit Chriſtus: modus tamen, quo ipſe illam tenet, diuerſus eſt à modo, quo nos eam didicimus. Ille in æterna generatione: nos in temporali reuelatione. Quare cùm Chriſtus omnes, quotquot vnquam fuerunt, aut eſſe poſſunt, doctores, longè ſuperet, in ipſo etiam modo percipiendæ doctrinæ à Patre: ad hunc vnum meritò aduolandum fuiſſe, docuit Iohannes. Septima ratio petitur ab honore qui Deo defertur: ſi Chriſtus audiatur, & eius doctrina recipiatur. *Qui recipit eius teſtimonium: is obſignauit, quòd Deus verax ſit.* Qui audiuit Chriſtum, eiúſque teſtimonium, nimirum Euangelium de voluntate Patris erga nos, vera fide recipit, tanquam verum & indubitatum: is hac ſua fideli receptione, tanquam ſua manu & ſigillo ſubſcribit Deo: & doctrinam eius tanquam veriſſimam obſignat: & dum dat Deo teſtimonium veritatis, maximo illum afficit honore & cultu. Ratio eſt: Quia Chriſtus, quem Pater miſit vt legatum ſuum: verba tantùm Dei ſicut habet in mandatis, loquitur. Ergo ſi quis velit rem gratam facere Deo, & eum vero honore afficere: is præ aliis omnibus audiat Chriſtum, & eius teſtimonium recipiat. At diceris, idem honor defertur Deo, ſi tuam, etiam Moſis, Prophetarúmque audiuerimus doctrinam. Nam vos etiam legati eſtis, miſſi à Deo. Reſpondet Iohannes & ait, Verum quidem eſt, nos legatos eſſe Dei: Sed magnum diſcrimen eſt inter nos & Chriſtum. Nobis dat Spiritum ad menſuram: Chriſto autem ſine menſura, vt ſequitur in verbis Baptiſtæ. Octaua ergo eſt hæc ratio: A plenitudine Spiritus, quæ in ſolo reſidet Chriſto, deſumpta. *Nam is quem miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim huic admetitur Deus Spiritum.* Senſus eſt, Nobis enim dedit ac dat Spiritum ſuum Deus ad menſuram: ita vt nemo noſtrûm, totum habeat Spiritum Dei, nec omnia eius dona. At huic Chriſto dat Spiritum, non ad menſuram, ſed totum in eum effundit, nedum omnia eius dona. Eſt igitur Chriſtus præferendus non mihi tantùm, ſed omnibus etiam Prophetis & Moſi: & præ aliis audiẽdus eſt: quia perpetuò in eo reſidet plenitudo Spiritus Dei, non minùs, quàm in Patre. Atque ita plenitudo Spiritus Dei in Ieſu Chriſto reſidet: vt de hac plenitudine eius omnes nos accipiamus: & ſua quiſque dona, de manu Chriſti percipiat. Ita hic docet Iohannes, vndénam Chriſtus, quatenus homo eſt, ſuam habeat doctrinam, nempe ex plenitudine Spiritus, qui datus ei fuit ſine menſura. Quid autem ſibi vult hæc locutio, niſi totum Dei Spiritum, qui immenſus, & immenſurabilis eſt, in Chriſto reſidere; ſeu (vt loquitur Paulus) Col. 2. 9. omnẽ plenitudinẽ Deitatis in eo corporaliter inhabitare? Nona ratio eſt à ſingulari Patris dilectione, erga Filium Ieſum Chriſtum, *Pater diligit Filium* (nempe præ cæteris omnibus & ante omnes, ſingularique & incomprehenſibili amore, tanquam filium, eumque vnigenitũ:) *Et omnia dedit in manum eius.* Nihil igitur gratius fieri à nobis poteſt Deo Patri, quàm ſi hunc eius filium vnigenitum & omnium Patri chariſſimum, honoremus, audiamus, amplectamur, & in hoc vno ſpes omnes noſtras poſitas habeamus: & contrà nihil Patri fieri poteſt ingratiùs, quàm ſi hunc contemnamus. Quare non ſunt improbandi illi; qui ad hunc accedunt, neque illis eſt iraſcendum, ſed contrà potiùs, & laudandi, & amandi. Ita enim Pater hunc diligit filium: vt in hoc ſolo amet reliquos omnes, quotquot amat. Decima ratio ducitur à maieſtate & omnipotentia Chriſti. *Et omnia dedit in manũ eius.* Pater dedit filio huic dilectiſſimo omnia, quę ſcilicet Pater ipſe habet: & quæ ipſius ſunt Patris. Eſt igitur filius tantæ maieſtatis atque potentiæ, quantæ & Pater: niſi quod Pater à Filio non accepit quicquã, ſed Filius omnia à Patre. Ac ſi Pater dedit: legitima igitur eſt maieſtas, & poteſtas Filij: Quia non eam ſibi rapuit, ſed à Patre datam accepit. Ac, ſi dedit in manum: eſt igitur libera poteſtas Filio Dei; vt poſſit pro ſuo arbitrio, tum reliqua bona omnia, tum in primis vitam æternam donare. Item ſi dedit in manum: dedit igitur vt quæ habet, nobis diſpenſet: quantum diſpenſari poteſt. Quid igitur melius, quàm ad hunc confugere Ieſum, & hunc audire, huíque obtẽperare? At quando & quomodo dedit Pater omnia Filio? Vt λόγῳ quidem dedit ei Pater ab æterno, in ipſa λόγου, ſeu filij generatione: & per generationem omnia quę habet ſuã eſſentiam, potẽtiam, dominium, habet Filius. Vt homini verò: dedit ei Pater, in tempore omnia. Ergo cùm hic Ieſus ſit talis Dei Filius, íſque dilectiſſimus, vt eiuſdem ſit cum Patre maieſtatis & poteſtatis; annon meritò præponendus eſt omnibus, & præ omnibus aliis audiendus? Quare iniuſtè conquerimini quòd omnes ad eum, me neglecto, accedant. Vndecima ratio ſumitur ab vtili. *Qui credit in filiũ habet vitã æternam. Qui verò non credit, non videbit vitam: ſed ira Dei manet ſuper ipſum.* Duo ſunt membra huius verſus. Priore exprimit, quid habeant; qui credunt in Chriſtum. Poſteriore, quid conſequatur eos, qui non credunt. *Qui credit* (inquit) *Filio, habet vitam æternam.* Eſt igitur primo, per fidẽ hãc, liberatus à morte, cui propter peccatum erat obnoxius. Deinde iam ius habet certiſſimum vitæ æternæ: imò iã illius factus eſt particeps. Quare vtilitas hæc, permouere debet omnes, vt Chriſtum audiant, & ei fidem adhibeant, totamque in eo collocent fiduciam. Amplificat poſteà vtilitatem fidei: à contrario: *Qui non credit* (non dico, mihi aut aliis, ſed) *Filio Dei*, is primum, *non videbit vitã*, id eſt, tantùm abeſt vt vitã conſecuturus ſit æternam, vt ne illius quidem veſtigia è lõginquo ſit viſurus, hoc eſt nullus ei acceſſus patebit, vel ad videndũ regnum Dei: & hæc eſt priuatio æternorum bonorum. *Sed ira Dei manet ſuper ipſum.* Ira Dei pro æterna morte, & damnatione accipitur. Si manet: ergo antea erat ſuper eũ, propter peccatũ ſcilicet originis, & alia flagitia: ſed manet, propter incredulitatẽ in Filium. Sola enim fide in Chriſtum, tollitur ira Dei. Ergo ſi nos maneamus perpetuò increduli: manet etiam perpetua ſuper nos ira Dei, mors & damnatio. Quare quiſquis amat ſuam ſalutem; is debet Chriſtũ audire, illi credere, & totam in eo fiduciam collocare. Quæ cùm ita ſint; nõ igitur eſt, cur debeatis iraſci, quòd aut Chriſtus baptizet: aut quòd Iudæi ad ipſum accedant: ſed contrà potiùs debetis vos etiam ipſum audire.

XIII. Hæc eſt ſumma huius ſermonis Iohannis Baptiſtæ ad ſuos diſcipulos. Non pauca verò, neque leuia ſuppeditantur nobis argumenta pro Deitate Chriſti: quibus apparet quo ſenſu Iohannes vocârit Chriſtum Filium Dei: nẽpe tanquam ex Patris ſubſtantia genitum, eóque verum Deum. Ac primùm quidem ex eo, quod dicit, *Vos mihi teſtes eſtis, me dixiſſe, nõ ſum Chriſtus: ſed miſſus ſum ἔμπροσθεν ἐκείνου*, nempe Chriſti. In quem finẽ? nẽpe vt illi pararem populũ, tum prædicatione pœnitentiæ, tum Baptiſmo aquæ: ſicut ſuprà declaratum eſt ex verbis ipſius Iohannis. In illo autem teſtimonio, ad quod diſcipulos hîc remittit, dicens: *Vos mihi teſtes eſtis*, &c. confirmaturus ſe præconem eſſe Chriſti, & ad hoc miſſum, vt populum præpararet ad Chri-

ſtum,

tum excipiendum, citauit Iesaiæ de se vaticinium: quo ostendit, hoc suum fuisse officium, vt adhortaretur populum ad Christum excipiendum, & clamaret, *complanate viam*, יהוה Iesa. 40.3 Confer modo illum locum cum isto: & videbis, quem hîc vocat Iohannes Christum, ante quem missus fit vt ei paret populum, Ibi ex testimonio Iesaiæ eundé appellasse Iehouam. Verùm, quoniam hoc argumentum ante etiam explicatum fuit, & cõfirmatum ex Malachia, idcirco ampliorem explicationem nõ adhibeo. Ex eo verò quòd docet, Christum esse sponsum Ecclesiæ, nempe iam inde à condito orbe, & in sempiternum, multis modis euincitur, Christum verum esse Deum Iehouam. Cæterùm quia fusè à nobis fuit suprà hoc argumentum explicatum, nihil præterea adiiciendum censuimus. In summa non potest consistere hoc matrimonium, quod omninò Spirituale est, inter Christum & Ecclesiam: si Christus Deus non sit Spiritusque, & virtutis æternæ, atque immensæ. Ex eo etiam, quod dicitur illum, qui ἄνωθεν & è cœlo venit, supra omnes esse, pulcherrimé confirmatur hæc doctrina. Opponit hîc supremum cœlum terræ. Ideo primùm dixit, ἄνωθεν: deinde, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, quasi dicat, non simpliciter ex alto: sed ex alto supremoque cœlo. Et illum qui venit è supremo cœlo, opponit illis, qui sunt è cœlis. Ita docet, eum qui venit è cœlo, originem habere è cœlo: sicut qui sunt in terra, originem ducunt è terra. De origine enim & natura vtrorumque hîc loquitur Iohannes. Quodnam verò est supremum istud cœlum? Vbi Pater habitare dicitur, regnum nimirum cœleste. Atqui ait Christum descendisse ex cœlo, cóque esse sua natura & origine ex illa cœlesti diuinaque celsitudine: sicut nos è terra, terrenaque & humili conditione. Non est autem Christus è cœlo, quod ad humanam naturam attinet: sed inde, vnde & nos: nisi quod ipsius caro concepta est alia vi, nempe Spiritus sancti, quàm nostra. Alia igitur in Christo natura quæ originem habeat è cœlo. Quomodo verò? Non quidem quod sit ex cœli materia: neque etiam ex substantia angelica (Scriptura enim facit Christum angelis sublimiorem:) quomodo igitur è cœlo? Num quod ex nihilo creatus sit in cœlo? At scriptura hoc penegat: quum docet per λόγον omnia esse facta, & sine ipso factum esse nihil, quod factum est. Io.1.3. Restat igitur Christum esse è cœlo: hoc est, è cœlestis Patris substantia. De origine enim substantiali naturæ Christi loquitur, sicut de origine etiam naturæ & substantiæ nostræ, quatenus sumus è terra creati, verba facit. Adde quòd hic titulus, proprius Dei est, nempe esse supra omnes & supra omnia: quia supremus omnium est. De Christo autem Apostolus etiam ait: *Qui est Deus supra omnia benedictus*. Rom 9.5. Argumentum hoc confirmatur illo verbo, Venisse è cœlo. Christum enim venisse è cœlo, nihil aliud est, quàm sese in carne manifestasse, vt loquitur Apostolus, 1.Tim.3.16. & vt Iohan. explicat dicens, Christum venisse in carne. 1.Io.4.2. Et in Euangelio τὸν λόγον, factum esse carnem. Io.1.14. Quis est autem, qui venit in carne; qui factus est caro, qui manifestatus est in carne? Iohannes vocat eum filium Dei, τὸν λόγον, & Deum, Io.1.1. Paulus quoque, Deum. 1. Tim.3.16. Christum igitur venisse è cœlo, nihil aliud est, quàm qui genitus est ab æterno, è Dei Patris substantia, in cœlesti gloria: posteà tandem eum sese in carne patefecisse. Indè etiam mihi videtur non ineptè colligi posse, Christum non hominem solùm esse, verùm etiam æternum, & vnigenitum Dei Filium, quod dicitur vidisse & audiuisse Testimonium quod testatur. Illud enim verbum *vidit*, ad eum tanquam λόγον referri potest, & fortè etiam debet. Verbum autem *audiuit* ad eundem, tanquam hominem. Nam quatenus λόγος, genitusque ex Patre: vidit quæcunque de Deo Patre, deque se docuit: vidit, inquam, in illa æterna sui generatione, & per generationem. Hoc patet Iohan. 1.18. *Deum nemo vidit vnquam: Filius qui est in sinu Patris, is reuelauit nobis*: quatenus scilicet est in sinu Patris. Et Io.6.46. *Non quòd quisquam viderit Deum, nisi is, qui est ex Patre, is vidit Deum*. Quatenus homo, & Deus manifestatus in carne, audiuit ex Patre in se habitante & loquente, Et ex voce Patris: *Hic est Filius meus dilectus*. Matt.3.17. Tale igitur est argumentum.

Quæcunque Christus de Patre, deque Patris voluntate docuit & testificatus est, hæc non solùm audiuit, sed etiã vidit: vt hîc docet Iohan. Bap. Hæc autem videre non potuisset, si purus esset homo purave creatura: & non etiam filius Dei, ex Patre Deo genitus, eóque Deus. Hoc docet idem Iohan. quũ ait: *Deum nemo vidit vnquam, &c*. Io.1.11. Et Christus: *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Mat.11.27. Et idem; *Non quòd quisquam viderit Patrem, nisi is, qui est ex Patre*. Io. 6. 46. Et Apostolus: *Deum*, (inquit) *nemo hominum vidit: sed nec videre potest*. 1. Tim. 6.16.

Est igitur Christus non solùm homo: sed etiam Filius Dei Deus.

Et credo hanc esse causam, cur dixerit Iohannes Baptista, Christum non solum audiuisse, sed etiam vidisse. & vidisse primùm, deinde audiuisse: Quia primò genitus est ex Patre; Deinde factus est homo.

Quæ etiam de audiendo Christo dicuntur, ita esse de Ipso explicanda, vt non competant in alios homines, liquet ex argumento Iohan. Baptistæ, in hoc testimonio, quod est: Iesum maiorem esse & Prophetis, & Mose, & aliis omnibus: quia Christus est, quia sponsus est, quia è cœlo venit Filius Dei. Esse igitur hunc præ cæteris audiẽdum. Prædicat enim de Christo Iohan. Baptista, quæ de ipso, deque aliis hominibus prædicari non possunt. Competerent autem etiam in Iohannem Baptistam, in prophetas, & in Apostolos; si simpliciter vt sonant, interpretemur. Nam qui etiam recipit testimonia, Iohannis, Prophetarum, Apostolorum, quæ nomine Dei dederunt, is obsignat, quod Deus verax sit, verbis scilicet Prophetarum. Quid verò hic discriminis fuerit inter Christum, & inter Iohannem Baptistam, atque Apostolos? Ergò vt appareat discrimen, sunt hæc verba ita de Christo interpretanda, vt de aliis quàm de solo Christo intelligi prædicarique non possint. Atque ita esse faciendum; docet etiam & cogit altera ratio, quæ subditur: nempe, *Non enim* (huic Christo) *admetitur Deus Spiritum*. Hoc certè de Christo tantùm intelligitur. Ergò etiam illa, ad quæ confirmãda hæc ratio est allata, ita sunt interpretãda, vt de Christo tantũ intelligi possint. Quare hic mihi videtur esse sensus: *Qui recipit eius* (tanquam veri Christi, veri Filij Dei, vnigeniti: tanquam eius, qui venit è cœlo, & qui Patrem Deũ, eiusque voluntatem, & consilia non tantùm audiuit in terrã vt homo, sed etiam in cœlo vidit, vt vnigenitus, qui semper in sinu Patris existit) *Qui*, inquam, huius tanquam verè Filij vnigeniti, *recipit testimonium: is obsignat, quòd Deus Pater* (qui scilicet in ipso, vt in Filio vnigenito manens, loquitur) *verax sit*. Nam sic interpretandum esse hunc locum, docet Christus, quum ait, Ioh.14.10. *Pater in me manens, ipse est, qui facit opera*, hoc est, qui & loquitur, & omnia agit. *Nam is, quem misit Deus*, (nempe Pater, tanquã vnigenitum Filium) *verba Dei* (in se habitantis & loquentis) *loquitur*, nempe tãquam talis Patris legatus, qui omnia viderit in cœlo Patris consilia. Si sic interpretamur, quemadmodum interpretãdã esse docent, & præcedentia & subsequentia, in Christum tantum competent ea quæ hîc dicuntur. Atque ita facilè, iis etiam verbis confirmabitur Christi Deitas hunc in modum. Christus missus est è cœlo Patris legatus, tãquã fidelissimus, quia vnigenitus Dei Filius, & tanquam certissimus voluntatis paternæ testis, quippe qui solus Deum Patrem, eius voluntatem, omniaque consilia in cœlo vidit. Neq; is in terra hominibus testificatur, ac loquitur, nisi quæ & anteà in cœlo viderat, & nunc in terris à Deo Patre, in se perpetuo & inseparabiliter manente ac loquente, audit: vt qui huius testimonium recipit, is verè obsignet; Deum in Christo manentem, & loquentem esse veracem. Ergò Christus purus homo non est, sed Filius Dei, Deus. Ex illis etiam verbis: *Nõ enim ad mensuram dedit illi Deus Spiritum*, nempe suum, cõfirmatur Christi deitas. Nam Deus Pater Spiritum suum dat Filio suo Iesu Christo, non ad mensuram, sed totum. In Christo igitur non solùm omnia Spiritus dona, sed etiam totus ipse Spiritus Patris residet, idque non minùs perfectè, & plenè quàm etiam in Patre. Nisi enim ita se res haberet, daretur Christo Spiritus ad mensuram, quia plus huius Spiritus esset in Patre, qui dat, quàm in Filio cui datur. Dat autem Filio non ad mensuram. Ergò totum dat: & is perfectissimè totus residet in Christo. Hoc autem quid aliud est, quàm Christum tam Deum esse, quàm etiam Pater Deus est? Quid est enim Spiritus Patris? Aliquando capitur pro donis Spiritus sancti: vt ibi, *Effundã de Spiritu meô supra omnem carnem*. Io.2.29. Hoc sanè modo nõ potest hic intelligi: quoniam licet omnia Spiritus sancti dona in Christo sint: nondum tamen totus Spiritus in eo resideret, sed tãtum ex parte: nempe, quod ad sua attinet dona. Atque ita daretur Christo ex mensura: non autem totus. Nonnunquam capitur pro ipsa Patris virtute, quæ in eo accidens non est, sed res subsistẽs, & Spiritus sanctus appellatur in sacris literis, donorum omnium autor. Hunc in Christo totum esse, & manere τῷ ὅλῳ manifestum est ex sacris literis: tũ quia à Filio etiam procedit, tũ quia Spiritus Christi appellatur. Ro. 8.9. Gal.4.6. Phil.1.19. Et symbolo columbæ, supra Christum manẽtia, satis fuit hoc confirmatũ. De hoc itaque loqui Iohannem Baptistam dubium non est. Voluit enim ostendere, in hoc Iesu, nõ solùm plenitudinem donorum omnium Spiritus sancti, verùm etiam totum ipsum Spiritum, donorum auctorem residere: id quod nemini hominum, concessum

est. Ac proindè Christum Iesum, tanquam non solùm omnium hominum perfectissimum, sed etiam ipsius Spiritus S. proprium & perpetuum habitaculum esse omnibus præponendum, & præ omnibus audiendum. Interum capitur simpliciter pro ipsa patris deitate, diuinaque essentia: quæ ideò Spiritus appellatur, quòd simplissima sit, & minimè corporea: vt apud Ioh.4.24. *Deus Spiritus est.* Hoc etiam modo, Spiritum Patris dicimus, totum, non autem ex parte, datum esse Filio, quatenus Pater generando Filium, totam suam illi essentiam ita communicauit, vt totam tamen sibi quoque retinuerit. Siue capiatur hîc hoc sensu, siue non capiatur: manifestum est ex hoc loco Iesum Christum talē esse FiliumDei, qui eundē habet Spiritum quem Pater habet, cūque totum: ac proinde verum esse cum Patre Deum. Atque hoc confirmat scopus Iohannis in hoc argumento. Voluit enim inferre, Christū non loqui, neque posse loqui, nisi quæ certissima sint: quia Deus sit, qui mentiri & fallere non potest. Et hoc confirmat, tum quòd Pater in ipso sit, & in illo loquatur: tum etiam quòd Spiritum habeat Patris, non ad mensuram, sed totum in se manentem.

Eximium quoque inde colligitur argumentum ad huius doctrinæ confirmationem, quòd Pater diligere Filium (nempe hunc Iesum Christum) dicitur. Quo enim amore illum diligit? Singulari, & tam magno, vt maiori non possit. Amat enim Pater Filium vnigenitum, vt seipsum. Si enim nos iubemur diligere proximum, vt nos ipsos: quid ni Pater, Filium vnigenitum, vt seipsum diligat? Quid enim magis proximum Patri, quàm ille Filius, qui semper est in sinu Patris: & quem Pater vocat עמיתי, proximum meum, coæqualem meum? Zach.13.7. Ac si quo quis inter homines melior est, & humanior, eò etiam maiori amore complectitur suos liberos, præsertim bonos, & qui sibi sunt similiores, ita vt maior amor reperiri nequeat; quanto amore credendum est Patrem cœlestem, Filium suum vnigenitum, optimum, obsequentem, sibi quàm simillimum, imaginem ipsissimam sui essentialem, complecti? Quæ cùm ita se habeant, efficitur ex hoc singulari & maximo amore, Patrem quicquid habet, totum illud Filio communicasse, vt dicit Baptista: *Et omnia dedit in manum eius.* Quæ omnia? Quæcunque habuit vnquam, & habet Pater. Hoc enim intellexit, quod posteà etiam Christus ipse expressit: quum dixit: *Omnia tua mea sunt,* Io.17.10. Totam igitur suam maiestatem, gloriam, potentiam, Deitatem, Pater Filio communicauit & dedit. Quare nihil est in Patre, quod desiderari possit in Filio. Si quis excipiat, hoc dictum intelligendum esse de omnibus eis, quæ sunt extra Deum, non autem de iis, quæ sunt in Deo Patre: Exceptionem hanc aio esse reiiciendam, si probari non possit sacris literis. Cùm enim Iohannes nihil excipiat, dicendo, *Omnia*: cur ego illa excipiam, quæ maximè faciunt ad dignitatem, & ad gloriam Christi, quam hic ex professo suscepit Iohan. Baptista explicandam suis discipulis, & asserendam? Deinde pugnat hæc exceptio cum illo amore singulari, & maximo & incomprehensibili, quo Pater Filium diligit, & de quo ante dixit, *Pater diligit Filium.* Nam præmisit hæc verba Iohan. de amore Patris erga Filium, vt indè inferret, nihil habuisse, aut habere Patrem, quod non dederit Filio: Primùm quidem ei tanquam Λόγῳ, iam inde ab æterno in ipsa Filij generatione, hoc est, eum generando: vbi, & Filius omnia accepit à Patre, nascendo. Deindè eidem tanquam homini in tempore, quicquid homini communicari potest. Vnde etiam dicitur sedere ad dexteram Patris: hoc est, esse in æquali maiestate cum Patre. Ad hæc, si Pater Christo homini dedit omnem potestatem in cœlo & in terra, & quicquid dare illi potuit: ita vt sit in æquali maiestate cum Patre, quid absurdi est, si cum tota Ecclesia Catholica dicamus, eidem Christo, quatenus Λόγος est ex Patre genitus, communicatam fuisse à Patre in ipsa æterna generatione, totam Patris maiestatem, gloriam, Deitatem? Cedo enim, an potuerit cōmunicari, nec ne potuerit? Si dicas non potuisse, probanda tibi fuerit è Scripturis hæc Patris impotentia. Hoc verò probari non potest, sed potiùs contrarium demonstratur. Nos enim probamus potuisse, quia qui potuit è nihilo cuncta creare, potuit etiam è sua substantia Filium generare, totamque ei Deitatem & maiestatem communicare, sine partitione, sine diuisione, sine corruptione, præsertim quia genuit Filium natura. Quòd si potuit: Quidni igitur etiam communicasse fateamur, quando sacræ Scripturæ dicunt, Patrem Filio omnia dedisse? Denique à fide in Christum, hæc doctrina perbellè confirmatur. Si enim in Christum Deum credendum est: ita vt qui credit, habeat vitam æternam, qui non credit, super eum maneat ira Dei: consequitur necessariò, Christum non minùs Deum esse, quàm etiam Pater est Deus: imò vnum & eundem esse cum Patre Deum: quando in solum Deum credi debet. Est enim hęc fides pręcipua illius cultus pars, quem sibi vni exhiberi Deus vbique pręcipit. Atque hęc sunt testimonia Ioh. Baptistæ, quibus apertè testatus est, Christum esse verum Messiam, & Filium Dei ęternum, eoque vnum cum Patre Iehouam.

## CAPVT II.

### Zachariæ de æterna Christi Deitate, testimoniū, ex Luc.1. quod in ipsius cantico habetur. Et totius huius cantici ἀνάλυσις, breuisque explicatio.

ID ipsum verò, quod Baptista, Messiæ præcursor, testatus est de Iesu Christo, ante Iohānem, pater eius Zacharias confirmauit, vt ex pręstantissima illius oda videre est. Principiò percurram ἀναλυτικῶς totum hoc canticum. Deinde planum faciam, quàm perspicuè & abundè demōstrarit Zacharias, Christum non solùm perfectissimum esse Mundi Seruatorem, sed talem etiam Dei Filium, ab æterno genitum, qui verus sit Israelis Deus.

Ad primum quod attinet: Scopus Zachariæ est, suo exemplo omnes adhortari ad celebrandum & magnificandum Deum Israelis, pro illius erga nos gratia, in beneficio redemptionis per Christū factæ, & per Iohānem Baptistam imprimis prædicatæ, luculenter ostensa. Hoc facit prædicando, & per partes explicando beneficium redemtionis. Propositio igitur hæc est: *Benedictus (sit) Dominus Deus Israel.* Sensus verò est Dominus Deus Israel, eóq; noster proprius & verus Deus, benedicendus est nobis modis omnibus: hoc est, gratiæ sunt illi habendæ toto animo, agendæ pleno ore, & referendæ tota vita vsque ad mortem. Quid ita? *Quia visitauit & redemit populum suū.* Rationem adfert, petitam à duplici beneficiorum Dei genere. Primùm ab ipsa redemptione per Christum facta. Deinde ab ipsa redēptionis publicatione, per ipsum cum primis Iohannem Baptistam perfecta. Describit ergò beneficium Christi & officium Iohannis filij sui. Quod ad primum attinet, tria commemorat beneficia, quibus totam redemtionis dispensationem complectitur. Primum est, visitatio: nempe de cœlo ἐπεσκέψατο. Hoc verò est beneficium, quod quum omninò deserti esse videremur à Deo, & eiecti, ipse nos è cœlo inuisit, carnem nostram sumendo, & nobiscum versando. Hæc igitur visitatio, est manifestatio Dei in carne, & conuersatio inter homines. 1. Tim.3.16. Io.1.14. Complectitur autem beneficia doctrinæ, & miraculorum Christi. Secundum, ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ: quum scilicet dedit corpus & sanguinem suum, pretium redemtionis nostræ, & ita redemit. Tertium, *Erexit cornu salutis in domo Dauid pueri sui.* Hæc est Ecclesię & regni instauratio per Christum, potentia Euangelij, virtute Spiritus sancti, ministerio Apostolorum, ad salutem Electorum perfecta. Cornu enim pro regno & potentia capitur apud Danielem & alios Prophetas. *Erexit*: quia collapsum erat. Euangelium verò est etiam cornu, seu potentia Dei, ad salutem omni credenti. Ro.1.16. Christus erexit hoc cornu, quum facta redemtione populi Ecclesiam instituit, misso Spiritu sancto, relicta auctoritate remittendi peccata in Ecclesia, constitutis Apostolis, & firmato ministerio Euangelij & Sacramentorum, &c. Vt describitur apud Iohannem, 20.22.23. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittentur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* Et ad Eph.4.11.12. *Dedit alios Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad coagmentationem Sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.* Denique Christus ipse in Euangelio cornu est salutis, scilicet æternæ. Vnde Apostolus ad Corinth.1.1.24. Christum Dei virtutem prædicamus. Hæc est summa beneficiorum, pro quibus ait benedicendum esse Deum Israelis. Causa sequitur impulsiua, quæ & efficiēs dicitur. Hæc est æternum Dei decretū ex gratia factum: quòd posteà reuelatum, & iuramento confirmatum, vocatur promissio, & fœdus. Hæc igitur duo explicat, promissionem & fœdus iuramento confirmatum: & ita docet totam hāc visitationem, redemtionem, æternam salutem, primò esse gratuitam, deinde ante mundi constitutionem decretam in cœlesti consilio. De promissione ait: *Sicut loquutus est per os Sanctorum Prophetarum suorum, qui à seculo fuerunt*, id est, iam à condito orbe. Ait, *Os*, non *ora Prophetarum*: vt doceat omnes vnam & eandem rem prędicasse, & omnes fuisse ceu vnum os, per quòd loquutus est Deus. *Salutem ex inimicis nostris, & è manu omnium qui oderunt nos.* Summa promissionum de nostra salute. *vt vteretur misericordia erga Patres*

nostros

nostros: *Et memor esset testamenti sui sancti*: nempe se facturum misericordiam patribus nostris. Promiserat enim se acturum nobiscũ, non ex nostris meritis: sed ex sua misericordia: *Testamentum sanctũ*: id est, firmum. Ergo gratuita salus. *Et iurisiurandi quod iurauit Abrahamo Patri nostro* (nimirum) *se daturum nobis: vt sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus ipsi cum sanctitate & iustitia in ipsius conspectu, cunctos dies vitæ nostræ.* Non igitur propter merita nostrâ seruauit nos: sed quia decreuit ab æterno ex gratia: nimirũ quia promisit per Prophetas: sed quia misericors est, & misericorditer se acturum nobiscum promiserat: sed quia tale fœdus fecerat cum Abrahamo, & hoc firmum esse ac sanctũ voluit: denique quia sic iurauit, & iuramento promissionem & fœdus firmauit. Ergo gratuita tota. Quare meritò benedicẽdus Deus. *Vt sine timore.* Quorumnam? inimicorum. Sic enim construenda sunt verba: *vt liberati è manu inimicorũ, sine timore*, scilicet inimicorum, *seruiremus ipsi.* Hoc etiã pertinet ad beneficiũ redemptionis & salutis: & complectitur regenerationem, nouam vitam, & eius fructus.

II. Quod ad alterum attinet, describit officium Iohannis Baptistæ filij sui, & est altera ratio, cur benedicendus Deus: quia dat etiam Prophetas qui præparent nos Deo. *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* Quasi dicat, Tu non es Altissimus, nec Seruator Mundi: sed Propheta, sicut iam fuisti electus in vtero, sic vocaberis: hoc est, palam agnoscẽris, & fungẽris officio Prophetæ. Sequitur non tam ratio, quàm explicatio, à partibus officij eius Prophetici Primum, *Præibis ante faciem Domini*: id est, Præcursor eris Messiæ, quem hic vocat Dominum, nempe Iehouã, iuxta Malach. vaticiniũ. Mal. 3.1. Secundum: *ad præparandas vias eius*: id est, præparabis illi populum, prædicatione scilicet & Baptismo pœnitentiæ. Tertium, *Ad dandum scientiam salutis.* Non salutẽ, sed sciẽtiam salutis: hoc est, prædicabis Euangelium, & ostẽdes populo, salutẽ in remissione peccatorum consistere. Quartum, *Per viscera misericordiæ Domini nostri.* hoc est, & hanc remissionẽ peccatorũ, totámq; salutem, proficisci non ex meritis nostris: sed ex maxima Dei misericordia, ex intimísque eius visceribus. Quintum, *Quibus inuisit nos oriens ex alto* h.e. totam hanc salutem ostendes nobis donari per Christum, Filium Dei, Solem iustitiæ, natum in cœlo, & deinde hominẽ factum. Est enim hic cũ Patre suo, verus noster Deus Israel. Ideò ipse est, qui propriè nos inuisit, & in ipso Pater. Sextũ, finis suę visitationis & incarnationis: *Vt illucesceres iis qui in tenebris & vmbra mortis positi sunt; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Duæ finales causæ: Prima, vt liberaret nos à tenebris, & à morte; hoc est, ab omnibus malis. Altera, vt dirigeret pedes nostros in viam pacis: id est, vt nos in æternã felicémque adducat vitã, quæ hîc incipit à pace consciẽtiæ. Pacis enim nomine, significat beatum felicémque rerũ omnium successum. Ostendit ergo, Christum esse perfectũ salutis auctorem: vt nõ alibi eam quæramus, quàm in Christo. Quare meritò benedicendus est Deus Israel: tum quia ex gratia inuisit, & totam salutem confert gratis: tum quia etiam dat ministros Prophetas, qui preparẽt populos ad excipiendum Deum, & doceant vbi salus consistat: & eam suo ministerio dispensent.

Nunc videmus, quàm apertè hoc cãtico prædicet Zacharias, Christum esse verum Deum Israelis: & talem Altissimi Filium, qui sit ipse Deus altissimus. Cæterùm, quo meliùs elucescat quod dico: videndum est, quot & quænam argumẽtorum semina reliquerit nobis in hoc cantico Zacharias: quibus confirmetur naturalis ex altissimo Deo Patre, Christi filiatio: veráque eius Deitas.

III. Primùm vocat Christum ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Ἀνατολὴ propriè est, de sententia omnium interpretum Græcorum, exortus solis: sicut ἀνατολαὶ ortus reliquorum astrorum, post occasum solis. Legatur Phauorinus. Ideò etiam pro regione orientali, vnde Sol exoritur, sæpe capitur. ἐξ ὕψους, significat ex altissimo cœlo, quo altiùs ascendi nequit. Opponit enim iis, qui in infimis terræ partibus, nempe in tenebris, & vmbra mortis sedent: eum, qui è supremo in terram descẽdit cœlo: sicut etiam huius filius Iohannes & Baptista, opposuit eum, qui sit ἄνωθεν καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, iis, qui sũt è terra. Ioh. 3.13. Porrò nomen hoc ἀνατολὴ plerique omnes vertunt orientem: non vt sit Participium sed nomen. Quasi diceret: Ortus Solis, vel exortus Sol. Alij Germen, nempe diuinum & cœleste: quòd Hebræis idem verbum sit צמח oriri & germinare. Cæterùm hoc nomine significari à Zacharia Christum, nemo est qui dubitet. Est enim Christus Sol (nempe iustitiæ:) exortus iis, qui in tenebris erant. Nam Malach. 4.2. Messias vocatur שמש צדקה, id est Sol iustitiæ: sanitatem in alis, hoc est, radiis suis portans. Apud Ieremiam 23.5. vocatur צמח צדיק Germen iustum. Ita apud Zachar. *Ecce adduco seruum meũ* צמח *germen.* Et, *Ecce vir*, צמח שמו. Et *de loco suo* יצמח *germinabit & ædificabit Tẽplũ Domini.* Zac. 3.8. & 6.12. Hunc vero locum sic vertit Chald. Paraphrastes: *Ecce vir cuius nomen est Meschia: futurum est vt reueletur & magnificetur, & ipse ædificabit Templum Domini.* In omnib. autem iis locis, septuaginta Interpretes vocẽ hanc צמח germẽ, verterunt ἀνατολήν: quo nomine hîc Christum vocat Zacharias: quemadmodum etiam ante me obseruârunt alij, & res ita habet. Siue igitur vertas, orientem ex alto, hoc est exortum Solem: siue germen ex alto, quod magis placet: manifestum est hîc, à Zacharia apertè significari, Christum natum & ortum esse in cœlo: déque cœlo, instar Solis, hominibus, qui in vmbra mortis sedebant, illuxisse: ac proinde Filiũ fuisse, & esse Dei Patris: antequam homo factus, Mundo apparuisset. Ac ne quis Arianus dicat, Ex alto quidem & è cœlo Christum, carnem sumendo, apparuisse, & ita populum suum visitasse, & redemisse, verum non inde concludi, genitum igitur esse ex Patris substantia, & Deum esse. Quare suã adhuc stare sententiam, τὸν λόγον fuisse factum in cœlo: Totũ Zachariæ canticum diligenter examinemus, & tum liquido apparebit, quale germen esse Christum intellexerit Zacharias. Dico itaque fieri non posse, vt Christus sit creatus & factus in cœlo: sed esse genitum è substantia Patris. Principiò ἀνατέλλειν, vnde ἀνατολὴ, nunquam significat, fieri, sed oriri: & צמח vnde צמח germen, quod septuaginta, vt dixi, vertunt ἀνατολήν, perpetuò significat oriri, germinare, pullulare, crescere; nunquam autem fieri. A notatione igitur nominis, apparet Christum non posse appellari germen ex alto, quia sit factus in cœlo: sed potiùs, quia est genitus in cœlo. Scio etiam appellari apud Prophetas, germen Dauid: quod ex Dauide nasciturus erat secundùm carnem, instar surculi contemptibilis: sed hîc Zacharias vocat germen ex alto: nõ ex terra. Proinde dubium non est, quin hoc nomine germinis ex alto, alteram Christi naturam hîc designet Zacharias, iuxta quam genitus in cœlo est è Patre. Humanam verò designat, quum ait, hoc germen inuisisse nos: & apparuisse iis, qui in tenebris & vmbra mortis erant. Quomodo enim apparuit, & ita inuisit nos? Carnem sumendo. Iohannes enim ait, Christũ venisse in carne. 1. Ioh. 4.1. Et quis apparuit? Docet hoc Apostolus dicens, *Deus manifestatus est in carne.* 1. Tim. 3.16. Germen igitur ex alto, Filius Dei est Deus. Inuisit autem nos, & apparuit nobis, quum manifestauit se in carne. Quem porrò hîc vocat ἀνατολὴν ἐξ ὕψους initio cantici appellat Dominum Deum Israelis. Hoc inde liquet, quia, quæ ibi dicit præstitisse Deum Israelis: posteà vers. 78. ait, hæc præstitisse ipsum germen ex alto. Sic enim ait: *Benedictus Deus Israel: Quia ἐπεσκέψατο*, nempe suum populum. Hîc verò: *Per viscera misericordiæ Dei nostri. ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς.* Quis? Deus noster: appositiuè, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Hoc autem nomine ἀνατολῆς, significari Christum, anteà ostensum est & per se est manifestatum. Ergo Zacharias agnouit, hoc germen esse Dominum Deum Israelis.

Quòd si excipias, quum ait: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit & redemit populũ suũ*: intelligi Patrem. Quũ verò ait; *Visitauit nos ἀνατολὴ ἐξ ὕψους*, sic esse intelligendum, nẽpe Patrem Deum nostrum, visitasse per ἀνατολήν, id est per Christum: Respondeo. Verum est, Patrem visitasse nos per Christum Filium: sed interim ex verbis Zachariæ liquidò apparet, in nomine Dei Israelis, qui visitauit populum suum, comprehendi Ipsum Christum: ἀνατολὴν ἐξ ὕψους: propterea quòd eandem visitationem attribuit Christo, quam & Deo Israelis. Sicut enim ibi ait in recto casu: *Deus visitauit*: ita hic ait in recto; *Visitauit nos ἀνατολὴ.* Imò hinc colligitur, Filiũ non esse Deum, à Patre Deo diuersum: sed vnum & eundem cum illo. Indefinitè enim loquitur Zacharias, quum ait: *Dominus Deus Israel quia visitauit.* Non ait, *Pater*, sed *Deus Israel.* Iã vt demus, hoc nomine intelligi Patrem: euincere tamẽ inde non potes, ab hoc nomine excludi Filium. Sed contrà, nos euincimus, ab eadem visitatione, quâ primò dicitur inuisisse nos Deus Israel: deinde inuisisse nos Filius, Christus, ἀνατολὴ vocatur: euincimus, inquam, eundem esse Deum Israel, Patrem, & Filium. Hoc etiã magis confirmatur, si consideremus, quomodo nos Deus inuiserit: seu de quanam visitatione loquatur Zacharias. Proculdubio de illa, quam per Mosen, & Prophetas, longè antè promiserat & adumbrârat: qua scilicet in carne manifestatus, versaturus erat cũ hominibus: & dato sui sanguinis pretio, eos à seruitute peccati, Sathanæ, & mortis liberaturus, quemadmodum ex toto ipso Zachariæ cantico apertè apparet: ostendit enim iã impletas esse omnes figuras, promissiones & Prophetias de aduentu Dei in carne, populũ suum ab omnibus hostibus verè liberaturi, & in veram libertatẽ asserturi. Et infrà v. 70. *Sicut loquutus est* (inquit) *per os Sanctorum qui à seculo fuerunt, Prophetarum suorum.* Inter quas prophetias illa fuit præcipua, quæ habetur Exod. 3. 7.8.

*Videndo vidi afflictionê populi mei, qui est in Ægypto, & clamorem corũ audiui propter exactores quos habent, quoniam scio dolores eorũ. Descendi itaq;* (è cœlo) *vt liberê eũ de manu Ægypti: & eductũ illum in terrã bonam & latã, in terram fluentem lacte & melle.* Proculdubio ad illam cum primis respexit Zacharias, quum hic cecinit Deũ visitasse populum suũ & redemisse de manu inimicorum suorum. Fuit enim illa aperta promissio liberationis populi Dei à peccato & Sathana: deque eius introductione per eundem Christum in terram cœlestem, terram verè latam, & bonam. Quis autem ibi dixit se descẽdisse, & liberaturum populum? Angelus Iehouæ, Iehoua. Hic autem est Christus, vt ante demonstrauimus. Et quis est qui se in carne manifestauit? Deus: vt ait Apostolus. Hic vero est Christus. Quis ergo est iste Deus Israel, qui manifestatus est in carne, (1. Timoth. 3. 16) visitauit populum suum, & eum redemit, nisi Christus? Apparet igitur eundem esse Deum Israelis, qui visitauit populum suum: & germen seu ἀνατολὴν orientem ex alto, qui visitauit nos.

Item ait de hoc Deo Israelis: ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ. Λύτρωσις ea est liberatio (vt omnes nôrunt) quæ fit & impetratur iusto persoluto pretio: tale enim pretium, quod pro captiuis redimendis datur, λύτρον appellatur. Quis autem ille est, qui suo sanguine, redemit populum suum: & magno pretio illum liberauit? Christus. Is enim est ille, qui dedit semetipsum ἀντίλυτρον pro omnib. vt ait Apostolus, 1. Tim. 2. 6. Christus igitur ille est Deus Israel, quẽ hic prædicat Zacharias, λύτρωσιν fecisse populo suo. Huc illud: *Deus acquisiuit Ecclesiam sanguine suo.* Acto. 20. 28.

Item ait de Deo Israelis: *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauidis:* id est, Regnum salutis, quod est regnum Dei & Ecclesia, quasi collapsum erexit. Quis hoc fecit: quis Ecclesiam renouauit, firmauit Euangelio? Christus. Iesa. 9. 7. Mat. 28. 18.

Item ait de Deo Israelis. Qui cornu regnúmque salutis, id est, Ecclesiam, in domo Dauidis instaurauit: eum loquutũ esse, hoc est, hoc promisisse per os suorum Prophetarum. Petrus autem ait: Christum illum esse, qui suo Spiritu in Prophetis loquutus est: & de hac salute, de qua Zacharias loquitur, déque etiam passione Christi, hoc est, de λύτρῳ, vaticinatum fuisse. 1. Pet. 1. 16. Præterea summã eorum, quæ prædixit, & promisit hic Deus Israelis; hanc esse docet, nempe, *vt nos seruaret ex inimicis nostris, & è manu, omnium qui oderunt nos.* Sic exod. 3. 6. vt suprà Quis autem nos seruauit? Christus. Hic est enim ille Angelus Iehouæ, Iehoua: qui dixerat Mosi: *Ego sum Deus Patrum tuorũ. Vidi: ideò descendi.* Iam de hoc eodem Deo Israelis ait: Ideo hoc eum fecisse, vt memor esset testamenti sui sancti. Apostolus autem ad Hebr. 9. 15. &c. Christum facit noui fœderis auctorem. Insuper ait: *Vt liberati de manu inimicorum nostrorũ* (nempe per nostrum Deum Israelis) *sine metu* (inimicorum nostrorum) *seruiremus illi.* Cui? Deo Israelis, qui liberauit nos de manu inimicorum nostrorum. Quis autem est, per quem liberati sumus? Christus. Quis autem ille cui seruiendum omnibus diebus? Christus. Ideò Apostoli vocant se, seruos Christi: & omnes Christiani serui sunt Christi: ille verò eorum Dominus. Vnde ad Rom. 14. 17. 18. *Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, pax, & gaudium per Spiritum sanctum.* Nam qui in his seruit Christo, gratus est Deo, & probatus hominibus. Ibi est, in gaudio, Spiritu sancto: hic iustitia, & sanctitate. Et ad Colos. 3. 24. *Domino Christo seruitis.* Christum igitur Dominũ Israelis esse agnouit Zacharias, & docuit. Item ait, Deum Israelis promisisse, se daturum nobis, *vt seruiremus illi in sanctitate & iustitia.* Quis autem dat? Christus. Is enim baptizat Spiritu sancto. Io. 1. 13. Is iustificat. Ro. 5. 9. Is sanctificat nos. Io. 17. 9. Et ita efficit, vt renati & sanctificati seruiamus illi in iustitia & sanctitate. Christus igitur Deus Israelis.

V. Quæ etiam de officio Iohan. Baptistæ dicuntur, idem confirmant, *Tu verò puerule, propheta altissimi vocaberis.* Quasi dicat; Tu non es Altissimus, sed Propheta Altissimi: & talis vocaberis, atque pro tali agnosceris. Christi autem fuit Propheta & Præcursor: tum quia missus à Christo, vt sibi pararet viam, Mal. 3. 1. tum quia Christum prædicauit, hunc digito monstrauit, ad hunc omnes misit, de hoc testificatus est, se indignum esse, cuius ferat calceos. Et alludit ad illud: *Ego vox clamantis:* id est, Altissimi Propheta, Ies. 40. 3. Ideò Christus hunc vocat plus quàm Prophetam: quia quem nondum incarnatum alij Prophetæ eminùs, verbis tantùm præmonstrauerant: eundem factum iam hominem Iohannes digito etiam cominùs indicauit, & præsentem ostendit. Christus igitur verus Altissimus; eóque verus Deus. Quis enim Altissimus? Deus. Ideo Luc. 1. 23. Christus Filius Altissimi, id est, Dei Patris, appellatur. Est igitur ita Altissimi Filius, vt ipse etiam sit ille idem Altissimus: id est, Deus cum Patre. Hoc confirmant, quæ subdit: *Praibis enim ante faciem Domini vt pares vias eius.* Dominum vocat, quem anteà Altissimum nominârat: nempe, Deum Iehouam. Alludit enim ad vaticinium Malachiæ. 3. 1. vbi Iehoua Zebaoth sic ait: *ecce ego mitto Angelum meum, qui complanabit viam ante faciem meam.* Cuius autem fuit Præcursor? Christi. Et cui parauit viam? Christo, vt suprà monstratum est. Ergo Zacharias nouit filium suum Iohannem, sicut Præcursorem Christi, sic etiam eiusdem Prophetam: Ac proinde etiã Christum, & Dominum, & Altissimum, & Filium Dei, Deum, sicut etiam in veteri Testamento vocatus fuit Angelus Iehouæ, Iehoua. Quare Christus verus Deus Israelis est. Ait deinceps: *Et des cognitionem salutis populo eius.* Quasi dicat: Nõ aio, vt des salutem, quia hoc est solius Christi, cuius Præcursor es, sed cognitionem salutis, id est, vt prædices Euangeliũ, & per quẽnã habeatur salus, quis auferat peccata Mundi, nempe Christus Agnus Dei, & eam salutem cõsistere in remissione peccatorum significes. Cui verò? *Populo eius.* Cuius Eius? Altissimi, & Domini, hoc est, Domini Altissimi. Quasi dicat, Altissimus ipse & Dominus Deus Israelis, dabit salutem populo; illum donando remissione peccatorum, sed tu dabis scientiam salutis. Angelus autem apud Matth. sic de Christo loquitur: *Ipse enim saluum faciet populũ suum à peccatis eorum.* Matt. 1. 21. Ita populus Altissimi populus est Christi. Quis igitur hinc non videat, Christum esse illum Altissimum & Dominũ Deum Israelis, cuius erat populus ipse Israel? Huic enim populo Iohannes dedit sciẽtiam salutis, hoc est, primò ostendit, qua in re cõsistat salus, nempe in remissione peccatorum: & deinde, quis tollat, remittátve peccata, nẽpe Christus, dicens: *Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum Mundi.* Ioh. 1. 29. Hunc verò eundẽ populũ, tanquam suum, Christus saluum fecit à peccatis suis: Matt. 1. 21. Sequitur. Per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus inuisit nos. Quis? Deus iste noster, Deus Israelis: sed quia Deus Israelis, est & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: qui aũt propriè inuisit, spectabili & vera carne assumpta inuisit, manifestatúsq; est in carne, nõ fuit Pater, neq; Spiritus sanctus, sed tantùm Filius: ideò explicans, quisnã propriè inuiserit nos, addit per appositionem, vt Grammatici loquuntur, *Germen ex alto*, id est, Filius Altissimi, Altissimus. Illa enim dictio, *Ex alto*. cõfirmat, Christum esse illum Altissimum, cuius Iohannes fuit Propheta. Annõ igitur aperè docuit Zacharias, Christũ, quẽ vocat ἀνατολὴν ἐξ ὕψους, esse Deũ illũ nostrum, qui per viscera misericordiæ suæ, inuisit populum suum?

VI. Postremò subdit causam finalem, cur Christus, Germen ex alto, nos inuiserit, *Vt appareat iis, qui in tenebris & vmbra mortis positi sunt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Procul omni dubio alludit Zacharias ad oraculũ Ies. 9. vet. 2. Quis autẽ sit sẽsus Prophetæ, nõ est hîc necesse explicare. Scimus omnes, Prophetam ibi immediatè vaticinari de liberatione Hierosolymæ ab obsidione Sennacheribi Regis Assyriorũ: quæ quomodo fuerit facta, explicatur 2. Melachim cap. 19. & prædicitur Is. 31. 4. Tantùm illa notanda sunt nobis. Primùm, illam liberationem Hierosolymæ ab obsidione Regis Assyriorum, tanquam à morte, per Angelum Iehouæ, typum fuisse liberationis & redemptionis & Ecclesiæ à tyrannide peccati, mortis, Sathanæ, quæ per Christum erat futura. Hoc inde confirmatur, quia apud Matth. vaticinium illud Iesaiæ, dicitur tunc impletum: id est, impleri cœpisse, quum cœpit Christus suo fungi officio Euangelium prædicando in finibus Zabulõ & Nephtali. Matth. 4. 14. Sic etiàm Zacharias idem vaticinium ad Christum hîc accommodat: & ostendit, Christum, germen ex alto, è cœlo ad nos per assũptionem carnis, descendisse, & nos visitasse: vt vaticinium illud Iesaiæ de liberatione & redemptione vera Ecclesiæ, quæ in tenebris peccatorum, & inferni, & in vmbra mortis sedebat, impleret. Secundò notandum, illum per quem facta fuit liberatio Hierosolymæ, vocari מלאך יהוה 2. Reg. 19. 35. Et ita intelligi potest Christus, sicut alibi sæpe hoc nomine. Et hanc intelligentiam, confirmare inde possumus, quia Iesa. 31. 4. vbi eadem prædicitur historia, ille qui liberauit Hierosolymam, vocatur non Angelus, sed Iehoua Zebaoth. Huc adde, quòd ibi Iehoua loquitur de Iehoua, id tertia persona: & ait, Iehouam illum liberaturum Hierosolymam. vt non incommodè possimus intelligere, Deum Patrem Iehouam, promittere Filium Iehouam, qui liberaret Hierosolymam. Nam sic habent verba: *Sic enim dixit Iehoua ad me: Quemadmodum rugit Leo & catulus Leonis supra prædam suam, contra quem si conuocetur congregatio pastorum, à clamore eorum non reformidat, neque à multitudine illorum humiliatur: sic descendet* (non ait: *Descendam ego*) *Iehoua exercituum, ad præliandum pro monte Zion, & pro colle eius.* Si hæc interpretatio admittatur, quæ certè nullo firmo argumẽto reiici potest: optimè ex hoc loco colligitur, hũc Christum

lium, quem Zacharias vocat, Germen ex alto, & quem dicit visitasse nos, vt appareret iis qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, verum esse Iehouam, Filium Patris Iehouæ: in hunc modum. Idem Christus est, qui liberauit Hierosolymã ab obsidione Regis Assyriorum (vt describitur 2. Melach. 19. Et Iesaiæ prædicitur cap. 11.) Et qui visitauit nos ex alto, vt nos redimeret à tenebris, & à morte, sicut canit hic Zacharias. De priore membro liquet, quia qui in Melachim vocatur Angelus Iehouæ, ab Iesaia appellatur Iehoua Zebaoth. Angelus autem Iehouæ, & Iehoua semper fuit Christus. De posteriore membro liquidò apparet ex hoc cantico, & ex historia Euangelistarum. Atque hæc propositio inde confirmatur, quia Iesa 9. posteaquam dixisset de liberatione, quæ nomine Lucis significata est, mox auctorem describit, propter quem facta fuit liberatio, & eum vocat Filium nobis datum, & paruulum nobis natum. Hunc verò locum de Christo intelligi, apud omnes pios, extra controuersiam est. Atqui iste Filius vocatur Deus fortis. Ies. 9. 6. Ergo idem Christus, qui hîc significatur nomine germinis ex alto, & qui dicitur descendisse, & inuisisse nos, vt instar Solis appareret iis, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, iuxta vaticinium Iesaiæ, verus est Iehoua, & Deus fortis, & pro tali agnitus fuit à Zacharia. Quod si nobis non concedatur illa, quam diximus, interpretatio, nempe vt מלאך יהוה, qui dicitur liberasse Hierosolymam, 2. Reg. 19. 35. fuerit Filius Dei Christus, non poterunt saltem non concedere, Angelum illum, fuisse Christi veri liberatoris nostri typum, sicut etiam illa liberatio typus fuit redemtionis nostræ, & proinde Christum, esse illum Filium nobis datũ: in cuius gratiam seruata est Hierosolyma: de quo Iesa. 9. Ille autem dicitur אל. Dubium igitur non est, quin Christus sit Deus.

## CAPVT III.

### Testimonia Iohannis Euangelistæ, & Apostoli, de æterna Λόγου generatione ex Deo Patre.

PRAETER alios testes quàm plurimos, Diuus Iohannes Apostolus, & Euangelista, subinde in suis scriptis, vt in Euangelio, in Epistolis, & in Apocalypsi, Christum appellat modò vnigenitum illum Dei Filium, modò simpliciter Filium illum Dei. Quo autem sensu: liquidò apparet, non solùm ex articulo præpositiuo, i. ille Filius Dei: & ex dictione vnigeniti, sicut etiam suprà in aliorum testimoniis ostendimus, verùm etiam ex aliis, neque paucis, neque obscuris, aut incertis circumstantiis, & argumentis, quæ ex ipsius Iohannis dictis & scriptis colliguntur, nimirum. Christum talem esse Dei Patris Filium, qui ex Patris substantia genitus, verus sit Deus, non minùs quàm Pater. Aliquot igitur ipsius loca examinanda nobis sunt, vt inde, quod dico, luculenter appareat.

#### *Primum Testimonium Iohannis Apostoli, ex ipsius Euangelio.*

PRincipiò in primo sui Euangelij capite, tria de Λόγῳ Dei Patris proponit: quæ posteà etiam confirmat, sicut suo loco ostendemus. Primùm, Λόγον hunc esse æternum: quia, *in principio erat ὁ λόγος.* Secundum, hunc distinctũ quidem esse à Deo Patre, ab ipso tamen non disiunctum: quia λόγος *erat* (scilicet iam ab æterno, & semper est) *apud Deum.* Tertium, hunc λόγον verum esse Deum: quia καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Et repetit pro suo more, eius æternitatem, ac distinctionem à Patre, vnionémque cum Patre, dicens; *Hic erat in principio apud Deum.* His explicatis de Deitate τοῦ λόγου: ait potiò hunc λόγον, factum fuisse carnem, hoc est verum hominem; atque ita constare duabus naturis; diuina, & humana. Diuina, quia λόγος *erat Deus*: Humana, quia λόγος *caro factus est.* Hic autem λόγος, caro factus, posteà subinde in eodem Euangelio appellatur Christus Io. 1. 14. Postremò, hunc λόγον carnem factum, vocat vnigenitum Patris: *Et vidimus gloriam eius: gloriam* (inquam) *vt vnigeniti à Patre*, nempe geniti, vel egressi.

Cùm hæc ita se habeant, vt partim est manifestum, partim posteà demonstraturi sumus, apparet quo sensu Iohannes vocârit Christum, vnigenitum Dei Filium, nimirum eum, quâ λόγος est, solum esse filium, ex Patre Deo, non factum in tempore, sed ab omni æternitate genitum; & à Patre distinctum quidem, sed nunquam separatum, denique verum Deum.

Confirmat porrò doctrinam hanc à creatione. *Omnia per ipsum facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum fit.* A mundi gubernatione, & omnium rerum viuificatione: quia, *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Item: *Illuminat omnem hominẽ venientem in Mundum.* Item à gloria, quam variis modis sese in Christo exerentem, ait Iohannes se & alios vidisse. *Et vidimus gloriam eius, gloriam*, inquam, *vt vnigeniti à Patre.* Nomine autem gloriæ, intelligi diuinam eius virtutem, seu Deitatem ipsam; aliàs variis Scripturæ testimoniis planum feci. Est etiam Colos. 1. 11. κατὰ τὸ κράτος τῆς δόξης αὐτοῦ. Item à testimoniis Iohannis Baptistæ, & Christi ipsius. Illa enim adducit, vt suam propositionem confirmet, quam habet initio sui Euangelij. In illis autem testimoniis, ea vidimus argumenta, quibus probatur Christum Filium esse Dei natura, non gratia: genitum, non factum. Quare etiam ex probationibus, quibus vtitur, manifestum fit quo sensu Iohannes vocârit Filium Dei, ipsum Iesum Christum.

Quum igitur etiam in fine sui Euangelij dicit: *Hæc autem scripta sunt: vt credatis Christũ, esse illũ Dei Filium.* Io. 20. 31. Qualem Filium vult à nobis credi? Qualem esse de principio docuerat, & per totum suum Euangelium, variis & argumentis & testimoniis confirmauerat: nimirum Filium æternum ita genitum ex Patre, vt semper sit in Patre & cum Patre Deus. Non enim alio sensu in conclusione, quàm in propositione, vocauit Christum Filium Dei. Atque hinc etiam efficitur, quosuis alios, qui apud Iohannem fassi sunt, Christum esse Filium Dei, non secus eum pro Dei Filio agnouisse, & confessos esse, quàm etiam Iohannes & docuerit, & cõfirmârit. Et huius meæ sententiæ hęc est ratio: quoniam Iohannes, quęcunque & quorumcunque recitat testimonia ac confessiones de Christo, in eum finem eas recitat, vt suam propositionem de Filio Dei, Deo, confirmet magis ac magis. Quomodo autem doctrina Iohannis confirmaretur huiuscemodi testimoniis, si quorum sunt testimonia, illi aliter intellexissent, Christum esse Filium Dei, quàm ipse Iohannes nouit, docuit, & confirmandum suscepit? Quanquam si quis etiam diligenter inspiciat confessiones ipsas, seu testimonia aliorum hominum de Christo, quæ recitantur à Iohanne, is videbit apertè, ex antecedentibus & consequentibus, & ex verbis confessionum, illos non aliter intellexisse, Christum esse Filium Dei, nisi naturalem, nisi vnigenitum, nisi æternum, denique nisi Deum. Duo aut tria adfero exempla, quò res fiat dilucidior.

II. Nathanaël confessus est, Christum esse Filium illum Dei, dicens: *Magister tu es ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.* Io. 1. 50. Qualem nouit esse Filium Dei? Inspice primùm causam, vnde in hanc Christi cognitionem adductus fuerit: ea fuit, quia in Christo obseruauit id quod solius Dei est. Quidnam hoc fuit? Omniscientia, quòd omnia tam absentia quàm præsentia Christus videat, & præsertim, quòd aliena etiam omnium corda inspiciat. Christus enim non solùm ei dixerat, se illum, nempe absentem, sub ficu vidisse: verum etiam disertè, quali esset animo, aperuit, quum dixit, *Hic est verus Israëlita, in quo dolus non est*, Io. 1. 40. id est, qui sincerus & sine vlla est vel simulatione, vel dissimulatione. Nunquam tamen illum anteà viderat, nedum versatus cum illo fuerat Iesus, vt dici possit Christus, nouisse illum, cuius esset ingenij ex consuetudine quam cum illo habuerit. Atque inde nouit Nathanaël, si hoc pacto Iesus viderat se non solùm fuisse sub ficu, sed etiam intus in animo, se sine dolo & apertum, esse igitur Christo perspecta omnia, ipsa etiam omnium hominum corda & animos. Nouerat verò Nathanaël, vtpote peritus Scripturarum, hoc opus solius esse Dei. Hinc igitur erupit in hanc vocem: *Rabbi, tu es ille Filius Dei.* Ille, scilicet, qui solus natura est Filius, & qui expectabatur Redemptor, quum reliqui omnes sint gratia. Ergo etiam ex ipsa confessione Nathanaëlis, & ex causa, quæ illum ad hanc confessionem pertraxit, facilè est colligere, Christum agnitum fuisse à Nathanaële pro filio Dei vnigenito, naturali, veróque Deo. Neque mihi dubium est, quin Euangelista idcircò hæc omnia diligenter notârit, & scripta reliquerit, vt ostenderet se non adferre testimonia leuia, neque leuium hominum, sed talia & talium, qui præter Spiritum sanctum docentem, firmissimis etiam adducti sint rationibus, ad talem de Iesu fidem concipiendam.

Idem apparet in confessione cæci à natiuitate. Dixit se credere in Iesum, vt in verũ Dei Filium. Io. 9. 38. Qualẽ verò Filium? Natura: ideóque Deum. Proinde adorauit eum. Vn-

de hoc à Spiritu quidem sancto, sed qui miraculo etiam visus fuit, ad excitandam in illo fidem hanc.

III. Quid de confessione Marthæ? Ante dialogum illum qui est Iohann. 11. Fides Marthæ fuerat valde imbecilla & imperfecta. Hoc apparet ex ipsius verbis: *Si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Quasi vero non potuerit Christus etiam absens Lazarum suscitare. Item ex illis: *Sed & nūc scio fore, vt quæcunque petieris à Deo, det tibi.* Quasi verò id non posset per se, sine precib. item ex illis: *Scio quod resurget in nouissimo die.* Quasi vero Christus, qui omnes mortuos tandem viuificaturus est; non posset in præsentia quoque fratrem à mortuis excitare. Tametsi igitur fides Marthæ anteà fuisset, vt vidimus, imperfecta, & sine plena Christi cognitione, tamen posteà apparet, Martham vera in Christum perfectàque fide donatam, & præditam fuisse, nimirum posteaquam Christum audiuit dicentem, se esse resurrectionem & vitam, hoc est, illum per quem omnes tandem mortui resurgent à morte, & per quem, vita in illis sit continuāda, & posteaquam etiam cognouisset, Christum esse non solùm corporum, sed etiam animorum viuificatorem, vsque in æternam vitam, ex illis verbis: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit* (corpore) *viuet*, (anima scil. beatam vitam.) *Et omnis qui viuit* (spiritualiter, per fidē in me) *& credit in me* (id est, continuat fidem vsq; ad finem): *non morietur in æternum*, (hoc est, ne ipsum quidem corpus, licèt ad tempus, morietur in æternum.) Quasi diceret: Quicunque in me credunt, ad finem vsque, illos ego, & quod ad animam, & quod ad corpus attinet, æterna vita donare possum, imo reipsa dono. Post hæc, inquam, verba, donata fuit Martha ipsa vera in Christum, tanquam verum Deum, fide. His enim verbis, Christus apertè suam patiecit Marthæ Deitatem. Solius enim Dei est, homines viuificare, & tam corpora, sua vita defuncta, quàm animos in peccatis mortuos, vera & æterna vita donare, quemadmodum passim docent Scripturæ. Vnde & solus dicitur, Deus viuens, & solus vitam habere in seipso, solus item suscitare mortuos. Quare quum talem esse Christum agnouisset, & credidisset Martha, veram & plenam de Christo fidem, gratia Spiritus Christi: per verbum hoc Euangelij, adepta: perfectam etiam de illo confessionē edidit, dicens: *Certè Domine* (credo quod dicis) te scilicet esse illum, qui tam corpora omnium defunctorum excitabis in nouissimo die, & nunc etiam excitare potes; quàm etiam animas spiritualiter viuificare: & tam corpora, quàm animas credentium in te, æterna vita donare: Imò qui donaturus es. Ac proinde *ego credidi, quòd tu es ille Christus ille Filius Dei: qui in hunc mundum venturus erat.* Qualem igitur Filium Dei esse Christum credidit & confessa hîc est Martha? Naturalem, genitum in cœlo ex Patre Deo, eóque verū Deum. Vnde hoc liquet? Primò ex verbis ipsius: Christus dixerat, se esse resurrectionem & vitā. Item se esse illū, qui animam etiam viuificat, spirituali scilicet vita: & qui tam corpora, quàm animas fidelium, tandem æterna vita sit donaturus: quibus verbis, vt dixi, non obscurè significauit, se eiusdem esse cum Patre Deo, potentiæ & virtutis, eóque eiusdem Deitatis. Deinde mox interrogat Martham: An hæc de se credat. Respondet illa, Ναί κύριε. Credidit igitur Christum verum esse Deum. Item non simpliciter ait: *Tu es filius Dei*: sed addit articulum, ὁ, *ille*: nempe, singularis: non gratia, sed natura. Item ait: *Qui in hunc Mundum venturus erat*: seu (vt vulgata versio habet) *venisti*. Venit autem carne nostra assumpta. Docet igitur illum fuisse Dei Filium, etiam antequam carne assumta, venisset in hunc Mundum: seu, vt loquitur Apostolus, antequam sese in carne manifestasset. 1. Tim. 3. 16. Deinde liquet etiā à fine, cur Iohannes cum aliorum, tum etiam huius sanctæ fœminę confessionem de Christo, tam diligenter recitàrit, & scriptis mandarit: nimirum, vt omnibus iis testimoniis traditam à se Christo doctrinam, confirmaret. Quid verò de Christo tradiderat? Eum talem esse Dei Filium vnigenitum, qui sit æternus, qui sit semper apud Patrem, denique qui sit Deus. Ergò neque Martha alium esse credidit Christum, quàm ipse Iohannes docuit: Filium scilicet Dei, Deum. Quare duæ istæ propositiones, sunt diligenter retinendæ, quæ etiam certissimæ sunt. Prior, Iohannes Euangelista nouit, docuit & scripsit, Christum talem esse Dei Filium, qui sit æternus, qui semper fuerit, & sit apud Patrem, qui denique Deus sit verus. Io. 1. 1. &c. Altera: Ad confirmandā autem hanc doctrinam fideliter retulit, non solùm opera & miracula, & sermones Christi, verùm etiam aliorum quoque omnium de Christo, vt Iohannis Baptistæ, Nathanaelis, Cęci à natiuitate, Marthę, & reliquorum testimonia & confessiones. Hoc liquet ex conclusione suæ Euangelicæ historiæ, quam statim post narratam etiam fidem & confessionem Thomæ Apostoli: *Dominus meus, & Deus meus*: sic intulit. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, Iesum esse Christum, illum Filium Dei: & vt credentes vitā habeatis æternā*, Iohann. 20. 31. Hinc sequitur conclusio: Ergo quicunque apud Iohannem leguntur credidisse, & confessi fuisse, Iesum esse Christum, illum Filium Dei: ij talem Dei Filium esse crediderunt, qualem etiam Iohannes initio sui Euangelij, eum esse descripsit, æternum, apud Patrem semper manantem, Deum ipsum. Plurimùm igitur interest, probe & firmè tenere doctrinam de Filio Dei, quam Iohannes scriptam reliquit: propterea quòd non solùm hinc verè agnoscemus, quid sit Christus: verùm etiam facilè intelligemus quæ fuerit aliorum etiam omnium piorum de eodem Filio, fides atque confessio, & quomodo sint horum confessiones intelligendæ, & explicandæ. Quare vtile fuerit, alia etiam eiusdem Iohannis testimonia examinare. Hæc satis quidem sunt ad demonstrandum, quo sensu Iohannes vocârit Christum, Filium Dei, nimirum æternum, genitum, non factum, verum Deum, sed, quo illustrior fiat illius sententia atque ita magis ac magis confirmetur veritas, liceat etiam alios aliquot examinare locos.

*IV. Testimonium 2. Ioh. Apostoli, ex prima epistola.*

IN prima igitur Epistola, non pauci sunt loci, quibus declaratur, qualem D. Iohannes crediderit & docuerit esse Filium Dei, Christum Iesum. Cap. 1. tribus primis versibus proponit, qua de re sit scripturus: nempe de Christo. Nomine enim λόγου τῆς ζωῆς, intellexit Christum, vt primo Euangelij capite. Hunc deinde vocat, vitam æternam. Ac tertio, Filium Patris. Et quidem in ipsa Epistola disserit, tum de vtraque Christi natura, diuina & humana: tum de eius officio, qui ἱλασμὸς pro nostris peccatis, & qui venit, vt dissolueret opera Diaboli, nos lauaret in sanguine suo, & filios efficeret Dei, tum de fide per quam illi coniungimur: & de fructibus fidei, charitate cum primis & sanctitate nostra: quibus declaramus, an simus verè cum Christo coniuncti, nec ne simus. Ac sicut in suo Euangelio, sic etiam facit in Epistola. Quod enim proposuerat de λόγῳ, initio primi capitis, nimirum eum esse æternum, & vnigenitum Dei Filium in calce Euangelij, idem tanquam conclusionem repetiit, dicens: *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, Christum esse filium illum Dei.* Idem in Epistola præstat: nam initiò proponit, Christum esse æternum, semper apud Patrem, æternámque esse vitam, & ideò Deum. Ad finem verò epistolæ, repetit idem, tanquam principalem conclusionem, dicens: *Hic est verus Deus, & vita æterna* 1. Io. 5. 20. Qualem itaque nouit, credidit, docuit Iohannes esse Filium Dei Iesum Christum? Procul dubio talem, qui verus sit cum Patre Deus. Operæ pretium igitur est, loca considerare, quibus hæc declaretur, & confirmetur sententia.

Primò docet hunc Filium Dei, esse æternum: cap. 1. quum ait; illum fuisse ab initio ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς. Hîc enim loquitur de æterna Deitate τοῦ λόγου τῆς ζωῆς: sicut illa quæ sequuntur in eodem versu, ad eius humanitatem pertinent. Nam quod initio Euangelij dixerat, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος: hic ait: ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. Quasi dicat, à principio Mundi iam erat λόγος. Ergò æternus: quia ante principium rerum omnium. Eandem æternitatem huius λόγου confirmat, quum mox eum vocat τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον; & eandem vocem ad finem Epistolæ repetit. Eandem æternitatem confirmat, quum ait de Christo: cap. 2. 13. 14. *Scribo vobis Patres, quoniam nostis τὸν ἀπ᾽ ἀρχῆς, eum qui à principio est.* Quis iste? ὁ λόγος τῆς ζωῆς: qui posteà factus homo, Christus vocatur. Nouit igitur & docuit Iohannes, Christum, quà λόγος est, Filium esse Dei æternum: eóque verum Deum, (Nihil enim verè æternum est, nisi Deus) ac proinde genitum esse, non ex nihilo, quia generatio non fit ex nihilo, sed creatio. Neque ex vlla creatura: quoniam nulla erat creatura ab æterno, genitum igitur ex Patris substantia, ab omni æternitate, eámque totam nascendo accepisse: quia impartibilis est: ac proinde verè ὁμοούσιον Patri. Nouit & docuit hunc Filium, distinctum esse à Patre, sed tamen semper cum Patre, & à Patre inseparabilem. Vtrunque docet, quum de Christo, quem primò vocauit λόγον τῆς ζωῆς, & mox, vitam illam æternam, sic ait: Quæ vita æterna, id est, λόγος erat apud Patrem. Distinctus igitur à Patre. Quum verò ait *Erat apud Patrem* non significat, iam nō ampliùs esse apud Patrē, sed adhuc esse Sic. n. etiam dicit, *Erat ab initio*; nec tamē sequitur, iam non amplius esse. Et in Euangelio dixit; *Et λόγος erat Deus*. Io. 1. 1. Nam igitur non amplius est Deus? Imò verbum, *Erat*, significat continuationem æternam.

nam. Et Apoc. 1. 4. hoc proprium est Dei epitheton, quod & Christo datur: ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Ergo quũ ait, de hac vita, id est, de Λόγῳ seu Christo: *Erat apud Patrem*: significat semper fuisse, adhuc esse, & semper mansurũ esse apud Patrem: ac proinde æternum, & inseparabilem esse à Patre. Sic etiam Iohannes Baptista dixerat, *Filius qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit*. Io. 1. 18. Cõfirmat hoc Iohannes, quũ ait de hac vita, *Et manifestata est nobis*, Io. 1. 2. Nõ ait: Et iam separata à Patre, apud nos est; sed tantùm manifestata est. Est igitur semper apud Patrem. Atq; hinc apparet, quî fiat, quòd in veteri Testamento non tam perspicua, & omnib. nota fuerit personarum Patris, & Filij, & Spiritus sancti distinctio, quemadmodum in Nouo, Iohannes docet, dicens: *Manifestata est nobis*; quum scilicet anteà non ita omnib. nota esset. Hinc etiam consequitur Iohannem agnouisse Christum, pro vero & æterno Deo: tum quia semper fuit & est apud Patrẽ, id quod Ioh. Baptista dixit: In sinu Patris, Io. 1. 18. & Christus ipse dixit, Esse in Patre: tũ quia Christus est vita æterna. Io. 10. 38. Hęc enim vox, duo significat: Primũ illum, qui hoc nomine vocatur: per se, & sine alterius auxilio ab æterno vixisse, & semper viuere, & nõ posse nõ viuere. Æterna enim vita interire nõ potest. Deinde eundẽ, omnia alia, atq; in primis homines & Angelos viuificare: etiã in æternũ Omnes. n. viuẽres, vita viuunt: & viuentes in æternum, æterna viuunt vita. Vtraq; autẽ proprietas solius Dei est. Is .n. solus, primùm per se, ab æterno viuit, & non potest non viuere, & secundò, solus omnes viuificat, etiam mortuos in æternam vitam. Ergo si Christus vita est æterna: verus & ęternus Deus sit necesse est. Proinde vtrumque meritò coniungit Iohãnes in fine Epistolæ, quum de Christo ait: *Hic est verus Deus, & vita æterna*: quasi dicat, est verus Deus, quia vita est æterna 1. Io. 5. 20. Sunt enim ἀντιστρέφοντα. Deus, & vita æterna. Idcirco ipse quoque Christus, ostensurus se Filium esse Dei, nempe naturalem, eoque verũ & vnũ cum Patre Deum: vsus est hoc eodẽ argumẽto, dicens: *Sicut Pater vitã habet in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*. Itẽ: *Sicut Pater suscitat mortuos sic & Filius, quos vult suscitat & viuificat*. Ioa. 5. 26. Hinc etiam fit, vt Deus verus hac nota discernatur à falsis: nimirum quòd sit viuens, nempe per se & semper: proinde omnes viuificans. Ita & Christus vocatur Filius Dei viuentis. vt inde appareat, esse igitur & ipsũ semper & per se viuentem, eoque verum Deum: sicut etiam Pater Deus est viuens. Dubium igitur non est, quin Iohannes vocando Christum, vitam æternam, docere voluerit, Christum verum esse Deum. Imò etiam ex voce ἐφανερώθη ἡμῖν, idem comprobatur. Quomodo enim manifesta est hæc vita? Carnem sumendo. Apostolus autem, 1. Tim. 3. 16. Hunc qui sic manifestatus est, vocat Deum: & Christum intelligit. Vita igitur manifestata, est Deus: & hic est Christus. Sed hoc aliis quoque permultis in hac Epistola docendi formis, & rationibus confirmauit.

In eadem præfatione cap. 1. vers. 3. separat Christum è numero nudorum hominum: & coniungit cum Patre Deo, dicens: *Hæc scribo vobis, vt communionem habeatis nobiscum*. Hæc est communio inter puros homines, hoc est fideles. Deinde ait *Et communio nostra*, hoc est, totius Ecclesiæ, *sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo*. Docet igitur, Christum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, quia illum ex horum numero separat, sed esse vnum cum Patre Deum, quia cum illo coniungit. Ad hæc ait: *vt gaudium vestrum sit plenum*: docens, pendêre hoc gaudium ex κοινωνίᾳ cum Patre & Filio: concludénsque tantæ virtutis esse Filium, quantæ est Pater. Quare ostendit vim nostræ κοινωνίας, & gaudij æterni, esse tam à Filio, quàm à Patre: Esse igitur Filium Dei naturalem, eiusdem virtutis ac Deitatis. Hæc ex præfatione, quæ quatuor primis versibus continetur.

V. Nunc argumentum Epistolæ, & totam Epistolam percurramus. In ipso igitur Epistolæ argumento, quod in ver. 5. incipit, vocat Deum lucem, nempe purissimam: nullas enim in eo esse tenebras. Nomine autem Dei & lucis; Iohannem intellexisse, non solùm Patrem, sed etiam Filium Iesum Christum: liquet ex ipso Epistolæ argumento. Dixerat: hæc se ad nos scribere, vt communionem habeamus cum Apostolis, & cum aliis fidelibus: & vt hæc κοινωνία, sit non solùm cum Patre, sed etiam cum Filio. Ex hac enim κοινωνία, æternã salutẽ, vitámq; æternã, quæ nomine gaudij significatur, pendêre. Nunc docturus, quomodo possimus cognoscere, an habeamus communionem hanc cum hoc Patre, & cum Filio: iacit hoc fundamentum, Deum esse lucem; & tenebras in eo esse nullas, hoc est Deum esse sanctissimum, purissimum, in quo nulla vel minima est, aut esse possit macula. Hoc infert: *Si* (ergo) *dixerimus nos habere κοινωνίαν cum illo*: cum quo? vtique cum Deo. Suprà autem dixerat, nostram κοινωνίαν esse cum Patre & cum Filio. Quis igitur non videat, nomine Dei, quem lucem esse dixit, intellexisse Patrem & Filium simul? Sed redeamus ad argumentum Iohannis: vt inde meliùs innotescat hæc veritas. Scopus Iohannis est, docere, vnde possimus noscere, nos habere communionem cum Patre & cum Filio: nempe à luce, seu à puritate & sanctitate vitę: ita vt tenebris peccatorum minimè delectemur. Sic igitur argumentatur: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*: id est, purissimus & sanctissimus est. Sequitur illatio duobus constans membris. Primum membrum: *Si* (ergo) *dixerimus nos habere communionem cum illo*, (qui scilicet est lux, & purissimus.) *Et* (interim) *in tenebris ambulamus*; hoc est, vitam nostram in sceleribus, impurámque traducimus: *mentimur, & non sincerè agimus*. Alterum membrum contrarium priori: *Si autem in lumine* (id est, in puritate & sanctitate) *ambulamus*, seu, vitam ducimus *sicut ipse* (Deus) *est in luce, communionem cum eo habemus mutuam*. Ratio huius consequentiæ pendet ab ista generali propositione, quæ est à notatione nominis κοινωνίας.

Quicunque veram habet communionem cum luce, & cum Sole, lucis ipsius particeps fiat necesse est: & quo maiorem habet communionem cum luce; eò etiam minus habebit tenebrarum. Quid est enim habere κοινωνίαν cum luce, nisi participem esse lucis?

Atqui Deus Lux est: nempe purissima: h. e. Deus sanctissimus est, & tenebræ (peccatorum) in eo non sunt vllæ.

Ergo quicunque veram cum Deo habet κοινωνίαν: is non ambulabit in tenebris, hoc est, non viuet in peccatis, sed in luce: seu vitam ducet sanctam atq; puram, & quò maiorem habuerit cum Deo κοινωνίαν, eò etiam magis cauebit sibi à tenebris peccatorum.

Conclusio principalis: Quare hoc est signum certissimum, quo possumus intelligere, an veram cum Patre, & cum Filio, habeamus communionem, nimirum, si viderimus nos esse lucidos, hoc est factos participes Lucis seu sanctitatis, & puritatis Dei Patris & Filij: atque ita vitam traducamus puram ac sanctam, & tenebris non oblectemur. Quis verò hîc non videat, spectato scopo Apostoli ab vna parte, qui scopus fuit docere, vnde possimus intelligere, an veram cum Patre & cum Filio κοινωνίαν habeamus, necne habeamus, & ab altera parte, consideratio eiusdem Apostoli argumento, quod ductum fuit à natura illius, cum quo dicimur habere communionem, hoc est, à natura Dei, quòd sit lux purissima: quis, inquam, hîc non apertè videat, quam ante vocârat D. Iohannes κοινωνίαν cum Patre & Filio: posteà appellasse κοινωνίαν cũ Deo: Ac proinde nomine Dei, intellexisse Patrẽ & Filium? Imò hinc etiam efficitur, Patrẽ & Filium non duos esse Deos: sed vnum essentiâ Deum, vtrumque enim voce vnius Dei complectitur.

VI. Quod si excipias: At Apostolus loquens de reliquis peccatorum in Sanctis, nempe etsi illæ maneant in Sanctis, verè cum luce ista Dei coniunctis, ita tamen sanguine Christi illas purgari & tegi: vt non impediant, quin filij Dei sint verè lucidi: subdit, *Et sanguis Iesu Christi Filij eius, purgat nos ab omni peccato*: vbi cùm dicit, Filius eius, Christum intelligit, & Filium vocat eius, nempe, eius Dei, quem vocauit Lucem: nomine igitur Dei Iohannem non intellexisse Christũ, sed tantùm Patrem, si, inquam, hoc excipias, facilis est responsio, fallaciam admitti, quam vocant ὁμωνυμίας. Nomen enim Dei aliquando essentialiter, aliquando personaliter capitur. Vtroque modo hîc etiam accepit Iohannes. Essentialiter in vers. 5. absolutè enim positum est. Personaliter & κατ' ἐξοχὴν, in v. 7. restringitur enim ad Patrem, propter nomen Filij, quod subiicitur. Non itaque loquitur de nomine Dei in v. 7. quatenus commune est tã Filio, quàm Patri, sicut in 5. vbi nomine Dei Ioh. intellexit, Patrem & Filium, quibuscum habemus κοινωνίαν: esse nimirum vtrunque, vnum & eundem essentia Deum; vnam & eandem lucem, qua simus lucidi. Quùm verò postea subdit, & nominat Christum, Filium eius, scilicet Dei: quis non videat, nomen Dei contrahi ad personam Patris? & quod anteà acceperat essentialiter de vtroque, posteà eum accepisse personaliter de solo Patre? Neque hoc nouum est, sed vsitatum in Scripturis. Quare quod excipis, minimè pugnat cum eo quod diximus ex Iohannis sententia. Non enim additur exceptio, solum Patrem esse Deum. Cæterum ratio à nobis adducta, euincit, Iohannem nomine Dei, in vers. 5 & 6. intellexisse non solùm Patrem, sed etiam Filium, quoniam ante ostenderat, nostram κοινωνίαν non minùs esse cum Filio, quàm cum Patre. Sunt enim hæ propositiones in Ecclesia receptę & certissimę; quia è Scripturis desumtæ. Prima, quùm prædicatur Deus de tribus personis simul: Tũc Pater: Filius & Spiritus sanctus, sunt verus

ille Deus, qui vnus tantùm esse in Scripturis prædicatur. Nam vna est & eadem omnium essentia diuina. Altera: quæ prædicatur de singulis seorsim: tùnc Pater est ille vnus verus Deus: Filius est ille vnus verus Deus: Spiritus sanctus, est ille vnus verus Deus. Tota enim essentia diuina, de singulis prædicatur in solidum; vt loquûtur, quando tota est in Filio, tota in Spiritu sancto: sicut & in Patre tota. Hinc fit, vt vna propositio non pugnet cum altera: nempe, Pater & Filius quocum est nostra κοινωνία, sunt ille Deus vnicus qui est lux, & quocum habemus κοινωνίαν. Et ista: Pater, cuius Filius est Christus, est ille vnicus Deus, quocum nostram habemus κοινωνίαν. Hæc, inquam, propositio altera, non pugnat cum illa priore, quia in priore, Deus prædicatur in solidū, tam de Filio, quàm de Patre: in altera verò de solo Patre. Simile accipe corpus Solare, & radius eius, sunt ille sol qui purissima est lux: & qua lucidi sumus, quicunque cum illis habemus communionem: quia hæc lucis faciū nos participes. Est ne hæc vera? Est. Adde alterā. Radius qui è sole nascitur, eóque filius solis est: omnes à nobis depellit tenebras, & lucidissimos efficit. Annon & hæc vera? verissima. Pugnat ne cum superiori? Minime. Excluditurne tamen radius à sole illo, qui in priori propositione, dictus esse lux purissima, qua fiunt lucidi, quicunque huius fiunt participes? excluditurne, inquam, à nomine solis, radius ipse, qui vocatur & quodammodo est filius solis? non excluditur, neq; vna propositio pugnat cum altera: sed vtraq. certa & verissima est. Idem dicendum de iis duabus propositionibus D. Ioh. quas modò explicauimus. Manifestum igitur est, ex hoc D. Ioha. loco: & ex eius scopo scilicet & ex eius argumento effici, tā Filium, quàm Patrem, verum & vnicum esse Deum, illámque lucem, de qua ait Deus lux est. Neque hoc valere argumentum: Ioha. ait vers. 7. Patrem Christi esse illum Deum, qui purissima est lux: & quocum nostra est κοινωνία. Ergò Filius eius, non est ille Deus, & lux: quocum nostra est κοινωνία: alioquin sic etiam ego retorquerem argumentum: Filius Dei Patris est illa lux purissima, quacum habent cō munionem omnes fideles, & qua lucidi sunt. Hoc liquet ex Io. 1. & 8. & alibi multis: vbi Christus appellatur lux. Ergò Pater non est illa lux. Si autem argumentatio hæc, nō valet à Filio ad Patrem negatiuè: Ergò neque valet à Patre ad Filium itidem negatiuè. Valet autem ab vno ad alterum affirmatiuè. Quanquam etiam ad exceptionem dici potest: antea Iohannem de Filio loquutum esse, quatenus Deus est: postea de eodem, quatenus est Mediator & ἱλασμὸς pro peccatis nostris.

VII. Cap. 2. proponit Christum, vt ἱλασμὸν pro peccatis nostris: & aduocatum apud Patrē: vt hinc fiducia de remissione peccatorum propter Christum, alatur & sustentetur. Quum igitur mox vers. 3. & insequentibus vsque ad 7. subdit, & repetit pronomē, *Eum, eius, in eo*: procul dubio Christum intelligit. Quid autem facit Apostolus in illis versibus? Continuat suum principale argumentum: nimirum vt doceat, qua ratione possimus intelligere nos esse in eo: id est, in Christo, id quod suprà appellauit, primū habere communionem cum Patre & Filio: & deinde habere communionem cum Deo. Ac docet, indè nos posse verè intelligere, an simus in Christo, seu an communionem habeamus cum Christo, nec ne habeamus: nēpe, si mandata eius (Christi) obseruemus. Item, si ambulemus, sicut ille ambulauit, id est vixit: vitæq; puræ ac sanctæ exemplum reliquit. Ac proinde hortatur ad vitæ sanctitatem, variis argumentis. Quod autem dicit hîc, seruare mandata Christi, item ambulare sicut ille: idem est cū illo quod suprà dixerat, ambulare in luce: id est, vitā ducere purā & sanctam. Ergò quod etiā ibi dicit, communionem habere cum eo, scilicet, Deo: idem est cum hoc quod ait, esse in ipso, nempe Christo. Ac proindè confirmat, Christum esse illum Deum, quem vocauit lucē: quia tum demum scimus, nos esse in Christo, si mandata eius seruemus & exemplum vitæ eius sequamur; quę omnia nil aliud sunt, quàm id quod suprà dixerat; tū demum nos scire, nos habere κοινωνίαν cum Deo, purissima luce, si in luce ambulemus. Sed in primo ca. locutus est in primis de patre: cum eo complexus & Christum filium. In secundo autem propriè Christū proponit, vt ἱλασμὸν & aduocatū, sanctitatisque exemplar, atque idem. Nouit igitur Iohannes, non solùm Patrē, sed etiā Filiū esse illū Deū, purā lucē: quocum nostra est κοινωνία. Hoc idē confirmatur inde, quod vers. 8. Christum appellat illam veram lucem, nēpe, de qua suprà dixerat: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Docet igitur, Christum esse illum Deum, qui est lux, & in quo nullæ sunt tenebræ.

Vers. 18. ait multos iam tum venisse Antichristos: & hos docet fuisse hæreticos quosdam, qui à sincera Ecclesiæ doctrina, ad varias blasphemias defecerunt. Deinde quænam potissimum in re consisteret illorum hæresis & doctrina, pugnans cū doctrina Christi, & Ecclesiæ eius: explicat versu 22. dicens, *Quis est mēdax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Hic est Antichristus, negans Patrem & Filium.* Nunc si videamus in historiis, quinam fuerunt illi Antichristi, & hæretici, qui tempore Iohannis Euangelistæ iam venerant, & quænam illorum doctrina, qui negando Filium, Patrem etiam negabant: apertè etiam cernemus à contrario, qualis fuerit Ecclesiæ totius, de Christo doctrina. Illi Antichristi præter alios fuerunt, Ebion, & Cerinthus, & Carpocrates. Vixerunt enim isti, & turbarunt Ecclesiam anno Domini circiter 95. Iohannes autem Euangelista mortuus est anno Domini 102. Horum hæresis, contra Christum fuit, eum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem, quanquam aliqua diuersitas etiam fuit inter Ebionem & Cerinthum. Legatur Irenęus libr. primo, capite 24. 25. Epiphan. in Panario libri primi t. 2. de Carpocr. hære. 27. de Cerintho hære. 28. De Ebione hære. 30. Augustin. tom. 6. de hæresibus ad Quod vult deum, hære. 7. 8. 10. Philaster pagin. 30. 31. 32. *Ebion* (inquit) *nihil in eo* (Christo) *diuinitatis fuisse docebat.* Sic etiam, Euseb. Cæsar. Histor. Eccles. lib. 3. cap. 27. 28. Theodoretus in Epitome hæreticorū libr. 20. apertè asserit, Ebionē docuisse, Iesum ψιλὸν esse ἄνθρωπον. Hi igitur sunt illi Antichristi, de quib. ait Iohanes: *Et nunc Antichristi multi cœperunt esse.* Et hæc fuit illorū hæresis de Christo: eum esse nudum hominem, vt fuere reliqui homines. *Quis est*, inquit, *mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum?* Quum dicis, Christum, etia dicis: Primò Filium Dei naturalem, ac Deum verum. Deinde, Filium hominis, verum hominem. Tertio, Messiam, Pontificem, Regem, Mediatorem, Seruatorem mundi, vnicum & perfectissimum. Qui igitur negat Iesum, esse Deum, aut esse verum hominem, aut esse vnicum & perfectum Redemptorem & Seruatorem, is negat Iesum esse Christum. Ac proinde verus est Antichristus. Cerinthus autem & Ebion, negabant Iesum esse Filium Dei, Deum: dum eum prædicarent ψιλὸν ἄνθρωπον. Hoc igitur modo negabant Iesum esse Christum. Proinde melius explicans Iohannes horum Antichristorum hæresin, scribit: *Hic est Antichristus, negans Patrem & Filium.* At nunquam negabant Deum Patrem, esse Deum, quod legamus. Quomodo igitur ait Iohannes, hos hæreticos negasse etiam Patrem? Iohannes sese explicat, dicens: *Quisquis negat Filium: is ne Patrem quidem habet.* Simpliciter igitur non negabant, illum quē omnes vocant Patrem, esse Deum verum: sed dum negabant, Iesum esse illius naturalem filium, & ex eius substantia genitum: id quod faciebant illi, dum eum prædicarent purum & nudum hominem: ex consequente etiam illum, quem verbis fatebantur esse Deum, reipsa negabant esse Patrem. Quomodo enim Pater est verè & propriè: qui non ex se verè & propriè genuit Filium? imò negabant Patrem Christi esse Deum: negando filium esse Deum. Proprium enim cuiusq. filium eiusdem oportet esse naturæ, cuius & Pater est. Qui igitur naturam aliquam adimit Filio: ea etiam spoliat Patrem. Hæc fuit illorum Antichristorum aduersus Christum doctrina. Quæ igitur fuit doctrina Ecclesiæ, non Antichristianæ, sed verè Christianæ? Doctrina planè cum horū Antichristorum deliriis pugnans: nempe Iesum Christum, verum esse naturalem Dei Patris Filium, eóque nō purum hominem, sed verum Deum. Hanc fuisse doctrinam Ecclesię Christianæ: liquet cùm aliundè, tum maximè ex scriptis D. Iohannis: qui tam in Euangelio, quàm in Epistolis, & in Apocalypsi, hanc vrget doctrinam de Christo, vero Dei filio, & ea re, vero Deo: proinde meritò hortatē fratres, vt in ea permaneāt: dicens: *Quod igitur audiuistis à principio: in vobis maneat*: Noua igitur est doctrina: Christum nudū esse hominem, & non verum Deum. Vetus autem doctrina Ecclesiæ est, Christum talem esse Dei Filium, qui verus sit Deus: & quicunque hoc negat, ab eo negari etiam Deum esse Patrem Christi: & Patrem Christi, esse Deum. Quare ex horum, de quibus loquitur Iohannes, Antichristorum, Carpocratis, Cerinthi, & Ebionis doctrina de Christo: apertum colligitur argumentum, à contrario, Ecclesię Christianæ à qua illi defecerunt, doctrinam hanc fuisse: Christum nimirum, non esse nudum hominem; sed talem Dei Filium, qui verus sit Deus. Et notandum quod ait versicul. 24. *Si in vobis manserit.* Ergò qui non retinet veterem Ecclesiæ doctrinam, de Christi deitate: is certè κοινωνίαν habere nequit cum Patre & Filio. V. 24. loquitur de Patre & de Filio, distinctè, tanquam de duobus, dicens: *Si in vobis manserit quod audistis à principio* (id est, doctrinam Ecclesiæ) *vos quoque manebitis* (id est constan-

constanter retinebitis *κοινωνίαν cum Filio & Patre.* Posteà vero de iis duobus loquitur, tanquam de vno dicens: *Hæc est illa promissio, quam ipse* (quis ipse? Pater & Filius vnus Deus) *pollicitus est nobis;* nempe vita æterna. Explicat: quid sit manere in Filio & in Patre; seu habere *κοινωνίαν* cum Patre ac filio: est, cum illis vitam viuere cœlestem & æternam. Deinde docet qui sint illi, quibus facta est hæc promissio: nempe illi, qui retinent doctrinam veterem Ecclesiæ, de Christo vero filio Dei, vero Deo, veróque & vnico Seruatore. Præterea, quis fecerit hanc promissionem: Certè non solùm Pater, verùm etiam Filius ipse. Is enim hoc perpetuò inculcat: *Qui credit in me* (tanquam in Dei Filium, verúmque Deum, & Seruatorem mundi) *habet vitam æternam Io.6.47. Qui seruat sermonem meum: Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Io.14.27. Ecce *κοινωνίας.* Et tamen loquitur de iis duobus tanquam de vno Iohannes, dicens: *Hæc est illa promissio, quam ipse pollicitus est.* Quis ipse? num solus Pater? minimè, vt iam ostendimus. Quis igitur ipse? ipse Deus; Pater & Filius. Docet igitur, Christum, non solùm filium esse Dei; sed vnum cum Patre Deum. Idem liquet ex v. 27. *Sed vnctio, quam accepistis ab eo.* A quo Eo? non tam à Patre, quàm Christo. Christus enim dedit & dat Spiritum suum (quem hic vocat vnctionem Christi) omnibus in se credentibus. Ideò in Apoc. dicitur habere septem Spiritus in manu sua, hoc est dona Spiritus vt scilicet det suis. Apoc. 5. 6. Hic versu 27. ait in singulari: *Manebitis in eo:* Suprà verò dixit: *Manebitis in Patre & Filio.* Manere autem in eo; idem est, quod *κοινωνίαν* habere, & retinere cum illo. Hęc igitur confirmant, fideles habere *κοινωνίαν* cum Patre & cum Filio: non tanquam cum duobus, sed tanquam cum vno, nempe Deo. Ac ne quis ab hac mãsione & *κοινωνίᾳ* de qua loquitur Iohannes, excludat Filium; mox quod dixerat de Patre & Filio, tanquam de vno: restringit ad Filium, quum ait: *Nunc igitur, Filioli manete in eo.* In quo Eo? Christo, de hoc enim loqui Apostolum, docent quæ sequuntur: *vt quum patefactus fuerit, ἵνα ἐὰν φανερωθῇ, habeamus fiduciam: neque pudefiamus ἀπ' αὐτοῦ, in ipsius aduentu.* Loquitur enim apertè, de aduentu altero Christi ad iudicium: de quo Christo mox subdit: vers. 29. *Si scitis eum* (Christum) *iustum esse: quicunque exercet iustitiam, nostis ex ipso* (Christo) *natum esse.* Solet tamen scriptura dicere nos nasci ex Deo. Quid igitur obsecro hæc omnia aliud docent, quàm Christum ita vnum esse cum Patre Deum; vt in nomine Filij, intelligatur & Pater: & in nomine Patris intelligatur & Filius: & vsque adeò à se inuicem esse inseparabiles, vt qui habet vnum, habeat & alterum, sicut passim docet ipse Iohannes in suis scriptis?

VIII. Sequitur cap. 3. *Videte qualem charitatem* (hoc est, donum, ex mera & gratuita charitate profectum) *dedit nobis Pater.* Quodnam? *Vt filij Dei vocemur:* hoc est, simus, & pro talibus agnoscamur, & habeamur. Quis autem dedit nobis hoc gratuitum donum, & ex mera charitate profectum? non solùm Pater, sed etiam Filius. Vnde apud Io. 1. 12. *Et potestatem* (ἐξουσίαν, auctoritatem, dignitatem) *dedit eis* (ὁ λόγος) *filios Dei fieri: iis nempe qui credunt in nomine eius.* In nomine igitur Patris, ipse quoque Filius cõprehenditur: quando ipse cum Patre, & Pater cum Filio, dedit nobis hanc charitatem. Posteà dicit. *Nunc filij Dei sumus: sed nondum patefactum est, quod erimus. Scimus autem fore, vt quum ipse* (Quis? ille cuius sumus filij, Deus) *patefactus fuerit: similes ei* (cui? Deo, cuius sumus filij) *simus. Quoniam videbimus eum* (quem? Deum; cuius filij sumus) *sicuti est.* Ex perfecta enim cognitione & visione Dei: perfecta etiam nostri cum illo similitudo oritur, & quò quis clariùs intuit Deum: eò etiam similior illi fit. Ergo quia tunc perfectè videbimus Deum, & non ex parte: ideò etiam perfectè similes ei erimus 2. Cor. 3. 18. 1. Cor. 13. 10. 11. &c. Atqui loquitur hîc Apostolus Iohannes, non tam de persona Patris; quàm de Filio. Is enim ille est qui apparebit. De hoc enim loquitur quum ait, ὅτι ἐὰν φανερωθῇ: & is etiã est cui similes erimus. Vtrumque explicat Apostolus, Col. 3. 4. *Quum apparuerit autem Christus vita nostra: tunc & vos apparebitis in gloria:* id est, ei similes eritis, nempe etiam corporibus vestris. *Nam corpus nostrum humile, conforme reddet corpori suo glorioso.* Phil. 3. 21. Tertiò, is quoque est, quem videbimus sicuti est: Iob enim ait, c. 19. v. 26. & 27. *Videbo Deum saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt.* Oculis certè corporis nemo videbit Patrem. Idem liquet ex versibus insequentibus præsertim ex 5. *Scitis illum patefactum esse: ἐν ἐφανερώθη* (scilicet in carne) *vt peccatum nostrum tolleret.* Quis iste? apertè Filius Dei, Deus manifestatus in carne. 1. Tim. 3. 16. Hoc clariùs in vers. 8 *Ad hoc patefactus est Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.* Ergò quum hîc non minùs de Filio, quàm de Patris persona loquatur Apostolus: & hunc, de quo loquitur, vocet Deum, dicens: *Filii Dei sumus:* consequitur: ipsum etiam Filium vnigenitum, vnum esse & eundem cum Patre Deum; cuius Dei nos sumus Filij. Vnde & Filius apud Iesaiam, 9. 6. pater æternitatis, seu æternus appellatur: & Christus nos baptizat, hoc est, regenerat Spiritu suo sancto, Io. 1. 33. ex quo efficitur, Christum quoque, quà Deus est, nostrum esse Patrem. Idcirco cùm inuocamus Patrem nostrum, dicentes, *Pater noster,* non solùm Patris personam inuocamus, sed in ipso etiam Filium, & Spiritum sanctum, quia omnes ij tres sunt ille Deus, cuius nos sumus filij. Dirigitur tamen oratio immediatè ad personam Patris, κατ' ἀρχήν, quia principium est deitatis. Si quis interroget, Per quem igitur aduocatum? respondeo, per Christum, quatenus Mediator est: & vt Mediator à nobis consideratur.

IX. Vers. 8. Ad hoc patefactus est filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. Primò ex verbo ἐφανερώθη, nempe in carne interprete Iohanne, & Paulo: Io. 1. 14. 1. Io. 4. 2. 1. Tim. 3. satis apertè colligitur, Christum ante carnem assumtam in qua ἐφανερώθη, filium Dei fuisse, eoque Deum. Deinde ex fine idem colligitur *patefactus est* (inquit) *vt dissoluat opera Diaboli.* Quę opera? peccatum. Diabolo enim auctore peccauit Adam, & in eo omnes: mortẽ. Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Fortior igitur diabolo Christus, & ideò Deus. Non est enim potentia super terram, maior potentia Diaboli, ait Iob, 41. 24. ideò princeps mundi dicitur. Io. 12. 31. Certè qui destruit mortem, diaboli opus: non potest esse nisi Deus. Apud Oseam Iehoua ait, *Ero mors tua, ô mors.* A modo etiam, quo dissoluit peccatum in nobis; idem facilè demonstratur. Christus enim hoc facit, nos suo Spiritu sancto regenerando. Ideò subdit: *Qui natus est ex Deo* (id est regeneratus) *non peccat: & non potest peccare* (ex animo scilicet & pertinaciter) *quia semen eius manet in illo: semen* (inquit) *eius.* Cuius? Dei. Quod semen? Spiritus sanctus. Spiritu enim sancto, tanquam semine suo, regenerat nos Deus. Atqui nos Christus regenerat: & Spiritus iste sãctus, quod semen vocat, non minùs est filij quàm Patris Spiritus. Iohan. 1. 33. Rom. 8. 9. Gal. 4. 6. Cùm igitur Filius noster sit regenerator, per suum Spiritum, non minùs quàm Pater: non minùs etiam ex filio Dei, nati sumus, quàm ex eius Patre: sicut etiam non minùs creati à Filio, quàm à Patre, sumus autem renati ex Deo, sicut & creati. Non minùs igitur Christus Deus, quàm Pater: imò vterque vnus & idem Deus est, ex quo nati sumus.

Neque indignum est consideratione, quod initio capitis hortaturus nos ad sanctam vitam filiis Dei dignam, & ad mutuam charitatem: principiò proposuit charitatem Patris erga nos, dicens: *videte qualem charitatem dedit nobis Pater.* Deinde ostensurus, qualis debeat esse nostra charitas erga proximum: proponit exemplum charitatis Christi erga nos dicens: *Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Quid hæc sibi volunt? nisi charitatem Patris, & charitatem filij eandem esse? Quid? quòd etiam eadem præcepta, quorum obseruationem vrget, & maximè præceptum charitatis, modò Dei in genere: modò Christi præcepta appellat? est tamen eorundem præceptorum vnus tantùm legislator Deus, Iac. 4. 13. nec est, cur quispiam dicat, pręcepta Christi vocari, sicut lex dicitur Mosis lex, quia eius minister. Non enim Christus, minister legis fuit: sed Euangelii. Item ad calcem capitis ait: vers. 24 *Qui seruat eius* (cuius? Dei) *mandata: in eo habitat, & ipse in eo* (in quo? Deo. De hoc enim loquutus est vers. 23.) *Et per hoc cognouimus eum habitare in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis.*

X. Idem docet cap. 4. vers. 13. & sequentibus. Primò Scripturæ tradunt ipsum Christum in nobis habitare: vt est ad Ephes. 3. 17. Patrem etiam, vt ait Iohan. 1. Ioh. 4. 15. Deinde Christus dedit nobis Spiritũ sanctum: inde verò cognoscebant fideles, Patrem & Filium in nobis manere: cùm eodem modo & in iisdem hominibus habitet Pater, & Filius: & vterque, eundem nobis donet Spiritum sanctum, annon igitur & Filius Dei, Deus? Tertiò, regulam tradit, qua nosse possimus Spiritus bonos & Christianos, à malis & Antichristianis: *Quicunque Spiritus confitetur* (sincerè) *Iesum Christũ venisse in carne: ex Deo est:* cõtrà *Quicũque non confitetur Iesum Christũ in carne venisse: ex Deo non est: & hic est Antichristi* (Spiritus.) Tria enim docet de Christo, hac breui regula: primò, eum fuisse antequam fieret homo, hoc est, Deum esse. Nam venit in carne, erat igitur ante hunc aduentum in carne. Consentit cum Euangelio: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. Iohan. 1. 1. Item, ὁ λόγος *factus est caro.* Ioh. 1. 14. Deinde, eum esse hominem verũ: quia venit in carne: hoc est, verè factus homo, sese in humana natura manifestauit. Denique eius officium, esse eum Seruatorem mundi vnicum: quia si venit, venit propter nostram salutem, vt alibi & hîc

explicatur, nempe vers. 9. Misit in mundum, *vt viuamus per illum.* & 14. vt esset Seruator mundi. Ac certum est, omnes Antichristi hæreses, esse aut contra personam Christi: hoc est contra eius vel deitatem vel humanitatem: aut contra officium. Idem etiam docetur in secunda epistola: *Multi seductores* (inquit) *ingressi sunt in mundum, qui non confitentur, Iesum Christum venisse in carne, hic est seductor & Antichristus.* 1 Io. 1. 7. Item cap. 4. vers. 9. 10. epistolæ primæ: *Misit*, inquit, *Deus*, Pater, *filium suum vnigenitum in mũdum: vt viuamus per illum* erat igitur Filius Dei vnigenitus, ante hunc aduentum. Et si vnigenitus: non igitur Filius Dei per gratiam, vt nos: sed per naturam.

XI. Nimis verò aperta sunt testimonia in cap. 5. *Tres sunt qui testificantur in cœlo: Pater, λόγος, Spiritus sanctus. Et hi tres vnum sunt*: Non ait, εἰς τὸ ἕν, vt posteà dicet, de aqua, Spiritu, & sanguine, vers. 8. sed ait: *Vnum sunt*. Ergò non tam consensione testimonij, quàm essentia & deitate vnum sunt. Sunt enim ita tres ij vnum, sicut & filius de se, & Patre dicebat: *Ego & Pater vnum sumus.* Io. 10. 30. Item, testimonium horum trium, vocat testimonium Dei. Ergo nouit Christum, qui λόγος est homo factus: esse Deum; imò vnum cum Patre Deum. Ait præterea, vers. 20 *Scimus Filium Dei venisse, dedisseque nobis mentem, vt cognoscamus illum, qui verus est, & sumus in vero: in Filio Iesu Christo.* Primò ait, venisse: nempe in carne, vt ante: & è cœlo, vt alibi. Ergò, Filius erat Patris, in cœlo; antequam venisset in carne, in hunc mundum. *Et dedit nobis διάνοιαν, vt cognoscamus illum* id est, Deum. Consentaneum est hoc cum illo: *Deum nemo vidit vnquã. Filius, qui est in sinu Patris, ipse explicauit nobis.* Io. 1. 18. Quicunque ergo διάνοιαν habuerunt, qua cognouerint Deum: à Christo habuerunt. Atqui Apostolus ait Deum illum esse, qui per suum Spiritum nobis se, & quæ ipsius sunt, reuelet dicens *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suũ. Spiritus enim omnia scrutatur: etiam profunditates Dei.* 1. Cor. 2. 10. Christus igitur Deus. Sequitur, *Vt cognoscamus* τὸν ἀληθινόν. Vocat Patrem, τὸν ἀληθινόν: scilicet, Θεόν. Iuxta illud Christi; *Vt agnoscamus te, esse τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν.* Io. 17. 3. Et mox Christum vocat Apostolus Iohannes itidem τὸν ἀληθινόν, dicens: καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ. quod est ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ: & statim apertiùs: *Hic est* ὁ ἀληθινὸς Θεός: Ac ne quis tergiuersetur, hunc locum intelligi de Patre, quum ait; *Hic est verus Deus.* addit; *Et vita æterna.* Io. 5. 20. Quem autem in initio Epistolæ vocauerat vitam æternam? Filium ipsum, λόγον ζωῆς. Si igitur Christus est vita æterna, sequitur, vt etiã sit ἀληθινὸς Θεός: quoniam de eodem subiecto hæc duo prædicantur: vita æterna, & ἀληθινὸς Θεός. Hæc omnia, quæ in hac Epistola obseruauimus, plenam faciunt fidẽ, quem Iohannes vocauit Filium Patris, & Filium Dei: hunc fuisse ab eodem agnitum, & prædicatum, pro tali Filio Dei, qui verus sit & ipse Deus: imò qui vnus sit cum Patre Deus.

### XII. Testim. 3. Ioh. Apostoli, ex libro Apocal.

QVo verò magis ac magis hæc confirmetur doctrina, quædam etiam breuiter percurrenda sunt in tertio D. Ioh. libro, hoc est, in Apoc. nam in hoc etiam libro, non semel, Deus appellatur Pater Christi: & Christus, Filius Dei, & Patris. Et cap. quidem primo, vers. 6. ait Ioh. de Christo: *Et fecit nos reges & sacerdotes Deo, & Patri suo.* Qualem igitur nouit, & prædicauit Filium Dei? Omninò talem, qui verus sit Deus. Principio docet, Angelum fuisse ad se missum, à Christo. Id quod clariùs testificatur Christus, dicens: *Ego Iesus misi Angelum meum.* At Angelus ibidem disertè ait, se missum esse à Deo sanctorum Prophetarum. cap. 22. 16. & 6. Deinde in eodem cap. primo, v. 2. & 6. precatur Ecclesiis gratiam & pacem, tam à Iesu Christo, quàm à Patre: quod certè non licet illi qui pura sit creatura. Dat preterea illi robur & gloriam. Item Christus ipse attribuit sibi titulũ Dei proprium, dicens: *Ego sum A & Ω principium & finis.* cap. 1. 8. Et mox Ioh. dat alium, qui non competit nisi in Deum: dicens, *Hæc dicit Dominus* (codices quidam habent, ὁ Θεός) ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. Quo titulo confitetur Christum esse æternum, & omnipotentem. En igitur qualem Filium Dei esse docuit Christum Iohan. in secundo etiam capite Christus se vocat Filium Dei: sed qualem se ipse describit, tum in eo cap. tum alibi. Ea enim sibi tribuit, quæ solius Dei sunt, oculos, quibus omnia videat, cognitionem rerum omnium, quòd scrutator sit cordium: quòd sit omnium iudex, qui det vnicuique iuxta opera sua: quòd sit primus & nouissimus. Ex his omnibus patet, quo sensu Iohannes dixerit, Christum esse Dei Filium, nimirum talem qui genitus sit ex Patris substantia, & qui verus sit cum Patre Deus.

## CAPVT IV.

### Testimonia D. Petri, de Filij æterna ex Patris substantia natiuitate.

NEque D. Petrus nouit, Iesum Christum, alium esse Dei Filium, quàm qualem etiã nouit, confessus est, & docuit D. Iohãnes. Sunt igitur aliquot etiam huius magni Apostoli testimonia examinanda: vt inde qualis fuerit fides Petri de Christo filio Dei, clariùs innotescat.

### Primum Testim. Petri, ex Matth. 16. vers. 16.

OCcurrit autem primo loco confessio illa insignis: qua quid senserit de Iesu, ingenuè confessus est, & cui cõfessioni reliqui quoque Apostoli subscripserunt. Ea est apud Matth. Christus sic interrogat discipulos: *Quem me dicunt homines esse Filium hominis?* Scopus Iesu Christi in hac interrogatione fuit, discipulos suos rudes adhuc & imbecillos in fide, paulatim ab intuitu illius suæ carnis, humanæque naturæ; ad solidiorem perfectãmque illius, quæ sub carnis velo latebat, diuinæ naturæ cognitionem euehere, & in vera sui cognitione confirmare. Hic fuit scopus vt liquet ex contextu, & confessione Petri. Quomodo verò hoc facit Christus? Principio interrogat, quid alij de se, quis sit existiment, deinde quid ipsi sentiant: idque facit, vt improbatis aliorum sententiis, nimirum se esse Eliam aut Ieremiam, aut Iohannem Baptistam, subueheret Apostolos ad altiorem de se cognitionẽ: atque ita paulatim vi sui Spiritus in veram adduceret sententiam, inque ea confirmaret. Neque enim dubito, posteaquam Apostoli retulissent aliorum sententias: quin Christus renutu, & signo aliquo indicãrit, huiusmodi opiniones falsas esse. Neque enim in se inesse, vt Iudæi illi putabant, animam aut Iohannis Baptistæ, aut Eliæ, aut cuiuspiam ex Prophetis demortuis: sed aliud quiddam in se latere sublimius. Huc igitur spectat interrogatio. *Quem me dicunt homines esse Filium hominis?* Quasi diceret, Præter hoc, quòd vident me filium esse hominis, hoc est, hominem, & quidem obscurum: quem pręterea putant me esse? quid pręter hanc humanam naturam, quæ omnibus est conspicua, de me homines sentiunt & loquuntur excellentius? Nunc tenemus mentem & scopum Christi, in hac interrogatione. Sequitur Apostolorum responsio: *Alij Iohannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Quasi dicant, Pręter hoc, quòd vident te Filium esse hominis, verumque hominem: putant etiam animam & Spiritum, alij Iohannis Baptistæ, alij Eliæ, alij Ieremiæ, alij alicuius alius Prophetæ, in te esse: & hoc est illud, quod de te excellens cogitant, & dicunt. Erat enim iam quasi receptum apud Iudæos, animas defunctorum, & pręsertim excellentiũ virorum, cum Spiritu quo fuerant donati, solitas fuisse migrare in alios homines. Hanc opinionem falsam fuisse, non dubito, quin Christus significãrit, ante hãc etiam interrogationẽ. Interrogat igitur discipulos denuò: & iubet, vt quid ipsi sentiant, liberè dicant: *Vos autem* (inquit) *quem me dicitis esse?* Quasi dicat: Nimis absurda sunt, quæ vulgus de me cogitat & dicit. Vos igitur, qui me audiuistis, qui mecũ versati estis per biennium & ampliùs, quem me tandem esse dicitis; præter hoc, quòd videtis me esse hominem? En quomodo volebat Christus, auditis & improbatis aliorum Iudæorum sententiis: Apostolos, ad veram de se cognitionem pertrahere: in se nimirum esse, quòd longè excellentius sit anima Iohan. Baptistæ, Eliæ &c.

II. Petrus igitur, vi Spiritus Christi, per has interrogationes, in veram Christi cognitionem perductus, nimirum, non in eo inesse animam Iohannis Baptistæ, Eliæ, aut alicuius ex Prophetis, sed potiùs inesse animam, vt ita loquar, spiritum, naturam, seu deitatem Patris Dei, cuius dicebatur esse Filius: Hanc edidit præclaram & perfectam de Christo Iesu confessionem, dicens: *Tu es Christus ille*, nempe singularis & vnicus, qui pro salute mundi promissus fuit per prophetas. Nam alii quoque fuerunt Christi: omnes scilicet vncti Reges & Pontifices, etiam Cyrus Rex Christus vocatur. Ies. 45. 1. Sed hoc articulo, *ille*: discernitur hic perfectus Christus, ab aliis omnibus. Porrò tria de hoc Christo, seu Messia, Scripturę veteris etiam Testamenti prædicãrunt, & prędicant. Vnum, eum futurum verũ hominem: neque id simpliciter, sed ex semine Dauidis secundum carnem, & quidem ex virgine natum. Sic enim Prophetæ prędixerunt. Ies. 7. 14. Alterum, eum non solùm futurũ verum hominem, sed etiã talem Dei, & Iehouę Filium esse qui Deus sit, verũque

que-

que Ichoua. Sic enim prædixerunt Prophetæ, vt anteà ostendimus, multis ex veteri testamento citatis testimoniis. Accipe illud Ies.9.6. *Filius datus est nobis, & fuit principatus super humerum eius, & vocabit nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus fortis.* Accipe & illud Ies.25.8 *Perdet mortem in sempiternũ; & absterget Dominus Ichoua lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet ab vniuersa terra, quia Ichoua loquutus est. Et dicet in die illa:* (populus scilicet fidelis & Christianus, de Christo iam incarnato.) *Ecce Deus noster iste* (est) *Expectauimus eum, & seruauit nos, iste Ichoua: expectauimus eum, exultemus & lætemur in salute eius.* Liberatio enim Babylonica per Cyrũ, auctore Ichoua, typus fuit redemptionis per Christum: ideò hoc fuit verum de redemptione nostri per Christum, vaticinium. Ideò Iohannes in epistola prima vsus est hoc pronomine: *Hic est verus Deus,* scilicet noster. 1.Io.5.20. Et hoc omninò confirmat Christus ipse apud Matth.22.42. *Quid dicitis de Christo, cuius filius est? dicunt: Dauidis. Quomodo igitur vocat eum Dominum suum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam, vsque dum ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Concludit omninò Dominus Iesus, Messiam non posse esse simplicem Dauidis filium, sed in eo aliam esse naturam, secundum quam Filius sit Dei, eoque maior Dauide, & Dominus Dauidis. Denique prædicant Christum esse perfectissimum doctorem, & prophetam, pontificem ac mediatorem, Regémque, ac Seruatorem mundi. Hæc enim officia Messiæ, passim in Scripturis habentur. Petrus igitur confitendo Iesum esse Christum illum, idque ex cœlesti reuelatione, & ex Spiritu Patris, confitetur etiam eum non solùm hominem, sed verum Deum, & seruatorem mundi esse. Verum maioris explicationis causa addit: *Ille Filius Dei viui.* Sicut antè articulo, *ὁ ille Christus*, discreuit hunc verum Christum, ab aliis Christis, sic nunc eodem articulo *ὁ ille Filius*, separat hunc ab aliis omnibus filiis Dei. Proinde ostendit alios quidem esse per gratiam: hunc verò per naturam. Neque certè alio sensu vocat hunc Filium illum Dei, quàm & anteà Prophetæ, deinde Christus se ipse, & Iohannes Baptista, & Iohannes Euangelista, & Paulus, aliique Apostoli confessi sunt. Ad summam autem, hæc duo de Christo, apud Apostolos conuertuntur, esse illum Filium Dei, & esse Deum. Nam 1.Io.3.8. dicitur, εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *vt dissoluat opera Diaboli.* Quomodo autem sit patefactus, declarat cap.2. & 4. nempe veniendo in carne. Paulus autem ait Deum manifestatum esse in carne eodem planè vsus verbo, ἐφανερώθη. 1.Tim.3.16. Ecce, quem Iohannes vocat illum Filium Dei: Paulus vocat Deum. Imo idem Iohannes ad finem Epistolæ, quem vocauerat Filium Dei, vocat Deum verum. Ergò cùm eadem sit omnium Apostolorum fides: dubium non est, quin etiam Petrus hîc, confitendo Iesum esse Christum, & Filium illum Dei, cognouerit & confessus sit, eum verum esse Deum.

Atque hoc idem confirmat epitheton quo Deum, Christi patrem ornat, dicens: *Filius Dei τοῦ ζῶντος, illius viuentis.* Hac enim particula non solùm discernit patrem Christi, verum Deum, à falsis Diis, quia hic est viuens, alij inanimes & idola: sed etiam docet, tùm qualis sit pater Christi Deus: tùm ex consequenti, qualis sit & Christus Filius ex tali patre genitus. Pater est Deus ὁ ζῶν, nempe per se & ex se, perfectissimè: eoque ab æterno, & in sempiternum: atque ita per se ζῶν, vt sit etiam causa vitæ in omnibus viuentibus: ac proinde ipsa etiam æterna vita. Sic Christus quoque docuit apud Iohannem: *Sicut qui misit me Pater, est* ζῶν nempe per se, & ex se, talis est pater Christi, ex quo genitus est. Ioh. 6. 57. Et hæc proprietas veri Dei: vt sit ὁ ζῶν. Omnis autem parens generat sibi omninò similes substantia, & natura, liberos. Ergò quum Petrus non contentus dixisse: *Tu es ille Christus, ille Filius Dei,* adiecit τοῦ ζῶντος significare voluit, etiam Filium talem esse τὸν ζῶντα, qualis & pater est ὁ ζῶν. Nam etiam sic Christus argumentatus est. Pater ὁ ζῶν. Ioh.6.57. Ergò & Filius est ζῶν, sed propter patrem, quia à patre habet quicquid est & habet. Item: *Pater vitam habet in semetipso: ergo etiam Filio dedit vitam habere in semetipso.* Io.5.26. Ideò etiam dicitur vita æterna Filius ipse, 1.Io,5.20. Cùm sit autẽ hæc proprietas solius veri Dei, vt sit verè ζῶν, hac dictione τοῦ ζῶντος cõfessus est Petrus, Christum Filium Dei, tã esse Deum, quàm etiam pater Deus est: quia tam Filius, quàm pater ὁ ζῶν, & vitæ in omnibus viuẽtibus auctor: Sicut etiam docetur Ioh.1.ver.4. Hæc enim vis omnia viuificandi, tam certum est veræ deitatis indicium, ac testimonium, vt eo nullum sit certius.

III. Et quidem Christus fidem ac confessionem Petri probando, confirmat, quod de Petri confessione diximus. Sic enim ait: *Beatus es Simon Barlona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi.* Docet igitur, hanc qua donatus fuit Petrus, Christi Filij Dei, cognitionem & fidem: talem fuisse & esse, quæ beatum reddat eum, qui ea sit donatus, vt vbique prædicant sacræ Scripturæ: *Qui credit in Christum, habet vitam æternam,* Io.13.36. Huc spectat illud, *Scientia sui iustificabit multos, iustus puer meus, iniquitates illorum portabit.* Ies.53.11. Atqui scientia & cognitio, qua iustificamur, est illa, qua agnoscitur Christus, non tantùm vt homo, sed vt verus & efficax Mediator, ac Pontifex, & Seruator: ac proinde vt Ichoua. Neque enim talis Mediator & Pontifex esse potest, nisi etiam Deus sit, virtutis infinitæ: vt vbique docẽt sacræ Scripturæ, & aliàs demõstratum à nobis fuit. Id quod etiam confirmatur: quia cognitio Christi, quæ iustificat, fiduciam in eum postulat. Fiducia autem non potest collocari in pura creatura. Quid verò per Ieremiam Ichoua? Ipse Ichoua auctor testamenti promisit hanc cognitionem sui iustificantem, quum dixit: *Nec docebunt vltra quisque proximum & fratrem suum, dicentes: Cognosce Ichouam: omnes enim agnoscent me.* Ier.31.34. Auctor testamenti fuit non tam Pater, quam etiam Filius, teste Apostolo ad Hebræos, 9.15. Non dubito ergo, quin ibi de vera Christi Filij Dei, veri Ichouæ cognitione, promissio sit facta: hæc enim demum est illa, quæ iustificat. Quare quum Christus probans cõfessionem Petri, dixit: *Beatus es Simon:* non obscurè docuit, se à Petro fuisse agnitum pro vero Ichoua, in quo fiduciam collocârit: ac propter hanc causam verè beatum esse.

Huc etiam spectat αἰτιολογία, quam subdit, cur sit beatus: *Quia* (inquit) *caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui est in cœlis.* Docet igitur talem fuisse cognitionẽ Petri, de Christo, Filio Dei: qualem neque ab vllis hominibus, neque suo ingenio, potuisset vnquam assequi. Atqui noscere Christum esse Filium Dei, quales & reliqui erant pii homines, quanquam pluribus & excellentioribus donis ornatum: facile fuisset cuique. Esse etiam Filium Dei, quia sine viri semine, virtute Altissimi conceptus est: potuisset ex matre, fœmina fide dignissima intelligere. At esse Filium Dei, quia genitus ex Patre Deo, hoc non potuit, nisi ex ipso Patre, quo natus est, certò cognoscere. Quò spectat illud: *Nemo nouit Filium, nisi Pater: sicut etiam nemo nouit Patrem, nisi Filius & cui voluerit Filius reuelare.* Mat.11.27. Tam difficilem prædicat cognitionem Filii, quàm Patris: & non nisi à Deo Patre patefieri posse Filium. Quid ita: nisi quia Deus est, non homo tantùm? Quis igitur non videat, ex ipsa etiam αἰτιολογία Christi: Christum fuisse à Petro agnitum, non pro Filio Dei per gratiam, aut quia conceptus de Spiritu S. sed pro Filio ex Patre, Patrisque substantia genito, eoque vero Deo Patri per omnia simili?

IV. Neque certè infirmum, ex promissione subiecta, colligitur argumentum, ad eandem, quam defendimus, confirmandam sententiam. *Sed & ego* (inquit) *dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferorum non præualebunt aduersus illam.* Promittit, primò perseuerantiam in fide ipsi Petro. Hoc enim significat, quum ait: *Et ego dico tibi, Tu es Petrus.* Quasi diceret, Confessus es, qui sim: & ego vicissim tibi liberè dico, quid sis, quidve futurus sis: Tu (verè) es Petrus: & ideò talis etiam futurus es, firmus scilicet in fide, & lapis ad structuram meæ domus, non vulgaris, pertinens. Neque enim solùm docet, merito fuisse anteà à se vocatum Petrum, quia petra sit firma in ædificio Ecclesiæ: sed etiam promittit illum talem semper futurum. Cur enim ex Simone vocauit illum Petrum? Io.1.43. Non quia iã esset firmus in fide, sed quia ipse facturus erat illum firmum in fide: & ea re, verum Petrum. Cuius autem est promittere, & largiri donum perseuerantiæ, nisi Dei? Quod si quis nolit esse promissionem: fuerit saltem certa cognitio, & significatio, qua Christus certò nouit, & prædixit, quis qualisve esset, aut futurus esset Simon Petrus, Nimirum firmus & constans in fide. Cuius autem est, homines ita noscere? Solius certè Dei. Deinde promittit, se totam suam Ecclesiam, super hanc fidem, seu, super hanc veram certamque doctrinam, quam de se confessus est Petrus, ædificaturum, dicens: *Et super hanc petram* (id est, firmam certamque de me doctrinam ac fidem) *ædificabo Ecclesiam meam.* Alludit proculdubio ad omnes, quæ apud Prophetas extant, promissiones, de Ecclesia ex omnibus mundi partibus, in vnum corpus, ad vnamque fidem cogenda: quæ Ecclesia, nomine etiam domus, frequentissime apud Prophetas significatur. Præsertim verò alludit ad domum illam nouam, cuius gloria futura erat maior, quàm prioris fuerat, de qua apud Haggæ. & Zachariam. Hag.2.10. Zach.13.8. &c. Et duo iis verbis docet: primum, quis hanc domum sit ædificaturus: *Ego* (inquit) *ædificabo.* Alterum, quodnam sit fundamentum, super quod Ecclesia ædificanda sit. Ad primum quod attinet: Ædificator Ecclesiæ, est Ichoua. Apud Prophetam e-

num ait: *Adhuc ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel:* Item: *Et reducam captiuitatem Iehudæ, & captiuitatem Israel: & ædificabo eos, sicut a principio:* Ier. 31. 4. & 33. 7. Atqui Christus hic ait se ædificaturum. ideóque se esse ædificatorem.

Quum igitur Christus dicat: *Ego ædificabo Ecclesiam meã:* annon satis aperte declarat se esse illum Iehouam, qui hanc Ecclesiæ instaurationem & ædificationem promiserat? Atque hoc inde confirmatur: quia dubium non est, quin Christus Ecclesiam Corinthiacam, sicut etiam reliquas ædificarit. At enim, *Ego ædificabo Ecclesiam.* Apostolus tamen ad Corinthios vocat Ecclesiam illam, ædificationem Dei: omnino docens, Christum, qui ædificat Ecclesias, Esse Deũ. 1. Cor. 3. 9 Huc spectat pronomen, *Meam* Ecclesia enim vbique in Scripturis dicitur Dei Ecclesia, Dei populus, Dei domus. Quid igitur sibi vult, quod Christus Ecclesiam Dei suam vocat Ecclesiam: nisi quia significare voluit, se verum esse & eundem cum Patre Deum: cuius Dei est Ecclesia. Hoc illud quod habemus in Epistola ad Hebræos 3. versu 1. 2. 3. 4. 5. 6. Versu 2. Ait Apostolus. Vt Moses fuit fidelis in tota domo Dei, id est, in Ecclesia: ita Christũ fuisse fidelem ei, qui se constituit, id est, Patri. Versu 3. Sed ampliore gloria dignum esse Christum præ Mose: quãto maiorem habet honorem is, qui construit domum, quàm domus ipsa. Hic apertè facit Christum constructorem seu ædificatorem domus, hoc est, Ecclesiæ, vt & Christus dicit: *Ego ædificabo Ecclesiã.* Deinde subdit. *Qui condidit omnia hæc* (tam nostrum & vasa domus, quàm seruos) *Deus est.* Quæ hæc domus? nos fideles, vt liquet ex versu 6. *Cuius domus sumus nos,* inquit Apostolus. Quis hinc non videat, Christum vocari Deum, quia domus, hoc est, Ecclesia, ab ipso ædificata est? Quod ad fundamentum attinet domus: docet esse hanc veritatem, quam Petrus confessus est de Christo. Et ad Corinthios, esse Christum, nempe hoc modo cognitum & receptum, quo à Petro fuit cognitus & receptus. 1. Cor. 3. 11. Atqui Prophetæ docent, fundamentum, quo nititur Ecclesia, esse Deum ipsum. Fundamentum igitur est, vt agnoscamus Christum esse Deum, & Seruatorem. Tertiò promittit totius Ecclesiæ cóque non Petri tantùm, sed singulorum quoque aliorum membrorum Ecclesiæ firmitudinem, & in fide ac Christo perseuerantiam, dicens: *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Qui enim ædificat domum: ipsius etiam est eam conseruare, & firmam ac stabilé sartamque tectam tueri. Cuius verò est, talem Ecclesiæ firmitudinem polliceri atque largiri, nisi Dei? Adhæc ipse tanquam Dominus Ecclesiæ, non solùm Ecclesiæ & regni sui claues, seu gubernationem & auctoritatem intromittendi & excludendi, nomine clauium significatum, dat Petro & Apostolis omnibus, vt liquet apud Matthæum & Iohannem. Mat 18. 19. Io. 20. 23. omnibus denique legitimis Christi ministris, vt docet Apostolus ad Ephes. 4. 11. 12. &c. verùm etiam promittit efficacitatem huiusce ministerij, seu vsum horum clauium, nimirum se effecturum, vt quidquid ipsi legitimè, & ex verbo Euangelij ligauerint, aut soluerint: illud etiam totum sit in cœlo solutum, & ligatum: hoc est, probatum ratum, firmum. Annon iis verbis apertè docet, se Dominum esse & Ecclesiæ, & totius regni cœlestis? & penes se vnum esse ius. & auctoritatem tam in terris, quàm in cœlis omnia constituendi? Ergò tam ex antecedentibus, quàm ex consequentibus confessionem Petri liquidò apparet quo sensu Petrus, Iesum Christum appellauerit, illum Filium Dei: talem nimirum, qui non gratia factus, sed natura genitus sit ex Deo Patre: ac proinde qui verus sit cum patre Deus. Talem enim se esse declarauit porrò Christus, sicut vidimus: vt Petri confessionem non tam probaret, quàm confirmaret.

### *V. Testim. 2. Petri ex Ioh. 6. v. 68. & sequent.*

Eandem Petri, & reliquorum Apostolorum confessionem habemus apud Iohannem, ad finem cap. 6. quæ, quia digna est consideratione, paucis est explicanda. Verba sunt ista: *Respondit ergò ei Simon: Domine ad quem abibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Hæc Petri responsio resoluitur in vnam propositionem, & tres rationes. Propositio est, se velle manere cum Christo, & ab eo ad neminẽ vnquã deficere. Prima ratio est: Quoniam ipse solus Christus nemoque alius, habet verba vitæ æternæ: hoc est, quia solus viuificat suo sermone, ad æternam vitam. Secunda ratio est: Quoniam hic est ille verus Messias qui fuerat promissus, Propheta, Pontifex, Rex. Ratio tertia: Quod Iesus non solùm sit Christus, sed etiam Filius Dei naturalis, verúsque Deus, quo nemo potentior, sapientior, melior, amantior nostri: ait ergò Petrus: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Hoc est, Nolumus à te ad quempiam alium deficere, sed apud te perpetuò manere. Nam verba vitæ æternæ habes. Nempe tu solus. Ratio sic confirmatur.

Nisi velimus perire, oportet nos esse apud illum, qui nos viuificet. Nam non possumus ipsi nos viuificare, & per nos ipsi viuere.

Atqui te solum nouimus, qui nos vita possis donare. Nam teipsa sentimus nos tuis verbis ad æternam vitam viuificari. Habes enim verba æternæ vitæ, hoc est, ad æternam vitam viuificantia.

Ad quem igitur alium abire possumus qui nos viuificet? Sequitur altera ratio, cur ab Iesu deficiendum non sit: *Et nos credimus, & cognouimus quod tu sis ille Christus.* Quasi dicat: Summa est insania ab eo deficere, qui sit ille Christus, olim promissus, cuius solius, tanquam prophetæ summi, doctrina viuificare potest: & cuius solius, tanquam veri Pontificis sacrificio, expiari possunt peccata nostra: cuius denique solius, tanquam omnium potentissimi regis viribus, debellari possunt hostes omnes nostri: & nos in æternũ regnum introduci. Atqui tu es ille Christus. Hoc nos non solùm credimus, sed etiam certè ac clarè nouimus. *Et quidẽ tu es ille Filius Dei viuentis.* Tertia hæc est ratio.

Non est deficiendum à naturali Dei Filio, cóque vero Deo, ad vllam creaturam. quid enim insanius?

Atqui credimus & scimus, te esse Filium illum Dei viuentis.

Ergò ad quem ibimus?

Apostoli sua hac confessione, & protestatione indicant causam, cur Christus suprà non dixerit: Sed nemo vestrum est, qui credat, verùm dixerit: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Causa est, quia Christus nouerat, sicut eos, qui non credebant, sic etiam illos, qui credebant Ac proinde confirmant, Christum inspectorem esse cordium, & nosse, qui sint sui & qui non sint sui: qui electi, & qui reprobi: cóque ipsum verum esse Deum. Quum verò aiunt, Christum habere verba æternæ vitæ, testantur se sensisse, hoc Christi sermone se viuificari, ac proinde confirmant sua experientia, verum esse quod ille dixerat, verba, quæ loquebatur de sua carne, Spiritum esse, & vitam, hoc est, virtute Spiritus esse viuifica. Quum denique aiunt, Christum esse illum Filium Dei viuentis, multis rationibus confirmant doctrinam, de naturali generatione ipsius, ex Patris substantia. Quæ, quia fuerunt paulò ante explicatæ, non sunt denuò repetendæ. Certè, quum vocant illum Filium: & per ἐξοχὴν illum Filium, atque etiam addunt Dei viuentis, nil aliud sibi volunt, quàm Iesum Christum esse talem Dei Patris Filium, qui eiusdem sit cum ipso essentiæ, & deitatis.

### *VI. Testim. 3. Petri, ex Act. 2. v. 14. & sequent.*

In ipsa etiam prima concione, quam habuit Petrus ad Iudæos, post effusum super se & super reliquos Apostolos Spiritum sanctum, quędam inseruit Apostolus, quibus non obscurè significauit Iudæis, Iesum Christum, quem curauerant crucifigendum, & quem demonstrat fuisse à mortuis excitatum, & ad dextram Patris exaltatum: minimè ψιλὸν ἄνθρωπον sed talem esse Dei filium, qui Deus sit.

Principiò v. 16. 17. citat locum Ioelis ex cap. 2. & ait Deum promisisse, se vltimis temporibus effusurum de suo Spiritu super omnem carnem. Paulò pòst v. 33. ait, Iesum excitatum à mortuis, & exaltatum ad dexteram Dei (quod ad humanitatem attinet) acceptum hunc à Patre Spiritum, effudisse super Apostolos. Docuit igitur, Christum Iesum esse illum cum Patre Iehouam, qui promiserat se largiter missurum super Apostolos Spiritum S. Scio quid soleat excipi: Christum dici effudisse Spiritum, quia Pater per eum effudit, & sic ad alia similia loca respondent aduersarij. Ad hanc & alias exceptiones post confirmatam totam de Trinitate doctrinam, respondebo seorsum. Interim tamen pro hoc tempore hanc breuem retineamus responsionem, ex certa Christi propositione desumtam: *Quæcunque Pater agit: eadem & Filius facit, & quidẽ similiter.* Io. 5:19. Ex hac propositione sequitur: Ergò Filius cũ Patre promiserat per Ioelem Spiritum S. & Pater ita per Filium misit Spiritum S. vt etiam Filius, non tanquam instrumentum Patris, sed tanquam causa efficiens, cum Patre, eundem miserit Spiritum. Id quod etiam hinc manifestè apparet, quia Christus apertè dicit, se missurum Spiritum sanctum à Patre: Io. 14. 17. & 26. & 16. 7. & non minùs hunc Spiritum esse Christi, quàm Patris, docent Scripturæ. Rom. 8 9. Gal. 4. 6. Quare ex illa Iehouæ per Ioelem promissione, & ex eo, quod dicit Petrus, Christum misisse Spiritum S. super Apostolos, deductum argumentum, optimè concludit: Christum talem esse Iehouæ filium, vt & ipse sit Iehoua, & pro tali agnitum fuisse à Petro. Deinde in recitatione vaticinij Ioelis, est illud v-

lud v-

Ioel.v.21. *Quicunque inuocauerit nomē Domini*, hoc est, Iehouę, vt habet propheta, *saluus erit*. Ananias autem ait de Paulo, *habet potestatem vinciendi omnes, qui inuocant nomen tuum*: Act. 9.14. Christum autem alloquitur. Agnoscit Petrus inuocandum esse solum Iehouam, ex Ioele. Idem inuocabat nomen Iesu cum aliis fidelibus & Anania. Nouit igitur Iesum esse Iehouam. Præterea idem ait de Christo, quà homo est ver.24. & 32. *Quem Deus excitauit a mortuis*. Et huc spectat vaticinium quod ex Psalm 16.10. citat. Atqui non ignorabat Petrus illud Christi: *Ego excitabo illud*. Io.2.19. Item: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*. Io.10.18 Nouit igitur Petrus, Christum, quà λόγος, esse cum Patre illum Deum, qui Christum vt hominem, excitauit.

Quidquod ver. 30 ait, Christum de fructu lumborum Dauidis τὸ κατὰ σάρκα suscitatum, & super sedem Dauidis collocatum fuisse? quum dicit, τὸ κατὰ σάρκα, luculenter demonstrat Apostolus, in Christo, præter humanam carnem, id est, præter naturam, secundum quam natus erat ex lumbis Dauidis, se aliam etiam nouisse naturam, cuius respectu non erat ille Dauidis, sed Dei Patris Filius. Ac proinde sicut quod ad carnem attinet, ita Christus filius est hominis Dauidis, vt verus sit homo: sic quod ad hanc alteram attinet naturam, eundem ita esse Dei Patris filium, vt verus sit Deus, optimè nouit Apostolus Petrus. Quintò, vers. 34. citat de Christo dictum Dauidis ex Psalm. 110.1. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, Matt.22 42. Ex hoc autem dicto concludit Christus ipse apud Matthæum, Fieri non posse, vt Messias filius tantum sit Dauidis, ac proinde homo tantum. Ergò idem etiam nouit Petrus. Postremò, versu 38. iussit omnes, qui resipiscentiæ signum dederant, baptizari in nomen Christi. Scimus autem minimè licere baptizari in cuiuspiam puri hominis nomen. 1. Cor.1.13 Baptismus enim tessera est publica nostræ fidei, absolutæ obedientię, & cultus in illum, in cuius nomen baptizamur, & symbolum est fœderis inter Iehouam, cui obsignamur, & inter populum, qui obsignatur. Liquet ergo ex iis omnibus, Petrum agnouisse Christum pro tali Dei filio; qui verus sit Deus.

### *VII Testim.4. Petri, ex 1. Epistola ipsius, c.1.v.3.*

IN priori Epistola, Cap.1. vocat Deum, Patrem Christi: Christum igitur nouit esse Dei filium. Sed qualem? Declarat hoc quum ait vers.11. Spiritum Christi fuisse in Prophetis, & per illos prænunciasse, & declarasse tam quænam passiones in Christum essent venturæ, quàm quænam gloria illas passiones foret consequutura. Quid aliud iis verbis docuit, quàm Christum illum esse, qui suo Spiritu habitabat in Prophetis, & per Prophetas vaticinabatur? neque enim hic loci Spiritus nomine intelligi potest anima Christi, quia illa non fuit in Prophetis: sed aut ipse Spiritus sanctus, qui est Christi, aut ipsa Christi deitas, deitatisque vis. Rom.8.9. Vtro accipias modo nomē Spiritus, sequitur, Christum non esse nudum hominem, sed verum Deum. Sic capite 3. vers. 18. Duas apertè in Christo ponit partes: carnem, hoc est, humanam naturam, & secundum hanc, dicit Christum fuisse passum, ac mortuum. Et Spiritum: quo Spiritu, hoc est, cuius Spiritus virtute ait, eundem fuisse viuificatum, hoc est, vitæ restitutum. Imò hoc eodem Spiritu, etiam tempore Nohæ venisse ad illos immorigeros Spiritus, hoc est, homines; qui tum temporis viuebant, nunc autem sunt in carcere inferni, & illis prædicasse, nempe per Noham. Quid hic nomine Spiritus Christi, aliud intelligi potest, quàm æterna eius deitas? hac enim docet Petrus Christum suæ semper Ecclesiæ præfuisse, iam inde à condito orbe, & hac eadem, seipsum hominem à mortuis excitasse, sicut dicebat ipse apud Iohannem: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*: Ioa.10.12. His duobus locis satis perspicuè declarauit Apostolus, quo sensu vocauerit Christum filium Dei, nempe æternum & naturalem: eoque verum Deum.

### *VIII. Testim.5 Petri, ex 2. ipsius Epist. cap.1.*

IN Epistola verò posteriore, cap.1.v.1. disertè & sine vllis ambagibus, vocat Christum, non solùm Seruatorem, sed etiam Deum nostrum. *Simeon Petrus seruus & Apostolus Iesu Christi, iis qui æquè pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt, per iustitiam*, τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ χριστοῦ. Illud, τοῦ θεοῦ ἡμῶν, non potest, ad Patrem referri; sed vt ad id quod sequitur, nempe καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ χριστοῦ, referatur; cogit vnicus articulus, τοῦ θεοῦ: cū quo articulo coniūgitur necessariò etiam id quod sequitur, καὶ σωτῆρος. Si enim alter articulus τοῦ, præpositus fuisset dictioni σωτῆρος, hoc modo καὶ τοῦ σωτῆρος Ἰησοῦ χριστοῦ: omninò significasset Petrus duas distinctas personas: vnam illius, quem vocat τὸν θεὸν, alteram illius, quem vocasset τὸν σωτῆρα. Sed cum vno articulo τοῦ, coniungat & dictionem θεοῦ, & dictionem σωτῆρος, apertè demonstrat vtrumque epithetum ad Christum esse referendum, ac proinde sic resoluenda est oratio, ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ, θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν. Quæ cùm ita se habeant, apparet quo sensu paulò pòst dixerit, & intellexerit Christum, vocatum fuisse filium Dei: nimirum talem filium, qui verus sit Deus: ac proinde qui à Patris substantia genitus sit. Sic igitur ait, versu 16. *Non enim arte compositas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi* δύναμιν (hæc est vis deitatis) & παρουσίαν (hæc est eiusdem incarnatio & manifestatio in carne) ἀλλ' ἐπόπται γενηθέντες τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. Hoc nomine intelligit id quod Iohannes expressit nomine gloriæ, dicens: *Et vidimus gloriam eius, gloriā vt Vnigeniti à Patre*. Io.1.14. Quid verò nomine gloriæ intellexerit; aliàs diximus, vt cùm Christus dicit, Io.17.5. *Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, antequam mundus fieret*, diuinam scilicet gloriam seu deitatem, sese in Christo multis modis exeréiem. Sequitur λαβὼν γὰρ παρὰ θεοῦ πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν, id est, testimonium honoris diuini, & deitatis. Quomodo? *Voce ad eum delata huiusmodi a magnifica gloria*. Magnificam gloriam, vocat Patrem ipsum, vt liquet. Quia Pater non solùm Deus est, sed sua ipsius deitas, quam etiam dicit esse μεγαλοπρεπῆ, hoc est, magnificam. Qua dictione, potentiam, maiestatem, perfectionem, denique quidquid est æternæ illius deitatis, expressit. Proinde cùm hìc nomine magnificæ gloriæ, intellexerit Apostolus deitatem Patris: ita quum anteà dixit, Christum accepisse à Patre τιμὴν & gloriam, id est, honorificam gloriam: nil aliud intellexit, quàm honorificum deitatis testimonium. Quódnam est hoc testimonium? declarat: *Hic est ille filius meus dilectus, in quo acquiesco*. Si testimonium hoc, illa gloria est, quam accepit Christus à Patre in monte sancto, testimonium est igitur non simplicis filiationis, sed æternæ & naturalis, hoc est, Christum filium esse Dei Patris, æternum, genitum, non factum, eoque verum Deum, quemadmodum & Pater Deus est. Alioqui, qualis hæc gloria, quam à Patre dicitur accepisse, si Christus ψιλὸς tantum ἄνθρωπος fuisset, vt dicebant Ebionæi & nunc alij Antichristi? Sed huic honorifico testimonio Patris, accessit etiam patefactio gloriæ ac deitatis Christi, in ipso monte. Matth.17. Quænam illa? quum scilicet transformatus seu transfiguratus est, coram Apostolis illis tribus, Iacobo Iohanne, Petro, & resplenduit facies eius vt Sol, vestimenta autem fuerunt alba, vt lux, seu nix. Quid enim fuit illa μεταμόρφωσις aliud, quàm patefactio quædam diuinæ naturæ; quæ alioqui sub illius carnis velo latebat? Idcircò Euangelista Matthæus docet ibi, omnia fuisse diuinæ lucis, id est, maiestatis testimonia. Nam facies Christi resplenduit vt sol: Ecce lucem deitatis in facie Christi, vestimenta alba, instar lucis: En eandem deitatem, ex vestimentis etiam, suo quodam splendentem modo. Nubes lucida obumbrauit Apostolos, en testimonium præsentiæ Deitatis. Deus enim lux est: ait Iohannes Euangelista.1.Io.1.5. Lux igitur illa in facie & vestimentis Christi, nil aliud fuit, quàm quædam veræ deitatis Christi patefactio, sicut & nubes lucida testimonium fuit præsentiæ Dei Patris. Et de hac causa Petrus mentionem facit illius montis, vt nos reuocaret ad historiam, quæ ab Euangelistis narratur, præsertim à Matthæo, & inde peteremus confirmationem huius, quod dixit, Christum accepisse gloriam, à magnifica gloria, id est, testimonium suæ deitatis, à gloria Patris: hoc est, à Deo Patre. Quare ipsę etiam circunstantiæ, quas hìc partim explicat, partim innuit Petrus: docent, quo sensu intellexerit vocatum fuisse Christum à Patre, filium eius dilectum: nempe filium Dei, Deum. His accedit, quòd Apostolus in fine huius Epistolæ, gloriam illam, quam soli Deo adscribunt Sacræ literæ, Christo Seruatori nostro, precando attribuit, dicens, 1. Pet.3.18. *Crescite in gratia & agnitione Domini nostri, & Seruatoris Iesu Christi, cui* (Christo) *gloria, & nunc & in diem æternitatis*, seu, ad tempus sempiternum: Amen.

Dubium ergo non est, quin Petrus agnouerit Christum, pro æterno, & naturali Dei Patris Filio: ac proinde pro vero Deo.

## CAPVT V.

Testimonia D. Pauli Apostoli pro Christi æterna ex Patre Natiuitate.

NIHIL verò certius sententia Pauli de æterna & naturali Christi, ex Patre Deo generatione quia ita Filius Dei est, vt hunc Apostolus pro vero agnoscat & adoret Deo. Ex multis ergo, & propè infinitis Apostoli Pauli, de Christo filio Dei, testimoniis, operæ pretium fuerit, aliquot examinare.

*Primum Testimon Pauli ex Actor.9.vers.20.&c.*

PAulus non ita multò post quàm conuersus fuisset ad Christum, repletus Spiritu sancto, & dies aliquot versatus cum discipulis Christi, qui erant Damasci, ingressus synagogas, cœpit Christum prædicare: hoc cum primis contendens, & per Scripturas demonstrans aduersus Iudæos, Messiam seu Christum esse illum Filium Dei. Hunc verò Iesum, esse illum Christum, ac proinde concludens, hunc Iesum, esse illum Dei filium. Hæc fuit prima disputatio Pauli cum Iudæis post suam conuersionem: nempe de Christo Iesu, vero illo Dei filio. Quid verò per hanc Pauli disputationem consequutum est? Iudæi consilium inierunt Paulum interimendi, propterea quòd conuicti ab eo fuerant, Iesum esse filium illum Dei. Idem contigit illi Hierosolymis. Nam postquam disputasset aduersus Græcos de eadem re, illi hac Pauli doctrina, & efficacitate hominis in disputando offensi, conabantur illum è medio tollere. Hæc omnia habentur capite nono. Ex iis omnibus satis apertè liquet, quo sensu Apostolus prædicârit Iesum Christum, esse illum Dei Filium, nimirum naturalem, eóque verum Deum. Ac primùm quidem hoc manifestum fit, ex blasphemia in Christum, à qua resipuit Saulus. Nam peccatum inter alia, à quibus resipuit Apostolus, præcipuum, fuit blasphemia in Iesum Christum: quia contendebat eum esse purum hominem, & quidem blasphemum in verum Israelis Deum: propterea quòd prædicauerat se filium esse Dei, æqualem se faciens Deo & hac etiam de causa, Saulus persequutus est Christianos, quia nomen Christi, tanquam veri Dei inuocabant. Testis est Ananias, Act.9.13 14. Paulus autem talem esse Iesum qualem Christiani profitebantur, minimè credebat, sed potiùs blasphemos illos esse iudicabat, qui Deum esse Iesum dicebant, & illius tanquam veri Dei nomen inuocabant. Ergo posteaquam ab hac blasphemia resipuisset Apostolus, & cœpisset prædicare, Christum esse illum Filium Dei, qualem obsecro filium esse prædicabat, nisi talem, qualem antea esse omnino negauerat: nimirum talem cuius tanquam veri Dei nomen, esset inuocandum: & quem vt verum Deum, ipse quoque deinceps vnà cum aliis inuocauit? Huius rei historiam & confirmationem habemus in Epistola ad Timotheum, 1.13. Vbi scribit se fuisse blasphemum quando, & quam ob causam? nempe quum persequeretur Christianos, tanquam blasphemos, quia nomen Christi vt veri Dei inuocabant: & ipse interim erat blasphemus, qui contrariam defendebat opinionem, eamque blasphemam: nempe Iesum purum esse hominem: & eos contendebat esse blasphemos, qui nomen Christi inuocarent. Si igitur, quam ante conuersionem putabat de Iesu sententiam, esse ipsissimam veritatem: eam post conuersionem, apertè fassus est fuisse blasphemiam, nempe Christum purum esse hominem: Annon etiam apertè ex consequenti fassus est, se post conuersionem, agnouisse Christum talem esse Dei Filium, qui Deus sit, & cuius nomen sit inuocandum? Atque huc spectat, quòd posteaquam agnouisset se fuisse blasphemum in Christum: mutata blasphemia, in laudem Christi, & falsa opinione, in veram sententiam, Christo attribuit illa, quæ solius Dei sunt. Nam præterquam quòd Euangelium, quod ad Galat. 1.7. & alibi vocauerat Euangelium Christi: Hic, ad Timot. 1. 11. Euangelium vocat Beati Dei, hæc etiam subdit: *Gratiam igitur ei habeo, Christo Iesu, qui. &c.* vsque ad 17. versum leguntur omnia. Annon iis versibus, talem describit Christum filium Dei, qui verus sit Deus? Cui enim gratias agit pro tot beneficiis, quæ posteà commemorat, acceptis? Christo. En quomodo & ipse inuocat nomen Christi. Cuius verò est ἐνδυναμοῦν, vires animo, & voluntati indere, seu, & bonam voluntatem, & fortem animum, potentiamque ad bonum donare? Dei. Cuius est, hominem blasphemum fidelem efficere: & pro fideli habere? Dei. Cuius homines ad ministerium eligere: & in eo constituere? Dei. Cuius est peccatorum misereri, peccatáque condonare? Dei. Cuius enim que est gratia, fide, & dilectione aliquem largiter donare? peccatores seruare? diuinam clementiam in eis explicare? Dei. Hæc tamen omnia, post suam conuersionem Apostolus tribuit Christo: quem Christum anteà, tãquam blasphemum in Deum Israelis, execrabatur, eúmq; in illius Ecclesia persequebatur. Ergò à blasphemia in Christum, Filium Dei, à qua resipuit Paulus: manifestum est, quẽ post conuersionem vocauit, & defendit esse Filium illum Dei: eum ita vocasse & defendisse, quod agnouerit filium esse naturalem, & ea re, verum Deum.

Idem etiam colligere licet, non solùm ex ipso Apostoli testimonio: in quo testimonio articulus, ὁ, præpositus dictioni, Filius Dei, idem confirmat, vt sæpè dictum est: sed etiam ex modo, quo hoc testificabatur & docebat, nempe disputando cum Iudæis, & testimoniis Scripturarum id demonstrando: nimirum hunc Iesum esse Christum, & Filium Dei. Quorsum opus disputatione, si contendebat Filium esse Dei per gratiam? At contendebat esse Filium Dei, quia conceptus è Spiritu sancto. Ego verò nunquam lego, hoc contendisse Apostolos: neque etiam hoc disputabatur inter Iudæos. Lego verò quàm sæpissimè eos docuisse Christum esse Deum: filium vnigenitum Dei. Et hoc est illud, quod controuertebatur. Iudæi enim, vnà ex parte sciebant, vnum tantùm esse Deum Israelis, qui legem dederat Mosi: altera ex parte videbant hunc Iesum, nuper natum esse ex fœmina, quem etiam persuasi erant conceptum fuisse non ex Spiritu sancto, sed ex semine Iosephi; vt Lucas docet, cap.3.v.23. Contendebant igitur fieri non posse, vt hic Iesus talis esset Dei Filius, qui reuera esset Deus. Apostolus ergò id euincebat è Scripturis. Hinc disceptatio. Nam si quis dicat contentionem tantùm fuisse inter Iudæos & Paulum: An Iesus esset Christus necne, is facilè refellitur verbis Lucæ; qui narrat, Paulum vtrunque hoc contendisse: Iesum esse, & Christum, & illum Dei Filium. Quare etiam ex disceptatione ipsa, manifestum est, quo sensu Apostolus defenderit, Iesum esse Christum, & Filium Dei. Idem liquet ex odio & persecutione Iudæorum aduersus Apostolum, propter hanc illius doctrinam de Iesu Christo. Iudæi enim induxerunt in animum occidere Paulum, & insidias illi hac de causa struxerunt. Quorsum hoc obsecro, nisi, quia iudicabant illum esse blasphemum: sicut & ipse idem anteà senserat, & fecerat aduersus Christianos, eandem ob causam? Quæ verò hæc blasphemia? num quia diceret, Iesum esse Filium Dei per gratiam? At hæc non erat blasphemia apud Iudæos. Num quia prædicaret esse Filium Dei, propterea quòd conceptus esset de Spiritu sancto? At hoc neque contendebant Apostoli, neque erat blasphemum. Quid verò erat illis blasphemum, & dignum morte? Dicere, Iesum Christum esse Filium Dei talem, qui Deus sit. Hoc enim omninò illorum iudicio, pugnabat cum gloria vnius Dei Israëlis. Hæc est causa cur cogitârint Iudæi Paulum interficere, quòd scilicet blasphemus esset in Deum Israëlis, dicendo, Iesum esse Filium illum Dei. Nouerunt igitur, talem ab Apostolo prædicari, Iesum esse Dei Filium; qui Deus sit.

Hoc primum testimonium Apostoli volui fusiùs explicare, & confirmare quo sensu sit accipiendum: quia multum refert scire, qualem nouerit & prædicarit Iesum esse Filium Dei Paulus: simulac ex blasphemo in Christum, factus fuit Christi Apostolus. Confirmatur verò huius testimonij explicatio, ex Act.20.28. Vbi Paulus commendans Ecclesiam Ephesinam presbyteris Ecclesiæ illius: præter alia dixit: *Attendite igitur vos ipsos, & totum gregem, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, ad pascendã Ecclesiam Dei, quam proprio sanguine acquisiuit.* Ibi nomine Dei intelligi Christum, nemini dubium est: Cùm nemo alius Ecclesiam acquisierit sibi suo sanguine, quàm Christus Filius Dei, Deus. Ergò quum Apostolus prædicauit & testificatus est, Iesum Christum esse illum Filium Dei, talem Filium Dei esse docuit, qui verus sit Deus. Atque ex Actis, hoc satis esto testimonium Apostoli Pauli.

*II. Testimonium 2. Pauli, ex Epistola ad Romanos.*

EAndem doctrinam confirmat in Epistola ad Romanos, cap.1.3.4. Vbi ait, Christum factum esse ex semine Dauidis, κατὰ σάρκα: declaratum verò Filium Dei, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. Opponit filiationem ex Dauide, filiationi ex Deo Patre, & τὸ κατὰ σάρκα, τῷ κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης. Nomine autem carnis intelligit humanam naturam. Quid igitur nomine Spiritus aliud intelligi potest, quàm natura diuina? nempe si seruanda est ἀναλογίας ratio. Ac dicitur deitas Christi, Spiritus sanctificationis; quia per hunc sanctificata est illius humanitas. Docet igitur Apostolus, Christum, sicut quoad carnem, ita est Filius Dauidis hominis, vt verus & ipse sit homo, sic etiam ita esse Dei Patris Filium, quod ad Spiritum attinet, vt verus sit Deus. Et sicut ex vera Dauidica carnis substantia conceptus & genitus est, ita etiam, conce-

prium & genitum esse, ex vera Patris Dei substantia: quanquam longè diuersa ratione, vt aliàs explicatum à nobis fuit. Nempe hæc interpretatio reiici meritò potest: quoniam alibi quoque in Scripturis, Spiritus nomine, ipsa Christi Deitas intelligitur. Vt 1.Per.3.16.& Io.6 63 *Spiritus est, qui viuificat: Caro* (sola) *non prodest quidpiam.* Cōfirmatur etiam: quia Roman. 9.5. primùm ait, Christum esse ex Iudæis, τὸ κατὰ σάρκα. Deinde, loco τὸ κατὰ πνεῦμα. ait de Christo, *Qui est supra omnes Deus laudandus in secula.* Sic apertè explicat, quod dixerat cap. 1. Christum κατὰ πνεῦμα, esse Filium Dei: nihil aliud fuisse, quàm Christum esse Deum super omnia benedictum. Ac cap.5.8. ostensurus nō potuisse luculentiori signo, Dei erga nos charitatem demonstrari, quàm dum ipse dedit Filium suum Christum in mortem; sic ait: *Commendat autem suam charitatē erga nos Deus: quod cùm adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est.* Mox verò subdit, nos reconciliatos esse Deo per mortem Filij eius. Si autem Christus nuda est creatura, & non est Filius Dei, nisi vel per gratiam: vel quia conceptus vi Spiritus sancti: quale est hoc signum charitatis Dei erga nos, quòd hunc nudum hominem, licet sanctum & plenum omnibus virtutib. & potentia diuina; dederit pro nobis in mortem? foret quidem magnum: sed non tale, quo maius, & luculentius dari non possit. Ipse enim Christus docet hoc esse maximum omnium charitatis signum, quum scilicet quis pro amico suo dat, non alium à se, sed seipsum in mortem. *Maiorem dilectionem* (inquit) *nemo habet, quam vt quis ponat animam suam pro amicis suis* Io.15. 13. Atqui Apostoli propositum, ibi fuit ostendere, non potuisse maius testimonium charitatis Dei erga nos dari aut etiam excogitari, isto: quòd scilicet Pater dederit Filium suum pro nobis peccatoribus in mortem. Necesse igitur est, Christum Filium esse Dei Patris naturalem, eoque verum Deum. Nam hoc modo Pater, talem dando Filium in mortem, seipsum quodam modo dedit, quia Filius ex substantia Patris est. Atque ita optimè concludit Apostolus iuxta regulam Christi, non potuisse Patrem maiori testimonio suam erga nos charitatem patefacere, quàm dum, dando Filium è sua substantia genitum, verumque Deum, in mortem: seipsum etiam quodammodo dedit. Etsi enim Christus non est mortuus, nisi τὸ κατὰ σάρκα: is tamen qui mortuus est, Filius est Dei, verus Deus. Ab hoc igitur charitatis Dei erga nos testimonio, quo maius excogitari nequit: non ineptè colligitur, Christum Filium esse Dei naturalē, verum Deum: Et hoc confirmatur illo Christi dicto apud Iohan. 3.16. *Sic Deus* (Pater) *dilexit Mundum: vt Filium suum vnigenitum dederit.* Quasi dicat: quo nihil charius dare potuit. Quid ita? quia est solus genitus ex Patre: non autem creatus & factus. Proinde dando hunc vnigenitum, dedit seipsum. Quid vis amplius? Coniunge cum his, quæ alibi tradit idem Apostolus, dicens: *Qui proprio Filio nō pepercit, &c* Ro. 8. 23. & intelliges traditum esse in mortem eum, qui è substantia Patris Dei genitus est: eoque verè proprius Filius est Dei.

III. Quid verò cap. 8. 9. Primùm, Spiritum sanctum, tam Christi Filij, quàm Patris Dei esse pronunciat Apostolus. *Vos nō estis in carne, sed in Spiritu: siquidē Spiritus Dei habitat in vobis Quòd si quis Spiritum Christi non habeat, is non est eius.* En, Spiritum eundem, primùm Dei, hoc est Patris Spiritum vocat, Deinde Spiritum Christi. Et mox. *Porrò si Christus in vobis est,* Quomodo Christus in nobis esse potest? Suo ne corpore? Minimè; est enim illud in cœlo tantùm. Quomodo igitur? Spiritu suo. Ideò explicationis gratia subdit: *Sed si Spiritus eius qui excitauit Iesum à morte, is habitat in vobis.* Quis autem ille, qui excitauit Iesum (quod ad carnem attinet) à mortuis? Non solùm Pater; sed etiam ipsemet Christus seipsum: iuxta illud apud Ioh. *Potestatem habeo ponendi animā, & iterum sumendi eā.* Io.10. 18. Et *Soluite templum hoc, & in trib. dieb. erigam illud.* Io. 2. 19. Duo certè hinc consequuntur: Primùm, in Christo duas esse naturas; vnam quæ fuit excitata à mortuis: alteram, quæ excitauit. Deinde, Christum eundem esse cum Patre Deum, cuius Dei est hic Spiritus; quandoquidem hic Spiritus, tam Christi est, quàm Patris; & hoc Spiritu Christus in nobis habitat, vnà cum Patre: *Ego & Pater* (inquit) *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioa.14.23. Ac paulò pòst docet, nos ideò filios esse Dei, nēpe per gratiam; quia Spiritum υἱοθεσίας accepimus. An non apertè docet Christum suam nobis cōmunicasse filiationem: communicando nobis suum Spiritum? Ac proinde illum esse naturalem Dei Patris Filium: nos verò per gratiam? Item vocat Christum πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς. Quomodo πρωτότοκος non tam dignitate, quàm tempore primum significat. Est igitur Christus ante alios omnes filios Dei, genitus: Id quod necessariò etiā inde consequitur, quia quotquot vnquam ab orbe condito fuerunt filij Dei, ideo fuerunt, quia primogenitus iste filius, Spiritum suæ filiationis illis communicauit; vt antea docuit Apostolus. Oportuit igitur hunc Filium πρωτότοκον esse natum ante mundi constitutionem, ex Patre Deo: ac proinde ex Patris substātia. Non enim hunc Apostolus vocat πρωτόκτιστον, sed πρωτότοκον. Sed illud prætereundum non est, quòd vers. 33. vocat Christum (vt modo indicabimus) proprium Dei Filium; dicens: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia etiam cum eo nobis gratificetur?* Duo hîc genera filiorum indicat Apostolus. Vnum, propriorum: alterum, non propriorum. Quos vocamus proprios? Qui ex nostra propria carne & substantia, nobis geniti & procreati sunt. Quos non proprios? Quos ex aliena substantia genitos, nobis per gratiam adoptamus in Filios. Ij sunt nobis Filii, sed non proprij: quia non ex nostra, sed ex aliena carne & sanguine geniti sunt. Proinde sicut idem sunt, Esse filios non proprios, & esse adoptiuos: ita idem sunt, Esse filios proprios, & esse naturales; ex nostra scilicet natura, ac substantia genitos. Apostolus autem dicit, Christum Filium esse Dei proprium. Consequitur igitur, Christum naturalem esse Dei Filium, seu ex Patris substantia, non ex aliena, genitum. Ac proindè natura & Deitate æqualem esse Patri, & ea re, verum Deum. Hanc sequelam etiam Iudæi, suæ periti linguæ, ex hac dictione, proprium, Patrem aut Filium, fecerunt: quam certè Christus non improbauit, vt ἀσυλλόγιστον & falsam. Quum enim Christus dixisset, Deum suum, id est, proprium esse Patrem: subdit Iohannes, quid inde intulerint Iudæi, ac dicit: *Propterea ergo magis studebant eum Iudæi interficere: quia non solùm soluisset Sabbbathum:* ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεόν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ. Io.5.18. Vides quid intellexerint, quum Christus vocabat Deum, Patrem suum proprium? nempe illum se facere proprium Dei Filium, non vt reliqui erant Iudæi per adoptionem: & Deum suum esse suum Patrem proprium, nempe per naturam, non autem vt erat reliquorum, nimirum per gratiam. Ac proindè videbant, & intelligebant, Christum se facere æqualem Patri, deitate & potentia. Hanc verò interpretationem & sequelam tantum abest, vt improbet Christus: vt eam potiùs aliis verbis confirmet: dum ait, se operari omnia, quę etiam Pater, idque ὁμοίως, vt ibi declarauimus. Atque hoc filiorum Dei discrimen confirmatur verbis Apostoli in sequentibus. Sic enim ait: *Qui proprio Filio non pepercit.* Ecce primum. *Sed pro nobis* (aliis scilicet filiis Dei, verùm non propriis) *tradidit illum*, scilicet proprium: *quomodo non omnia etiam cum illo nobis gratificetur?* Apertum hîc facit discrimen Apostolus, inter filiationem, qua Christus est Filius Dei: & inter illam, qua nos etiam sumus Filij Dei: ac docet, illum esse proprium, nos autem adoptiuos: ac proinde vt nos non sumus nati ex substantia patris Dei: ita illum esse ex patris substantia genitum. Alioqui impropriè & καταχρηστικῶς diceretur Christus, Filius Dei proprius: si ex aliena, & non ex propria Dei patris substantia genitus esset.

IV. At, inquies, totum Christum appellat proprium Filium Dei: non sunt tamen eius caro & anima, è substantia Dei propria genitæ; sed caro ex propria Matris substantia genita, anima è nihilo creata.

Totus Christus dicitur proprius Dei λόγω: est per se & propriè, ac perfectè proprius Dei Filius, & nullo modo alienus. Ratio est: quia eam totam à patre accepit solo. Quod verò ad alteram naturam attinet: bifariam dicitur proprius Dei Filius: tum quia illa humana natura nullum alium habet patrem, quàm Deum, quando solius Dei Altissimi virtute, sine vllius viri semine concepta est: tum quia natura hæc humana, hypostaticῶs vnita est cum diuina: & huius vnionis respectu, totus Christus dicitur Filius Dei proprius. Cæterùm, non ita propriè, quod ad hanc alteram naturam, dicitur proprius Dei Filius, sicut quod ad diuinam attinet. Habet enim etiam matrem, à qua carnem accepit. Ac proinde, quod ad diuinam: est per se, proprius Dei Filius. Quod ad humanam: per accidens, & per aliud: nempe propter diuinam naturam, quacum hypostaticῶs coniuncta est illa. Apostolus autem loquitur de Christo, vt proprio Dei Filio, eo sensu, quo etiam Christus se appellauit: quia scilicet genitus ex patre, & illi per omnia æqualis est. Io.5.18.19.&c.

Ac si quis volet contendere, Christum ab Apostolo appellari proprium Dei Filium, hac tantùm de causa, quia conceptus est homo ille sine semine viri, sola Altissimi virtute: is contra Apostoli mentem sic interbretabitur. Apostolus enim docet, Christum ita proprium esse Dei Filium,

vt nullo modo sit alienus. Hoc liquet ex antithesi inter illum,& inter nos, quam Apostolus adfert, dicens: *Proprio Filio non pepercit: sed tradidit illum pro nobis*, scilicet alienis per naturam. Christus igitur proprius per naturam: Et ad Hebræos apertè explicat, quo pacto Christus est proprius Dei Filius, quatenus scilicet est ἀμήτωρ: vt in typo Melchizedechi præmonstratum est. Heb. 7. 2. Fieret autem Christus aliquo modo alienus, & non propriè ac perfectè proprius Dei Filius, si ea tantùm de causa diceretur proprius, quia sine viro, sola virtute Dei conceptus est homo. Nam hoc modo est etiam filius Mariæ, & ea re non est ἀμήτωρ: eóque nec perfectè proprius Dei Filius. Quare si Christus est propriè,& per se, ac perfectè, vti reuera est, proprius Dei Filius: efficitur necessariò, eum esse ex sola patris substantia genitum, eóque verum Deum. Hoc autem non quà homo, sed quà λόγος est. Locus iste Pauli, diligenter examinatus & probè intellectus, multum lucis & confirmationis adfert veritati, quam defendimus.

Etiam huc spectat argumentatio Apostoli à comparatis, quũ ait: *Qui proprio Filio non pepercit, sed tradidit illum pro nobis: quomodo non etiam omnia cum eo nobis gratificetur?* Sēsus est. Dedit proprium Filium, ex se genitum, non creatum, non factum: ergo multò magis dabit omnia creata. Non enim ait: Quomodo non omnia reliqua nobis donabit: quasi Christum connumeret inter creaturas, sed ait τὰ πάντα, omnia, scilicet creata. Comparationem enim facit inter Filium Dei proprium & increatum: & inter omnia creata. Vnde ad Corinth. *Omnia* (creata) *vestra sunt: vos autem Christi*: (Filij increati) *Christus verò, Dei*, creatoris & genitoris. 1. Cor. 3. 22. 23.

V. Confirmat hanc doctrinam de Filio Dei, ita proprio & naturali, vt verus sit Deus, id quod sequitur: *Quis intentabit crimina aduersus Electos Dei? Deus* (is est) *qui iustificat*. Est igitur certa propositio Apostoli, solum Deum esse illũ, qui peccatores iustificet. Atqui Iesaias docet, Christum peccatores iustificare: *Scientia sua iustificabit multos* (id est, omnes Electos) *iustus Puer meus*. Iesa. 53. 11. Hoc certè non ignorabat Apostolus. Nouit igitur Christum esse Deum: quia iustificet, non minùs ipse, quàm Pater. Quæ posteà sequuntur, de Christo, quatenus homo & Mediator est, intelliguntur.

At verò quæ habentur vers. 35. & 36. ad rem nostram faciunt quàm plurimum. Principiò ait: *Quis nos separabit à charitate Christi?* qua scilicet Christus diligit nos. *Num oppressio? num angustia? num persequutio? nũ fames? num nuditas? num periculum? num gladius?* mox confirmationis loco subdit versũ ex Psalmo 44. 23. *Propter te*, seu causa tua, *occidimur tota die, habiti sumus velut oues destinata mactationi*. Ibi Propheta alloquitur Iehouam, & ait: *Propter te, ô Iehoua, occidimur tota die* Hîc Apostolus locum hunc citat de Christo, de cuius charitate ante loquutus erat, & ait, propter Christum nos tota die variis obnoxios esse mortibus: interim tamen ab eius charitate nos auelli non posse: Innuit igitur Christum esse illum Iehouam, de quo loquutus est Propheta.

Quòd si quis dicat: Sed Apostolus vocat charitatem Christi, ipsam charitatem Dei, sicut explicat infrà, versu vltimo, quia scilicet Deus nos amet in Christo; itaque etiam dictũ Psalmi, ad Iehouam, qui nos amet in Christo, referendum esse: facilè huic respondetur, hoc magis confirmari sententiam nostram. Ostendit enim Apostolus eandem esse charitatem Christi, & Dei: seu qua nos Christus diligit,& qua nos Pater amat in Christo: ac proinde vtrumque etiam vnum & eundem esse Deum.

### VI. *Testimonium 3. Pauli ex priori ad Corinth.*

NVnc alia adfero testimonia Apostoli ex aliis Epistolis. Ac primò ex 1. Corinth. 1. 9. *Fidelis Deus* (Pater) *per quem vocati estis εἰς κοινωνίαν Filij ipsius Iesu Christi Domini nostri*. Obiter hic notanda particula, διὰ, *per quem*: quum tamen loquatur de Patre. Non sequitur igitur, quod quidam ex hac particula inferunt, ideò Filium minorem esse Patre: quia per Filium omnia condidit, & agit. Hîc Christum vocat Filium Dei. Sed qualem? naturalem, eóque verum Deum. liquet hoc ex antecedentibus & consequentibus. Nam vers. 2. duo attribuit Christo Filio, quæ in solum competunt Deum: cultum inuocationis,& immensitatē, qua vbique est. Sic enim ait: *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi*: (En primum. Sequitur:) *in quouis loco*: en alterum. Ita enim vbique inuocatur Christus, vt inuocantem audiat, eíque præsens sit. Est igitur Christus Filius Dei, Deus; tum quia inuocatur, & inuocari debet eius nomen; tum quia vbique est, cum vbique etiam rectè inuocetur, & inuocantibus adsit. Ideò non dubito, quin nomen κυρίου pro Iehoua accipiat, quum ait, τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἡμῶν.

Item ver. 31 *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Apud Ieremiam, vnde locus hic desumptus est, Iehoua legitur. Iere. 9. 23. Ita cap. 3. huius Epistolæ: *Nullus glorietur in hominibus*. Gloriamur autem in Christo,& id meritò.

Cap. 2. 1. Christum Dominum gloriæ vocat, dicens: *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Dominus autē gloriæ est ipse Iehoua. Psa. 24. Item: *Deus reuelauit per Spiritum suum*. Hinc bifariam efficitur, Christum esse Deũ. Primùm; Qui reuelat, is Deus est. Sic. n. ait: *Deus autē reuelauit*. Atqui Christus reuelat: vt ait Baptista. Io. 1. 18. Mat. 11. 27. Deinde: Cuius est Spiritus, per quem reuelatur sapientia Dei, is est Deus. Ait enim: *Deus reuelauit per Spiritum suum*: Itē ver. 11. *Nemo nouit, nisi Spiritus Dei*. Est autem Christi, ille Spiritus, Rom 8. 9. Item vers. 16. *Quis nouit mentem Domini?* (id est, Iehouæ) *Nos autem mentem Christi habemus*. Quem primum vocauit Dominum, id est, Iehouam, ex Iesaia 40. 13. eum mox vocat Christum.

Cap. 6. ver. 19. & 20. *Neque estis ἑαυτῶν, empti enim estis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in Spiritu vestro, quæ sunt Dei*, nempe corpus & Spiritus, id est, anima. Argumentum tale est:

Cuius nos sumus,& nostra corpora, ac Spiritus, is noster Deus est: ac proinde hunc etiam glorificare debemus vt Deum.

Atqui sumus Christi. Sumus enim illius, qui nos emit pretio: sumus autem empti à Christo, sanguinis ipsius pretio.

Christus igitur noster Deus: ac proinde hunc debemus glorificare vt Deum verum.

Cap. 7. vers. 22. *Qui liber vocatus est, seruus est Christi*. Ratio adfertur ver. 23. *Pretio* (enim) *empti estis* (à Christo.) *Nolite* (ergo) *fieri serui hominum*. Quasi diceret: Sed manete serui Christi. Docet igitur Christum, cuius sumus & debemus esse & permanere serui, non esse purum hominem. Neque enim debemus fieri serui hominum: in iis scil. quæ ad religionem & pietatem pertinent. Quare filius est Dei, Deus.

Cap. 10. vers. 9. *Neque tentemus Christum: sicut quidã illorum* (in deserto) *tentauerunt*, nempe Christum, vt antè demonstratum à nobis fuit, sic verba Apostoli esse intelligenda. Christus igitur etiam tum fuit. Quare Filius Dei æternus, verúsque Deus. Nam Psalm. 106. v. 14. ait Propheta, eos tentasse Deum.

Item ver. 16. & deinceps ostensurus non posse Christianos interesse mensæ Christi & dæmoniorum, vbi eduntur immolata idolis: sic argumentatur:

Fieri non potest, vt quis κοινωνίαν habeat simul cum vero Deo,& cum falsis diis: hoc est, cum idolis, eoque cum dæmoniis. Pugnant enim inter se ex diametro, ita vt etiam illorum mensæ inter se pugnent: & quæ à Gentibus immolantur idolis non Deo vero sed dæmoniis immolentur.

*Ergo non potestis mẽsæ Domini participes esse, & mẽsæ dæmoniorum: nec potestis bibere poculum Domini, & poculum dæmoniorum*. Hic apertè, quem in antecedente vocauit Deum: in conclusione, seu in illatione vocat Dominum. Nomine autem Domini intelligi Christum, certo certius est: quia de eius mensa loquitur: déque κοινωνίᾳ corporis & sanguinis Christi. Christum igitur nomine Dei, in ipso etiam antecedente intellexit.

### VII. *Testim. 4. Pauli, ex cap. 1. epist. ad Coloss.*

SEd testimonium præclarissimum legimus in epist. ad Colloss. capite 1. per aliquot versus. Versu 13. *Qui* (Deus Pater) *liberauit nos à potestate tenebrarum: & transtulit in regnum Filij dilectionis ipsius*. Qualis Filij? ait. *In quo habemus redēptionē per sãguinē ipsius*: (hoc est) *remissionem peccatorum*. Est igitur ille Deus, qui acquisiuit sibi Ecclesiam sanguine suo, Act. 20. 28. Qui est imago Dei inconspicui, primogenitus omnis rei creatæ. Qualis imago? Longè omnium perfectissima: ac proinde essentialis. Est igitur Filius Dei Patris germanus, & eiusdem Deitatis cum Patre, eiusdémque Spiritus, potentiæ, sapientiæ. Aureæ enim imaginis aurea imago, perfectior est imago, quàm aureæ imaginis ærea vel lignea imago. Multò magis igitur Christus Filius Dei talis est imago Patris, quæ non solùm sit viua ingenij,& bonitatis paternæ, sed etiam eiusdem Patris substantiæ expressa imago: ita, vt qui videt Filium, videat Patrem: Ideò apud Iohannem Christus dicit: *Qui videt me, videt Patrem*. Io. 14. 9. Et ad Hebr. 1. 3. *Qui est χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως*

αὐτοῦ

αὐτοῦ, scilicet Patris. Est igitur Christus, Patri per omnia æqualis, si perfecta est eius imago, vt ante quoque demonstratum est. Πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Non dicit πρωτόκτιστος πάσης κτίσεως, sed πρωτότοκος, hoc est, genitus πρὸ πάντων αἰώνων. Christus igitur Filius est Dei; primùm quidem genitus, non factus, aut creatus: Deinde Filius æternus, qui ante omnem creaturam genitus. Quid hoc autem est aliud, quàm esse eiusdem cum Patre Deitatis? Quanquam etiam primogenitus omnis creaturæ dicitur, quia Dominus est omnium creaturarum, sicut erant primogeniti in lege, Domini omnium. Sed prior simpliciter est interpretatio, quam Gregor. Nazian. & alij Græci attulerunt: *Nam per eum omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia (siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates: omnia* (inquam) *per eum, & in eum*, siue eius respectu *condita sunt*. Confirmatio est, Christum Filium esse Dei, non factum, sed genitum, quia omnia, quæ sunt facta, per ipsum facta sunt. Deinde esse Filium æternum, quia ante mundi constitutionem, & ante omnia fuit. Ac de creatione rerum loqui Apostolum, manifestum est cum ex toto contextu: tum inde maximè quod ait, per hunc condita esse etiam inuisibilia, hoc est, Angelos omnes & animas, neque enim Angeli boni sunt redempti per Christum à peccatis: quia nunquam peccârunt. Neque etiam mali Angeli, vt omnes concedunt. Est enim Christus Mediator tantum Dei & hominum. 1. Timoth. 2:5 *Estque caput corporis Ecclesiæ.* Quia super Ecclesiam ita est, vt tamen coniunctus sit cum Ecclesia, & in eam effundat suum Spiritum & vitam, eamque moderetur. *Principium:* quia fons & origo est Ecclesiæ, & omnia ab ipso principium & originem habent. Hæc omnia confirmant, Christum minimè puram esse creaturam, sed germanum æternumque Dei Patris Filium, eoque verum Deum. Multa prætereo in reliquis Pauli Epistolis, breuitatis causa, sed certe digna quæ à piis viris examinentur. Quod ad me attinet, non possum dicere, quanta afficiar consolatione, dum in singulis Scripturæ paginis contemplor Christum, & video tum quis sit, tum quid pro me egerit, idque efficaciter, propter vim naturæ diuinæ, quæ in ipso semper habitauit, & inhabitat σωματικῶς, vt Paulus loquitur. Quia tamen plerique sunt, qui prolixitatem fastidiunt: idcirco aliis omissis transeo ad Epistolam quæ ad Hebræos scripta est. Sunt enim quædam in ea singularia, quibus maximè confirmatur veritas.

### *VIII. Testim. 5. Pauli ex Epist. ad Hebr. cap. 1.*

DEus (inquit Apostolus) *multis vicibus, multisque modis olim loquutus Patribus per Prophetas, vltimis diebus hisce loquutus est nobis per Filium.* Certum est Apostolum loqui in tota hac Epistola de Filio Dei in carne manifestato, sed ita, vt multa de eo scribat, quæ non nisi ad diuinam eius naturam pertinent, vt versicul. 2. quod per hunc condiderit Deus, id est, Pater, mundum. Item vers. 10. *Tu in initio Domine terram fundasti, & opera manuũ tuarum sunt cæli.* Et alia ad humanã tãtùm, vt quòd moritur. Alia denique ad totum Christũ, quatenus Pontifex est, Deusq; manifestatus in carne, vt quòd per seipsũ purgauerit peccata. Ergo sunt in hac Epistola permulta deitatis Christi testimonia. Nam etiã quę de eo scribit, quatenus Filius est Dei Deus in carne manifestatus, quatenus Pontifex & Mediator, confirmant illum non esse purum hominem, sed verum etiam Deum, quando quidem Mediator & pontifex efficax ad salutem animarum impetrandam esse non posset, nisi etiam Deus esset. Quare cùm in tota Epistola disserat de pontificatu & sacerdotio Christi, tota etiam valet ad confirmandam Christi deitatem. Nos breuiter percurremus, & indicabimus aliquot loca. Hæc esto igitur propositio. Apostolus nouit Christum, & vocat Filium Dei. Primò, quod ad vnam attinet naturam, germanum, naturalem & æternum, & ideò verum Deum. Quod ad alteram: Filium nouissimis temporibus Patri ex homine genitum, sed vi tantùm Altissimi, id est, Patris, & ideo vnctum Spiritu sancto. Quod ad vtrumque simul: Filium per quem loquutus est postremis temporibus istis, Filium in quo resplendet gloria & maiestas Patris, ac proinde qui verum est ἀπαύγασμα gloriæ paternæ & χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως ipsius Patris. Hæc est distributio eorum, quæ hic dicuntur de persona Filij Dei. *Deus loquutus est in Prophetis, nouissimo in Filio.* Docet igitur alia, & ea quidem præstantiori ratione Christum esse Filium Dei, quàm fuerint Prophetæ. Nam & illi fuerunt Filij Dei: interim tamen hunc distinguit ab illis, & κατ' ἐξοχὴν vocat Filium Dei. Quare cum illi fuerint gratia filij, hic fuerit natura. Illi facti, hic genitus Filius. Item: *Quem constituit hæredem vniuersorum*, hoc est rerum vniuersarum. Hoc factum est bifariam: Primò ante Mundum conditum, quatenus λόγος est, in ipsa τοῦ λόγου generatione. Quatenus autem homo, post resurrectionem, quum dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Matt. 28. 18. Item. *Per quem fecit & secula:* τοὺς αἰῶνας: quæcunque vnquam fuerunt & sunt. Hoc autem nomine intelligit vniuersum mundum, cum suo tempore & seculis omnibus vsque ad finem Mundi. Hoc non potest nisi de Christo, quatenus λόγος est, intelligi. Est igitur Christus, æternus Dei filius, eoque Deus: quia conditor vniuersorum. Quòd si quis contendat hinc, Filium non esse propriè conditorem mundi, eoque minimè æqualem Patri, quia non dicit Apostolus, quòd ipse fecerit, sed quòd Deus, id est, Pater, per hunc fecerit secula: huic partim responsum est, partim respondebitur plenius suo loco. Et certè primò de Patre dicitur, *Per quem vocati estis*, 1. Cor. 1. 9. de Patre autem loquitur. Et huius Epist. c. 2. 10. per hunc esse omnia. Deinde Apostolus Christum alloquens in persona Prophetæ, ait in hoc. 1. c. ver. 10. *Tu domine in initio terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cæli.* Est igitur Christus verus Mundi creator: ac proinde æternus Deus, nullo modo Patre minor, qua λόγος & Deus est.

IX. Vers. 3. *Qui cum sit splendor gloriæ, & character personæ illius, sustineatque omnia verbo illo suo potente, purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, sedit ad dextram maiestatis illius excelsissimæ.* Resoluitur versus iste in propositionem, & rationem propositionis. Propositio est de officio Christi. Ratio propositionis ducitur à præstantia personæ. Propositio est. Hic Filius Christus, per seipsum purgationem peccatorum fecit, & hac facta, sedet iam ad dexteram maiestatis illius excelsissimæ. Ratio qua vtrumque confirmat, est, quia non homo nudus, sed verus etiam Deus est. Hanc rationem sic explicat. *Qui cum sit splendor gloriæ, & character personæ illius, ac sustineat omnia verbo illo suo potente: ideò purgatione facta sedit, &c.* αἰτιολογία enim est, qua declarat qualis Dei Filius sit Christus. Deus Pater lux est, hic Filius est illius lucis & gloriæ ἀπαύγασμα. Nũquam autem fuit lux sine suo splendore, seu αὐγῇ τῇ ἀπαυγαζομένῃ, & ἀπαύγασμα eiusdem naturæ est cum luce sua, distinctum tamen à luce, sed ita distinctum, vt ab illa sit inseparabile. Est igitur Christus Filius Dei æternus eiusdem naturæ, & deitatis cum Patre, distinctus quidem a Patre, sed à Patre inseparabilis. Huc etiam spectat aliud simile, quum ait, eum esse characterem substantiæ Patris. Est igitur Filius ὑπόστασις, & character ὑποστάσεως Patris. Est enim expressus Pater in Filio: quia tota Patris essentia, omnisque perfectio in Filio est: Huc facit etiam quod ait: *Omnia sustinet verbo illo suo potente.* Non solùm enim conditor est mundi, sed etiam moderator & conseruator. Quia verò talis est Christus per se, quà λόγος, & hic λόγος cum humana carne assumta, hypostaticâs coniunctus est: idcirco totus Christus, etiã quà homo, sed propter λόγον, splendor est gloriæ & character personæ Patris, quia scilicet in eo homine, tanquam in speculo, resplendet gloria Patris. Ergo tam ex propositione, quia per seipsum purgationem fecit peccatorum nostrorum, quod certe non potuisset, si tantùm homo esset: quàm ex ratione propositionis demonstrat Apostolus, Christum talem esse Dei Filium, qui Deus sit. Et notanda sunt illa tria membra huius rationis, quibus pulcherrimè describitur excellentia personæ Christi. Primùm totam diuinam essentiam in Filio esse ostendit: quia est splendor gloriæ, id est, Deitatis paternæ. Alterum, ipsam Patris personam in persona Filij esse ceu expressam: quia est χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Tertium, diuinam omnipotentiam & sapientiam, ac bonitatem itidem esse in Christo: quia non solùm omnia per hunc sunt condita, sed etiam is omnia sustentat verbo virtutis suæ, id est, sua potentissima voluntate, imperio, nutu. Est igitur insignis locus, ad confirmandam veram Christi deitatem. Sic etiam notanda obiter tria officia Christi: Primum Prophetæ, quod est docere: ideò ait ver. 1. Deum loquutum in Filio. Alterum Pontificis, quod est, offerre pro peccatis. Idcirco ait v. 3. *purgationem peccatorum fecit per seipsum.* Quod He. 9. 14. dicit *per Spiritum æternum*, hic ait, *per seipsum* Ille igitur æternus Spiritus est æterna ipsius Christi deitas. Tertium Regis, quod est, regere & gubernare Ecclesiam, regnareque in suo regno. Ideò ait: *Sedit ad dextram maiestatis illius excelsissimæ.*

Vers. *Tanto præstantior factus Angelis, quantò excellentius præ illis sortitus est nomen.* Nunc per aliquot versus ostendit Christum excellentiorem esse Angelis, idque multis rationibus. Quarum prima est, quia nunquam illi ornati fuerunt hoc titulo, quo Christus, nempe quòd ad quempiam illorum dixerit Deus singulariter: *Filius meus es tu:* nempe proprius & vnigenitus. Ideò ait, Nam cui vnquam Angelorum dixit. *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Item

*Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in Filium.* At etiam Angeli appellari sunt,& verè sunt filij Dei: *Quis similis Domino, inter filios Dei*, id est, inter Angelos, Spiritus cœlestes? *Psalm.*88.7. Item apud Iobum,38 7. *Quum iubilarent omnes filij Dei.* Verùm, sed non tales qualis Christus Filius est Dei. Hoc enim voluit ostendere Apostolus, vt ex sequentibus liquidò apparet, Christum scilicet longè diuersa ratione Filium esse Dei, quàm ipsi Angeli sint. Sunt autem ij filij Dei facti: Christus igitur non factus, sed genitus. Sunt illi temporales, quia in tempore facti filij: Christus igitur æternus, & hoc quatenus λόγος: quatenus autem homo, est quidè in tempore Filius, non tamen factus Filius, sed genitus: Luc.1.32.& 35. Præstantior igitur Angelis, etiam quà homo. Ideò emphasim habent verba Patris ad Christum: *Filius meus*: nempe vnigenitus, proprius, à mea substantia natus, per omnia mihi similis & æqualis: *es tu*, nimirum solus vere talis es mihi filius. *Rursus autem quum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Christus iubetur adorari: Angeli iubentur eum adorare, nunquam ipsi adorandi. Hic autem cultus soli Deo debetur: *Adorate eum* (inquit Angelus) *qui fecit cœlum & terram.* Apocal.14.7. Ergo Christus præstantior Angelis, & quidem Deus est. Et de Angelis quidem dicit: *Qui Angelos suos facit Spiritus & ministros suos ignis flammam.* Spiritus cœlestes, ipsi etiam Seraphini omnium præstantissimi (hos enim intelligit nomine flammæ ignis) nil aliud sunt quàm Angeli, id est, Legati ac Nuncij & Ministri ipsius Dei. Filius autem Christus quid? Sequitur: Ad Filium autem: *Thronus tuus Deus in seculum seculi: virga recta, virga regni tui.* Primò vocatur & est Deus. *Thronus* (inquit) *tuus, ô Deus.* Deinde, *Thronus tuus*, quasi diceret, es Rex. Huic enim datur Thronus & sceptrum: eoque etiam Angelorum Rex est. Tertiò, *in seculum seculi*, id est, æternus es Rex. Ratio: quia Sceptrum quo regis, rectum est. Explicatio huius rectitudinis sequitur. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te* (quatenus homo, effuso in te Spiritu sancto, sine mensura) *Deus, Deus tuus, oleo exultationis, vltra consortes tuos.* Et: *Tu initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Quasi dicat: Angeli sunt creaturæ: Tum autem creator rerum omnium, etiam cœlorum, ac proindè etiam Angelorum, qui in cœlis habitant. Nomine enim cœlorum & terræ, συνεκδοχικῶς intelligit omnia, quæ cœli terræque ambitu continentur. *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes vt vestimentum veterascent: Ac velut amictum circumuolues eos, & mutabuntur, tu autem idem es, & anni tui non deficient*: Filius est, æternus primum, deinde immutabilis, quia semper idem. Postremò ipse, sicut cœlos condidit, sic etiam illos mutabit, idque magna facilitate: quia instar hominis, qui librum, vel qui tentorium complicat, id faciet. Hæc omnia de filio in Scripturis leguntur: de Angelis, aut de vllo alio, minimè. *Ad quem autem Angelorum dixit vnquam, Sede ad dextram meam, vsq; dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt ministratores Spiritus qui ministerij causa mittuntur propter eos, qui heredes erunt salutis?* Ex Antithesi apparet, quid sit Christum sedere ad dexteram Patris. Est regnare cum Patre. Ideò alibi ad dextram throni Dei consedisse dicitur Christus. Heb.12.2. Angeli verò ministri sunt Christi, missi in terram ab ipso, pro salute Electorum. Christus enim sedendo ad dextram Patris in æquali maiestate & potentia, regit Ecclesiam ministerio Angelorum, inuisibiliter: ministerio verò pastorum visibiliter.

Cap.2. *Non enim Angelos assumsit: sed semen Abrahæ assumsit.* Erat igitur res subsistens, antequam fieret homo: contra Samosatenum, & alios nebulones.

XI. Cap.3.v.3.4 5.6. Argumentum Apostoli hoc est: Christus, eo dignior est Mose: quò architectus ipsa domo, quam ille extruxit. Docet autem Christum esse Ecclesiæ architectum, Mosem partem domus, domum, Ecclesiam. Sic enim infrà ait v.9. dicens: *Cuius Christi domus sumus nos.* Architectus autem domus, est Deus. vers.4. Christus igitur est Deus.

Cap.7. ex typo Christi, qui fuit Melchizedecus, comendit Christum verè esse ἀπάτωρα καὶ ἀμήτωρα & neque principium dierum neque finem vitæ habere. At quoad humanam naturam, habuit matrem, sed sine Patre. Ergò alia est in Christo natura, cuius respectu Patrem habeat, & non matrem. Quis Pater eius? Deus. Est enim Filius Dei. Est igitur naturalis Dei filius, & naturam diuinam ab illo accepit. Item quoad humanitatem, principium habuit dierum. Alia igitur natura in Christo, cuius ratione nullum principium habuit dierum, sed æternus est. Hæc nõ potest esse creata: quia omnia creata principium habent dierum. Genes.1.1. Est igitur increata eoque ipsa Dei essentia. Hæc enim sola est increata.

Cap.9. versicul 14. ait, Christum Filium Dei, & Pontificem nostrum, obtulisse seipsum per Spiritum suum æternum. Et hac de causa ostendit Apostolus, ipsius Christi oblationem efficacem fuisse ad expianda nostra peccata. Quid igitur per Spiritum æternum aliud intellexit, quàm Christi Deitatem? inde etiam vis fuit sacrificij Christi: quia scilicet sanguis, quo redemti sumus, sanguis fuit illius, qui non homo tantùm, sed etiam Deus est. Sic etiam alibi accipitur: *Caro* (mea nuda & per se,) *non prodest quicquam: Spiritus est qui viuificat.* Ioh.6.63. Et: *Factus est prior homo in animam viuentem: posterior in Spiritum viuificantem.* 1. Cor.15. 45. hoc est, primus homo, simplex homo, ex carne tantùm, & anima viuente compositus. Secundus, humana natura, & Spiritu viuificante, id est, Deitate constans. Primus enim homo, à potiore sui parte, dicitur anima viuens: Secundus itidem à potiori parte, Spiritus viuificans, hæc est Deitas. Huc illud: *Deus acquisiuit sibi Ecclesiam sanguine suo.* Act. 20.28. Quare efficax sanguis? Quia qui effudit, Deus est. Sanguis est hominis, vis sanguinis à Deo. Vnde illud: *purgationem peccatorum per seipsum faciens.* Heb.1.3. vi scilicet sui æterni Spiritus. Spiritus igitur iste Christi, quid aliud est, nisi ipsa Christi deitas? Ex versu etiam 15. & deinceps colligitur, Christum auctorem esse Testamenti, quod eius sanguine & morte confirmatum fuit. Ratio Apostoli est. Quia Testamentum nondum valet, dum viuit Testator, sed vt fit ratum, mors testatoris intercedat necesse est. Apud Ierem. autem, Iehoua, Testamenti auctor est. Ier.31.31.

XII. Cap 10. vers.5. *Christus ingrediens in mundum, ait Patri: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Fuit igitur antequam illi aptaretur corpus, id est, antequam fieret homo, Filius Dei. Item vers.20. Carnem Christi vocat velum: comparatus illam velo, quo operiebantur arcana sacrarij, sed quod interim aditum ad illa arcana patefaciebat. Sic carnem Christi ideò velum vocat Apostolus, quòd illa quidem tegatur Deitas, sed quæ tamen ad ipsam deitatem, sub hoc velo tectam, inspiciendam, nos quasi manu ducat. In Christo igitur duæ naturæ, velum, id est, humanitas & res velata, hoc est, deitas. Atque hinc discimus, non posse nos ad Deum cognoscendum, videndum, & eo fruendum accedere, nisi per carnem Christi. Proinde oculos mentis cum primis defigendos esse in carnem Christi, inde penetrandum in ipsum sanctum sanctorum, & Deum ibi esse conspiciendum.

Cap.11. ver.10. *Abraham expectabat ciuitatem fundamenta habentem, cuius artifex & conditor est Deus.* Ad Heb.1.10. ait de Christo. *Opera manuum tuarum sunt cœli.* Ideò non sine causa ait cap.12 versic. 2. primum, Christum sedere ad dexteram throni Dei. Mox: *Considerate quis sit ille, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus se contradictionem, ne animis deficientes, fatiscatis.* Quasi diceret: Est Filius Dei germanus naturalis, vos, tantùm adoptiui: & cùm ille sustinuerit, cur igitur vos fatiscere deberetis? Hoc esse argumentum Apostoli, liquet ex insequentibus. continuò enim subdit: *Vobis tanquam filijs loquitur. Fili mi, ne negligito castigationem Domini, neque deficias animo, quum ab eo argueris.* Item: *Dominus flagellat omnem filium, quem recipit*, & sæpe nomen repetit Filij. Item vers.25. Christum ait esse de cœlis, & esse illum, cuius vox concussit terram: & qui dixit per Hag.2.7. *Ecce ego adhuc semel concutiam non solùm terram, sed etiam cœlum.* Ille autem est Iehoua apud Prophetam. Ex iis omnibus, si quis non videat, Christum ab Apostolo Paulo, agnitum fuisse pro Filio Dei naturali, æterno, veróque Deo, aut talpa cæcior, aut Diabolo pertinacior est in sua contra Filium Dei blasphemia.

Atque hactenus testimonia sanctorum virorum, Iohannis Baptistæ, Zachariæ, Nathanaelis, Marthæ, Petri, Iohannis Apostoli, Pauli, atque ideò Apostolorum omnium in terris.

## CAPVT VI.

### Testimonia hominum impiorum, & Christi hostium, atque etiam ipsorum Diabolorum, de λόγου æterna filiatione.

Quid verò? quòd ipsi quoque homines impij, & professi hostes Iesu Christi, suis testimoniis, hanc quam defendimus doctrinam, de naturali Christi ex Patre Deo filiatione confirmant? Caiphas apud Matth. sic interrogat Iesum, qui accusatus fuerat, quòd se faceret Messiam, & Filium Dei: *Adiuro te, vt dicas, si tu es ille Christus, ille Filius Dei.* Matth.26 63. Duo docet iis verbis Pontifex iste. Primum, receptum fuisse apud Iudæos, tanquam ex oraculis Prophetarum petitum: illum, qui futurus erat Messias seu Christus, esse etiam Filium Dei. Ideò vtrumque coniunxit: *Si tu es Christus,*

Et

Esse ex Deo Filius Dei. Alterum aliud esse genus filiationis, & natiuitatis ex Deo, qua Messias prædicabatur Filius Dei: ab ea, qua reliqui Iudæi, filij Dei vocabantur. Ideò non dixit simpliciter: *Si tu es Filius Dei*, sed *si tu es ille* (singularis) *Filius Dei*. Ergo intellexit è Scripturis, Messiam non esse Filium Dei, per gratiam adoptionis, vt sunt omnes qui in fœdere erant Dei, aut qui regeniti sunt per Spiritum Dei, eoque impropriè sunt filij Dei, cum non sint ex Dei substantia progeniti, sed nouit Pontifex, qui verè esset Christus, eum etiam verè & propriè esse Filium Dei, eoque etiam è substantia Patris Dei genitum.

II. Huc accedunt reliquorum Iudæorum testimonia, qui docent, quoties Iesus dixit, se Filium esse Dei, non aliter se illius verba intellexisse, quam eum voluisse dicere, se Filium esse Dei, non gratiâ adoptionis, vt reliqui erant, sed natura & naturali ex Deo generatione: eóque se natura diuina, æqualem esse Patri Deo. Quum Christus dixisset: *Pater meus vsque modo operatur, & ego* (Filius eius) *operor*. Ioh 5.18. Iudæi eò magis quærebant illum trucidare, non tam quòd soluisset Sabbathum, quàm quòd Patrem suum proprium, dixisset esse Deum: æqualem se faciens Deo. En quomodo Christi verba de sua Filiatione, déque suo Patre Deo intelligebant, neque Christus hanc illorum interpretationem vt falsam damnat, sed potiùs, aliis verbis confirmat, vt ibi liquidò apparet. Præterea quum Iudæi audiuissent illa Christi verba de Deo. *Ego & Pater vnum sumus*. Io. 10. 31. sustulerunt lapides, vt lapidarent eum. Interrogati verò causam a Christo, responderunt in hæc verba. *Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam*. Quæ hæc blasphemia? Explicant, dicentes: *Quia tu homo cùm sis* (nempe tantùm) *facis teipsum Deum*. Igitur verba Christi, quum appellauit se Filium Dei, de filiatione naturali & essentiali, qua fit, vt Filius eiusdem sit naturæ, cuius est & Pater, intellexerunt. Atque ita quum dixit, se & Patrem vnum esse, non ignorarunt, eum voluisse inferre, se eiusdem esse Deitatis cum Patre: ac proinde verum Deum. Confirmant hæc illa, quę scribuntur Iohan. 19. 7. Iudæi causam præcipuam, cur peterent à Pilato, vt curaret occidi Iesum, hanc esse significarunt, nempe quòd esset blasphemus in Deum. Legem autem iubere, vt blasphemi interficiantur. Esse verò blasphemum, inde contendebant, quòd dixisset, se Filium esse Dei. Dicere autem te esse Filium Dei, vel quia creatus sis à Deo, vel quia adoptatus in Filiū, & receptus in fœdus, vel quia renatus sis per Spiritum Dei, vel denique etiam, quia conceptus sis è Spiritu Altissimi, sine semine viri, sicuti fuit Christus: blasphemia nulla est. Neque Lex in huiuscemodi homines, iubebat animaduerti. Sed quos iussit occidi, tanquam verè blasphemos? Qui aut honorem soli Deo debitum sibi vsurpabant: vt si quis diceret se esse Deum, aut Spiritum Dei, & genitum in cœlo ex Deo, & è cœlo venisse, vt dicebat (sed verè, & sine blasphemia) Christus. Aut qui Deum sua simpliciter spoliant maiestate, & gloria, sicut Paulus, quum negabat, Christum verum esse Deum, eoque inuocandum. Ergò Iudæi coram Pilato testificati sunt se non aliter verba Christi, quibus sæpè dixerat, se Filium esse Dei, intellexisse, quàm eum voluisse dicere, se talem esse Dei Filium, qui etiam Deus sit: sicut etiam quum dicebat, se Filium esse hominis, innuebat se verum esse hominem.

III. Neque Pilatus secus interpretatus est accusationem Iudæorum; ideò sequitur, *Pilatus ergo, quum audiuisset hunc sermonem magis timuit*, nempe occidere hunc Iesum, qui prædicauerat constanter, se Filium esse Dei: nempe alia ratione, quàm Iudæi passim dicebant, se omnes filios esse Dei. Timuerat enim ante, hunc occidere, quia videbat nullum in eo crimen esse, dignum morte. Quum verò audiuisset, eum palàm etiam se prædicasse Filium Dei: maiori timore & reuerentia numinis fuit perculsus. Hæc est causa, cur magis timuerit. Io. 19. 4. Idcircò Iesum abductum à turba in prætorium, secretò interrogat, & petit, vt sibi liberè dicat, vnde sit, ac proinde quis sit. *Vnde* (inquit) *es tu?* Quasi dicat, Es-ne Deus aliquis è cœlo, ad nos profectus? Dic mihi liberè. Christus verò quid ad hæc? Nullum dedit responsum. Qui autem tacet in iudicio, affirmat. Suo igitur silentio affirmauit, se talem esse, & è cœlo venisse. Non enim hoc negauit, quia negasset ipsam veritatem, cui tamen vt daret testimonium, dixerat se venisse in Mundum. Io. 18. 37. Neque apertè asseuerauit, ne à Pilato, cui religio erat, iniuria afficere numen, absolueretur. Ergo etiam homines impij, & apertè Christi hostes, tam ex Gentibus idololatris, quàm ex Iudæis, intellexerunt, quum Christus sese appellaret Filium Dei, illum sic se vocare, quòd vellet intelligi, se Filium esse Dei natura, verumque Deum.

IIII. Quid dicam de Diabolis infernalibus? *Aduersarius vester Diabolus* (inquit Petrus 1. 5. 8.) *circuit tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Docet hunc esse Diaboli scopum, vt à fide, quam habemus in Christum, & qua seruamur nos auellat. Quæ est autem fides, quæ seruat nos? Fides, qua credimus in Christum vt in Filium Dei naturalem, verum Deum, eoque verum Seruatorem, & vitam æternam, vt docet Iohannes. 1. 5. Nouit igitur etiam Diabolus Christum talem esse Dei Filium, qui sit Deus eoque verus Seruator, ac proinde curat, vt nemo fidem in hunc habeat. In Actis Diabolus ait de Paulo, Timotheo, & Luca, Act. 16. 17. *Hi homines sunt serui Dei Altissimi, qui euangelizant vobis viam salutis.* Quem nomine Dei Altissimi intelligit? Christum. Huius enim semper se vocabant seruos Apostoli, vt manifestum est. Et hoc norat Diabolus. Fatetur igitur & prædicat Christum Deum Altissimum. Item in Euangelio: *Quid tibi nobiscum est Christe, Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos.* Matth. 8. 29. Norunt igitur dæmones, Christum esse illum, qui diabolos omnes in fine secuti missurus est in ignem æternum, tanquam Iudex Mundi, eoque Filium esse Dei, Deum. Deus enim dicitur iudicaturus mundum, apud Prophetas: id quod Dæmones non latebat. Si igitur etiam Diabolus mendacij pater, Christum vocat Filium Dei & Deum, quæ est eorum impietas, qui Christo nomen dederunt, & interim negant, eum esse Filium Dei talem qualem Dæmones confessi sunt? Certè si quis tam multis, támque perspicuis testimoniis: è cœlo à Patre, Filio, Spiritu sancto, Angelis, & è terra à sanctis primùm viris, deinde etiam ab impiis, & à Diabolis ipsis, allatis, nondum intelligit, aut non vult intelligere, Christum esse Dei natura, ex Patris substantia genitum, eoque verum Deum: is apertissimum dat suæ incredibilis impietatis, & animi, audaciæque plusquam Diabolicæ testimonium: quòd is audeat omnibus, qui è cœlo, & omnib. etiam, qui in terra testificati sunt, de Christo æterno, & naturali Dei Filio contradicere, eoque mendacij accusare. Nos acquiescimus in his testimoniis, etiamsi nullæ aliæ adferrentur rationes. Sed præter aperta testimonia, quibus nititur nostra fides, non desunt etiam argumenta, ex certis, & per se notis principiis deducta, quibus etiam doctrina luculenter confirmetur.

## CAPVT VII.

Argumenta quatuor, ex principiis per se notis desumpta, quæ probant Christum Filium Dei, ex substantia Patris esse genitum, idque modo omnium perfectissimo.

QVanquam itaque doctrina, de vera, & æterna Filij, ex Patre Deo natiuitate, satis supérque confirmata est, ex iis, quæ huc vsque attulimus, & explicauimus testimoniis, tamen quò magis ac magis obstruantur impiis ora, in Filium Dei blasphema, quatuor hic subiicio argumenta, meo quidem iudicio haud infirma, quibus eadem doctrina comprobatur, Quorum primum tale est, à comparatis ductum, per negationem à minori ad maius.

Christus non minùs est ἀληθινὸς, καὶ γνήσιος, καὶ ὁμογενὴς Filius sui Patris Dei, quàm nos sumus nostrorum parentum. Ideò enim nos dicimur esse, & sumus veri, naturales, & germani nostrorum parentum liberi: quia ex ipsis geniti sumus, non autem facti per adoptionem. Christus autem dicitur, & est, verè genitus ex Patre Deo. Io. 1. 18.

Atqui nos ita sumus veri & germani parentum nostrorum filij vt simus ex ipsorum substantia progeniti: ideò sumus & dicimur veri eorum liberi, quia ex vera ipsorum substantia geniti sumus.

Est igitur etiam Christus, quà λόγος, ex substantia Patris Dei genitus.

Ad huius rei non tam confirmationem, quàm explicationem, notanda est omnibus verè pietatis studiosis hæc regula, quæ ad cognoscendum Deum non parum adfert adiumenti. Quoniam Deus perfectissimus est, & summum bonum, & quidquid agit, perfectissimo agit modo: ita vt nihil imperfectionis aut mali in Deum, inque eius actiones cadere possit: ideircò quum de Deo prædicantur ea, vel nomina, vel verba, quæ etiam de nobis aliisvè creaturis: tunc quicquid in iis rebus & actionibus, per nomina & verba significatis, continetur, aut significatur perfectionis, totum illud dandum est Deo, idque modo perfectissimo. Ac proindè contrà quicquid in iis continetur aut significatur imperfectionis, & mali à Deo remouendum est. Exempla: Nomen Lucis quum prædicatur de Sole, habet quiddam boni & perfecti, habet etiam non parum imperfecti. Hoc autem est bonum ac perfectum, quòd lux ipsa

Lux est purissima, & nullis admixta tenebris. Item, quòd per eam res patefiunt & videntur, quæ alioqui non possent inspici. Item, quòd per ipsam animantia omnia viuificantur. Hæc, perfectum quiddam sunt: Hoc verò habet imperfecti, nempe quòd creata est. Est enim perfectius, increatum esse, quàm esse creatum. Quòd sit facta in tempore. Est enim perfectius esse æternum, quam in tempore factum. Quòd patefaciat externa tantùm corporum accidentia, nempe colores, non autem rerum substantias, internásve & essentiales rerum proprietates. Et alia multa in hac Solis luce considerari possunt, quæ imperfectionem non paruam significant. Ergò, quum hoc nomen lucis prædicatur de Deo, & Deus dicitur Lux esse: principiò hoc Deo attribuendum est, quòd sit purissimus & simplicissimus, ac tenebræ in eo non sint 1. Ioan. 1.5. quòd illuminet omnẽ hominẽ veniẽtẽ in hunc Mũdũ. Io. 1.9. imò quòd sit causa cognitionis omnis in Angelis & hominibus: quòd omnia tegat, etiam abscondita & occulta cordium: quòd viuificet omnia. Omnia enim hæc, & alia multa in luce, bona sunt, & perfectionem quandam significant: sed longè etiam perfectiori modo sunt hæc intelligenda de Deo, quam spectentur in luce Solis. Deinde quidquid imperfectionis in hac Solis luce cernitur, & cerni potest: remouendum est à Deo, & contrarium illi, id est, perfectum, tribuendum. Proinde dicimus Deum lucem esse non creatam, sed increatam ἀγέννητον, sed æternam: non quæ externa tantùm corporum accidentia retegat, & superficietenus illuminet, sed quæ patefaciat etiam occulta cordium, & mentes illuminet ad videndum etiam Dei ipsius voluntatem, mentem, naturam. Idem dico de sermone, τῷ λόγῳ: quum de nobis prædicatur, hoc significat perfectionis, quòd per nostrum sermonem occulta mentis significantur & cognoscuntur: sed hoc est imperfectum, quod noster sermo res est minimè subsistens, sed euanescens. Quum igitur prædicatur de Filio Dei: perfectio illa verbi retinenda est, quòd scilicet per Filium mens & voluntas Patris cognoscitur: ac proinde quòd verè sit λόγος Patris. Sed imperfectio remouenda, ac proinde dicendum τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, rem esse non euanescentem, sed per se subsistentem, non temporariam, sed æternam. Non est opus pluribus exemplis.

Quum hæc ita se habeant, liquidò apparet, quo sensu intelligendum sit, quum Scripturæ tradunt hunc Λόγον, Christum esse Filium Dei proprium, & vnigenitum: nempe, Filium esse, non ex aliena substantia factum, sed ex propria essentia Patris genitum: idque non ex parte, sed in totum, ita vt tota Patris essentia sit Filio communicata, neque etiam in tempore, sed ab omni æternitate: non κατὰ ῥύσιν, per defluxum, sicut nos per defluxum partis substantiæ, ex nostris parentibus geniti sumus, aut per vllam ἀλλοίωσιν, alterationem substantiæ, aut κατὰ μερισμόν, quasi diuina essentia in duas partes sit distributa, sed per modum, naturæ diuinæ conuenientem, & perfectissimum, quanquam nobis incognitum, quia non reuelatum. Non denique genitum extra Patrem, seu (vt loquuntur Scholastici) ad extra: ita vt à Patre sit κεχωρισμένος, sed intra Patrem, & vt Græci Patres dixerunt, κατὰ μονήν, per immansionem, ita vt semper sit in Patre: & proindè verè eum esse non tam ὅμοιον, quàm ὁμοούσιον Patri. Talem enim esse Dei Filium Iesum Christum, quà λόγος est, liquet, quoniam iuxta regulam à nobis traditam, eámque certissimam, quidquid perfectionis reperitur in nostrorum filiorum generatione, illud totum attribuendum est etiam Christo Filio Dei in sui generatione. Nam ille etiam genitus est ex Patre suo, vt Scriptura tradit, & quidem hoc attribuendum est illi, modo perfectissimo: quia perfectior est ille Filius Dei, & perfectiori modo genitus, quàm nos sumus ex parentibus nostris. Atqui hoc est bonum & perfectum, in nostrorum liberorum generatione, quòd ex nostra substantia ita generantur, vt formam etiam humanam, nostræ similem, accipiant: ac proinde tam sint homines, quàm etiam nos. Hoc certè ad perfectionem pertinet, nempe, vt qui generat, natura sibi simile generet: ac proinde è sua substantia generat. Hæc verò imperfectionem significant, nempe quòd nostri liberi geniti sunt, non in totum, sed ex parte è nostra substantia, ita vt non tota sit illis communicata. Est enim perfectius totam communicare substantiam, ita tamen vt totam etiam simul tibi retineas, sicuti candela candelæ totam lucem, quàm partem communicare. Item: quòd geniti sunt χρονικῶς, in tempore, non ab æterno. Est enim perfectius esse ab æterno genitum, quàm in tempore & esse æternum, quàm temporarium. Item quòd geniti sunt κατὰ ῥύσιν nostræ substantiæ, & κατ' ἀλλοίωσιν. Est enim perfectius generare citra vllam alterationem, aut substantiæ defluxum & corruptionem si fieri posset, quàm cum alteratione, & per substantiæ defluxum ac corruptionem. Item quòd geniti sunt extra nos, ita vt à nobis sint non solùm distincti, sed etiam diuisi & separati: ac proinde quod sunt nobis tantùm ὅμοιοι, non autem verè ὁμοούσιοι. Est enim perfectius generare intra, quàm extra, ita vt res genita, in generante maneat, non autem à generante separetur, id quod in corporibus fieri nequit, propter materiæ imperfectionem. Denique quòd non secum trahunt, neque totam parentum substantiam, neque omnes parentum virtutes, vires, ingenium, sapientiam, seu (vt vno verbo dicam) quod generantur quidem ὁμοούσιοι, & tum animo tum corpore aliquo modo parentibus similes, sed neque ὁμοούσιοι, neque omni ex parte parentibus similes. Hæc enim omnia impotentiam in parentibus demonstrant. Et perfectius est generare ὁμοούσιον quàm ὅμοιον; & generare ita similes, vt nullum planè videas discrimen inter Patrem & Filium: quàm gignere aut omnino dissimiles, aut ex parte similes. Quæcunque autem (vt diximus) imperfectionem significant & habent, remouenda sunt à Deo, & quæ significationem habent perfectionis, ea tantùm in Deo sunt admittenda. Est enim Deus summum bonum, & summa perfectio, & omnipotens. Quid igitur ex iis consequitur, nisi τὸν λόγον, qui posteà factus est homo, & ita Christus, talem esse Dei Filium, qui ab omni æternitate ex Patris Dei substantia, citra vllam ἀλλοίωσιν, aut mutationem, non extra, sed intra Patrem ita genitus sit, vt totam Patris essentiam ac deitatem, à Patre tamen nulla ratione ablatam in se habeat, atque ita habeat, vt verè & Patri sit ὁμοούσιος, & à Patre inseparabilis: eóque non tantùm verus, sed etiam vnus atque idem cum Patre Deus? Est enim Pater Deus potentissimus. Ergò cùm Scriptura dicat, hunc Deum genuisse sibi Filium, & hunc vocet vnigenitum. Quis inficiari possit, Deum Patrem potuisse talem sibi Filium qualem prædicauimus, gignere, imò genuisse? Atque ita dedisse huic Filio, vt fuerit ab æterno, vt totam Patris habeat essentiam, vt denique non minùs sit perfectus quàm Pater: eóque nullum inter ipsum & Patrem discrimen sit nisi personale: nimirum quod vnus est Pater, alter Filius? Sic Tertullianus de Trinitate pag 606. *Hac contumelia Hæreticorum in ipsum quoque Patrem redundabit: Si Deus Pater, Filium Deum generare non potuit.* Hæc ille.

### *II. Argumentum secundum à nomine Patris.*

SI Christus non est ex substantia Patris genitus, consequitur nomen Patris magis propriè competere in homines, quàm in Deum. Homines enim generant filios è sua substantia, & ea de causa vocantur propriè & verè, proprij & veri suorum filiorum parentes, & contrà, qui genitos ex aliis sibi adoptant in filios, impropriè dicuntur horum parentes, & hi, illorum filij. Atqui nimis absurdum est, ne dicam etiam impium, hoc de Patre Christi, déque Patris Filio sentire & cogitare, nedum prædicare: quandoquidem ideò nos sumus Patres, quia ille prior omnium Pater, nobis non solùm nomen suum, nempe Patris, verùm etiam rem, & vim gignendi liberos communicauit. *An ego parere faciam, non pariam? Dicit Iehoua, An ego gignere faciens prohibebor? ait Deus tuus* Ies. 66.9. Scio ibi sermonem non haberi de hac æterna generatione: propositio tamen vera est in genere, & simpliciter. Est enim Deus Pater, primùm quidem Filij sui vnigeniti, propter veram generationem: Deinde hominum omnium, propter veram creationem: postremò Electorum, propter veram regenerationem, Pater, & verus quidem Pater: ita fit, vt nomen Patris priùs & per se, eóque propriissimè in Deum Patrem competat, in homines verò posterius, & per aliud, nempe per Deum, qui suæ paternitatis nomen & rem, hoc est, vim liberos generandi, communicauit, ac proindè minùs propriè nos vocamur Patres liberorum nostrorum, quàm Deus Pater Christi. Huc illud apud Matth. 23.9. *Nolite vocari Patres: vnus est enim Pater vester qui in cælis est*, hoc est, in quem vnum verè & propriè hoc nomen Patris competit.

### *III. Argumentum tertium à nomine Filij.*

CHristus aut propriè, aut impropriè appellatur in Scripturis vnigenitus Dei Filius. Si propriè, ergo genitus est è substantia Patris Dei. Gignere enim propriè significat, aliquem è nostra substantia, nobis natura similem procreare. Hoc liquet apud Grammaticos, & apud Philosophos: denique in ipsa animalium generatione. Si impropriè: Filius igitur Dei veriùs dicetur factus, quàm genitus Filius. Sic enim & nos ideò impropriè dicimur nati ex Deo. Nã sicut illi propriè dicuntur filij, & geniti ex parentib. qui

ex ipso

ex ipsorum substantia procreati sunt: sic impropriè illi vocantur geniti, & filij, qui non sunt è substantia eorum, quorum vocantur filij: vt qui per adoptionem, filij facti sunt. Est autem absurdum & impium, dicere τὸν λόγον factum Filium Dei: ac proinde impropriè dici vnigenitum. Imò, pugnat cum voce vnigeniti esse factum Filium, non autem ex Patre genitum. Nam nos quoque fuimus facti filij Dei. ita non esset vnigenitus. Ergo, vt sit vnigenitus, necesse est, vt etiam propriè appelletur vnigenitus Dei Filius, & proinde vt ex Patris Dei substantia genitus sit.

### *IV. Argumentum quartum à proprietatibus naturæ diuinæ.*

IN quo conspiciuntur proprietates essentiales alicuius naturæ, & eadem vis atque efficacia, in eo etiam sit eadem natura & essentia, necesse est. Ratio est: quia huiuscemodi essentiales proprietates, & naturalis virtus, à sua essentia & natura separari non possunt. Exemplum: Vbicunque videmus facultatem ratiocinandi, intelligendi, deliberandi, loquendi, ridendi, & alias essentiales hominis proprietates: ibi naturam & formam hominis inesse, necessariò euincimus. Atqui proprietates, & vis diuinæ essentiæ, in Christo ipso spectantur, vt Scripturæ docent, quæ omnia Dei attributa & effecta, ipsi quoque Christo attribuunt. Est igitur in Christo, ipsa Dei essentia, & natura, ita vt sit Deus. Vnde verò eam habet? à seipsone, an ab alio? Si simpliciter à seipso dicas: non fuerit igitur ex Patre genitus. Quid enim est Filius ex Patre genitus, nisi Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, vt Patres in Concilio Niceno ex verbo Dei definierunt? Est autem genitus à Patre. A Patre igitur suam habet essentiam, & quidquid est. Quomodo verò habet? Nascendo ex Patre. Genitus igitur est ex Patris substantia. Sed hæc generatio æterna est; ita vt nunquam fuerit Deus Pater, sine hoc Filio Generatio item perfectissima est, ita vt tota Patris essentia Filio sit communicata, sine vlla decisione, alteratione, immutatione, sed tota etiam manserit in Patre. Ac proindè dici non potest Filij essentiam esse à Patris essentia deriuatam, factam, essentiatam, cùm eadem planè, & simpliciter essentia, quæ in Patre est, sit etiam filio communicata. Quæ etiam causa est, cur admitti possit quorundam piorum loquutio, Filium, quà Deus est, esse à seipso, hoc est, essentiam, quæ est in Filio, non esse ab alia essentia, sed à seipsa. Non est enim facta, neque propriè loquendo genita, quasi alia, sed eadem communicata. Idcircò Basilius rectè contra Eunomium libro primo, pag. 314 ait, Essentiam ingenitam esse.

Audiam libenter quid aduersus hæc & Testimonia & Argumenta pro æterna ac naturali Filij Dei, ex sui Patris substantia generatione: habeant gloriosi nostri Antichristi, qui videri cupiunt reformatores Ecclesiæ, in hoc primo ac præcipuo totius Christianæ pietatis fundamento, nimirum de cognitione Dei, homines, vt notum est, ambitiosi, inconstantes, indocti: reliqua nota sunt illi Deo aduersus quem suos stringunt calamos, suásque linguas: sed apud quem etiā cogētur se tandē sistere. & rationē tantæ suę audaciæ reddere. Misericors est Christus: sed iustus etiam mundi iudex. Qui sapiunt caueant sibi ab eius ira, osculentur eum: ne quando irascatur, & pereant de via iusta. *Psal. 2. 12.*

## CAPVT VIII.

Antiquam, & receptam fuisse in Ecclesia sententiam, Filium, ex substantia Patris Dei, esse genitum. Qualis fuerit, ac sit hæc generatio, & quomodo possit à nobis intelligi, atque explicari. Ex Patribus.

NVnc tria restant de hac Filij generatione. Primùm, vt aliquot Patrum testimoniis, hoc cumprimis confirmemus, nēpe, Filium ex substantia patris Dei genitum esse. Hoc verò facio necessitate coactus. Sunt enim nonnulli, pij alioquin & doctissimi viri: qui loquutionibus istis offenduntur? Christum è patris substantia, seu essentia genitum esse, esse Deum genitum de Deo: lumen ex lumine. Deinde videndum est: An quomodo generatio hæc Filii ex patris substantia facta sit cognosci à nobis possit. Postremò: Si non possit certò intelligi: quid saltem de hac sentiendum sit, & quanam ratione possit vtcunque indicari. Audiamus igitur primo loco Patrum de hac loquendi forma, Filium esse genitum ex ipsa Patris Dei substantia, Deum de Deo, sententiam.

Ignatius Polycarpi discipulus, & alter post Petrum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, tres (vt testatur Euseb. Cæs. lib. 3. hist. cap. 35.) scripsit Ecclesiis Epistolas. Vnam Ephesinæ Ecclesiæ. Alteram Magnesiis. Tertiam Trallenis. Itaque de iis tribus dubitari à nobis non debet. De aliis verò, quæ Ignatio ascribuntur Epistolæ, nullum apud probatos auctores inuenio testimonium. In sua igitur Epist. ad Trallesios, quæ est secunda ordine: pag. 7. de hæreticis sui temporis, præter alia scribit in hæc verba: τὸν μὲν γὰρ χριστὸν ἀλλοτριοῦσι τοῦ πατρός, τὸν δὲ νόμον τοῦ χριστοῦ, καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν διαβάλλουσι. Quid sibi vult illud, ἀλλοτριοῦσι? Hæretici certè illi minimè negabant, Deum esse Christi patrem eo, quo & noster pater dicitur, modo: sed contendebant, Christum non esse eiusdem cum Patre naturæ atque essentiæ, è Patris substantia genitum eoque verum Deum. ἀλλοτριοῦσι igitur, inquit, quia faciebant eum natura & essentia alium à Patre; negantes eum genitum ex Patris substantia seu οὐσία. Talis erat Ebion, Carpocrates & quicunque dicebant Christum ψιλὸν ἄνθρωπον. Sic posteà etiam Ariani negārunt Filium è substantia Patris genitum, vt liquet ex contraria Niceni concilij sententia. Hæresis igitur est, dicere Christum Filium Dei, non esse ex substantia Patris sui genitum. Idem Ignatius in eadem Epistola, pag. 8. lin. 18. ait, non prębendas esse aures illis, qui loquuntur χωρὶς Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἐκ Θεοῦ, ὃς (Christus) ἐγεννήθη ἀληθῶς, καὶ ἐκ Θεοῦ καὶ ἐκ παρθένου. ἀληθῶς, inquit, genitus est ex Deo, sicut etiam ἀληθῶς genitus est ex virgine. Docet igitur, Christum sicut è virgine vera homine ita verè genitus est, vt è vera illius substantia genitus sit verus homo, ita verè ex Patre vero Deo genitum esse, vt ex veri Dei substantia verus genitus sit Deus. Idem in Epistola ad Magnesios pag. 14. lin. 6. ait de Christo Filio Dei ὅς ἐστιν αὐτοῦ (Dei) λόγος: οὐ ῥητός, ἀλλ' οὐσιώδης. οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή. *Qui* (Filius) *ipsius* (Patris Dei) λόγος: *non prolatitius, sed substantialis. Non enim est soni, seu vocis articulatæ prolatio, sed efficacitatis diuinæ, essentia genita.* Οὐσίαν hîc accipiunt quidam pro ὑπόστασιν. Οὐσίαν enim γεννητὴν opponit τῷ φωνήματι τῆς λαλιᾶς ἐνάρθρου, hoc est, prolationi soni articulati, seu prolatitio sono; qui mox euanescit. Sed dare possumus, οὐσίαν in propria significatione hîc accipi, modò illud γεννητὴ accipiatur pro communicata. Pater enim totam suam essentiam communicando, genuit Filium. Sic etiam apud Theodoretum hist. lib. 1. cap. 2. Patres Concilij Niceni passi sunt dici, Filium esse οὐσίαν γεννητήν; hoc est, vel ὕπαρξιν verè & propriè genitam: vel οὐσίαν impropriè genitam, hoc est, communicatam, nempe per generationem. Sed vtut accipiamus οὐσίαν: hinc liquet Ignatium sensisse Filium Dei genitum ex Patris Dei substantia & essentia.

II. Iustinus Martyr, qui floruit in Ecclesia circiter annum Domini 141. in libro, cui titulus: *Expositio fidei de sancta Trinitate*, pagina 177. græcè: latinè verò 198. explicat simili quodam, quomodo Filius natus sit ex Patre, & sic concludit: οὕτω, τοῦτον νοεῖν δεῖ τὸν υἱὸν ἐκ πατρὸς γεγεννῆσθαι ὡς φῶς ἐκ φωτός. Et mox hinc colligit Filij & coæternitatem cum Patre, & ταυτότητα essentiæ, & passionis expertem natiuitatem: sicut etiam generatur lux è sole. Ideò ait: *Non enim* κατὰ τομήν, *ὡς fidem, ὡς διαίρεσιν elucescit:* ἀλλ' ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἀπαθῶς προέρχεται. Manifestum est ex Iustini scriptis, sanctum illum virum, non horruisse, sed sæpè vsurpasse hanc loquutionem: Filium è substantia seu essentia Patris genitum esse.

III. Tertullianus contra Prax. non semel dixit, Filium ex Patre, & ex Patris substantia genitum, & Deum generasse Deum: pag. 426. docet filium, & alium esse à Patre, quia sermo est Dei Patris, & eiusdem esse cum Patre essentiæ, quia Deus est ex Deo, ac præter alia ait: *Hactenus Deus* (scilicet Filius est) *quia ex ipsius Dei* (est) *substantia.* Item libro de Trinitate, pag. 606. ait magnam contumeliam redundarō in ipsum Deum Patrem, si Deus Pater Filium Deum generare non potuit. Item ad finem paginæ, docet: Si ideo vetum hominem dicimus esse Christum, quia ex homine genitus est: ita fatendum esse verum Deum, quia ex Deo genitus est. *Vt enim præscripsit ipsa natura, hominem credendum esse, qui ex homine sit, ita eadem natura præscribit, & Deum credendum esse, qui ex Deo genitus sit, ne si non & Deus fuerit, cùm ex Deo sit, iam nec homo sit, licèt ex homine fuerit, & in alterutro vtrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse conuincitur. Qui legunt ergo hominis filium hominem Christum Iesum: legant hunc eundem & Deum, & Dei filium nuncupatum.* Docet apertè, ideò Deum esse verum, Filium Dei Christum: quia ex Patris substantia genitus est, sicut & verus homo ideò est, quia ex substantia hominis procreatus est.

IV. Basilius contra Eunomium libr. 1. in hoc cumprimis incumbit, vt demonstret, Filium neque ex nihilo, neque ex vlla materia, seu re alia, quàm ex Patris substantia genitum

esse,idq; ab æterno:eoque verè esse coæternum.Et quidem lib.1.pag.317.præter alia ait, Patrem participem fecisse Filium suæ naturæ:Et si non fecit participem,non esse igitur Patrem.Item illud ad Phil.2.6. *Qui cùm in forma Dei esset,* sic explicat:quòd sicut quum dicitur formam serui sumpsisse,significatur,Filium factum esse hominem,& in humanæ naturæ essentia genitum , sic quum dicitur esse in forma Dei,nihil aliud significatur quàm eum esse in essentia Dei idem cum Deo Patre: confirmat idem lib.2.& sic concludit pag.316. *Quomodo igitur non erat à principio , qui nihil habet quod ante se intelligatur,nisi eum ex quo ipsum esse habet , non interuallo praeuenientem,sed causa praepositum?* En quàm perspicuè dicit Basilius, Filium habere suum esse à Patre.Sed quomodo?ait,non quòd Pater præuenerit Filium vllo interuallo,quasi Pater fuerit quum Filius nondum haberet esse: sed tantùm,quia Pater præponitur Filio causa,hoc est,quia Pater non est à Filio,Filius verò à Patre est,quidquid est.Item in Sermone de Fide, pag.217. & alibi sæpissimè ait,Filium genitum ex Patre. Significat igitur, Filium non tam à Patre,tanquam genitore,quàm ex Patris substantia genitum esse.Sed quid illud,genitum ex substantia Patris,aliud significat, quàm Patris essentiam Filio esse communicatam per generationem?Sic enim sæpè explicat Basilius.

V.Quid verò Ambrosio clarius?

Ambrosius T.2.de fide ad Gratianum Imperat.lib.1.cap.5.pag.53. *Incomprehensibiliter generatur Filius, impassibiliter generat Pater, & tamen ex se generauit Deus verus, Deum verum.*Item pag.54.*Non est alienus Filius,quia ex Patre natus.*Item:*Deus verus est ex Deo vero.*

Item T.2.lib.de orthodoxa , contra Arianos, cap.2.pag.209. pulchrè docet.Si Filius non est de substantia Patris, vt Ariani dicunt, sequitur eum esse ἐξ οὐκ ὄντων,vt idem Arius docet.Item cap.8.adfert Argumenta,quibus Ariani conabantur probare, Filium non esse de substantia Patris:& ea soluit. Negare igitur Filium esse de substantia Patris genitum,est defendere sententiam Arii , Filium non esse ὁμοούσιον Patri. Vt enim hoc probaret,contendebat non esse genitum è Patris substantia.Contrà verò Patres,vt euincerent,eum esse Patri ὁμοούσιον probabant ex Scripturis, Si Filius est vnigenitus Patris Filius,eum esse genitum ex Patris substantia,ac proinde ὁμοούσιον Patri.

VI.Augustinus T.3.de Fide ad Petrum,c.2.col.212.B.*Filius non genuit ipse, sed solus de substantia Patris natus est.* Item ibidem col.213.A.*Pater ergo Deus de nullo genitus Deo,semel de sua natura sine initio genuit Filium Deum sibi æqualem,& eadem,qua ipse naturaliter æternus est, diuinitate coæternum.* Item.T.3.de Trinitate,lib.15.cap.19.col.467.D.ad calcem, sic concludit:*Ac per hoc Filius charitatis eius,nullus est alius, quàm qui de substantia eius genitus est.*Et ibidem vocat Christum Filium substantiæ Patris. Item T.6.contra Maximinum Arian. Episcopum.lib.3.c.14. Negabat Maximinus, filium genitum esse de substantia Patris , asseuerabat Augustinus: ac præter alia sic ait , col.733.A. *Vos autem nec Filium de Patris substantia genitum vultis,& tamen, eum nec ex nihilo, nec ex aliqua materia, sed ex Patre esse contenditis. Nunc videtis quàm necesse sit,vt qui non est ex nihilo,non est ex aliqua re alia,sed ex Deo; nisi ex Dei substantia esse non possit: & hoc esse quod Deus est,de quo est,hoc est,Deus de Deo.* Item paulò pòst.Quia ideò negabant Ariani Filium genitum esse ex substantia patris, propterea quod putabant non potuisse fieri hanc generationem , nisi per corruptionem patris, quod impium est cogitare:idcircò subdit:*Carnalibus quippe cogitationibus pleni,substantiam Dei de seipsa gignere posse Filium non putatis, nisi hoc patiatur, quod substantia,quando gignit,patitur,carnis. Erratis, non scientes Scripturas,neque virtutem Dei. Quando legitis 1.Io.5. Vt simus in vero Filio eius Iesu Christo: Verum Dei Filium cogitate. Hunc autem Filiũ nullo modo verũ Dei Filiũ cogitatis,si cũ natũ esse de substantia Patris,negatis.* Item mox sic argumentatur.B.*Filius aut de nihilo,aut de aliqua substantia natus est.Non de nihilo* (hoc.n.negabat Maximinus se,cũ suis,sentire)*De aliqua ergo substãtia est.Si nõ de Patris:de qua?Dicite.Sed nõ inuenitis. Iam igitur vnigenitũ Dei Filiũ Iesum Christũ Dominũ nostrũ de Patris esse substantia,non vos nobiscum pigeat confiteri. Pater igitur & Filius vnius sunt eiusdémque substantia. Hoc est illud ὁμοούσιον,quod in concilio Niceno contra Arianos à patribus firmatum est.* Hæc omnia Augustini. En qua ratione Patres defendebant Christum esse ὁμοούσιον Patri , nempe inde, quod probabant esse è substantia Patris genitum.Vnde probabant?E locis Scripturarum, vbi Filius dicitur genitus ex Patre, vnigenitus Patris. Item col.734.D.repetit argumentum.*Iterum dico hoc,quod vobis sæpè dicendum est: Aut de aliqua substantia natus est Dei Filius,aut de nulla. Si de nulla: ergo de nihilo:quod vos non dicere iã tenemus. Si de aliqua,nec tamen de Patris,non verus est Filius. Si de Patris:vnius eiusdémque substantia sunt Pater & Filius.* Hæc omnia Augustini. Item T.9.in Euangelio Ioh.c.5.Tract.17.col.155.A. *Christus æqualis patri natus erat,non factus:natus de substantia Patris.*

VII.Fulgentius contra Arian.pag.120.Item ad Monimum lib.3.pag.92.*Ille*(inquit)*quod Deus,quod Filius,quod vnigenitus est,naturaliter est,quia de natura Patris natus est.Nos autem quod dij,quod filij,quod geniti sumus, non natura sed gratia sumus.* Item legantur eius responsiones ad decem obiectiones Arianorum,quibus contendebant Filium non esse natũ ex Patris Dei substantia.pag.95. ad obiectionem quartam. Item pag.110. Item pag.117. probatur efficacissimis rationibus,filium esse ex substantia Patris. Item pag 120. ad calcem. Item ad Thrasimundum Regem:ad finem libri primi.

VIII. Ad extremum omissis infinitis aliis Patribus, addo tum Eusebii Cæsariensis, tum Concilii Niceni confessionem & explicationem. Apud Theodoretum hist.Eccl.li.1.c.12.Epist.extat Euseb.Cæs.aduersus Arianos: in qua Epist. suam de Filio Dei orthodoxam explicat sententiã.Ibi præter alia confitetur , Filium Iesum Christum ex Patre esse genitum ante omnia secula,Deum ex Deo,lumen de lumine,vitam ex vita.Fuit hæc probata toti Synodo,& Imperatori,adiecta tantùm fuit à Synodo particula ὁμοούσιος: quam explicatã admisit Euseb.Fides itaque subiicitur Synodi Nicenæ: *Credimus & in vnum Dominum Iesum Christum Filiũ Dei: genitum ex Patre, vnigenitum : h.e. ex essentia paterna.* Hæc ibi.Hanc explicationem,ex Patris essentia,admisit Euseb.Quid verò significare voluerint Patres hac loquutione, ibidem explicatur:nempe,Filium esse ex Patre quidem:non tamen vt partem Patris,seu partem essentiæ illius. Ibi quoque habetur eadem loquutio,quæ apud Ignatium in Epist. nempe,essentiam Filij genitam esse ex Patre: modo tamen ineffabili & incomprehensibili.Huius explicationis sensus ante fuit explicatus.Item expresse fatentur, Filium ex sola Patris essentia genitũ esse:cui sententiæ accessit Euseb. Cæs.

Ergò satis superque demonstratum est, tum è Scripturis, tum etiam ex Patribus,& ex confessione Fidei totius Ecclesiæ catholicæ in Conc. Niceno: Christum Filium esse Dei Patris,ex patris substantia genitum eoque verum Deum,de vero Deo. Quare meritò,Gentili nobis obiicienti,quòd negemus Filium è substantia Patris genitũ,à pio & doctoquodam viro responsum fuit, hanc meram esse calumniam. Atque hæc de primo capite satis:quod caput certè necessariũ est, ad cognoscendum, nempe vt intelligamus loquutionem hanc, Filium genitum esse ex Dei Patris substantia, & genitum esse Deum de Deo , vsitatissimam fuisse in Ecclesia,iam indè à temporibus Apostolorum,eamque ex scriptis Apostolicis collectam fuisse. Neque posse defendi, Filium esse ὁμοούσιον Patri; si negetur, vt Ariani negabant,ex substantia Patris genitum esse. Quia si genitus est,vt scripturæ docent,etiam antequam homo fieret, & non est genitus ex Patris substantia: consequitur necessariò,aut genitus ex aliqua aliquam Patris substantia , aut ex nihilo,seu,vt Ariani loquebantur,ἐξ οὐκ ὄντων. Quomodo igitur ὁμοούσιος Patri,aut Deus esse potest? Quòd si cuipiam videtur hinc consequi , Filium non esse verum Iehouam, quia Iehoua essentia est æterna , & quæ à seipsa est non ab alio, sciat hoc ideò nobis videri consequi , quia verbum generandi mens nostra non potest aliter interpretari aut percipere,quàm progeniti essentiam,ex genitoris essentia procreari:quippe quòd sic videamus,omnes reliquas generationes apud nos fieri , quasi verò modus illius diuinæ generationis similis sit modo , quo reliquæ fiunt generationes, atq; ita Filij geniti essentia,alia sit aliquo modo ab essentia Patris generantis: cùm eadem planè sit, sed in Patre à nullo,in Filio à Patre.Nihil enim aliud significare voluerunt Patres hac loquutione, quàm essentiam,quæ est in Patre, sed à nullo, eandem planè totam esse in Filio, sed à Patre, eámque ab omni æternitate, modo incomprehensibili filio communicatam , ac proinde non solum Patrem, sed etiam Filium,verum esse Iehouam, & vtrumque vnum, atque eundem Iehouam. Quare si velimus omnia euitare absurda,in quæ nostra mens ex humana huiusce diuinæ generationis consideratione,incurrit,teneamus alterum,quod sequitur, caput, nimirum, longè alia ratione genitum esse Filium Dei ex Patre Deo, quàm quæuis alia res, ex parentibus suis,& modum illum percipi à nobis non posse.

IX. Alterius membri hæc est summa: Quonam modo fuerit hæc Filij generatio ex Patre Deo facta: scrutandum nobis non esse, idque propterea quòd sciri à nobis nequit. Hoc verò indè liquidò apparet , quia in Sacris literis non reuelatur. De Deo autem nihil nobis statuendum est, nisi ex verbo ipsius Dei. Quis enim nouit ea,quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei? 1.Cor.2.11.14. Si igitur Spiritus Dei non reuelet

tenebr: est cognosci à nobis nequeunt. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Dei. De huius autem generationis modo nihil nobis est reuelatum. His subscribunt Patres omnes: & citant pleriq; omnes ad hoc confirmandum illud Iesaiæ 53.8. *Generationem eius quis enarrabit?* Legantur ergo ista Patrum testimonia, locáque inspiciantur: quæ subiicio, vel potiùs indico.

Iustinus de Trinitate pag. 197.198. latinè: græcè verò pa. 176.177.

Irenæus lib. 2. ca. 47. & 48. Non posse nos in hac vita, omnem habere cognitionem: sed tantùm eam, quam Scripturæ tradunt. Et concludit, Si Christus dixit, se nescire de die illa & hora, sed solum Patrem: quantò minùs possumus nos scire quomodo genitus sit Filius ex patre? non debere igitur nos erubescere fateri, neminem hunc modum nosse: sed solum illum qui genuit: & eum qui genitus est.

Cyprianus siue Rufinus in symbolum Apostolorum, in illud: *Credo in Deum Patrem*: pag. 359. *Quomodo sanè Deus Pater genuerit Filium, nolo discutias: nec te curiosius infiras in profundi huius arcanum.* Vide locum. Et argumento firmissimo ostendit, stultum esse, velle illius generationis rationem inuestigare: Cùm non possimus percipere, quomodo anima, quæ in nobis est, generet verbum, imò neque quomodo sol, generet ex seipso splendorem lucis: quomodo vaporem: & cætera.

Basilius contra Eunomium libro 2. pag. 333. ait modum, quo genitus est Filius ex Patre Deo, arcanum esse, & penitus incomprehẽsibilem, sed neque tamen propterea negandam esse generationem ipsam.

Ambrosius Tom. 2. de fide ad Grat. lib. 1. cap. 5. pag. 53. ait omnem superare sensum, illam Filij generationem. *Quæris à me, quomodo si Filius sit, non habeat priorem Patrem? Quæro item abs te: Quando aut quomodo putes Filium esse generatum? Mihi enim impossibile est, generationem scire secretam Mens deficit: vox silet, non mea tantùm, sed & Angelorum. Supra potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est.* Et confirmat dicens: *Si pax Christi supra omnem sensum est, vt ait Apostolus Phi. 4. 7. Quomodo non est supra omnem sensum tanta generatio?* Item: *licet scire, quod natus sit: non licet discutere, quemadmodum natus sit.* Item: *si Paulus ea, quæ audiuit raptus in tertium cœlum, ineffabilia dicit: quomodo nos exprimere possimus paternæ generationis arcanum: quod nec sentire potuimus, nec audire?* Item: *Incomprehensibiliter generatur Filius impassibiliter generat Pater: & tamẽ ex se generauit: & ante omnem intellectum generauit Deus verus Deum verum.*

Gregorius Naz. de Theologia lib. 3. pag. 253.254. Quæstionem tractat, quomodo Pater generet Filium, & post multa ait vnum tantùm restare, quod respõderi rectè queat: videlicet, Filium Dei, vtcunque natus sit: naturaliter atque homo solet, natum esse. Quomodo verò sit genitus: nesciri à nobis posse, qui neque, quomodo simus nos geniti, intelligere possumus. Etiamsi verò possemus nostri generationem cognoscere: diuinam tamen non posse nos intelligendo complecti. Missas igitur esse faciendas has cogitationes, Quomodo Filius Dei sit generatus: & contentos nos esse debere, quòd didicerimus eum esse generatum. Quomodo enim sit genitus: nosse solum illum qui genuit, Patrem: & qui genitus est, Filium.

Hilarius etiam lib. 2. & initio tertij, eadem ferè scribit, Quũ neque Archangeli sciãt, neque Angeli audierint, neq; secula teneãt, neque Prophetæ senserint, neque Apostoli interrogârint, neque Filius docuerit, quomodo genitus sit: sed dixerit, Nemo nouit Filiũ, nisi Pater: neq; Patrẽ quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: debere nos cessare ab hoc mysterio inuestigando: præsertim cum ignoremus originem creaturæ. Filium Dei esse inenarrabiliter & incomprehensibiliter genitum.

Chrysostomus verò supra Matth. ca. 1. Hom. 4. ait, Erubescere debere & confundi omnes eos, qui superiorem illam generationem temeraria curiositate rimantur. Et sic argumentatur: *Si hanc, quæ genitus est ex Maria, opera Spiritus sancti, & quæ oculis inspecta fuit, & manib. contrectata: interprecari & percipere nemo potest: quanto minus illam, quæ ex Patre ab æterno genitus est, intelligere quis poterit?*

Et Cyrillus in Thess. lib. 1. cap. 5. docet fide credendum, quod Scriptura tradidit: Filium nimirum genitum esse ex Patre. Quomodo verò, cùm Scriptura non tradat, non esse inuestigandum: nec propterea negandum esse genitum, aut legibus corporalis generationis subiiciendum, quia quomodo sit genitus intelligere non possumus, alioqui, negandum ideò etiam esse Patrem, quia quid, qualisve naturæ sit, non potest quis dicere. Et ita concludit. *Quare si fide, quæ supra nos sunt, accipiuntur; est autem etiam supra nos Filij generatio: Fide quoque ipsa suscipiatur.* Esse enim modũ illius generationis ineffabilem, & incomprehensibilem.

Idem Hieronymus scriptum reliquit. Tom. 6. in Iesaiæ 53. in illud, *Generationem eius quis enarrabit?* Et in Matth. cap. 1. in illud, *Liber generationis Iesu Christi.*

Eusebius Cæs. lib. 5. περὶ εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως, cap. 2. idem scribit, & sic argumentatur, *Si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus iis, qui se diligunt: quãto minus dici, aut intelligi, & animo concipi possunt, quæ ad primã vnici Filij Dei generationẽ pertinent? de qua illud est: Generationem eius quis enarrabit?* Iesa. 53. 8.

Athanasius sermone contra Arianos 3. pag. 192. multis docet, quàm impium & temerarium sit inuestigare quomodo λόγος, Filius Dei, genitus sit ex Patre: quando ea de re nihil tradunt Scripturæ.

Gregorius primus in Iob. ca 33. lib. 23. cap. 11. *Verbum Pater* (inquit) *sine tempore genuit. Et quis dignè fari queat illam ineffabilem natiuitatem: quòd de æterno natus est coæternus: quod existens ante secula genuit æqualem: quòd gignente, natus posterior non est?*

X. Videbor fortasse multis; hoc etiam alterum caput fusiùs cõfirmasse, quàm res ipsa postulet. Sed hoc feci haud temerè: verùm duabus potissimum de causis, quarum prior est, vt quisq; intelligat, quàm perniciosa sit Deóq; ingrata hæc superbia atq; temeritas, qua homines superbè audet suis carnalib. cogitationibus in cœlum cõscẽdere, & scrutari quomodo genitus sit Filius à Patre. Ac proinde ab hac curiosa disquisitione abstineamus: nisi velimus ab illa opprimi gloria, & in varios exitialésq; errores præcipites trudi: id quod ferè contingit omnibus, qui in huius mysterij inquisitionẽ, sine verbo Dei ingrediũtur. Altera causa est vt hinc regulã habeamus, qua ad omnia impia dogmata, quæ hæretici ex hac Filij Dei generatiõne colligunt, respondeamus. Si enim quomodo facta sit hæc generatio intelligi nequit, & omnẽ superat captũ: ergo quidquid ex eo, quod dicimus, Filiũ esse genitũ ex Patre, inferunt Hæretici, falsum, & commentũ sit humanũ, necesse est. Vt quum dicunt; Si genitus est ex Patre: Pater igitur prior sit Filio oportet. Quare? quia (inquiũt) omnis generãs prior est genorato. At si hæc ratio & regula generãdi locũ haberet in illa diuina generatione: cõsequeretur, generationẽ illã, quomodo facta sit nẽpe quod ad tẽporis attinet circumstantiam, posse intelligi. Non potest autem intelligi. Ergo. Itẽ, quũ inferunt: Si Filius genitus est ex substantia Patris: est igitur Filius similis quidem Patri, sed non eiusdẽ planè cũ eo essentiæ, quia omnis res genita, alia & diuersa est substantia, numero, ab illa è qua genita est. Nõ sequitur. Ratio enim hæc, quæ ducitur à generatione humana, locũ nõ habet in Dei generatione, alioqui posset intelligi quomodo sit facta. Non potest autem. Quare minimè frustrà Patres omnes, dũ de hac aduersus Hæreticos scribũt, vrgent è Scripturis modũ, quo genitus est Filius ex Patre, nobis omnino inenarrabilem & incomprehensibilem esse. Ac proinde sequelas omnes & argumentationes Hæreticorum inde deductas, vanas & futiles esse.

XI. Tertium membrum est: Quid de hac generatione Filij Dei, sentiendum sit: & an possit aliqua ratione vtcunq; indicari. Etsi ergo generatio illa quomodo facta sit, non potest à nobis certò intelligi: tamen & quibus modis non sit facta, potest à nobis certò affirmari, argumentisque à natura Dei deductis, confirmari: Et similibus à natura acceptis, potest vtcunque indicari, licet non possit perfectè explicari. Ad primum igitur quod attinet: Regula illa retinenda est. Quum de Deo differitur, nihil certius dici posse, post aperta Scripturarum testimonia, quàm Deum non esse hoc, aut illud: & quæ dicuntur ab eo facta, non hoc aut illo modo fuisse facta: hoc est, quàm quùm negamus ea, quæ eum Dei natura apertè pugnant; vt, Deum non esse corporeum. quia Spiritus est. Non esse vlla ratione compositum: quia simplicissimus est. Nõ posse peccare: quia summum est bonum & ipsa iustitia. Non posse mori, quia ipsa est vita. Denique, nihil in Deo esse tẽporale, quia æternus est. Esse. n. corporeũ, cõpositũ, temporalẽ, posse mori, posse peccare, &c. Pugnant ex diametro cũ natura Dei: Ergo hãc iuxta regulã, ad generationẽ, illã Filij Dei vtcunq; percipiẽdã: via negatiua vtendũ est, & negãdi remouendiq; à Deo omnes illi modi, quos nobis suggerit natura rerum corporatarum, & animaliũ: sed qui cum Dei natura minimè cohærẽt aut cohærere possunt. Animalia gignũnt in tempore, quia & ipsa priùs genita fuerunt, vt nihil sit sub cœlo nisi in tempore: ac proinde, parẽtes liberis semper sunt priores. At hoc in illam Filij generationem cadere non potest. Pugnat enim cum natura & gignentis, & geniti. Gignentis quidem: quia æternus est, non solùm Deus, sed etiã Pater: & nihil eius naturæ & essentiæ accessit noui, cùm sit perfectissimus. Generasse autẽ Filiũ è

sua substantia, ad naturam Patris pertinet. genuit enim naturâ, non libera voluntate, sicut ea creauit cœlum & terram. Quare cum natura gignentis pugnat, generasse in tempore. Geniti verò: quia quem Pater genuit, Deus est verus, de Deo vero. Pugnat autē cum natura Dei, genitum esse in tempore. Deus enim non est, si æternus non est. Ergo hæc esto certa propositio. Nihil de illa Filij generatione cogitandum esse temporale: ac proinde statuendum, Filium fuisse genitū ex Patre sed non post Patrē, sicut neque ante Patrē: verùm ab æterno. Nunquā igitur fuisse Patrem sine hoc Filio: neq; Filiū sine Patre. Deus enim, qui est tā Filius, quā Pater, ait per Iesai. 43. 10. *Ante me non fuit, & post me non erit Deus.* Quare corruit sophisma Antichristorum. Si Pater genuit Filium, Pater igitur prior est Filio. Negatur illatio, quia non genuit in tēpore, neque in certo gradu (vt loquûtur) æternitatis: sed ab ipsa omni æternitate. Animalia gignunt ex concupiscentia, ex appetitu & affectu naturali: quia animalia sunt. Omne enim animal, huiusce modi constat affectibus. At in Deum tales affectus non cadunt: cùm omnis passionis expers sit perfectissimus Iehoua. Quare hæc etiam altera præpositio certa est: Deum Patrem non genuisse Filium vlla affectione, neque ex præcedente voluntate, sed simplici, perfecta, & æterna sua natura. Animalia gignunt extra se liberos; ita vt diuersæ & diuisæ inter se sint substantiæ, parentum, & filiorum: quia sunt finita, & constant materia, per quam fiunt non solùm diuersa, sed etiam diuisa subiecta. Ac proinde sumus quidem nostris parentibus ὁμοιούσιοι, sed non propriè ὁμοούσιοι. At Deus extra se, seu extra suam essentiam gignere non potuit Filium: quia immensus est & infinitus: ita vt extra Deum non possit alius esse Deus: seu (vt idem dicam in abstracto) quia essentia Dei vna est: & ideò non potest essentia Dei, esse extra essentiam Dei: hoc est, extra se ipsam. Est autem Filius, ita ex substantia Patris: vt quidquid essentiæ seu substantiæ est in Patre, totum illud etiam & idem planè, sit in Filio. est enim verè & perfectè ὁμοούσιος Patri. Ideo Scholastici theologi dicunt, Deum Patrem genuisse Filium, non ad extra: sed ab intra, quod græci Patres dicunt, κατ' ἐνέργειαν. Postremò, omnes generationes in natura rerum corporatarum viuentium: fiunt κατ' ἀλλοίωσιν aliquam: nempe aut κατ' ῥεῦσιν, vt vocat Iustinus, seu, vt alij, κατ' ἀπόρροιαν, per defluxum: quemadmodum liberi nostri, & animalium perfectorum, per defluxum substantiæ paternæ, generantur. Aut κατ' διάστασιν, vt Iustinus: seu vt alij κατ' προβολὴν per proiectionem à se, & per germinationem: quemadmodum ex ipsis etiam radicibus arborum prodeunt surculi, inter se & à radice discreti atque distincti. Aut κατ' τομὴν, vt Iustinus, seu vt alij ἀποτομὴν, διαίρεσιν, μερισμὸν: quæ omnia diuisionem & partitionem rei genitæ, à generante significant. Nihil horum cadit in illam diuinam generationem. Omnes enim ij modi, proprij sunt earum rerum, quæ corruptioni obnoxiæ sunt: & imperfectionem generantis indicant. Huc spectant quæ Patres scripserunt, de modis, quibus contendunt generationem Filij, factam non fuisse. Legatur Iustinus martyr libro περὶ τῆς ἐν τῇ τριάδι μονάδος: pagin. 177. vbi docet, non esse factam κατ' τομὴν, μηδὲ κατ' ῥεῦσιν, μηδὲ κατ' διάστασιν. Legantur etiam quæ scripta reliquit Euseb. Cæsar. περὶ εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως: li. 5. ca. 2. pa. 54. is quoque scribit, nō esse nobis considerandam illam generationem, μήτε κατ' προβολὴν, μήτε κατὰ διάστασιν, μήτε κατ' διαίρεσιν, ἢ μείωσιν, ἢ τομὴν, ἢ κατ' τι ὅλως τῆς ἀπὸ τοῦ θνητοῦ γεννήσεως ἀπεικασμένη: sed, ἀπόρρητον δὴ αὐτοῦ γενεσιουργίαν. Non esse igitur Filium natum secundum aliquem horum modorum: de quibus suprà. Huius rei rationem adfert Eusebius, dicens: Ἀμερὲς γὰρ καὶ ἄτομον, τὸ θεῖον, οὐ τεμνόμενον, οὐ διαιρούμενον, οὐκ ἐκτεινόμενον, οὐ μειούμενον, οὐ συστελλόμενον, οὐ μείζον, οὐ χεῖρον, οὐ κρεῖττον αὐτοῦ γινόμενον, ἐκ ἔχοντι ἐν ἑαυτῷ ἕτερόν τι αὐτοῦ ἵνα καὶ τοῦ τὸ. Legantur & quæ habentur apud Theodoretum in hist. Eccles. lib. 1. cap. 12. Constantinus imperator sic explicuit nomen ὁμοουσίας: ideò Filium dici ὁμοούσιον Patri, quia nulla corporali affectione, nulla diuisione, nulla recisione, ex Patre subsistat. cùm fieri nequeat, vt quæ expers est materiæ & corporis intellectiua natura, corporalem aliquam affectionem sustineat. Summa omnium hæc est. Nihil in illa diuina Filij generatione, cogitandum esse, aut temporale, aut carnale, aut vllo modo corporale, sed omnia cum ibi sint spiritualia, omnia æterna, omnia simplicissima, perfectissima, purissima, esse etiam spiritualissimis, vt ita loquar, & ab omnibus circumstantiis locorum, temporum, rationúmque humanarum, defæcatissimis & purgatissimis oculis contemplanda & consideranda. Id quod certè fieri à nobis non potest, dum ante oculos mentis nostræ obuersantur imagines rerum corporatarum: fiet verò hoc in cœlo, vbi neque caro neque sanguis, sed toti erimus Spiritus; corpora etiam spiritualia (vt ait Apostolus. 1. Cor. 15. 44.) nacti. Interim nulla potest melior regula dari, ad intelligendam illam generationem; quàm vt nullo eorum modorum, quibus fiunt generationes apud nos, illam fuisse factam dicamus, vt iam ostensum est, nisi quòd, sicut vera generatio hic non fit sine communicatione substantiæ parentis, sic etiam illa non fuit facta, nisi per communicationem substātiæ paternæ. Hoc enim ad perfectionem pertinet, nō ad defectum.

XII. Cæterùm (vt ad alteram huius tertij capitis partem veniam) etsi hæc ita se habent, non inficiamur tamen, posse similibus à natura desumtis, generationem illam vtcunque indicari. Ideo enim Deus, Filium suum in Scripturis nominibus à nobis, & à natura sumtis appellat: vt, Verbum, Imaginem, χαρακτῆρα, ἀπαύγασμα gloriæ & lucis paternæ, nempe, vt spectatis iis, quomodo generentur & fiant: vtcunque etiam intelligamus, qua ratione genitus sit Filius è Patre. Modò ea seruetur regula, quam anteà tradidi: nempe, vt quæcunque in horum generatione imperfectionem significāt, illa reiiciamus à generatione Filij Dei. Hinc itaque factum est, vt Patres multis similibus, ad generationem Filij Dei, si non perfectè explicandam, saltem vtcunque adumbrandam, vsi sint: quorum quædam, his, quæ dicta sunt, subiicio.

Tertullianus contra Prax. pagin. 409. *Protulit Deus Sermonem, sicut radix fruticem, & fons fluuium, & sol radium. Nā & istæ species, probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitauerim Filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluuium, & solis radium. Quia omnis origo parens est: & omne quod ex origine profertur, progenies est: multo magis Sermo Dei, qui etiam propriè nomen Filij accepit. Nec frutex tamen à radice: nec fluuius à fonte: nec radius à sole discernitur: sicut nec à Deo, Sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam profiteor me duos dicere: Deum, & Sermonem eius: Patrem, & filium ipsius. Nam & radix, & frutex, duæ res sunt: sed coniunctæ. & fons & flumen, duæ species sunt, sed indiuisæ: & sol & radius, duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius, necesse est, de quo prodit. non ideo tamen est separatum. Secundus autem vbi est, duo sunt: & tertius vbi est, tres sunt.* Et paulò post: *Hanc me regulam professum, qui inseparatos ab alterutro Patrem, & Filium, & Spiritum testor: tene vbique: & ita quid, quomodo dicatur, agnosces.* Hæc omnia Tertulliani sunt.

Eus. Cæs. lib. 5. de demōstratione Euāgelica, cap. 1. alia adfert Similia, quibus vtcunque indicet, quomodo Filius genitus sit ex Patre. Primum: *sicut fragrantia ex suo vnguento. Est enim Filius fragrantia Patris. Vapor est virtutis Dei. Hinc collige hæc: primum vnguentum nunquam sine sua est fragrantia. Ergo æternus est.* Deinde, *vnguentum gignit fragrantiam natura: & sine vlla sui corruptione, aut alteratione. Ergo Filius, genitus è Patre sine alteratione naturaliter.* Tertium: *Fragrantia non separatur ab vnguento. Ergo & Filius semper cum Patre est.* Alterum simile: *Sicut splendor ex luce.* Subdit tamen: *Verùm exempla hæc, non omni modo integram præstant similitudinem.*

Athanasius verò vrget similitudinem ductam à mente & verbo, præter alia hæc scribit in oratione secunda contra Arian. pagin. 140. *Cæterùm Dei generationem comparandam non esse cum hominum natiuitate; aut Filium non debere partem aliquam sui Patris existimari: aut in procreando, vllam passionem significari: Et antea à nobis dictum est, & nunc denuo hoc ipsum dicimus. Non est enim vt homo, Deus. Homines enim patiendo gignunt: vtpote fluxili natura præditi: temporisque maturitatem, ratione suæ imbecillitatis, expectare coguntur: Verum id de Deo sentiendum non est, quippe qui nullis partibus constet, sed impatibilis ac simplex, impatibiliter & simpliciter Filij sui Pater existit. Eiusque rei denuo magnum argumentum documentúmque ex sacris literis* (habemus) *eo ipso, quo verbum, Patris sui est Filius: & Filius, verbum est Patris, eiusque sapientia. Sapientia porro & ratio, siue quod idem est, verbum: nec creatura, nec pars eius fuerit, cuius est sapientia & verbum: neque fœtus illius, interuentu passionis alicuius. Vtrunque Scriptura in vnum coaptat: Filium quidem ea de causa appellauit, vt naturalem & verum Patris substantiæ fœtum declararet: Sed tamen ne quis humanius aliquid editum genitumque intelligeret: denuo etiam substantiam definiens, verbum illud, & sapientiam & splendorem nominauit. Ex illis enim vocabulis, impatibilitatem in gignendo: æternitatem item, & decorum illud, quod in Deum conuenit, cogitatione apprehendimus. Qualis igitur passio? aut quæ pars parentis, verbum & sapientia, aut splendor fuerit? Et sanè id à vecordibus istis intelligi potest. Vt enim ex fœminis percunctati sunt de partu ipsarum: Ita quoque vires percunctentur, super ratione, verboque mentis eorum*

vt cogno-

*sionem, neque passionem, neque partem aliquam mentis verbum, quod enunciant. Quod si in hominibus, qui passibiles & diuisioni idonei, tale ipsorum verbum est: cur in Deo minimè corporali, impatibili verò, passiones & partitiones imaginantur? vt sub specie istius obseruationis & cautionis inficientur veram, & naturalem Filij procreationem?* Hæc ex Athanasio.

Hoc eodem simili delectati sunt alij permulti Patres, vt Basilius, Nazianzenus, & deinde Scholastici: quòd hoc non ineleganter indicetur, qualis sit generatio Filij ex Patre. Mens generat λόγον suum: Primò, naturaliter, ita vt nunquam mens sit sine λόγῳ. Sic Pater Filium natura sua; ita vt nunquam Pater fuerit sine Filio. Deinde, mēs gignit τὸν λόγον sine passione & sine corruptione; ita Pater. Item, mens gignit intra se: ita Pater. Adhæc mens gignit ita intra se, vt res genita, maneat in mente: sic Pater Filium λόγον: ideò dicitur: *Erat apud Deum*: Et, *Filius in sinu Patris est*. Et Ignatius in Epistola ad Magnesios, pa.13. ait de λόγῳ, ὅτι ἐστιν ἀΐδιος παρὰ τῷ πατρὶ [illegible] λόγος [illegible]. Denique, vt verbum etsi genitum in mente, postea etiam voce vestitum, exit in aures hominum, nunquam tamen à mente recedit: ita Filius in carne indutus, sese visendum exhibuit hominibus, nunquam tamen Patrem deseruit. Atque hæc omnia ex similitudine cum verbo nostro: de filio Dei pulcherrimè inferuntur. Cæterùm, quòd quidam, vt Scholastici, scribunt, Deum Patrem, se videndo & considerando, genuisse λόγον: & quod emanatio Filij à Patre est secundum emanationem intellectus: & alia id genus, quæ nullum habent ex verbo Dei testimonium, sed solo mētis acumine excogitata sunt, reijcienda nobis sunt, tanquam temeraria & vana, ne quid grauius dicā: nempe, si res ita sese habere asseueretur. Quis enim scit, quomodo genuerit Pater Filium: an per modum intellectus, an per modum amoris: an alio aliquo. Cyprianus, hoc est, auctor expositionis in symbolo Apostolorum, hæc scitissimè & piè scribit, in ea verba: *Filium eius vnicum* pag. 361. *Vnus de vno nascitur: quia & splendor vnus est lucis: & vnum est verbum cordis. Nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio; nec in diuisionem cadit: vbi qui nascitur, nequaquam à generante separatur. Vnicus est, vt mentis sensus, vt sapientia, sapienti: vt cordi, verbum: vt fortis virtus.* Item: *Filium sanè quum audis, nolo cogitationem carnalis natiuitatis assumas, sed memento hæc de incorporea dici substantia natura simplici. Si enim vel in eo, quod cor generat verbum, vel mens sensum, vel lux ex se parit splendorem, nihil horum requiritur, nec vlla in tali generatione fragilitas cogitatur, quanto purius & sacratius de horum omnium creatore sentiendum est?* Hæc ibi. Ego verò libentius sequor simile, quod Iustinus quoque sequitur, & post illum reliqui Patres, vtpote non solùm ex Scripturis acceptum, verum etiam clarius, & apertius ad generationem illam diuinam, vtcunque exprimendam, quàm vllum aliud, nempe, splendoris seu radij ex sole exemplum. Nam etiam hoc sequuti sunt Patres in Concilio Niceno, dicendo *lumen de lumine*, pag. 198. latinè ita scribit. *Sic igitur intelligimus Filium è Patre progenitū: sicut lumen è lumine promicans. Nam hac imagine refertur & coæternitas, & essentiæ identitas, & passionis expers natiuitas. Quatenus autem eluxit, cum eo vnde eluxit, sine tempore fuit. Quod enim tempus medium potest inter lumen, & splendorem eius intercedere. Quatenus enim lumen è lumine, rationē luminis præ se fert, ex quo creatum est. Rursum, quatenus lumen est id, quod progignitur: passione caret natiuitas. Non enim decisione aut defluxu, aut diuisione elucescit: sed ex ipsa essentia sine vlla passione procedit.* Hæc Iustinus.

Summa, His similibus simul coniunctis, tantum exprimitur rationis, qua illa generatio Filij Dei facta est: quantum satis est Christiano homini. Quatenus enim Filius nominatur: agnoscimus eum esse ex vera Patris substantia eoque verum Deum. Quatenus vocatur splendor, & verbum intelligimus, eum & æternum esse & esse genitum sine Patris alteratione, affectione, passione, & genitum esse non ad extra, vt Scholæ loquuntur: sed ab intra, aut, sicut Græci dicunt, [illegible], eoque cùm semper sit cum Patre, & à Patre inseparabilis, vnum & eundem esse cum Patre Deum. Quæ verò aduersus hanc generationem fiunt argumenta, ea diluentur suo loco. Ergo pro veritate cognoscenda hæc satis esse debent.

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS,

## Liber Sextus.

*Τὸν Λόγον Iesum Christum qui ante omnia secula, ex Dei Patris substantia fuit genitus, esse verum æternúmque Deum: ex iis N.T. locis, vbi disertè vocatur Deus.*

### CAPVT I.

Eorum, quæ hucusque dicta fuerunt de Christi Deitate breuis ἀνακεφαλαίωσις. Varia nominis Dei significata. Postremæ propositionis de Λόγῳ explicatio: eiusdémque à proprietate personæ Filij, diuinis attributis & operibus: atque etiam proprio Iehouæ cultu: confirmatio.

HACTENVS demonstratum à nobis fuit, primò quidem ex V. Testamento, permultis Mosis, & Prophetarum testimoniis, Iesum Christum, verum esse illum Iehouam, qui omnia simul cum Patre condidit: quique patribus apparuit, & suo Spiritu per Prophetas loquutus est. Deinde ex N. Testamento eum, tum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον; tum quatenus est Λόγος, esse Dei patris Filium; non per gratiam, vt nos, sed per naturam. idque ab omni æternitate. His adiecimus Patrum testimonia; quibus primo demonstrauimus locutionem hanc, verè orthodoxam esse: nempe Filium ex substantia Dei patris genitum esse. Deinde docuimus: quomodo hæc generatio ex Deo patre facta sit, planè à nobis percipi non posse: imò ne ab Angelis quidem: similibus tamen aliquot, vtcunque intelligi, vel potiùs indicari posse. Hæc omnia hucusque conclusimus. Nunc vnū adhuc restat de Christo explicandum, & demonstrandum, nempe, eum disertis verbis in nouo Testamento appellari Deum: & quum ita vocatur, intelligendum esse, eū esse Deum, non impropriè: sed propriè, non falso, sed verè: non propter priuilegium aliquod, aut propter officium diuinum, sed per naturam, eoque verum esse Deū: Idque ex circumstantiis locorum, vbi Deus appellatur, perspicuum nos esse facturos, confidimus.

II. Cæterùm, antequam hæc loca explicare ingrediamur; notandi sunt aliquot modi, quibus hoc nomen, Deus, in sacris literis accipitur, vt inde eadē appareat, quo sensu Christus, vocetur Deus. Nobis enim demonstrandū est, quoties in sacris literis Christus vocatur Deus; ibi semper doceri, Christū esse verū, & æternū Deū, patri per omnia æqualē Hoc igitur nomen Dei, de aliquo prædicatur, aut propriè, aut impropriè. Propriè, vt de Patre, Filio, & Spiritu sancto, sicut partim ostendimus, & partim ostensuri sumus. Impropriè, vt de aliis, præter patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Rursus impropriè, bifariam, aut verè, aut falsò. Verè, vt quos sacræ literæ hoc appellant nomine, propter aliquam cū Deo vero similitudinem, aut propter dignitatem, aut propter officium. Sic Moses Deus Pharaonis. Ex.7.1. Sic reliqui iudices, & magistratus, dij vocantur, Psa.82.6. Falsò. vt quos ita appellârunt, & vt deos coluerunt, homines ipsi, falsa opinione decepti. Vt apud Ies. 44.10. & alibi sępè apud Prophetas, ridentur illi, qui formant idola, & ea deos suos vocant; adorántque vt deos. Nihil enim habent simile cū vero Deo. Sic etiam Apostolus, *Nam etiamsi sint, qui dicantur dij siue in cælo*, &c. 1. Cor.8.5. Sic Sathan deus huius seculi vocatur, quòd homines huius seculi sese illi, tanquā Deo, quasi cōsecrent 2. Cor.4.4. Sic venter, dicitur hominū voluptuosorū deus, quòd hunc, tanquam Deū sui colant. Phi.3.19. Propriè, vsurpatur etiam bifariam, absolutè, & distinctè, quod Scho-

lastici dicunt, essentialiter, & personaliter: Absolutè: pro toto, vt ita loquar, Deo, proque diuina essentia seu pro deitate, quæ nihil est aliud, quàm Deus ipse totus, Pater, Filius. Spiritus sanctus, vt: *Dominum Deum tuum adorabis: & ei soli seruies* Deut. 6. 13 Num solus Pater adorandus? An non etiam Filius, & Spiritus sanctus? Et: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Act. 5. 29 Num tantùm Patri? Et: *Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum* 1. Cor. 3. 19. Num apud solum Patrem? Distinctè verò seu personaliter, vt cùm de certa persona, vel Patris, vel Filij, vel Spiritus S. prædicatur. De Patre, Io. 6. 46 *Non quod Patrem viderit quisquam, nisi is, qui est à Deo* (id est, ex Patre) *hic vidit Patrem.* De Filio: *Qui est Deus benedictus in secula.* Rom. 9. 5. De Spiritu S. vt in actis: *Non es mentitus hominibus sed Deo.* De Spiritu enim sancto loquitur. Act. 5. 4.

III. His ita explicatis, credimus, confitemur, prædicamus, Christum, seu personam Filij. distinctam à Patris & Spiritus sancti personis, verum esse Deum, per omnia Patri æqualem: ita vt cum Patre: & Spiritu sancto, idem sit absolutè & essentialiter Deus. Ac proinde Deum appellari, & esse, non falsò: vt Iudæi & Turcæ blasphemant, neque per gratiam, aut priuilegium, neque propter donorum, & potestatis diuinæ, ei traditæ, excellentiam (vt Arius, Eunomius, Samosatenus: & Seruetus, impiè scripserunt) sed natura, & essentia. Atque ita Dei & Iehouę nomen, in sacris literis, non minùs propriè de Filio quàm de Patre prædicari.

Nunc tenemus explicationem, quo sensu Christus prædicetur Deus in Scripturis. Hoc verò, quod diximus, ex istis locis liquidò apparet. A proprietate personæ Filij. Proprium Filij est, esse genitum ex patre, ideoque ex substantia patris. Quid est enim generare aliud, quàm propriam substantiam communicando, ex ea substantia, sibi omninò natura similẽ procreare? Idcircò dicitur Filius vnigenitus: quia in hoc natiuitatis genere fratres non habet, sed solus ex patris substantia genitus est. Est autẽ substantia, seu essentia patris, impartibilis. Totam igitur patris essentiam habet vnigenitus. *Ideo in ipso,* inquit Apostolus, *inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.* Col. 2. 6. Si omnis plenitudo; nihil igitur deitatis est in patre; quod non sit in Filio. Quid verò ex his consequitur? Sicut pater, naturâ & essentiâ verus est Deus: Sic etiã Filiũ, naturâ & essentiâ Deũ esse, non autẽ gratiâ, priuilegio, officio. Huc spectant omnia argumenta, & testimonia, quibus anteà demonstrauimus; Filium è substantia Patris genitum esse, eóque naturalem esse Dei filium. Inde enim efficitur esse Deum natura & essentia; non minùs quàm Pater est.

IV. Idem confirmatur ab attributis essentiæ diuinæ, seu Iehouæ. Nam quæ propria sunt naturæ diuinæ: ea non minùs Filio, quàm Patri tribuuntur. Filius igitur non minùs verè, ac propriè est Deus; quàm Pater. Sicut ideò dicimus, nostros liberos, non minùs naturâ esse homines, quàm nos; quia quæ naturæ humanę propria sunt, & essentialia, ea non minùs in liberis nostris sunt, quàm in nobis. Liceat hoc in aliquot attributis perspicuum, & planum facere. Æternum esse ita proprium Dei est, vt nisi ęternus sit, & quidem solus, Deus esse non possit. Ideò in Scripturis passim, vni Deo vera æternitas tribuitur. Psal. 90. 2. & 93. 2. *Ante me non fuit Deus, & post me non erit: Ego primus & nouissimus.* Iesa. 43. 10. & 44. 6. Filius autem æternus prædicatur in scripturis, Prouerb. 8. 23. *A seculo principatum habui*: à principio, ante terram Ioh. 1. 1. & 2. *In principio erat ὁ λόγος. λόγος vita erat apud Patrem.* Mich. 5. 2. *Egressiones eius à diebus æternis.* Ioh. 8. 58. *Antequam Abraham fieret, Ego sum.* Et Apoc. 1. 17. *Ego primus & nouissimus.* Ibi enim de seipso Christus loquitur. A Ies. verò cap. 9. 6. vocatur, Pater, æternitatis. Et Apostolus ad Hebr. 9. 14. *Per Spiritum æternum,* id est per æternam suam deitatem, *obtulit se.* Et, si verus est Deus, & vita æterna, sequitur æternum esse: 1. Ioh. 5. 2. Et neque ante, neque post filium, vllum fuisse Deum, iuxta illud veri Dei apud Ies. 43. 10. *Ante me non fuit Deus.* Et, si Filius est sapientia Patris, vt est in Prouerb. & ad Corint. non minùs æternus est Filius, quàm Pater. Pro. 8. 12. 1. Cor. 1. 30. Nunquam enim Pater fuit sine sapientia sua. Neq; negari potest, quin æternus sit ille, per quem condita sunt omnia. Ante mundum enim conditũ, nihil erat, nisi æternus Deus per quem factus est mundus. Idcircò meritò Iesaias 40. 25. coniungit æternitatem cum creatore cæli dicens: *Annõ audiuisti, quòd Deus æternus creauit terminos terræ?* Per Christum autem condita sunt vniuersa, visibilia, & inuisibilia. Io. 1. 3. Heb. 1. 2. Idcircò Apostolus postquam Christo dedit creationem omnium: dat etiam eidem æternitatem, dicens: *Et ipse est ante omnia.* Col. 1. 17. Est etiam ita Dei proprium, esse omnipotentem, vt nisi sit omnipotens, & solus omnipotens, Deus esse non possit: ideò, *non erit impossibile apud Deum omne verbum* Luc. 1. 37. Filius autẽ in Scripturis prædicatur omnipotens. Mat. 11. 27. & 28. 18. Ioh 3. 35. *Omnia enim dedit Pater in manum eius: & omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* Io. 16. 15. Ad Philip 3. 21. ait de Christo Apostolus: *Qui transformabit, &c. pro efficacitate qua potest etiam sibi subijcere omnia.* In Apoc. 1. 2. *Ego sum Α & Ω, Principium & finis: dicit Dominus, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Est etiam æqualis Patri: ergo omnipotens vt Pater. Io 5. 18. Phil. 2. 6. Et in Psalm. 68. 15. *Cum dissiparet omnipotens reges in ea, &c.* Hũc autẽ Psalm. interpretatur Apostolus de Christo. Eph. 4. 2. Atque hanc omnipotentiam declarauit Christus operibus, quæ non nisi ab omnipotente fieri possunt, vt qui cum Patre mundum creauit ex nihilo, vt qui mundum sustentat, & regit, vt qui solus etiam potuit sustinere iram Dei totam, aduersus peccata: Et ex aliis operibus solius Dei propriis, & quæ non nisi ab omnipotente fieri possunt. Ioh. 1. 3. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. 3. Ies. 53. 12. Psa. 150. 3 Huc illud apud Ioh. 5. 10. *Quæcunque operatur Pater: eadẽ & Filius, ὁμοίως operatur.* Ergò ex hoc etiam attributo diuinæ essentię, apertè colligitur; Filium natura, & essentia, non minùs quàm Pater est, esse Deum. Esse etiam immensum, vbique proprium est solius Dei; & est ita propriũ, vt nisi talis sit, Deus esse minimè possit. Et qui talis est, non nisi Deus esse queat. Ies. 23. 24. *Annon cælum, & terram ego impleo?* Ies. 66. 1. *Cælum mihi sedes est; terra, &c.* Psalm. 138. 8. *Si ascendero in cælum, tu illic es, &c.* Prædicatur autem & Filius immensus, ita vt vbique sit in cœlo, & in terra, & in animis hominum. Ioh. 1. 18. *Filius qui est in sinu Patris:* erat tamen etiam in terra. Ioh. 3. 13. *Nemo ascendit in cælum, nisi Filius hominis, qui est in cælo.* Et Ioh. 14. 23. *Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Et Mat 28. 20. *Vbi fuerint duo vel tres. &c.* Et Mat. 28. 20. *Ecce vobiscum sum, &c.* Hoc etiam attribuimus soli Deo, quòd omnia nôrit, & nihil eum lateat; ita vt etiam corda ipsa scrutetur. Rom. 11. 33. *O profunditatem diuitiarum sapientiæ, &c.* Ier. 40. 13. *Quis consiliarius eius fuit?* Atqui etiam Christo datur hæc omniscientia, vt est apud Ioh. 2. 25. *Ipse enim sciebat, quid esset in homine; eò quod nosset omnia*: Et Ioh. 16. 30. *Tu scis omnia.* Ioh. 10. 15. *Sicut me nouit Pater, & ego noui Patrem.* Et in Apoc. 2. 23. *Hæc dicit Filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis: & scient omnes Ecclesiæ, quod ego sum ille scrutans renes, &c.* Et Col. 2. 3. *In ipso sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ reconditi.* Est etiam Dei proprium, esse perfectissimè sanctũ, & bonum, causámque omnis sanctitatis, & bonitatis, in creaturis. Luc. 18. 19. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et Leuit. 21. 8. *Sanctus sum ego sanctificans vos.* Et 1. Ioh. 1. 6. *Deus lux est, &c.* De Filio autem eadem. Ioh. 10. 14. *Ego sum pastor bonus.* Et Iohan. 12. 46. *Ego lux veni in mundum.* Et Heb. 1. 3. *splendor gloriæ.* Et Ioh. 2. 11. *Qui sanctificat,* (Christus) *& qui sanctificantur, ex vno omnes.* Et Eph. 5. 26. *Christus tradidit semet ipsum vt eam sanctificaret.* Adde, quòd neque Deus esse potest, qui mutabilis est. Propium enim Dei est, immutabilem esse: non tam in sua natura, quàm etiam in suis decretis, & promissis, secundum propositum factis: Malach. 3. 6. *Ego Deus & non mutor.* Et Iesa. 40. 8. *Verbum Dei nostri stabit in æternum.* Talis est etiam Christus: Heb. 1. 11. & 12. *Ipsi peribũt; tu autem permanes.* Et. *Tu autem idem ipse es.* Et Heb. 13. 8. *Christus heri hodie, & semper.* Matth. 24. 35. *Cælum & terra præteribunt, verba autem mea non, &c.* Esse altissimũ, & supra omnia Dei proprium est, Luc. 15. & 32. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et, *vocabitur Altissimi Filius.* At etiam Christus Altissimus vocatur, & supra omnia Deus. Luc. 1. 67. *Tu puer propheta Altissimi vocaberis* (id est Christi,) *præibis enim ante, &c.* Et Psal. 97. vers. 7. *Adorent eum omnes angeli Dei* Heb. 1. 6. hoc autem citat de Christo Apostolus. Deus supra omnia benedictus in secula, vocatur ad Rom. 7. 3. Est &: hoc solius Dei, vt ipse sit fõs honorũ omniũ in creaturis; ita vt nihil in eis boni esse possit, quod non à Deo fluat, Iacobi 1. 17. *Omne donum optimũ de sursum est.* De Filio idẽ prædicatur. *Sine me nihil potestis facere. De plenitudine eius nos omnes accepimus, &c.* Io. 15. 5. & 1. 16. Et. *Nõ est aliud nomẽ sub cælo, &c.* Act. 4. 12. Permulta alia in Scripturis attribuuntur soli Deo, & hæc eadẽ filio Dei adscribũtur: consequitur ergò ex his diuinæ essentiæ attributis; ipsum quoque Filiũ, non gratia & officio; sed natura, & essentia Deum esse.

V. Atque hæc eadem æqualitas deitatis Filij & Patris, confirmatur ab iisdem operibus diuinis, quæ tam Filius, quàm Pater operatur. Sic enim ait Christus, Io 5. 19. *Quæcunque operatur Pater, eadem ὁμοίως operatur & Filius.* Argumentum est eiusmodi.

Qui eadem, & eodem planè modo operantur, horum etiam eadẽ est natura & essentia. Manifesta est hæc propositio, in omnibus rebus, in cœlis, in elementis, in animalibus.

Eadem

Eadem autem, & eodem planè modo, operatur Filius, quæ, & quo modo operatur Pater: vt ipse Christus ait. Ergo eadem est natura & essentia Patris, & Filij, ac proinde Filius natura, & essentia Deus est, sicut & Pater.

Assumptio confirmatur inductione omnium operum Dei: quæ in tria secuimus genera. Primi generis sunt, creatio, conseruatio, seu sustentatio, & gubernatio mundi. Hæc non minùs filio, quàm Patri attribuuntur in Scripturis, sicut abunde demonstratum est superioribus libris. Pro.8.24. &c. Col.1.16. Ioh.1.3. Heb.1.2. Alterius generis opera, sunt miracula, quæ præter ordinem naturæ à Deo facta sunt, aut etiam fiunt: vt suscitare mortuos: mutos, & cæcos à natiuitate, facultate loquendi, & videndi donare; & alia id genus. Hæc propria virtute præstare, solius Dei esse, docent sacræ literæ: Psal.72.v.18. & 136.v.5. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna, solus.* At Christũ etiã miracula propria virtute effecisse, docent Scripturæ noui Testamenti. Ille enim dicitur propria virtute miracula facere, qui ea facit sine alterius inuocatione, & ope: sed propria auctoritate, proprioque iussu, & arbitrio. Sic autem sua egisse Christum manifestum est, ex Euangelica historia. Neque enim vim edendi miracula, precibus ab alio, vt prophetę & Apostoli, impetrabat, Mar.10.1. Imò ipse eadem facultate alios donabat, pro suo arbitrio. Ideò Apostoli curaturi ægrotos, aut alia miracula edituri, inuocabant nomen Iesu Christi: vnde Petrus Actor. 3. 6. *In nomine Domini nostri Iesu Christi, Surge* (inquit) *& ambula.* Et huc spectat, quod ipsemet dixit apud Ioh. cap.5.19. *Quæcunque operatur Pater, &c.* Ideò subiecit, *Sicut Pater suscitat mortuos, ita & Filius, quos vult, viuificat.* Hæc omnia confirmant Christum sua miracula edidisse: non aliena, sed propria virtute. Ac proinde ab his etiam operibus meritò Christus concludit, se Filium esse Dei, natura: vnumque cum Patre: se esse in Patre, & Patrem in se. Tertij generis opera sunt illa, quæ propriè ad salutem Ecclesiæ pertinent, vt est electio, redemptio, vocatio ad salutem, institutio ministerij, illuminatio ad agnoscendam veritatem, iustificatio, remissio peccatorum, sanctificatio glorificatio. Sunt hæc, & alia id genus infinita, propria Dei opera. Hæc eadem tamen Christus quoque fecisse, & facere dicitur: id quod tametsi exemplis aliquot alibi perspicuum fecimus: confido tamen me piis viris rem haud ingratam facturum, si nunc quoque idem magis ac magis illustrem. Est enim iucundum, diuinam potentiam in Christo contemplari, vndè volebat ipse & iubebat, suam cognosci Deitatem: & se esse in Patre, & Patrem in se. Age igitur: Exemplis aliquot additis rem illustremus. Ephes.1.ver.4. *Deus Pater elegit nos:* & Christus ait. Iohan.1.3. ver.18. *Scio quos elegerim.* De æterna enim electione ad salutem loquitur: à qua excludit Iudam: alioqui ad Apostolicum munus, ipse etiam electus fuerat. Deus Pater sic dilexit Mundum, vt miserit filium per quem Mundum redimeret & seruaret. Io.3.16. De Filio ait Apostolus Galat.2.20 *Qui dilexit me: ac tradidit semetipsum pro me*: ac proinde pro omnibus electis. Deus Pater mittit Prophetas, Apostolos, Doctores, pastores, vt ministerium obeant in Ecclesia: Ier.7.25. *Misi ad vos* (ait Deus) *omnes seruos meos prophetas.* Et 1.Corint.12.28. *Alios constituit Deus, primùm Apostolos, &c.* Christus eosdem misit, vt est apud Matt. 23.34. vbi illud Ieremiæ de Christo citatur, Et Ioh.20.21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Item ad Eph. 4.11. *Et ipse Christus dedit alios Apostolos, &c.* Deus Pater instituit Sacramenta in Ecclesia quæ pignora sunt gratiæ, & voluntatis diuinæ erga nos: vt de circumcisione patet & de paschate, apud Mosen. Gen.7.10. Exo.12.3. &c. Baptismus Iohannis est à Deo, &c. Matth.21.25. Mar.11.30. Iohann.1.33. *Qui misit me ad baptizandum: is &c.* Item. Qui baptizat, & qui corda circumcidit, Deus est. Deut.30.6. Christus autem instituit Sacramenta noui, seu renouati fœderis, Baptismum, & Cœnã. Matth.26.26. De Baptismo, Matth.28.19. De cœna in 1. Epistola ad Corinthios, 11.23. Et is est, qui baptizat internè, per Spiritum sanctum. 1.33. Deus vocat gentes efficaciter, & ex illis colligit sibi populum, id est Ecclesiam. Act.15.7.17. vnde apud Iohãnem, *Nemo potest venire ad me* &c. Io.6.44. Christus electos ad se congregat, & sumit sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorũ operum, ex omnibus gẽtibus, Tit. 2.14 vnde illud: *Alias oues habeo, &c. & illas oportet me adducere.* Et: *moriturus erat pro gente, &c. Scilicet, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnũ.* Io.10.16. & 11.52. Et ad Titum.2. 4. *Dedit seipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum.* Deus est, qui illuminat mentes & ad cognitionem veritatis adducit, vide apud Iesaiam 54.13. *Erunt omnes θεοδίδακτοι.* Apud Matth.16.16.17. *Caro & sanguis, &c. sed. Pater. &c.* De Christo idem legitur Matthæi 11.17. *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Et Luc.24.45. *Aperuit illis mentem, vt intelligerent, &c.* Et Io.14.21 & 17.16. *Manifestabo illis meipsum*: Et: *Manifestaui voluntatem tuam, &c.* Deus est, qui iustificat, & solus peccata remittit: Ro.8.33. vnde illud Ies. 43. 25. *Ego, &c. deleo iniquitates.* Et Marc.2.7. *Quis est, qui peccata remittit, nisi solus Deus?* Filius autem peccata remittit, & iustificat, Ies.53.11. *Scientia sui iustificabit multos.* Et Matth.9.6 *Vt sciatis, quòd Filius hominis potestatem habet remittendi peccata.* Et Act.7.60. *Domine Iesu ne statuas illis hoc peccatum.* Solius Dei est *sanctificare & regenerare.* Ezech. 37.28. *Ego Dominus sanctificator Israelis.* Et 1. Pet.1.3. *Deus regenerauit nos, &c.* Et 1.Io.3.9. *Omnis qui natus est ex Deo, &c.* Christus tamen regenerat, & sanctificat. *Hic est, qui baptizat Spiritu sancto,* Io.1.33. Et ad Corinthios, *Christus factus est nobis sanctificatio.* 1.Cor.1.30. Et ad Ephesios: *Christus dilexit Ecclesiam, vt eã sanctificaret.* Ephes.5.6. Et ad Titum.2.14. *Qui dedit semetipsum, &c.* Regere, & gubernare animos, actiones, & vitã piorum, solius est Dei. *Dominus regit me, &c.* Ps.23.1. Et ad Phil. 2.13. *Deus est, qui dat velle, & perficere.* Christus nos regit, & actiones nostras: *Sine me nihil potestis facere.* Et de suis ouibus, Nouit eas, & illæ pastorẽ, &c. Item: *Nemo eas rapiet, &c.* Io.15.5. & 10. 27. *Viuit in me Christus,* ait Apostolus. Gal.2.20. Consolari efficaciter in Afflictionibus, est Dei solius. *Benedictus Deus, & Pater: qui consolatur nos.* &c.2.Cor.1.3. Et ad Philipp.4.7. *Pax Dei, &c. consoletur corda vestra.* Filius etiam consolatur: Matth.11.28. *Venite ad me omnes, &c.* Et Io.14.27. *Pacem meam do vobis.* Exaudire se inuocantes Dei est. *Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum, &c.* Luc.15.13. Passim in Psalmis illud reperitur: *Inuocabis me: & ego exaudiam te.* Ps.50.15. Christus autẽ exaudit: Io.14.33. *Quidquid petieritis, &c. ego faciam. Ter Dominum* (Christum) *rogaui, & dixit, Sufficit tibi gratia mea.* 2.Cor.12.8. Deniq; Deus est, qui dat salutem, æternamq; vitam, corporibus nostris etiam excitatis à morte: *Pater suscitat mortuos.* Io.5.21. Christus etiam dat eadem: *Vitam æternam do eis:* Et: *Ego resuscitabo eũ,* &c. Io.10. 28. & 6.44. Apparet igitur verum esse assumptũ: Omnia, quæ operatur Pater, eadem & Filium operari. Quare ex his etiã tertij generis operibus, quæ tã à Filio, quã à Patre præstantur: necessariò efficitur, Filium non minùs quàm Patrem, natura, & essentia Deum esse, nõ autem solo duntaxat officio, & plenitudine diuinarum gratiarum.

VI. Addo quartum argumentum: deinde venio ad explicationem locorum, in quibus Christus disertis verbis appellatur Deus. Ducitur autem hoc argumẽtum ab honore, & cultu, quo nos Scriptura iubet Christum, Filium Dei honorare, & colere: ita autem componitur

Si Christus non esset natura & essentia, quemadmodum & Pater est, sed priuilegio tantùm, gratia, officio, & plenitudine donorum, Deus; certè Scriptura non tribueret illi eum honorem, neque à nobis tribui iuberet, qui soli vero, & essentia Deo, debetur, nec pari cultu eum coli præciperet, quo & Patrem colendum esse docet. Nam Deus damnat & seuerissimè punit omnem idololatriam, & omnẽ sui ad alios honoris translationem: Vt liquet ex lege Mosis, & ex Prophetis, & vt ipse apertè, diserteque ait apud Iesaiam, 42.8. *Gloriam meam alteri non dabo.*

Atqui Scriptura pari afficit, & affici iubet honore, paríque cultu coli, Filium, quo etiam Pater afficiendus, & colendus est: id quod mox demonstrabo.

Ergo Scriptura agnoscit, & docet Christum esse natura & essentia Deum, eoque verum Deum, non minus, quàm Pater est, natura, & essentia verus Deus.

Assumptum autem apertissimis Scripturarum locis sic confirmamus. Ac primum quidem in genere Christus ipse sic ait apud Iohan. 5. 22. &c. *Pater omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorẽt Filiũ, sicut honorãt Patrem: qui nõ honorat Filiũ, non honorat Patrẽ, qui misit ipsũ.* Æquali igitur honore Pater vult honorari Filium, quo & ipse honorãdus est. Ad Colossenses 1.16. de Christo ait Apostolus τὰ πάντα δι᾽ αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται: quod est in ipsum, & in ipsius gloriam. Sicut & Salomon ait, Pro.16.4. *Deus creauit omnia propter semetipsum,* id est, propter suam gloriam. Nouit igitur Apostolus, Filium pari honore à creaturis omnibus afficiendũ, & laudandum esse, tanquam suum creatorem: quo etiam Pater est afficiendus. Hac de causa vocatur Christus in Scripturis, Dominus gloriæ: Dominus dominantium, & Rex regũ: & ideò etiã dicitur esse super omnes: & ad dexteram Patris sedere: id est, in æquali maiestate, & honore cũ Patre regnare. 1.Cor. 2.8. Apoc.17.14. Io.3.31. Heb.1.13. Deinde idem etiam clariùs & firmiùs, à singulis honoris & cultus diuini partibus confirmatur. Huius enim honoris & cultus partes sunt: Timor, fiducia, dilectio, obedientia, inuocatio, gratiarũ actio, iusiurãdum per nomen Dei, adoratio. His autem omnibus partibus cultus diuini, iubet Scriptura coli Filium: sicut &

Patrem colendum esse, nemo ignorat. Ac primum vult eum timeri, hoc est eius offensionem, & iudicium metui Idcirco describit eum iudicem, & scelerum vltorem, & dicit eum non esse tentandum. *Neque tentemus Christũ.* Neque eius iram prouocandam: *Num prouocamus ad iram Dominum?* 1. Cor.10.9.& 22. Nam de Christo loquitur, de quo antea, *Non potestis participes esse mensæ Domini.* Hic autem timor soli Deo debetur. Nam prophetæ semper clamant: *Timete Dominum.* Et apud Mosen, Deut.6.16. Præceptum est de non tentando Deo, neque prouocanda eius ira. De fiducia in Christum plenæ sunt Scripturæ mãdatorum, & exemplorum: adiectis promissionibus, vitæ, & salutis æternæ, iis, qui fiduciam in Christo collocant, Ioh.3.15.& 9.35.& 14.1.& alibi. Ier.17.5. Psal.118.8.& alibi. Non potest autem hæc collocari in vlla nuda creatura, sed in solo Deo. Iubemur etiã Deut.6.5. amare Deum supra omnia. At eandem sui supra omnia dilectionem exigit à nobis Christus: Matth.10.37. *Qui amat Patrem, aut Matrem, aut animam suam, supra me, non est me dignus.* Obedientia quoque, qua quis sese simpliciter Deo subiiciat, & eius præceptis pareat: debetur non Patri tantùm, sed etiam Christo, vt ipse iubet Pater, dicens: *Hunc audite.* Et, *Vnus est Magister vester, Christus:* quasi dicat, Hunc igitur solum deberis audire, & ei obedire. Matth.17.5.& 23.8. Esse autem, non solùm Patrem, sed etiam Christum inuocandum, apertè docent Scripturæ. Hoc docet Stephanus suo exemplo: *Domine Iesu ne illis statuas, &c.* Act.7.60. Et Ananias de Saule ait Christo, eum habere auctoritatem vinciendi omnes, qui inuocant nomen eius. Act.9.14. Et Domino commendatur (precibus scilicet) in quem crediderunt, qui est Christus. Act.14.23. Ad Corinth.1.1.2. ait Apostolus: *Cum omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu, &c.* Et 2.Cor.12.8. *Ter Dominum rogaui.* De Christo autem loqui Apostolum liquet, qui de eius gratia hunc in modum concludit: *Libenter igitur glorabor in infirmitatibus, vt inhabitet in me virtus Christi.* Et 2.ad Thessal.2.17. *Christus consoletur corda vestra.* Apocal.22.17. *Spiritus, & sponsa dicunt Christo, Veni Domine Iesu:* hæc autem est inuocatio. Huc spectant precationes Apostolorum, quum in suis Epistolis, precabantur Fidelibus gratiam, & pacem, à Deo Patre, & à Domino Iesu Christo. Huc etiam pertinet, quod non minus in nomen Filij baptizamur: quàm in nomen Patris. Neque enim baptizari possemus in nomen Christi, nisi eius nomen inuocaretur. In Actis, cap.22.v.12. Apostolus de se narrat, quòd sibi dixerit Ananias, *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Domini.* Baptizati autem obsignamur in cultum, inuocationem, & obedientiam eius: in cuius nomen baptizati sumus. Ideò ait apud Matth.28.19. *Item baptizantes in nomen:* hoc est, iussu & fiducia, *Patris & Filij, & Spiritus sancti:* eoque in horum trium nomen, colendum, inuocãdum, & omni obedientia prosequendum. Certè gratiarum actio, & celebratio, pro beneficiis diuinis acceptis: soli Deo debetur: & sic se gesserunt Prophetæ. & Apostoli 1.Corinth.1.4 *Gratias ago Deo meo.* Et, 2. Corint.1.3. *Benedictus Deus, & Pater, &c.* Sed non minus Christo, quàm Patri gratias has egerũt Apostoli, & agendas esse docuerũt: 1.Tim.1.12. *Gratias ei habeo, qui me robustum fecit, Christo Iesu, Domino nostro.* Præterea gloriandum esse in Deo tantùm docet Scriptura. Ier.9.24 1.Cor.1 29.2.Corin.10.17. Gloriãdum tamen esse etiam in Christo tradunt illæ eædem Scripturæ: Phil.3.3. *Gloriamur in Christo,* & Petr. *Cui Christo gloria, & nunc, & ad tempus sempiternum.* Et in Apoc.cap.5.11.&c. Animalia, & Seniores cadunt coram Agno & illi canunt, & dant gloriam. Nec minùs per nomen Christi, quàm per nomen Dei patris iurãdum esse apertè docetur in Scripturis: Rom.9.1. *Veritatem dico in Christo Iesu, &c.* Quàm seuerè tamen prohibeat Deus iusiurandum fieri per nomen alicuius creaturæ: non est opus multis Scripturarum testimoniis probare: cùm passim in Scripturis occurrant præcepta, iurandum esse per solum nomen Dei: & apud prophetas idem repetatur: & Christus idem confirmet. Exod.20.7. Deut.6.13. Mat.5.33.&c. Est enim iusiurandum non minima pars diuini cultus: quòd eo testemur Deum esse rerum omnium, etiam cordium inspectorem: esse veritatis amantem, & osorem mendacij: esse iustum qui velit, esse potentem qui possit punire periurum. Neque potest fieri iusiurandum sine Dei inuocatione. Ergo quum iuramus etiam per nomen Christi, modò ne temerè, maximo illum cultu afficimus, & testamur eum esse sapientissimum, iustissimum, potentissimũ, veracissimum, verũ Deum. Deniq; solus Deus adorãdus est. Deut.6.13. Mat.4.10. At Scriptura iubet adorari etiam Christum: *Et adorent eum omnes Angeli eius* Heb.1.6. Ex his autem omnibus facilè colligere est: eodem planè honore, & cultu colendum esse Christum, quo & pater. Ac proinde tam illũ, quàm hunc, esse verũ natura & essentia Deũ. Quare his quatuor Argumentis satis superque confirmata est nostra propositio, nempe Quoties Christus apellatur Deus in Scripturis: nomen illud de Christo verè, ac propriè prædicari. Ac proinde Christũ esse natura, & essentia Deum. Id quod etiã confirmatur illo Apostoli loco. *Ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt Dij seruiebatis.* Gal.4.8. Docet Apostolus non esse nisi illi, qui natura sit Deus, seruiendum. Quoties autem iubet, vt seruiamus Christo, & adhortationibus, & suo exẽplo, semper hoc facit. Agnouit igitur, & agnoscendum esse docuit Christum, pro tali Deo; qui natura, non gratia, & priuilegio, Deus sit.

## CAPVT II.

### Primæ partis, capitis primi, Euangelij secundum Iohannem, breuis ac orthodoxa expositio: & ab omnibus omnium Hæreticorum calumniis vindicatio. Simul etiam argumenta inde deducta, pro vera Christi deitate.

Accedamus nunc ad ea loca: vbi Christus disertè appellatur Deus. Ac primò quidem explicandum venit primum caput Euangelij secundùm Iohannem.

*In principio erat ὁ λόγος, &c.*

SCopus Euangelistæ, in toto hoc, non solùm capite, sed etiam libro, est, demonstrare Iesum, (eius Genealogiam, quod ad carnem attinet describserant reliqui Euangelistæ,) esse non solùm Filium Dauidis, verum hominem, sed etiam Filium Dei, verum Deum, eoque verum Christum, & Seruatorem Mundi. Ac proinde hortari, vt in hoc vno collocemus fiduciam, quod per fidem in hũc vita habeatur æterna. Hunc esse Scopum liquido apparet. Primùm à causa, quæ Apostolum ad scribendum hunc Ecclesiis librum compulit. Ea fuit Hæresis quæ Apostoli tempore serpere cœpit: nempe Iesum ψιλὸν esse ἄνθρωπον Hanc hæresim (si Historiis credendum est) Carpocrates primùm, & Ebion, deinde Cerinthus in Ecclesiam inuexerunt. Nam decepti Genealogia Christi, quæ apud Matthæum & Lucam habetur: vbi humanitas duntaxat Christi, & è quibusnam sit quod ad carnem attinet, describitur: putãrunt & docuerunt Iesum Christum nudum esse hominem. Vt Epiphanius, Theodoretus, Augustinus, & alij testantur. Epiphanius in Pan.lib.1.Tom.2.hær.27.28 30. Et lib.2. Tom.2. hær.69.p.3.8. Et apud Theodoret. in Epitom. Hæreticorum lib.2.de Ebione affirmatur. Et apud Eusebium Cæsar. in Histor.lib 3.cap.27. Itidem de Ebione scribitur; Et Augustinus, Tom.6.lib.de Hæresibus, hær.7.8.10. Ac de his loquutum esse Iohannem in prima Epistola, capite 4.3. quum dixit, Eos esse Antichristos, qui negant Christum venisse in carne, mihi dubium non est. Nam illi etiam negant, Christum venisse in carne, qui docent eum, nudum esse hominem. Quomodo enim venit in carne, qui nuda est caro? Non enim potest dici venisse in carne, qui à carne nihil differt. Fuerunt autem hi Hæretici, de quibus diximus, tempore Apostoli Iohannis: Et talis fuit hæresis de Christo. Iohannes itaque hinc permotus, imò coactus fuit suum conscribere Euangelium, & docere, Iesum non nudum esse hominem, sed Deum. Nec solùm ex semine Dauidis natum: sed eum in primis è substantia Dei Patris esse genitum. Atque in hoc consentiunt Patres omnes. 2. Legatur Epiphanius loco suprà citato, ex Panario. Quare ex causa, quæ Apostolum compulit, vt istum librum scriberet Ecclesiis, satis apertè liquet, hunc, quem dixi, illius fuisse scopum. Idẽ etiam liquet ex propositione, quàm præmittit toti historiæ Euangelicæ, nempe, *In principio &c.*

Tertiò idem patet ex mediis, quibus suam confirmat propositionem, vt ex creatione, & cõseruatione Mũdi: quum ait: *Omnia per ipsum facta sunt.* Non enim nisi ab æterno Deo, fieri hæc potuerunt. Vt, ex testimoniis Iohannis Baptistæ. & aliorum: quorum citat testificationes. Quid enim illi testificantur omnes aliud: nisi (vt alias ostendimus) Iesum, Filium esse Dei, solum ex Deo genitum: eoque verum cum Patre Deum? Vt, ex miraculis Christi. Quid enim illa patefaciebãt? Gloriam Christi, hoc est, Deitatem, vt Iohannes ipse testatur. Io.2.11. Idem liquidò apparet ex conclusione totius libri, quum ait: *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus est ille Filius Dei, & vt credentes, &c.* Ioh.20.31. Dubium igitur non est, quin scopus Iohãnis in hac sua Historia fuerit, demonstrare: Iesum minimè nudum esse hominem, sed verum, & æternum Filium Dei, Deum: Ac proinde verum Christum.

II. Propositio itaque de Christo, quam posteà confirmaturus est, ad finem vsque libri, hæc est, *In principio erat ὁ λόγος: & ὁ Λόγος erat apud Deum. & Deus erat ille λόγος.* Habet autem hæc propositio, subiectum vnum, & tria prædicata. Subiectum est, ὁ λόγος: quem postea factum carnem, vocat Christum. Primùm prædicatum est: *Erat in principio.* Hoc exprimit æternitatem huius λόγου. Secundum est: *Et iste λόγος erat apud Deum.* Hoc prædicatum duo exprimit de λόγῳ. Primùm hunc esse distinctum ab eo, cuius est λόγος. Distinguitur enim id, quod est apud aliquem: ab eo, apud quem est. Deinde, λόγον esse inseparabilem à Deo, & ideò vnum esse cum Deo. Esse enim semper apud Deum: est, inseparabilem à Deo esse: & ideò vnum esse cum illo. Etsi enim tunc erat apud Deum, non tamen sequitur non amplius esse apud eum. Sicut nec quum ait: *In principio erat*: sequitur simpliciter iam non esse ampliùs. Nam etiam ait; *Et λόγος erat Deus*: non sequitur tamen, τὸν λόγον non amplius esse Deum. Sic etiam quum ait, *erat apud Deum*: significat semper fuisse, & esse, & futurum esse in perpetuum, apud Deum. Tertium prædicatum est: *Et Deus erat ὁ Λόγος*: hoc est, & ille λόγος erat Deus. Hoc prædicato apertè notatur τοῦ λόγου essentia, seu deitas: Et hoc tertium optime consequitur ex duobus prioribus. Si enim hic λόγος erat iam in principio, hoc est, ante omnia tempora, & ante omnes res creatas; & si etiam erat & semper est apud Deum, inseparabilis scillcet à Deo Patre: sequitur λόγον ipsum verum esse Deum. Idcircò repetit Euangelista illa duo priora prædicata: vno complexus verbo, & dicens, *Hic λόγος in principio erat apud Deum.* Ac si subintelligas γὰρ, enim (vt sæpe apud Iohannem intelligitur, tametsi non exprimitur:) tum videbis hanc particulam fuisse repetitam, vt inde probet tertium prædicatum, nempe, τὸν λόγον esse Deum. Est enim sensus, Et ille λόγος erat Deus. Hic enim λόγος erat in principio apud Deum. Quomodo autem Deus non est, qui ab æterno, ante omnes res creatas, fuit apud Deum? nihil enim tum erat nisi Deus. Sequitur posteà confirmatio totius propositionis, nempe, λόγον fuisse iam ante omnia, & fuisse apud Deum, eoque verum esse Deum. *Omnia* (enim) *per ipsum facta sunt.*

Nunc tenemus scopum Iohannis, & huius contextus resolutionem. Sed antequam progrediamur, diligentius explicanda nobis est propositio Euangelistæ, ac simul refutanda Hæreticorum interpretatio. Non debet autem esse molesta hæc explicatio: nam ex recta, aut praua huius loci intelligentia, maximè aut confirmatur, aut infirmatur veritas.

III. Quod ad subiectum propositionis attinet, extra omnem est controuersiam, nomine τοῦ λόγου, intelligi Filium Dei, quem Iesum Christum vocamus. Nam paulò pòst dicit Euangelista, *Et hic sermo caro factus est, & habitauit inter nos, & vidimus gloriam eius, &c.* Hic autē est Iesus Christus. Cæterùm quo sensu, & quibus de causis, Christus appelletur λόγος à Ioh. non ita inter omnes conuenit. Sunt in summa tres opiniones falsæ, & hæreticæ, & vna tantùm sententia vera, & orthodoxa.

Prima opinio fuit Samosateni, quem posteà secutus est Seruetus. Is putauit, Christum ideò appellatum fuisse λόγον, quòd ante natiuitatem ex virgine, nihil esset reipsa subsistens: sed tantùm idea in mente Dei, seu cogitatio, & decretum Dei: de hoc homine, certo tempore creando, sine peccato: & omni gratia & veritate, atque adeò suæ deitatis virtute, implendo. & supra omnes reliquas creaturas exaltādo, & Seruatore Mundi constituendo. Sicut enim λόγος noster siue in mente, siue prolatus, non est aliquid ὑφιστάμενον, sic iudicauit Christum, quum nondum esset homo, sed tantùm λόγος: non fuisse aliquid ὑφιστάμενον, sed meram futuri Christi, in mente Dei Patris, ideam. Verùm, quàm hæc sit erronea opinio, suprà à nobis demonstratum est fusissimè: quum ostendimus Filium Dei, qui λόγος appellatur, æternā esse substantiam, veramque (vt vtamur voce Patrum) personam, intelligentem, volentem. Deinde ipsis etiam verbis Euangelistę, facilè hic putidus error refellitur. Ait enim de hoc λόγῳ: *Erat Deus.* Deus autem non est idea, sed nihil magis est ὑφιστάμενον, quàm Deus, cùm sit Iehoua, perfectissima essētia, totiusque esse in omnibus creaturis, auctor. Item: *Omnia per ipsum facta sunt.* Res autem non sunt creatæ per ideam, sed per rem maximè subsistentem. Item: *In ipso vita erat.* Vita autem rerum omnium non est in idea aliqua, sed in re per se subsistente, & viuificante: eoque & per se, & ex se viuente. Omitto reliqua Ioh. testimonia, tum in Euangelio, tum in prima Epistola, & Apoc. quibus apertè refellitur hæc stulta & blasphema Samosateni, & Serueti opinio.

IV. Altera fuit Arij. Is agnouit quidem λόγον, rem esse subsistentem, viuentem, intelligentem, volentem: verum opinatus est fuisse, non propriè Filium, de patris substantia, ab æterno genitum: sed Spiritum à Deo, ipsius ore, seu iussu, ante omnia factum: per hūc verò factum, & creatum λόγον, seu Spiritum, reliqua omnia fuisse condita. Atque in hunc errorem, lapsus est ex falsa intelligentia illius loci, qui est de sapientia Dei, apud Salom Prou. 8 22. vbi sapientia sic de se loquitur, iuxta versionē græcam: Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν (id est, κατ' ἀρχὴν) ὁδῶν αὐτοῦ &c. Nouit Arius optime hunc locum de Filio Dei, Iesu Christo, intelligendum esse, & vnam atque eandem rem esse λόγον, de qua Iohannes. 1. v. 1. Et sapientiam, de qua Salomon. Sed ex verbo ἔκτισέ με, deceptus, putauit omninò hanc sapientiam, & λόγον, Spiritum esse à Deo creatum, & ideò λόγον, & σοφίαν appellari, quia Spiritus. Ideò verò creatū Spiritum, quia ait: ἔκτισέ με. Atque hæc fuit prima occasio erroris Ariani, vt scribit Epiphanius. Cæterùm quàm turpiter hallucinatus fuerit ex illo verbo, nemini dubium est, qui Hebraicam linguam saltem degustauit. Est enim verbum, קנני possedit me, à radice קנה. Id quod vertendum erat græcè ἔκτησε, à verbo κτάω. Heresis verò Arij, satis abundè refutata fuit à Patribus, & quidem ipso etiam Euangelistæ contextu, citra vllam difficultatem refellitur. Ait enim: *Et ille λόγος, erat Deus*, non est autē Deus vllo modo factus, seu creatus Spiritus. Item: *Omnia per ipsum facta sunt*, &c. Si igitur λόγος factus est: per ipsummet λόγον factus sit necesse est. Quomodo autem idem simpliciter potuit esse, & creator, & creatura, hoc est, sui ipsius creator: si ante sui creationem, ipse nihil erat omnino? Talis igitur fuit Ario, ὁ λόγος, qualem diximus.

V. Postrema verò impia & blasphema opinio περὶ τοῦ λόγου, est nebulonis cuiusdam, aperti hostis Christi: qui in primum hoc Iohan. caput scripsit, suo, ac Typographi, ac loci, nomine suppresso. Hic igitur Nebulo, Iudaici, & Turcici potius, quàm Christiani spiritus homo, in hoc consentit cum suo charissimo fratre Serueto, Christum nimirum, ante natiuitatem ex virgine, nihil reapse fuisse: tum verò primùm cœpisse aliquid esse, quum conceptus est in vtero virginis, homo. Sed in hoc ab illo dissentit: quòd Seruetus hac potissimùm de causa, Christum, etiam ante natiuitatem ex virgine appellatum fuisse ab Euangelista λόγον putauit, quòd fuerit in mente Dei idea quædam. Et deinde promissus Patribus. Hic verò nebulo scribit, Christum hominē illum, post natiuitatem tantum ex virgine: idque solùm à Iohanne Euāgelista vocatum fuisse λόγον: *Et id non ob aliquam eius naturā seu substantiam* (Nebulonis verba recito) *sed muneris tantū causa, quo ipse Dei Filius functus est. dum Euangeliū Patris sui verbū exponeret.* Ac proinde concludit Christū, μεταφορικῶς & μετωνυμικῶς appellatū fuisse à Iohanne λόγον. Metaphorā verò in eo esse: quod sicut verbo hominis, eius volūtas cognoscitur: ita per Christum (nempe hominem tantum) omnis Dei volūtas patefiat. Metonymiā autem hic esse, *quòd Christus* (homo sc. duntaxat) *auctor sit verbi illius* (id est Euangelii) *quod per αἰτιολογίαν* (sic ille loquitur) *hac simplici appellatione*, (nēpe verbi) *gaudere potest: quippe quod aliis omnib.* (verbis scilicet) *vtilius sit, atque præstantius.* Hæc est Nebulonis nostri θεωρία de Christo: & quo sensu appellatus sit à Ioh. λόγος, interpretatio. Atque ibi etiā obtrudit hanc generalē regulam. *Omnia*, inquit, *nomina seu cognomina, quæ Christo imposita inueniuntur: nō propter naturā eius aliquā siue substantiā diuinā, & æternam, sed solummodò ob eius munus ac potestatē, admirandaque opera ab ipso patrata illi fuerūt indita.* Probare autē nititur suā interpretationē à simili. *Etiā*, inquit, *Iohānes Baptista, vocatus fuit vox.* Ies. 40. 3. *nullo tamen modo nomen hoc, vox, substantiam, siue naturā significat, sed tantum officium docendi. Et Aaron datus Mosi pro ore.* Exo. 4 16. *Nū ergo Aaron substantia erat Mosi?* Sic, inquit, *Christus homo, vocatur à Iohanne λόγος, tātum propter officium docendi, & patefaciendi voluntatem Dei.* Ita ille, vt inde tandem etiam concludat, Nomen quoque Dei, impositum Christo fuisse, non propter naturam diuinam, quasi essentia, & natura Deus sit verus, sed tantùm propter officiū, quod fuerit nobis auctor salutis à Deo factus, & datus. Hæc est summa interpretationis illius Nebulonis in hunc locū. In hac verò interpretatione quinque nobis breuiter refutanda sunt: Primum quod sentit cum Serueto, Christum nihil fuisse ante natiuitatem, seu conceptionem, in vtero virginis: quanquam hoc anteà refutatum est, tamen nunc etiam addo hanc rationem ex Euangelista. Iste λόγος, per quem dicit omnia facta, tandem factus est caro. Quomodo verò? Explicat Paulus, quum dicit: Carnem, quam vocat semen Abrahæ ab ipso assumtam fuisse. Hebr. 2. 16. Non potuit autem ea res sumere carnem, quæ nihil erat sub-

sistens. Alterum est, quòd ait, nunquam, & à nemine fuisse Christum appellatum λόγον, nisi à Iohāne Euangelista. Hoc non est simpliciter verum. Nam de omnium interpretum sententia qui in Prouerb. vocatur σοφία, is est Filius Dei, Iesus Christus. λόγος autem & σοφία idem sunt reipsa. Prouerb. 8.22. Sed vt de nomine non contendam. Iohan. certè ipse docet extitisse λόγον, antequam factus sit homo; dum ait fuisse eū in principio; & omnia per ipsum facta fuisse; & tandē factum esse carnē. Ac deinceps non amplius, cū vocat Euāgelista in tota historia λόγον: sed Christum & Messiam, aliisque nominibus. Vnde apparet, Christum tum propriè fuisse λόγον, quum tantùm esset Filius Dei, & nondum Filius hominis. Quòd ait tertio loco, muneris tātùm causa fuisse appellatū λόγον, falsum est. Sunt enim & aliæ causæ, quas postea explicabimus, propter quas appellatus sit verbum, seu sermo. Ac quòd nititur suam confirmare interpretationem à simili Iohannis Baptistæ, & Aaronis; quia ille vox, iste os Mosis appellatus fuit, non aliàm ob causam, quàm propter officium docendi, & loquendi; paralogismum admittit, qui dicitur, Non causa, vt causa. Non enim vna tātùm est causa, cur Filius Dei appellatus sit λόγος; sed multę, propter similitudines multas, quas habet, cum nostro verbo tacito, & expresso, vt Patres explicant. Regula vero illa, ab hoc Aristarcho tradita; Omnia scilicet nomina, & cognomina, quæ Christo imposita inueniuntur, non fuisse illi indita, nisi propter eius munus, & potestatem, admirandáque opera ab ipso patrata, falsissima est. Quā enim ob causam appellatus fuit vnigenitus Dei Filius? Propter quodnam munus aut potestatem, aut admirandum opus ab ipso patratum? Imò hoc nomine est appellatus, vt significetur eius vnius è substantia Patris generatio: ac proinde natura eius diuina: quemadmodum demonstrauimus suprà, quum egimus de naturali Christi, ex Deo Patre filiatione. Denique quod scribit: Christum hominem, primum fuisse, qui decretum Dei, de æterna hominum redemtione, humano generi reuelauerit; Deique Patris voluntatem per hunc tantùm hominem fuisse patefactam, falsum est. Nam modò per eundem Filium suum Deus, antequam homo esset factus, iam inde ab initio Mundi Patribus hanc suam voluntatem patefecit: vt quum per ipsum locutus est Adæ, & Noe: modo per Angelos: modò per Prophetas. Docet hoc Iohan. Baptista, *Deum nemo vidit, &c.* Iohan. 1.18. Num excludit tantum homines qui suo erant tempore: quasi reliqui, ante Christum hominem factum, viderint Deum, sine hoc filio? Illud enim est generale, Filium, qui est in sinu Patris, nobis (omnibus hominibus) reuelasse. Vnde apud Matth. 11. 27. ait Christus: *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, &c.* Atqui Patres etiam, Patrem nouerant: Ergò eis Filius reuelauit. Quare, si hac de causa appellatus est λόγος (quod nō inficiamur) quia per hunc patefacta est Dei voluntas, consequitur, λόγον fuisse nō tum primùm, quum factus homo, & natus annos triginta, cœpit prędicare: sed iam inde ab initio Mundi, quia tum primum cœpit Dei Patris voluntatem hominibus patefacere.

VI. Quarta verò sententia, eaque sola vera, & orthodoxa: est Ecclesiæ, iam inde ab Apostolis in hæc vsque tempora constanter continuata. Ea duo habet membra: Primum est, Filium Dei, λόγον esse Dei Patris, non prolatitium, & in aera euanescentem, sed substantialem, non in tempore prolatū, sed ab omni æternitate ex Patris substantia genitum: Patri per omnia æqualem, eoque rem verè subsistentem, intelligentem, volentem. Hoc ex scripturis ipsis colligit Ecclesia, & prę︠sertim ex Prouerb 8. 22. &c. vbi liquido apparet, sapientiam Dei, rem esse subsistentem, viuentem, intelligentem, volētem, operantem, ac proinde veram personam: quæ cum Patre condidit vniuersa, genita ex Patre, non autem facta. Sunt autem idem, sapientia, & λόγος Dei. Hanc autē fuisse Ecclesiæ veteris, & primitiuę sentētiā, liquet ex Patribus ipsis. Duorum tantùm loca citabo. Primus locus est Tertulliani, in libro contra Praxeam, vbi sic ait: *Sed etsi inuisibilia illa, quæcunque sunt, habent apud Deum, & suum corpus*, (id est, substantiam) *& suam formā per quæ soli Deo visibilia sunt, quanto magis quod ex ipsius substantia missū est, sine substantia non erit?* En quomodo τὸν λόγον, id est, sermonē Dei, facit substantialem, dum ait, eum non posse esse sine substātia. Et ante ipsum, idem scriptum reliquerat D. Ignatius, in Epistola ad Magnesios, quā epistolam ex Eusebio ostendimus, legitimam Ignatij esse epistolam. Nam ait, ὅτι εἷς θεός ἐστιν ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, &c. En Catholicæ Ecclesiæ sentētiā, qualis λόγος sit Filius Dei Christus. Alterū mēbrum est, quibusnā de causis appellatus sit, cùm ab aliis, tum ab Euangelista Iohanne, ὁ λόγος. Vera & genuina causa est, quia sapientia est Patris, vt est in Prouerb. 8.12. λόγος autem idem est, quod sapientia. Neque enim λόγος grecis significat tantùm sermonem, quo aliquid profertur, sed etiam ipsam sapientiam, & rationem, qua in animo aliquid excogitatur, & disponitur. Ergò D. Iohannes, vt significaret Iesum esse sapientiam Patris, vocauit eum λόγον, nempe, Patris. Hæc est vera, & prima causa. Gregorius Na. sermone 2. περὶ τοῦ υἱοῦ alias affert, λόγος δὲ μοι λέγεσθαι ἐστ αὐτῷ, ὅτι οὕτως ἔχει τῷ πατρί &c. Tres in summa similitudines, Filij Dei, cū nostro sermone explicat: & propter has ait appellatū fuisse sermonem. Vna est, quia sicut noster sermo, id est, conceptus mentis, a mente generatur: idque citra vllam generantis, vel rei genitæ passionem: sic Filius ex Patre Deo, citra passionē genitus est. Altera quod sicut noster conceptus manet semper in mente, & apud mētem, à qua genitus est, ita vt, licet etiam foras exprimatur, nunquam tamen desinat esse apud mentem: eūdem ad modum Filius semper manet apud Patrem, inseparabilis à Patre. Tertia, quòd sicut per prolatum sermonem, nostræ mētis consilium, voluntasque patefit: sic per Filium, Pater, Patrisque voluntas patefacta, & reuelata est: Nō, vt noster Nebulo docet, tum tantùm, quum natus est homo Christus, sed iam inde ab initio Mundi. Quare non vna tantùm est causa, cur appellatus sit λόγος, sed multæ, vt dictum est, quarum prior, & altera, à Nazianzeno assignatæ, ad substantiam Filij pertinent: tertia verò ad officium. Sed ne aliunde quidem melius potest intelligi, cur Filium Dei vocārit λόγον Euangelista Iohan. quàm ex ipso Iohanne, atque adeò ex hoc contextu. λόγος mentis, coæternus est menti: nunquam enim mens, sine suo fœtu: Ita Filius coæternus Patri, quia nunquam Pater sine Filio. Ideò ait, *ὁ λόγος erat in principio.* λόγος item seu conceptus mentis, distinguitur à mente, ita Filius à Patre. λόγος noster, ita à mente distinguitur, vt tamen semper in mente, & apud mentem maneat: ita Filius Dei. Ideò vtranque hanc proprietatem complectens ait, Et λόγος *Erat apud Deum.* Noster λόγος, ita est in mente, & apud mentem, vt mentis etiam nomine significetur: veluti quum dicimus, Hæc est mens mea, id est, meum consilium, mea voluntas: Sic Filius, ita est Filius Dei, & cum Deo: vt sit ipse Deus. Ideo subdit, *Et Deus erat ille λόγος.* Sapientia & verbo, iussuque suo efficaci, omnia sua agunt sapientes, potentesque principes: Ita Pater omnia egit, & agit per Filium suam sapientiam efficacem. Ideò ait: *Omnia per ipsum facta sunt.* Per sermonem nostrum prolatum, significatur mens, mentisque voluntas: Sic per Filium Pater, & eius voluntas patefit. Ideo ait: *Ipse enarrauit nobis,* &c. Io. 1.18. Atque hæ mihi videntur apertæ, & certissimę causæ, ex ipso Iohannis contextu collectæ, quamobrem Filium Dei τὸν λόγον nominārit, nimirum, quòd sit Patris sapientia ęterna, à Patre distincta, & simul etiam inseparabilis, vnà cum Patre Deus, per quam sapientiam omnia fecit, & seruat Pater, & se, suamque patefecit voluntatem, ac semper patefacit.

Nunc tenemus subiectum propositionis D. Ioh. nimirum quid intellexerit nomine τοῦ λόγου, qualis λόγος fuerit, atque sit, & quamobrem λόγος sit appellatus. Sequitur primum prædicatum.

VII. *Erat in principio,* nempe iste λόγος. Hoc primum prædicatum longe diuersè ab Hæreticis, quàm ob orthodoxis explicatum fuit. In summa, omnes Antichristi, ita locum hunc torquent, vt contendant, hinc minimè colligi posse τοῦ λόγου æternitatem. Contrà verò orthodoxi sentiunt.

Ac primùm Arius, nomine quidem principij, intellexit, initium rerum conditarum, & seculorum, ante quod principium, nihil erat nisi Deus. Verùm ita in hoc initio fuisse docuit τὸν λόγον, Filium Dei, vt ante hoc initium, nihil, in ipso autem principio, prior rebus omnibus fuerit: vt sensus sit: ὁ λόγος, initio, quo res omnes conditæ sunt, prior omnibus erat, h. e. factus & creatus à Patre fuit ante omnes alias creaturas: per ipsum verò reliqua omnia sunt facta. Ac proindè, & dixit Arius, Filium factum esse: & negauit coæternum esse Patri. Sed quàm absurda, non tantùm impia sit, hæc Ariana opinio, de loci huius intelligentia: perspicuum fiet, ex ipsa & vera, quam paulò pôst adferam, Ecclesiæ interpretatione. Certè ipso Euangelistæ contextu, facilè refellitur. Ait enim, *ὁ λόγος, erat in principio:* non autem, factus est, sicut posteà de rebus aliis omnibus dixit: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quod autem erat iam in ipso principio quo omnia facta sunt, illud certè ante ipsum quoque principium fuisse, necesse est. Quare λόγος ante principium erat, si iam erat in ipso principio. Deinde dicit, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. Quasi dicat: Si quæras, vbinam erat iste λόγος, quando initium factum est rerum omnium? Dico illum ita fuisse apud Deum, cuius est λόγος, aut sapientia: vt nunquā non fuerit apud Deum, cùm Deus etiam sine

hoc suo

λόγῳ, suaque sapientia, esse nunquam potuerit, aut ... Quòd autem iam erat apud Deum, quum nihil adhuc esset rerum creatarum: illud in ordinem creaturarum redigendum non est: neque vllum à tempore principium habuisse potest, quod apud Deum iam erat, quum nullum adhuc esset tempus. Ait præterea, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Non est autem Deus, qui habet initium, & verè æternus non est. Et quid est, quòd repetit, οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν, nisi quòd is λόγος vt esset, non opus habuit, vel tempore, vel loco, quia apud Deum iam erat, in ipso etiam temporum & rerũ omnium initio? Postremò addit, *Omnia per ipsum facta sunt, &c.* Hac ratione certè concludit, τὸν λόγον ita fuisse in principio: vt fuerit etiam ante principium rerum omnium, quæ factæ sint, cùm per ipsum omnia sint facta. Quis autem nesciat, illum esse antè res omnes factas, per quem res omnes factæ sunt? Facilè ergò euincitur, Arianorum interpretationem esse; quam ita interpretantur τὸν λόγον fuisse in principio rerum conditarum, vt ipse prior fuerit: Ac proinde æternus non sit: quippe qui in principio fuerit, non autem ante principium, falsissimam esse, & impiissimam. Nam si nihil est factum eorum, quæ facta sunt, quod non sit per ipsum λόγον factum, ante principium faciendorum omnium, λόγον ipse fuerit necesse est. Atque hæc contra Arij interpretationem satis.

VIII. Noster verò Nebulo Samosatenianus, de quo suprà, & qui Christum nudum esse hominem docet: nomine principij intelligit, non principiũ Mundi conditi, sed Mũdi renouati. Conditum fuisse dicit à Deo, renouatum verò per Christum hominem. Ac Mundum quidem, per quennam, & quonam ordine fuerit factus, descriptum fuisse à Mose, per quem verò, & quomodo renouatus, describi à Iohanne. Sicut igitur Moses, antiqui huius mundi creationem descripturus, vsus est hac nota ordinis, *In principio* quasi dicat, In primis ante & omnia, *condidit Deus cælum & terram*, quod summatim dictum, posteà digessit: Ita etiam Iohannem, cùm de spirituali mundo, per Christum creato, hoc est, renouato, scripturus esset, vsum esse illa eadem ordinis nota, In principio, vt intelligamus verbũ hoc, seu λόγον fuisse, non quidem ab omni æternitate, aut ante Mundum veterem: sed tantùm ante res creatas noui Mundi. Neque enim ad initium rerum omnium, quæ multò antè extiterunt, respexisse D. Ioh. sed ad earum tantum, de quibus sermonem instituerat, renouati nimirum per Christum mundi. Quare nullo modo, ex verbis Ioh. *In principio erat λόγος*, colligi posse æternitatem verbi, seu Christi.

Hæc est illius Nebulonis interpretatio, quæ quàm futilis sit, & vana, nemo nõ videt, qui scopum Apostoli in toto hoc capite, imò in toto hoc libro teneat. Demonstrauimus enim suprà, tum ab occasione, vnde permotus fuit Euangelista, ad hoc Euangelium scribendum, tum à propositione, tum à mediis, quibus illam confirmat, tum denique à conclusione, hunc fuisse Apostoli scopum, nempe demonstrare, aduersus hæreticos, Iesum Christum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, putàmve creaturam: sed æternum, & naturalem Dei Filium, eoque verum Deum. Si hic fuit Iohan. scopus, vana igitur est Nebulonis Samosateniani interpretatio, Iohannem hîc loqui de initio spiritualis, & renouati Mundi, non autem de æternitate verbi, quòd fuerit ante conditum Mũdum. Si Scripturæ, vt rectè monet, interpretandæ sunt per Scripturas, quibus Scripturis vnquam probabit, nomine principij, absolute positi, vt hîc facit Iohan. initium renouati Mundi intelligendum esse? Nam quòd ait, Iohannem accepisse hanc vocem, ἐν ἀρχῇ in eum sensum, in quem etiã Moses, libenter do. Item, quod assumit apud Mosen, vocem hanc, notam esse ordinis, non planè inficias eo. Sed ita ordinis notam esse concedo: vt ea tamen contendam, à Mose in primis significatum fuisse: nihil eorum quæ facta sunt, fuisse æternum: sed omnia certum accepisse initium. Verùm quod Nebulo infert, Ergo sicut Moses antiqui huius Mundi, &c. Hoc vt ineptum, & ἀσυλλόγιστον, reiicio: quando in ipsa conclusione assumsit, quæ probanda priùs fuerant. Ac proinde, conclusio ex præmissis non consequitur. Assumsit enim pro confesso, Iohannem in Euangelio scripturum fuisse de spirituali Mundo, per Christum creato: Et ideò, quum dixit, *In principio*: ad earum rerum respexisse initium, de quibus sermonem instituerat, nempe ad initium rerum noui & spiritualis Mundi: non autem omnium, quæ multò antè extiterunt. Nos verò contendimus Iohan. hoc in primis voluisse demonstrare, Iesum Christum, æternum esse Dei Filium, veréque Deum, ac proinde verum, vnicum, & perfectum Seruatorem, in quem tota nostra fides recumbere debeat. Vt hoc faciat, primò proponit, & deinde probat τὸν λόγον, qui postea factus homo, vocatus est Iesus Christus fuisse ante conditum Mundum, vsus in sua propositione eodem nomine & eadem significatione, quo, & in qua vsus fuerat etiam Moses, nempe in principio. Quanquam non eodem modo proponit Iohan. quo Moses. Moses enim proposuit, quod postea per partes erat explicaturus: Iohan. autem proponit, quod postea est variis argumentis & testimoniis confirmaturus. Et quidem propositionem suam Ioh. assumit ex Mose, nempe eum λόγον, per quem facta sunt omnia, vt Moses narrauit, fuisse eum in ipso rerum principio; hoc est, ante omnia, seu antequam Mundus fieret. Quare omninò damus Iohannem eodem sensu accepisse vocem: *In principio*: quo etiam Moses dixit: *In principio creauit Deus, &c.* Atque ita retorquemus argumentum in nostrum Nebulonem Samosatenianum.

Eodem sensu vsus est Iohan. voce principij, quùm dixit: *In principio erat ὁ λόγος*, quo etiam Moses vsus est, quum dixit: *In principio creauit, &c.*

Atqui Moses accepit illam vocem, pro inprimis, & ante omnia: hoc est, antequam quicquam rerum conditum esset.

Ergò & Iohannes illam vsurpauit, pro inprimis, & antequam quicquam esset factum, seu creatum: vt sensus sit: Antequam quicquam esset factum, aut creatũ, erat iam ὁ λόγος. Quid hoc autem est aliud, quàm esse æternum? Æternitas enim in sacris literis, significari solet: quum legimus aliquid fuisse, ante Mundi constitutionem: & ante secula. Apparet ergò falsam & ineptã esse huius Nebulonis interpretationem, qua dicit, Iohannem nomine principij, respexisse ad initium rerum, spiritualis Mundi per Christum conditi, non autem ad initium rerum omnium, quæ longè ante extiterunt. Quare non esse hinc concludendum, Christum fuisse ante Mundi veteris creationem, sed tãtum ante Mũdi noui, & spiritualis renouationem. Deinde etiam hoc alterum dataemus: tamen inde etiam necessariò infertam, Christũ fuisse iam à condito orbe. Spiritualis enim Mundus, hoc est, hominum electorum regeneratio, & renouatio, iam inde à condito hoc orbe, cœpit per Christum fieri, quanquam nondum carne nostra indutum. Ergo si Christus fuit ante conditum hunc spiritualem Mundum, consequitur necessariò, non tũc primùm esse cœpisse, quùm natus est ex Virgine, sed iam inde à condito orbe. Ac proinde non nudum esse hominem. Cæterùm liquidius etiam apparebit ex confirmatione interpretationis orthodoxæ, quàm non solum impia, sed vana etiam, & stulta sit huiusce Nebulonis expositio. Veniamus igitur ad orthodoxos interpretes.

IX. Omnes vno, & eodem consensu colligunt ex Euangelistæ verbis: *In principio erat ὁ λόγος*: æternitatem Filij Dei. Quanquam quod quidam nomine principii, intelligant æternitatem ipsam: vt simpliciter non improbo, sic nec simpliciter probo, quia locum in Scripturis non video, qui euincat nomen principii significare æternitatem, sed potiùs pugnat, cùm æternitas sit sine principio. Sententiam tamen amplector, nisi forte adferas illud: *Ab initio, & ante secula*: i. ab æterno. Prou. 8. 23. Sed illud etiam ab initio, capitur pro ante initium, de quo Gen. 1. Quod verò nonnulli nomen principii dicunt esse notam ordinis, sicut & apud Mosen, & significare inprimis, & ante omnia, nõ displicet, modò illud ante omnia accipiatur, sicut & apud Mosen, nẽpe, ante omnia creata: antequam quicquam esset cõditum, ante omnia tempora. Sic enim accipitur à Mose: *In principio creauit Deus, &c.* Gen. 1. 1. Vt sit sensus, Antequam quicquam earum rerum, de quibus dicturus sum, conditum esset: inprimis, & ante omnia, Deus creauit cœlum & terram. Ita apparet Mosen, illa particula, *In principio*: exclusisse omnes res, quarum posteà distinctam creationem describit. Sic etiam apud Iohannem accipiendum est, vt sit sensus, Antequam quicquam esset, rerum, aut temporum, à Deo conditum: In primis, & ante omnia, erat iam ὁ λόγος, nempe Dei: id quod mox probat, dicens: *Omnia* (enim) *per ipsum facta sunt, &c.* Nomẽ ergò principii, tam apud Iohannem, quàm apud Mosen, significat principium rerum, & temporum omnium: ante quod principiũ nihil erat, nisi Deus, Deique λόγος: seu sapientia, & Spiritus sanctus. Hoc inde confirmatur, quia si Moses, sicut dixit: *In principio creauit Deus cælum & terram*, sic etiam explicatis reliquis operibus Dei, dixisset: in fine autem creauit hominem, ad imaginem suam: quis non interpretaretur, in fine nimirum creationis, & operum sextæ diei? Sic igitur etiam accipiendum est nomen in principio, nempe, rerum, & temporum omnium, creauit Deus, inprimis, & ante omnia, cœlum, &c. Est autem in confesso, Iohannem vsurpasse hanc eandem vocem ea significatione, qua & Moses. Ergò Iohannes nomine principij intellexit principium rerum, & tẽporum omniũ, & hic est sensus: *In principio erat*

*Sermo*, hoc est, In ipso rerum & temporum omnium principio quum Deus faceret cœlum & terram, erat iam sermo ille per quem facta sunt omnia. Et sic Tertullianus contra Hermog. exposuit hunc locum, & vocem principij. Hermogenes enim nomen principii apud Mosen interpretabatur pro materia. Tertullianus refutat, & ait, Principium esse inceptionis verbum, non alicuius substantiæ nomen, & vnicuique rei illud esse principium seu initium, dum incipit fieri. Ac proinde hoc Iohan. dictum, sic explicat. *In principio erat sermo*, in quo principio scilicet Deus fecit cœlum & terram. Hanc autem, veram esse huius vocis interpretationem, & hanc, quam attulimus, genuinam esse huius loci explicationem: aliis Scripturarum locis confirmo.

X. Sapientia ait Prouer. 8. 22. *Iehoua possedit me initio viæ eius.* יהוה קנני ראשית דרכו. Quid vocat initium viæ Domini? initium creationis, seu creaturarum Domini, de sententia etiam Thargum, & aliorum intepretum. Res enim creando, Iehoua ad nos venit, & sese patefecit. Hic sensus est Sapientiæ, hoc est, Filii Dei, qui à Iohanne appellatur λόγος: Dum Iehoua Pater omnia creabat, & initium dabat rebus omnibus: iam me possidebat. Ac ne putemus tum tantùm fuisse hanc sapientiam, & λόγον, quum inciperent fieri cœlum & terra, non autem etiam anteà, subdit, קדם מפעליו מאז, hoc est ante opera sua iam tunc, quasi dicat, Iam inde etiam ante opera sua, hoc est, ante creationem rerum, tunc possidebat me Iehoua: id est, ab æterno semper me habuit apud se: nam ante opera Dei, nihil fuit nisi æternitas. Clarius adhuc sequitur מעולם, à seculo ordinata sum, nempe ad principatum, & ab initio, מראש: & ab antiquitatibus terræ, hoc est, ante primordia terræ. His & insequentibus apertè duo docuit Sapientia apud Salomon. Primùm, nomine principii, in quo Iohan ait, fuisse iam τὸν λόγον, intelligendum esse principium rerum: seu quo res omnes creatæ fuerint. Deinde quid sibi velit: τὸν λόγον fuisse in illo principio: nempe, ita tum fuisse, vt fuerit etiam ante illud principium, ac proinde esse æternũ. Confirmatur hæc eadem interpretatio ex Sap. Salom. 9. 9. vbi etiam de sapientia sic loquitur Salomon: *Ac tecum vna est sapientia, quæ tua nouit opera, quæ tunc adfuit, cùm Mundum efficeres.* Et in Ecclesiastico, Sapientia eadem sic loquitur, πρὸ τοῦ αἰῶνος, ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με, hoc est, *ante seculum*, nempe creatum, *ab initio creauit me*, nisi malimus legere ἔκτησε possedit. Ec 24. 14. Hic etiã liquidò apparet primùm, quid nomine principii intellexerit, principium scilicet & initium conditarum rerum, & seculorum: Deinde, quid sit sapientiam fuisse à principio, nempe πρὸ τοῦ αἰῶνος, ante seculum, seu æuum conditum. Et apud Mich. 5. 2. *Et egressiones eius ab initio, à diebus æternitatis.* Hic duo illa confirmat etiam Propheta, Primùm quid sit esse ab initio, nẽpe idem quod est esse à diebus æternitatis, hoc est, ante omnia tempora. Ergò initium & principium, est initium dierum & seculorum. Tunc autem iam erat ὁ λόγος. De Christo enim loquitur, vt liquet apud Matth. 2. 6. Quare secundo loco docet, quomodo intelligendum sit, τὸν λόγον, fuisse in principio rerum, & seculorum, hoc est fuisse ante tempora omnia, seu ab æterno. Euincitur igitur hoc vaticinio de Christo, Nebulonis interpretationem, de principio non creati mundi, sed renouati, vanam & nebulonicam esse. Quid clarius loco Apostoli Pauli, vbi ait, Christum esse πρωτότοκον πάσης κτίσεως, hoc est, genitum ante omnem creaturam? Col. 1. 15. Ergò quùm etiam Iohan. dicit: *Erat in principio*: intelligit, quum omnis creatura principium caperet, tum iam fuisse τὸν λόγον, in eo principio: & ita in illo principio fuisse, vt fuerit etiam ante illud principium: & ipse dederit illud rebus principiũ. Ideò subdit Apostolus, loco suprà citato, *Estque ipse ante omnia, &c.* Quid luculentius etiã loco ad Heb. 10. ex Psal. 102. 26 Vbi Propheta Christum regẽ Ecclesiæ alloquens, ait, *Tu Domine initio terram fundasti, &c.* Est autem manifestum, Psalmum hunc ad regnũ Christi pertinere, ac de Christo, tam Dauidem, quàm Apostolum loqui. Æternus igitur est Christus, quia in illo initio, de quo apud Mosen Gen. 1. 1. fundauit terram. Quare hîc etiam apparet nomine principii, in quo ait Iohan. fuisse τὸν λόγον: intelligendum esse initium creationis rerũ omnium, atque temporum. Nam per hunc λόγον Filium Dei, Deus ipse quoque fecit secula, & tempora omnia. Heb. 1. 2. Et Apostolus ad Heb. 7. 3. docet Christum, cuius typus fuit Melchisedech neque initium dierum habuisse, neque vitæ finẽ. Hoc verò intelligi nõ posse de Christo, quà homo est, nemo dubitat. Ergò quà λόγος, & Filius Dei vnigenitus fuit ante initiũ rerum omniũ: hoc est, ante Mundi constitutionẽ. Quare verissima, & certissima est interpretatio, qua dicimus τὸν λόγον, & ita fuisse in principio creationis mundi, vt etiam ante illud initium fuerit. Ac proinde ex hoc Iohannis loco recte æternitatem Christi ab orthodoxis colligi.

XI. Sed Iohannes ipse interpres est sui ipsius. Nihil enim æquius, quàm vt quisque suorum interpres sit verborũ. Primò repetit hoc idem prædicatũ, dicens, *Hic erat in principio apud Deum.* Mox subiicit probationem dicens: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso &c.* Scio etiam, quàm peruertat hunc locum noster Nebulo. Sed Iohannem loqui de operibus, non renouationis, sed creationis Mundi, liquet ex Apostolo, Col. 1. 16. *Per eum* (Christum) *omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, &c. Omnia per eum, & in eum, creata sunt.* Contineri vero in his verbis Iohan. rationem, qua probet τὸν λόγον, ita fuisse in principio rerum omnium, vt fuerit etiam ante illud principium, & ante res omnes creaturas, quippe quę per ipsum conditæ sunt omnes, planum facit Apostolus ad Col. Nam & ipse, postquam dixisset Filium Dei, genitum fuisse ante omnem creaturã, mox hoc confirmaturus, subiicit, *Nam per eum omnia, quæ in cœlis, & quæ in terris, condita sunt.* Idem autem Spiritus loquebatur in Iohan. qui & in Paulo: deque eodem Christo. Dubium igitur non est, quin Ioh. hæc verba subiecerit, vt per hæc confirmaret τὸν λόγον, fuisse in principio creationis rerum omnium: Ac proinde fuisse ante Mũdum conditum, eoque æternum: *quoniam omnia per eum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* Deinde luce clarius est, Iohann. initio primi capitis nondum loqui de Filio Dei incarnato, seu quatenus homo est, sed de eo tantùm, quatenus λόγος est Patris. Nam tum primum incepit loqui de hoc λόγῳ, quatenus homo est, quum ait, Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, & habitauit inter nos. Vana igitur est interpretatio Nebulonis Samosateniani, quum verba Iohan. *In principio erat ὁ λόγος*, ita interpretatur, quasi loquatur de Christo homine, deque principio noui (vt ipse vocat) & spiritualis Mundi, hoc est, de hominum regeneratione, & salute, quæ per Christum, iam hominem factum, & natum, fiat: non autem de principio conditi, antiqui, vt ipse loquitur, huius Mundi. Præterea vt suam confirmet de Filio Dei sententiam Iohan. Euangelista, paulò pòst adfert testimonium Iohan. Baptistę, qui testificatus est palàm, hunc esse æternum Dei Filium: quippe qui fuit ante se, & ante reliquos omnes, & qui à condito orbe Deum, Deique voluntatem reuelârit, omnibus, qui Deum nouerunt. Quemadmodum supra declarauimus in explicatione testimoniorum Iohan. Baptistæ. Adfert etiam testimonia Christi ipsius: qui non semel se æternum esse, & ante Mundi constitutionem fuisse apud Patrem, apertè docuit: vt quum dixit, *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Iohan. 8 58. Et: *Glorifica me Pater, ea gloria, quam habui apud te, priusquam hic Mundus existeret.* Ioh. 17. 5. Et quum vocat Christum, verum Deũ, & vitam ęternam, Ioh. 5. 20. eo certè dicto confirmat quod hic dicit, in principio erat ὁ λόγος. nempe τὸν λόγον ita in principio rerum fuisse, vt fuerit ante illud principium: eoque esse verè æternum. Quid? quòd in Apoc. introducit Christum, qui dicit, *Ego primus & nouissimus, α & ω* Apoc. 1. 8. 17. His autem verbis Iehoua, apud Ies. significat se æternum, & vnicum esse Deum. Ies. 41. 4. Nouit igitur Iohan. ex verbis Christi, Christum æternum esse, & quidem vnicum cum Patre Deum. Proinde subiecit ibidem Iohannes, λέγει ὁ κύριος ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. Quibus verbis apertè dat Christo æternitatem, & omnipotentiam. Quare cùm Iohannes sit suorum verborum optimus interpres: nõ est, cur Nebulo Samosatenianus, nouam adferat, eamque non minùs ineptam, ac vanam, quàm impiam & blasphemã interpretationem, verbis Euangelistæ: & dicat eum loqui, de principio noui, & Spiritualis Mundi, per Christum hominem conditi, non autem de principio antiqui huius Mũdi: Ac proinde non posse hinc colligi Filium Dei, ab omni æternitate fuisse. Nam satis superque omnibus his, quos in mediũ attulimus, Scripturarum locis, demõstrauimus Christum, quà λόγος, & Filius Dei est, fuisse ante mundi constitutionem, eoque verè æternum. Ac proinde interpretationem Ecclesiæ, quæ sic verba Iohannis, In principio erat ὁ λόγος, interpretata est, vt inde æternitatem Filij Dei euincat, reiici non posse, cùm Scripturæ per Scripturas iuxta analogiam fidei explicentur. Non puduit tamen hunc Nebulonem nos perstringere, quod relicto vero interpretandi genere, quod est Scripturas per Scripturas exponere, & valedicto diuinarum literarum auctoritati, nostris somniis indulgeamus omnes. Audacem, & impudentem sycophantam, atque Antichristum.

XII. Nec mihi prætereundum videtur id, quod alii quoque obseruarunt, nempe, quòd Iohãnes non dixit, *In principio fuit, sed erat.* Si enim dixisset *Fuit*, potuisset intelligi, tũc primùm cœpisse esse Filium Dei, λόγον, quum primùm res cœperunt creari. At cùm dicat, *Erat*, non potest aliter intelligi

quàm, etiam priusquàm Mundus cœpisset fieri, τὸν λόγον fuisse. Veluti si dicas de aliquo, quum cœpit loqui, apertum fuit eius os, significabis tunc primum tantùm apertum fuisse illius os, quum cœpit loqui. At si dicas, quum cœpit loqui, apertum erat illius os, apertè significabis, etiam antequam cœpisset loqui, apertum illius fuisse os. Ita Iohannes loquitur: *In principio*, nempe creationis Mundi, *erat ὁ λόγος* hoc est, quum cœpit creari Mundus, antea erat ὁ λόγος. Sic quæ duo sequũtur prædicata, intelligenda sunt: *Erat apud Deum*, nempe, etiam antequam Mundus fieret. Hoc est enim in principio. Et, *Deus erat ὁ λόγος*, nempe in principio, hoc est, antequam Mundus fieret, ὁ λόγος iam erat Deus. Neque etiam ineptè, æternitas τοῦ λόγου, colligitur ex ipso nomine λόγου. Si enim erat, & est λόγος, atque sapientia; alicuius erat, & est λόγος, ac sapientia. Cuiusnam? Dei, vt manifestatum est; & Iohan. docet tum in prima Epistola, tum in Apocalypsi. Deus autem nunquam fuit sine sua sapientia, & sine suo λόγῳ. Ergo si Deus æternus est, æterna quoque sit eius sapientia, quam λόγον vocat Iohannes, necesse est.

Atque hæc satis pro confirmatione interpretationis orthodoxorum Patrum, qui verba Iohan. sic interpretati sunt, iam inde à primitiua Ecclesia, vt inde confirmarent, Filium Dei, esse æternum.

XIII. Καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. Hoc est alterum, quòd hic prædicatur de Filio Dei, λόγῳ Patris. Hunc etiam locum hæretici omnes à vero & genuino sensu, in falsum & adulterinum mirabiliter detorserunt.

Samosatenus & Seruetus sic interpretantur: *Erat apud Deum*: quia cùm iste λόγος nihil aliud esset, quàm idea, & consilium Dei, de creando Christo, & eo constituendo mundi Seruatore, Decretum autem hoc æternum est: Ideò hic λόγος, seu consilium, in mente semper fuit Dei. Sed confutata est sententia Samosateni: & ostensum, τὸν λόγον rem esse substantialem, & veram personam. Ruit igitur hæc prima interpretatio. Arius verò sic intelligit: *Erat apud Deum*: quia cùm nihil aliud sit, quàm Spiritus creatus ante creationem Mundi: tunc autem nullus adhuc esset locus, hic Spiritus nullibi erat, nisi apud Deum. Ac proinde Euangelistam voluisse significare his verbis, Filium, primum fuisse Spiritum, qui à Deo conditus sit, quia ante mundi constitutionem fuit nullibi, quàm apud Deum. Esse enim discrimen inter hunc λόγον, qui erat: & inter Deum, apud quem erat. Non esse igitur Deum, sed tantùm fuisse, & esse apud Deum. Sed causa huiusce erroris, fuit ὁμωνυμία: quòd nomine Dei, hoc loco non intelligebat personam Patris, quatenus distinctus est à Filio, sed ipsam diuinam essentiam. Iohan. autem docet, quid intellexerit hic nomine Dei, nempe Patrem: quum ait de Filio, quem vocat vitam, *Erat apud Patrem*. 1. Ioh. 1. 2. Est autem refutata Arij sententia; & demonstratum, τὸν λόγον non esse Spiritũ creatum; sed Filium è Patris substantia genitum. Proinde non potuit esse apud Patrem, tanquam creatura, sed tanquam Deus cum Patre.

XIV. Tritheitæ ita explicant, vt hinc conentur suam confirmare blasphemiam, de tribus Diis, numero, & essentia differentibus. Si Filius erat, inquiunt, apud Patrem: duo igitur numero inter se differentes sunt, Pater, & Filius, & quod est Filius non est Pater. Est autem Filius Deus, & Pater Deus. Non est igitur idem Deus λόγος, seu Filius, qui est Pater. Respõdendũ est ad maiorem distinctionem: Si intelligitur de essentia, seu de Deitate, negamus consequi ex verbis Ioh. Filium non esse idem, essentia scilicet seu Deitate, quod Pater. Ioh. enim quùm ait: *Et λόγος erat apud Deum*, nomine Dei intelligit personam Patris: & de distinctione personarum inter se, non autem de diuisione, aut differentia Deitatis, seu diuinæ essentię, loquutus est. Si autem maior propositio intelligitur, non de essentiæ diuisione, sed tãtùm de personarum distinctione, assumptum, quod est de essentia seu Deitate, nihil facit ad rẽ: & syllogismus, quatuor constat terminis. Ioh. itaque hoc altero prædicato voluit inprimis demonstrare personarum distinctionẽ contra Sabellium, Filium scilicet non esse Patrem, sed à Patre distinctum: non autem indicare οὐσίας seu Deitatis diuisionẽ. Imò contrà his verbis, ita apertè ostẽdit distinctionem personarum, Patris & Filij, vt simul etiam indicet vnitatem essentiæ: Patrem scilicet & Filium, vnius, & eiusdem esse Deitatis. Colligitur hæc vnitas ex modo, quo λόγος erat, & est apud Deum Patrem. Is modus non est similis ei modo, quo corpus est apud corpus. Sic enim differrent numero & substantia inter se, corpus quod est apud: & corpus, apud quod est alterũ corpus. At neq; Pater, neque Filius λόγος, sũt corpora, aut corporei. Ergò non eo modo est Filius apud Patrẽ. Nec similis est modus iste, modo, quo Spiritus creatus, eoq; finitus, est apud Spiritum creatum, eoque finitum: vt Angelus apud Angelũ. Sic enim differrẽt inter se, numero, natura, & essentia. At neque Pater, neq; Filius, est Spiritus creatus, aut finitus. Sed tã Filius est immensus, & infinitus, quàm etiã Pater: ac proinde non potest Filius esse apud Patrem, ita vt sit extra Patrem, sed in Patre. Quare & vnum cũ Patre. Id quod hic Io. ait: *Erat apud Deum*, scilicet Patrem: Io. Baptista ait, *Filius qui est in sinu Patris*, hoc est in ipso Patre. Io. 1. 18. Et Christus ipse: *Ego*, inquit, *in Patre* Io. 14. 11. Et alibi, *Ego & Pater vnũ sumus*. Io. 10. 30. Similis igitur potiùs est modus iste, modo, quo sapiẽtia est apud sapientẽ. Est enim ita apud sapientem: vt sit in ipso sapiente: Ideò dicitur λόγος. Et sicut radius est apud Solẽ, est enim ita apud Solem, vt sit inseparabilis à Sole, & eiusdẽ planè lucis cũ Sole: Ideò Filius dicitur splendor gloriæ. Quare cũ dicimus, radius est apud Solem; Primò significatur distinctio radii à Sole: Deinde indicatur vnitas lucis, in Sole & in radio: quod eadẽ sit in radio, quæ etiã in Sole. Est enim radius apud Solẽ, vt semper sit cũ Sole, & à Sole inseparabilis. Ac proinde vnius cum Sole lucis. Nam ea diuidi in partes nõ potest: sed est tota in Sole, & tota in radio Sic etiã de hoc loco Iohãnis dicimus, ac proinde tantũ abest, vt hic locus foueat sententiã Tritheitarũ, de duobus diis, Patre & Filio: vt eã potiùs euertat; quia docet ita Filiũ esse apud Patrẽ, vt sẽper sit cũ Patre, & in Patre, & vnũ cũ Patre: sicut scitissimè docet Tertullianus cõtra Praxeã. Eius verba, quia piè & elegãter scripta reliquit, libet recitare. *Sermo ergo, & in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre. Et apud Deũ semper, sicuti scriptũ est, Et sermo erat apud Deũ. Et nunquam separatus à Patre, aut alius à Patre, quia Ego & Pater vnum sumus. Hæc erit probola* (προβολή) *veritatis, custos vnitatis, qua prolatum dicimus Filium à Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus sermonem, sicut radix fruticem, vt fons fluuium, vt Sol radium. Nam & istæ species, probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitauerim Filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluuium, & Solis radium, quia omnis origo parens est, & omne quod ex origine profertur, progenies est. Multò magis sermo Dei, qui etiã propriè nomen Filii accepit. Nec frutex tamen à radice, nec fluuius à fonte, nec radius à Sole, discernitur* (pro separatur) *sicut nec à Deo Sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum, & Sermonem: eius Patrem, & Filiũ ipsius. Nam & radix, & frutex duæ res sunt, sed coniunctæ: & fons & flumen, duæ species sunt, sed indiuisæ: & Sol & radius, duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius, necesse est, de quo prodit: non ideò tamen separatum.* Hæc omnia Tertulliani. Falsa igitur est interpretatio Tritheitarum: λόγος erat, & est apud Deum Patrem, non tam distinctus, quàm etiam differens à Patre, numero & Deitate.

XV. Noster verò Antichristus aliam mirabilem adfert interpretationem, acumine sui ingenii dignissimam. Et hæc est, ad verbum, *Verbum erat apud Deum: hoc est, Iesus, quatenus Dei verbum (ab officio, vt supra sic vocatus) antequam Baptistæ prædicatione manifestaretur: soli Deo notus erat*. Hæc ille. Et vt refert dicta omnia quibus Iohann. Baptista dixerat Iesum ignotum esse Iudæis, tametsi in medio eorum versaretur. Imò etiam sibi, antequam vidisset super eum columbam descendentem, & manentem prorsus incognitum fuisse. Ita probare nititur, aliquot locis Scripturarum, hac locutione, esse apud Deum, significari, soli Deo notum esse: Ac proinde hunc esse sensum D. Ioh. Iesus Christus, tametsi in principio, quo renouandus erat Mundus, iam ipse erat in mundo, & quidem inter Iudæos, nemini tamen erat notus, quis esset, nempe Messias, & Mundi renouator, ac seruator, nisi Deo. Tum verò cœpit notus fieri aliis, quum Ioh. Baptista, cum sua prædicatione patefecit. Egregiam verò interpretationem. Omnia autem hæc commenta eò spectant: vt iste filius Diaboli eludat æternitatem Christi: sed facilè refellitur ex iis, quæ dicta sunt. Satis enim abundè & perspicuè demonstratum est, priore prædicato significatam fuisse à Iohanne huius λόγου æternitatem. Vanum igitur est, quod hic Nebulo garrit, Iesum ideò dici fuisse apud Deum, quia soli Deo notus erat, quis esset. Item, ostensum est, Iohan. non hîc loqui de Christo, quatenus homo, sed quatenus est λόγος tantùm, & sapientia Patris. Nam paulò pòst dicet, hunc λόγον factum esse carnem. Vanus igitur est iste rabula, dum torquet ea, quæ dicũtur de Christo, quà λόγος; ad ea, quæ de eo scripta sunt, quatenus homo est. Pręterea sicut antè dixit: *In principio erat ὁ λόγος*, h. e. ante conditum Mundum (vt declaratum & confirmatum est:) sic etiam hic ait: *& hic λόγος erat apud Deum*, in principio scilicet. Est enim ἀπὸ κοινοῦ, hæc repetenda particula, vt mox ipse facit, quum ait: *Hic erat in principio apud Deum*, id est, ante mundũ cõditum. Si igitur Iohannes hac locutione, *Erat apud Deũ*, significauit, soli Deo Christũ fuisse notũ, vanũ

est quod hic dicit Iohan. Quis enim nesciat τὸν λόγον, Filiũ Dei, ante Mundum conditum, nemini fuisse notum, nisi Deo: cùm nulli adhuc essent, vel Angeli, vel homines, quibus posset patefieri? Quòd si dicat hypocrita Samosatenianus: At ego loquor de eo tempore, quo Iesus homo, fuit ignotus hominibus, ante prædicationem Ioha. Baptistæ, soli autem Deo notus erat. Non sunt hoc modo hæc verba Iohan. Euangelistæ ad illud tempus detorquenda; quandoquidem Iohann. loquitur de æternitate, qua ante Mundi constitutionem Filius erat apud Patrem Deum: nos autem de certo tempore. Deinde etiamsi darem locutionem hanc aliquando significare, Deo tantùm esse notum; non semper tamen hanc habet significationem. Quare euinci non potest, hunc, quem adfert Nebulo, verum esse Iohan. sensum. Quibus enim Scripturis hoc confirmabitur? Nos verò aliis Scripturis nostram, hoc est, Ecclesiæ interpretationem confirmamus: Ac proinde illam Diaboli Samosat. vt falsam meritò refutamus.

XVI. Est autem hæc orthodoxorum Patrum, & Catholicæ Ecclesiæ interpretatio. Nomen Dei intelligunt personam Patris, vt in Epistola prima explicat Ioha. c. 1. v. 2. Verbum *erat* accipiunt in sua propria significatione, pro existebat. Hoc idem verbum ita accipiunt, vt æternam significet apud Patrem existentiam: quare erat, est, & erit in perpetuum, apud Patrem. Hinc verò colligunt, tum æternitatem Filij, quia apud Patrem in principio, id est, ante Mundi creationem fuit: tum distinctionem personarum: tum vnitatem essentiæ; quia inseparabilis à Patre. Nunc & hanc confirmemus, & ex consequenti, quàm impia sit illa nostri Antichristi demonstremus. Primo: verbum, *Erat*, in primo prædicato, & item in tertio, significat æternam existentiam apud Deum: quum enim ait, *In principio erat*, non significat iã desiisse esse, sed fuisse ante Mundi constitutionem, & æternũ esse, & futurũ in perpetuum. Item, quum dicit, *Et Deus erat ille sermo*, nempe, in principio: significátne tum tantùm fuisse Deum, & nunc non amplius esse Deum? Minimè; sed significat, ante mundi constitutionem fuisse Deum, esse, & futurum in perpetuum Deum. Ita igitur & in altero prædicato, verbum (*erat*) accipiendum est, vt significet æternam, & perpetuã existentiam: nempe erat apud Deum, est, & semper erit. Si autem hæc locutio significat, soli Deo notum esse: cõsequetur Christum, & nunquam cognitũ fuisse, & nunquam cognitum iri, ab hominibus, vel angelis. Sed soli Deo fuisse, esse, & fore notũ. Quo quid absurdius dici potest? Vana igitur Diaboli expositio. Deinde ita Filium Dei fuisse apud Deum Patrem, vt semper apud eum sit, & semper futurus sit: docent sacræ literæ. Apud Ioh. ait Baptista: *Filius qui est in sinu Patris, &c.* Ioha. 1. 18. Ergò non tantùm erat in principio, reipsa apud Deum, Sed etiã nunc est & semper futurus est. Item Christus ait, Io. 14. 11. *Ego in Patre, & Pater in me*: hoc est enim idem cum illo, quod ait Ioh. *Erat apud Deum* Item *Ego & Pater vnum sumus*. Io. 10. 30. Significat enim Ioh. ita Sapientiam esse apud Patrẽ sapientem, vt vnũ atque idem sint, Sapiens, & eius sapientia, hoc est, Pater, & Filius, vna οὐσία, vnus Deus. Et apud Ioha. ait Christus: *Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, priusquam hic mundus existeret*, Io. 17. 5. Hoc idem est, cum illo quod dixit Iohan. *Et verbum erat apud Deum*, in principio, vt mox subdit, *Hic erat in principio apud Deũ*. Fuit igitur Filius reapse eum sua gloria apud Patrem, ante mũdi constitutionẽ, est, & futurus sẽper est. Nunquam enim hanc suã amittit gloriam. Et Apostolus ad Heb. 1. 3. vocat eum splendorem gloriæ Dei Patris. Sicut igitur splendor Solis semper fuit, & est, & erit, reapse apud Solem, ita vt à Sole sit omninò inseparabilis, quia vnum est cum Sole: ita Filius, λόγος, semper antẽ mundi constitutionem fuit, est, & in perpetuum erit, reapse apud Deũ Patrẽ, & à Patre inseparabilis, quia vnus est cũ Patre Deus. Meritò igitur Ecclesia locum hunc Iohannis de æterna, ac sempiterna, realique existentia Filij, apud Patrem, interpretata est: non autem de cognitione, vt facit blasphemus simul & ineptus iste Antichristus. Ac proinde non immeritò, ex hoc quoque altero prædicato, confirmant orthodoxi interpretes æternitatem Filii. Nam cùm dixisset, *Erat apud Deum*: Posteà explicauit quando erat, nempe, in principio, dicens, *Hic erat in principio apud Deum*, id est ante mundi cõstitutionem, vt declarauimus. Deinde si λόγος seu Sapientia erat apud Deum: non est igitur Pater prior Filio. Sicut non est prior sapiẽs, sua sapientia. Quare ex eo, quod Iohannes collocat τὸν λόγον, & Sapientiam apud Patrem idque in principio, id est, ante mũdi constitutionem: apertè monuit non esse vnquam separandum Filium à Patre: id quod isti faciunt, qui imaginantur aliquando fuisse Deum Patrem, sine Filio, Sapientia Patris: Ac proinde priorem esse Patrem Filio. Esse enim Filium patri coæternum. Cæterùm hoc altero prædicato duo præcipua de Filio Dei significauit Iohann. Primùm, eum esse personam à Patre distinctam: vt optimè ex hoc loco euincit contra Praxeam Tertull. *Vnus enim*, inquit, *qui erat & alius, penes quem erat*. Alterum, inseparabilem esse Filium à Patre. Illud enim *erat* (vt anteà ostensum est) significat æternam existentiam, fuisse, esse, & in perpetuum futurum esse. Ideò Iohan. Baptista dixit in præsenti, *Filius, qui est in sinu Patris, &c.* Est autẽ Filius apud Patrem, vt sapientia apud sapientem, & fœtus in vtero apud matrem: neque enim genitus est Filius extra Patrem: sed in Patre, ac proinde semper in Patre est. Atque hæc est proprietas Filij, nempe vt ita genitus sit ex Patris substantia, vt semper maneat in Patre: & hanc significauit Io. dicens: *Erat apud Deum*: quemadmodum scitissimè demonstrat ex hoc etiam loco Tertull. vt suprà vidimus. Satis igitur abundè mihi confirmasse videor orthodoxorum interpretationem in hunc locum, veram, ac genuinam esse, qua hinc primò confirmant æternitatem Filii: quia quùm nihil esset, vllusve locus, fuit semper apud Deũ Patrem. In principio, id est, etiam ante mundi constitutionem: qua deinde probant, distinctum esse Filium à Patre: ita vt Pater non sit Filius, nec contra: quia alius est, qui erat & est apud: & alius is, apud quem, erat alter. Qua denique docent indicari etiam ἀδιαίρετον Filii à Patre, seu vnitatem substantiæ, quia ita est apud Patrem, vt non possit esse extra Patrem.

XVII. Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Hic est tertium prædicatum. Hic etiam locus impiis & cõtortis interpretationibus, corruptus fuit ab Hæreticis. Primùm Sabelliani hinc confirmãt Patrem eundem esse, qui & Filius, & Filium non alium esse à Patre, sed vnam, & eandem esse personam, quæ vocetur Pater & Filius. Nã dictionem, θεὸς accipiunt, pro Patre, sicut in præcedẽti prædicato πρὸς τὸν θεόν, hoc est, Patrem. Et eam volunt esse subiectum in hac propositione, hoc modo, καὶ θεὸς id est, Pater Deus, erat ὁ λόγος, quasi dicat, Et iste Pater Deus apud quem erat ὁ λόγος, nihil aliud erat, & est, quàm λόγος ipse. Est igitur vnus atque idem, seu eadem persona, quæ dicitur, & Deus Pater, & λόγος, seu Filius. Sed primùm conuicti sunt Sabelliani præcedenti prædicato, aliam esse personã, eius, qui erat, & est, à persona eius, apud quem erat, & est. Pugnantia autẽ nõ scribit Euãgelista. Non est igitur sensus Euãgelistæ, Patrẽ esse ipsũ Filiũ, seu λόγον, quũ ait καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Deinde nõ cogimur admittere, hãc verborũ constructionẽ, vt θεὸς sit subiectũ, ὁ λόγος autẽ, prædicatũ. Etsi enim præponatur nomẽ θεὸς, & alterũ postponatur: nõ inde tamẽ euincitur, quod præponitur, esse subiectum: cũ similes locutionum inuersiones, frequẽtissimæ sint etiã in Scripturis. Ad hæc, etiamsi talem admittere velimus constructionẽ, nõ cogimur tamẽ, eum, quem adfertis, admittere sensum: quoniam nomen θεὸς, in hac propositione, iuxta hanc syntaxin, possumus & debemus accipere, non pro Patre, ratione personæ: sed pro Patre, ratione essentiæ seu deitatis. Id quod nihil aliud est, quàm dicere, accipiendũ esse nõ simpliciter, pro persona Patris, sed pro essentia, seu deitate Patris: atque (vt alii dicunt) pro Deo indefinitè: vt sit sensus: Et Deus ratione suæ essentiæ, erat ipse quoque λόγος. Personæ enim prædicantur de ipso Deo, seu de ipsa deitate, per se, tanquã partes definitionis, de definito: vt Deus, est ipse Pater, est ipse Filius, est ipse Spiritus sanctus. Neque enim aliud est Deus, & aliud est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Sed Deus est ipse Pater: est ipse Filius, est ipse Spiritus sanctus. Et Pater, ac Filius, & Spiritus sanctus, quid aliud sunt, quàm ipse Deus? Veluti si quis interroget, quũ tantũ esset Adam & Eua, quis erat ille homo quẽ creauit Deus ad imaginẽ suã? Rectè respõderetur, ille homo erat Adã, & Eua. Et sic etiam in abstracto, Illa humana natura, quã creauit Deus ad imaginẽ suam, nil aliud erat, quàm Adam & Eua, ratione naturæ & essentię. Sic etiam contrà, rectè dicitur: Adam & Eua erãt ille homo, & illa humana natura, quã Deus creauit ad suam imaginem. Eundem ad modum dici potest, Deus est, ipse Pater. Quid enim aliud significatur, quàm patrem, ratione essentiæ, esse ipsum Deũ gignentẽ Filium, & eum Filio producẽtẽ Spiritũ S. Sic intelligi, rectéque dici potest, quòd ait Iohannes, Deus, ratione essentię, erat, & est ipse λόγος, à patre genitus, consubstantialis, & cum patre consubstantialẽ producens Spiritum sanctum. Hoc modo si explices verba Iohannis, non inde efficitur, personam patris, esse personam Filij, sed tantùm Patris essentiam: ac Deitatem, esse ipsius Filii essentiam, ac deitatem: seu patrem esse Filium, nõ persona, sed essentia, ac deitate. Atque hæc dicta sunto aduersus Sabellium: si verba Iohannis sic construas, vt nomen Dei ponas, pro subiecto: & nomen λόγος, pro prædicato.

XVIII. Cæterùm mihi placet constructio, quam Patres omnes sequuntur, nimirum vt ὁ λόγος sit subiectum, & θεὸς prædicatum: Sicut etiam in aliis duabus præcedentibus

λόγος fuit subiectum. Hic igitur prædicatur Deus de λόγῳ ... ait Iohannes, hũc λόγον, quem ante dixit, fuisse in principio, id est, æternum: & fuisse, atque esse apud Deum, id est, distinctum à patre, & tamen inseparabilem à patre: eundem ... & esse Deum. Et sic etiam hæretici, aduersus quos ... legerunt, & acceperunt: Verùm non eo sensu, quo orthodoxi Patres interpretati sunt. Hæretici enim fatentur Christum esse Deum, sed propter officium, proptérque multitudinem donorum Dei, & potestatis ei traditæ vim, non autem natura, & essentia. Orthodoxi verò contendunt esse verum natura, & essentia Deum. Hoc autem nos partim initio huius libri demonstrauimus: partim suscepimus demonstrandum circunstantiis illorum locorum, vbi Filius disertè appellatur Deus, vt apud Ioh. in hoc capite. Quia igitur hoc est τὸ κρινόμενον, nõ immorabor in huius tertij prædicati explicatione: Sed pergam ad alia, quibus postea hoc κρινόμενον, mihi erit confirmandum. Ad loca quibus conatur noster Nebulo, cum aliis probare, Christum non esse alia ratione Deum, quàm officio, non autem natura, respondebimus, quum ventum fuerit ad refutationem sophismatum omnium.

Ver. 2. *Hic* (sermo) *erat in principio apud Deum* Repetit illa duo priora prædicata simul, nempe, *Erat in principio*. Et, *Erat apud Deum* duabus de causis: tum vt explicet, quod dixerat, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, nempe in principio, quo erat, nunquam igitur fuisse τὸν λόγον, quin fuerit apud Patrem. Tum etiam vt confirmet tertium prædicatum, τὸν λόγον esse Deum, essentia scilicet & natura. Æternus enim est & inseparabilis à patre.

XIX. Sequitur iam probatio totius propositionis, ducta à creatione mundi, & omnium rerum viuificatione, & conseruatione.

Ver. 3 *Omnia per ipsum facta sunt.*

Hunc quoque locum suis interpretationibus corruperūt hæretici. Nebulo noster contendit, non esse referendum istud, *Omnia*, ad mundana, seu ad creationem mundi, sed ad negotium Euangelii, iam tunc publicati, & recepti: vt sit sensus, omnia hæc noua, spiritualia, atque diuina, quæ apud nos, & in toto terrarum orbe facta conspiciuntur, ministerio Apostolorum, non aliunde ortum habent, quam à Iesu Christo. Omnia enim hæc per ipsum, tanquam autorem facta sunt, quæ ad salutem mundi pertinent. Conatur autem confirmare suam interpretationem, illo Apostoli dicto, quum de redemptione per Christum facta, déque renouata Ecclesia, & electis per Christum, abolita lege, & peccato loquens, ait: *Si quis ergo in Christo, noua creatura est: Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia*. 2. Cor. 5. 17. *Quid audio?* (inquit noster Nebulo) *num verò omnia noua sunt facta? num cœlũ, & terra, & mare? Minimè verò, inquit: Nõ enim de his Apostolus loquitur: Sed de iis, quæ ad religionem, & ad cultũ Dei, ad eius fœdus & promissa, ad mores, & ad victum nostrum, pertinẽt. Hæc omnia sunt renouata per Christũ, & sine ipso factum est nihil, quod factũ est: Sicut ipse dixerat, Sine me nihil potestis facere*. Io. 15. 5. Ita concludit de iisdem omnibus loqui etiam Iohannem, quum ait: *Omnia per ipsum facta sũt*. Hæc verò omnia eò spectant, vt eludat non solùm hunc Iohannis apertum locum, sed alios etiam omnes, in quibus manifestè prædicatur, per λόγον, hoc est, sapientiam Dei, quæ est Christus, omnia esse condita: Et ita, ne per hæc loca euincatur, Christum, verum esse natura, & essentia Deum. Quo quid impudentius: cùm nihil certius sit, quàm omnia à Patre per Sermonem, Filium suum condita esse; vt mox ostendam? Qualis verò est hæc ratiocinatio: Apostolus docet omnia esse renouata per Christum: non dicit autem omnia esse facta: ergo ex his verbis Iohan. *Omnia per ipsum facta sunt*, non potest aliud colligi, quàm Ioh. loqui non de prima creatione cœli & terræ, terúmque omnium, sed de illis, quæ ad religionem, & ad cultum Dei pertinent? Quasi verò non expressam ostendant differentiam Paulus, & Iohannes. Cùm vnus dicat, Facta omnia noua: alter verò simpliciter scribat, omnia sunt facta: & quasi vtrumque non possit esse verum, Per Christum omnia esse creata, & per eundem omnia renouata. Annon idem Apostolus, qui ad Col. ait, omnia facta esse noua per Christum, Col. 1. 16. docet etiam alibi, omnia esse per eundem Christum filium Dei facta? Heb. 1. 2. Quum Apostolus ad Corin. scribens ait, Nobis vnum esse Deum Patrem illum à quo omnia: & vnum Dominum Iesum Christum per quem omnia: 1. Cor. 8. 6. annon apertè & simpliciter docet, ita esse omnia per Christum, sicut omnia sunt à Patre? quomodo autem omnia sunt à Patre? num per renouationem tantùm: & non etiam per creationem, imò ibi loquitur de creatione, non est igitur, cur eodem in loco Apostoli, dicas omnia esse à Patre creata, omnia verò esse per Christum renouata tantùm; & non creata. Deinde, consequiturne, Per Deum nostra corpora renouabuntur in resurrectione, ergo nun fuit ab ipso facta? Item, Deus faciet cœlum nouum, & terram nouam? ergo Deus non fecit vetus cœlum, & veterem terram? Et per Christum fiet secunda resurrectio: ergo per eundem non est facta prima? Eodem modo non sequitur, Per Christum renouamur: ergo per eundem Christum non sumus facti. Imò in iisdem locis, vtrumque disertè tradit Apostolus, Per Christum omnia esse condita, & per eundem omnia renouata. Expendatur locus ad Col. 1. 5. Primùm inde probat, Christum genitum fuisse ex Patre, ante omnem creaturam: quia per ipsum omnia condita sunt, quæ in cœlis, & in terra, & omnia per eum consistunt. Deinde probat eundem esse caput corporis Ecclesiæ, & principium, primogenitum ex mortuis, primas in omnibus tenentem: quoniam per eum Pater reconciliauit sibi omnia, pacificatis per sanguinem crucis eius, tum quæ in cœlis sunt; tum quæ in terris. Sic etiam Ioh. vtrumque docet in sua historia Euangelica, vt ex vtroque operum Christi genere, tum creationis, & conseruationis, tum renouationis, suam confirmet propositionem, Christum nimirum, æternum esse Dei filium verúmque Deum. De quo etiam mundo loquitur Iohannes, quum infra dicit: *Et mundus per ipsum factus est, &c.* Iste nouus interpretes ait Iohan loqui de impiis hominibus συνεκδοχικῶς. Hi enim Christum non cognouerunt. Esto. Quum igitur dicit hunc mundum, id est, hos impios per ipsum Christum esse factos: de quo faciendi genere loquitur? de cõne, quo mundus creatus est ex nihilo, an de eo quo redemptus, & renouatus est? Non potest dictum illud intelligi de hoc altero genere. Homines enim impij, & reprobi, & qui non cognouerunt Christum, minimè fuerunt per Christum redempti, aut per eiusdem Spiritum renouati, factique Filij Dei. Nam si fuissent ita facti, vtique & Christum ipsum fidei lumine cognouissent. Conficitur ergo, quum etiam ait: *Mundus per ipsum factus est*: Euangelistam loquutum esse, non de secunda, sed de prima Mundi, hominum etiam impiorum, creatione. Quare nihil certius quàm quum ait: *Omnia per ipsum facta sunt*. Euãgelistam verba facere de prima rerum omniũ creatione. Ac proinde Nebulonis, & interpretationẽ falsissimã & ratiocinationem vanissimam esse. At demus quod ait: quid tum inde? Ego inde etiam euinco, Christum, non esse purum hominem, & Deum temporarium. Si enim omnia quæ sunt facta, id est, renouata, sunt renouata per Christum, Christus igitur fuit à principio mundi. Nam etiam tunc renouati fuerunt omnes electi, quotquot erant: nisi fortè velis, ô canis, cum tuo præceptore, omnes ante Aduentum Christi, fuisse porcos.

XX. Ariani propiùs ad veritatem accedunt. Contendunt enim Iohannem hîc loqui de rerum creatione, ac proinde fatentur, per λόγον omnia fuisse à Patre condita. Sed duabus in rebus hallucinati sunt: Primùm quidem in eo, quòd putarint τὸν λόγον, esse Spiritum, à Patre ex nihilo, priusquàm reliqua creasset, factum. Deinde in eo etiam errarunt turpissimè, quod, quia ait *per ipsum omnia facta sunt*: & non ab ipso, putarunt, & ita docuerunt, Christum, non esse verum mundi creatorem, & veram efficientem illius causam, sed Patris instrumentariam, quòd hoc λόγῳ, sicut artifex instrumento, vsus sit Pater in creandis omnibus reliquis rebus. Ac proinde inferunt, Filium nequaquam eiusdem esse virtutis, & potentiæ, cuius est Pater. Ad primum quod attinet, facilè refelluntur Ariani, ex ipsius Euangelistæ verbis. Non solùm enim dixit, *Omnia per ipsum facta sunt*: sed etiam adiecit: *Et sine ipso factum est nihil quod factum est*. Illud primum dixit, vt omnia per Filium intelligamus esse facta; contra Samosatenianos. Hoc alterũ adiecit, vt sciamus, ipsum Filium, minimè factum esse, contra Arianos, sed, vt postea explicat, genitum. Nam, si nihil est factum, quod non sit factum per Filium, cõsequitur Filium, aut factum esse per seipsum, quo quid absurdius? aut omnine non esse factum, vt vniuersa docet Ecclesia. Quod attinet ad alterum, facilis etiam est responsio, Primò si ideò Christus debet dici instrumentũ Patris in creando mundo, eóq; minoris esse virtutis, quàm Pater, quia Ioh. ait, per hũc omnia esse (à Patre) condita: eadem ratione diecmus Patrem instrumentum fuisse alicuius superioris in creandis rebus, eóque aliquem alterum, maioris esse potentiæ, quàm sit Pater: quia Apostolus dicit de Patre, esse δι᾽ αὐτοῦ τὰ πάντα, per ipsum omnia. Rom. 11. 16. Si hoc impium est sentire de Patre, Ergo neque de Filio consequitur id quod Ariani ex illa locutione inferunt. Quod enim per ipsum omnia dicatur fuisse condita, nempe, à Patre, id ita intelligendũ esse, nimirum omnia à Patre per Christum tanquam per suam fa-

pientiam & virtutē facta fuisse: indicat Euangelista. Et hac de causa primò, eum appellauit λόγον, id est, sapientiā, nempe Patris: Deinde dixit per hunc λόγον, omnia esse facta. Ipsa autē Patris sapientia, in Patre, non est accidens: sed substantia, eiusdem cum Patre essentiæ atque virtutis. Dicemus etiam hominem intelligere & operari per animam. Num igitur anima minoris est virtutis quàm homo, aut vis animæ, non est causa verè efficiens intelligentiæ in homine intelligente? Imò hinc colligitur Patrem, non potuisse mundū creare sine Filio, sua sapientia, quia ait: *omnia per ipsum* (Filium) *facta sunt* (scilicet à Patre) *& sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Apertè enim docet, sine Filio nihil potuisse fieri: quemadmodum etiam sapiens nihil potest intelligere, aut prudenter agere citra suam sapientiam, neq; ignis calefacere, sine suo calore: neque sol illuminare, absque suo splendore. Christum autem efficientem fuisse causam creati mundi: docet Apostolus ad Heb. 1. 10. ex Psal. 102. 26 *Et tu Domine initio terram fundasti &c.* Ierem. etiam ait. *Dij, qui non fecerunt cœlum & terram, disturbentur è terra* Iere. 11. Quare Ariana interpretatio, quàm impia sit, & absurda ex iis quæ dicta sunt liquidò, apparet.

XXI. Venio igitur ad veram huius loci interpretationem, quæ Christianæ est Ecclesiæ, primum quidem in confesso est apud omnes pios, & verò etiam apud hæreticos omnes, si vnum excipias Nebulonem: Iohannem Euangelistam hîc loquutum esse de condito priore hoc mundo. Deinde constat, ita per Filium omnia esse condita: vt sit non instrumentum Patris, sed cum Patre causa ipsa efficiens mundi, & rerum omnium, vt antè ostensum est. Nunc dico, duo poni in hoc capite operum diuinorum genera: quibus Iohan. probat suam propositionem, Filium scilicet Dei, æternum esse verumque Deum. Primum genus, est operum creationis, & conseruationis mundi. Et de his agit in his verbis, & paulò pòst sequentibus. Io. 1. 3. 4. 5. 9. 10. Alterum, est operum, quæ ad salutem Ecclesiæ pertinent; illuminare mentes, efficere filios Dei, regenerare, seruare. De hoc altero agit, vbi dicit: *Hic venit vt testificaretur, &c.* ver. 7. 8. 12. 13. & in sequentibus atque etiam in reliquis capitibus. Hic igitur incipit Iohan. suam confirmare propositionem, hoc est, tria illa superiùs explicat de Filio Dei prædicata. Et hæc confirmat, argumento ducto à creatione primùm, & postea à viuificatione conseruationéque rerum omnium, quod solius hæc sint Dei opera. Esse autem in hoc loco confirmationem, licet expressa non sit particula γὰρ, inde liquet: quoniam etiam Apostolus hoc eodem argumento, ad eandem Christi æternitatem, & deitatem confirmandam vsus est. Col. 1. 16. Nam ad Col. dixerat priùs, Christum esse genitum ante omnem creaturam; mox id probat à creatione rerum, dicens: *Nam per eum condita sunt omnia, quæ in cælis, &c.* Sequitur deinde conclusio: *Et ipse est ante omnia.* Nam habet illud καὶ, vim particulæ, οὖν, igitur. Mox alia confirmatio à gubernatione, & conseruatione omnium rerum subiicitur: *Et omnia per ipsum consistunt.* Idem fecit ad Heb. vt quiuis facilè potest videre. Imò Dominus ipse, ab iisdem operibus, idem probat dicens: *Pater meus operatur vsque modo & ego operor.* Non est igitur dubium, quin Iohan. quoque hic eodem vtatur argumento, ad confirmationem eorum, quæ de Filio Dei proposuit. Æternitatem igitur primò probat: seu quòd fuerit in principio ante mundi constitutionem, quia omnia per ipsum facta sunt. Est autem prior ille, per quem aliud factum est, ea re, quæ per ipsum facta est. Deinde hac eadem ratione confirmatur alterum prædicatum, nempe distinctio Patris & Filij. Distinguitur enim is, qui facit, ab eo, per quem ille facit. Omnia autem per ipsum Filium à patre facta sunt. Item ipsa vnitas Filij cum Patre inseparabilis; atque adeò ipsa vnitas essentiæ, & potentiæ: eadem confirmatur ratione. Si enim omnia per ipsum λόγον, sapientiam Patris facta sunt à Patre: ita vt non potuerit Pater quicquam facere, sine hoc suo λόγῳ; & sine ipso factum est nihil, quod factum est: propterea quòd Pater non potest carere sua sapientia, suáque virtute: Alioqui desineret esse Deus: est igitur λόγος ita apud Patrem Deum, vt ab eo sit inseparabilis: Ac proinde coæternus est Patri, & vnius cum Patre deitatis atque essentiæ. Eodem planè argumēto confirmatur tertium prædicatum. Solius enim Dei est omnia creasse: Sunt autem omnia per Filium creata. Adde, quòd denique confirmat Filium esse ex Patris substantia genitum, dum ait: *Sine ipso factum est nihil quod factum est.* Si enim λόγος, Sapientia Patris non est factus, est igitur Patri innatus.

XXII. *In seipso erat vita &c.* Hæc etiam verba deprauat noster Nebulo, dum negat iis concludi, vitam, qua omnia viuunt animantia, esse in illo; & ab illo domino nostro Filio Dei, quum nondum esset homo. Et ait, intelligenda esse verba Ioh. de sola vita æterna. Hāc enim solam esse in Christo. Ioh. 5. 20. Sed primo apparet ex iis, quæ dicta sunt, nondū verba fieri à Io. de Christo homine; sed loqui tantùm de eo, quatenus λόγος dūtaxat erat ante assumtā carnē. Deinde nos vtramque vitam; & naturalem & supernaturalem, æternámque dicimus esse in Christo: quatenus per ipsum; sicut omnia sunt facta, sic etiam viuificantur; & electi omnes, æterna donantur vita. Cæterùm Euangelistam hîc nondum loqui de vita æterna: manifestum est ex eo, quòd nondum de eo loquitur, vt redemptore: sed sicut dixit omnia per ipsum esse facta, si nunc docet, omnia per ipsum viuificari & conseruari. Sicut & Apostolus fecit ad Col. 1. 17. dicens: *Et omnia per eum consistunt*: Et ad Heb. 1. 13. *Omnia portans verbo suo,* &c. confirmatur hoc, quia etiam, quo subiit, φῶς τῶν ἀνθρώπων, non potest intelligi de lumine, quo per Spiritum S. illuminat dumtaxat mentes electorum, sed de lumine, quo omnes illuminat homines, eos donando lumine rationis. Sic enim ait infrà: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundū.* Est autem manifestum, lumine Spiritus, ad salutem æternam, non illuminari omnem hominem, sed tantùm electos. Deinde circumstantia temporis id confirmat. Ait enim: *venientē in hunc mundum.* Quibus verbis docet hoc lumine, de quo hoc loquitur, tū illuminari omnē hominē: quū in hunc venit mundum, hic est quum nascitur. Lumine autem Spiritus S. primùm non omnis homo, sed tātum electi illuminantur. Deinde non omnes electi, imò admodum pauci illuminantur, quum veniunt in hunc mundum. Imo tunc illos maximè illuminat Christus, quum eos eligit, & separat ex hoc mundo. Ergo nondum loquitur aut de vita, aut de lumine spirituali: Sed tantùm de ea vita, qua λόγος, omnia, quæ condidit, etiam viuificat, & sustētat. & lumine illo, quo omnes homines donat Christus: lumine scilicet rationis, quod naturale solet vocari: quòd lux omnis cognitionis & rationis in hominibus fit à Christo. Atque hæc interpretatio, & cohæret cum præcedentibus, & pertinet ad scopum Ioh. confirmandum, nempe, Filium Dei, æternum esse verúmque Deum, quia omnium conditor, & conseruator est, iam inde à condito orbe. Id quod testimoniis etiam ex veteri Testamento desumtis confirmari posset, si opus foret: Sed hoc antea factum à nobis fuit libro secundo.

Ad extremū, quæ est ista nostri Nebulonis sequela; Christus est vera vita, & lux spiritualis, vt Scripturæ docent: ergo non est illa vita omnium viuentium, & illa lux omnium hominum: seu auctor illius vitæ, qua omnia à condito orbe viuunt, & illius lucis, qua omnes homines naturaliter intelligunt? Est similis huic, Deus est auctor nostræ redemptionis, & salutis æternæ: ergo nō est auctor nostræ creationis. Item, Deus est auctor vitæ æternæ: & spiritualis lucis: ergo nō est auctor vitæ corporalis, & lucis naturalis. Eadem planè est consequentia nostri Diaboli, de vita, & lumine in Christo: Quasi verò vtriusque nō possit idē esse auctor. Imò nō potest quis esse auctor spiritualis vitæ: qui non sit auctor etiam naturalis. Et ideo Ioh. vt ostendat: Iesum verum esse spiritualis vitæ, & spiritualis luminis auctorem: primo loco docet esse naturalis, & vitæ, & luminis largitorem ac conseruatorem. Adde & hoc: si spiritualis vita, & lux omnium hominum est in Christo, & Christus illius est in omnibus causa, fuit igitur Christus iam inde ab initio mundi, quia semper fuerunt homines, qui spirituali vita, & lumine donati fuerunt. Quare purus homo non est natura, vt iste Antichristus contendit, istis suis impiissimis, absurdissimisque, & ineptissimis glossis. Ergo retineamus veterum, & sanctorum Patrum interpretationem.

XXIII. *In ipso vita erat.* In ipso scil. λόγῳ. & ideò ab ipso erat, nempe iam inde ab initio mundi, & est. Hoc enim verbum, sicut suprà sic etiam hic, perpetuam significat continuationem. *In ipso,* inquam, *erat vita:* qua scilicet omnia animalia viuunt: hoc est, Christus auctor est vitæ, qua omnes viuentes viuunt. *Et vita erat lux hominum &c.* Hoc est, λόγος ille in quo erat vita omnium: non solùm erat, & est vita ipsa omnium scil. animalium, seu auctor, & conseruator vitæ illorum: Sed etiam erat & est, lux hominum: id est, auctor & conseruator omnis rationis, cognitionis, & luminis naturalis, in omnibus hominibus. Christus enim dicitur ab effectu vita, & lux nostra, non tam spiritualis, quàm naturalis, quia is est, qui nos ea donauit, & donat, & eam in nobis conseruat. His igitur duobus argumentis, à primo diuinorum operum genere desumptis, confirmat τὸν λόγον æternum esse Deum. Est autem hoc argumentum: Omnia (quæ scilicet cœli, terræque ambitu continentur) facta sunt per λόγον, hoc est, per sapientiam Dei, atque ita per hunc omnia sunt facta, vt sine ipso factum sit nihil, quod factum est. Hoc assumtum præsumit, tanquam omnibus sacras literas profitentibus notū. Est enim assumtum ex Mose in Gen. 1. 1. vbi quum

narrat

narrat Deum omnia creasse, simul etiam docet Deum nullius alterius ope, omnia fecisse, sed tantum per suam sapientiam, & per suum Spiritum. Sumtum est etiam hoc ex Prouerb. 8. 22. &c. vbi apertè docetur, Deum omnia condidisse per suam Sapientiam: Ergo, vt rem omnibus notam assumit Iohan. quum ait *omnia per λόγον facta sunt.* Propositio autem hæc est: Ille, per quem omnia condita sunt, & sine quo nihil, quod factum sit, factum est, ante omnia fuerit, & ideò æternus, Deúsque sit, necesse est. Hæc etiam propositio est perspicua cuiuis. Ideò etiam, ipsam omittit. Hinc sequitur conclusio: *Ergo λόγος erat in principio*, hoc est, æternus est. Hæc autem conclusio, propositio est alterius syllogismi, qui iste est; Ille λόγος, per quem omnia sunt facta, æternus est Deus. Atqui Iesus Christus, de quo Iohannes Baptista testatus est, est ille λόγος, sed factus caro, seu homo. Ergo æternus est Deus. Assumtum autem probaturus, & ita confirmaturus Iesum esse æternum Deum, præmittit testimonium Iohannis de Iesu Christo Deinde subdit alia testimonia, & argumenta, propè infinita, quibus confirmat, hunc Iesum esse illum λόγον, sapientiam, Filiúmque Patris, promissum patribus, pro redemptione mundi, ac proinde æternum esse Deum. Ait ergo, *Fuit quidam homo missus à Deo.* Deinde addit per occupationem, *Non erat ille lux.* Sed postea dicit de Christo, *Hic erat illa lux.* Repetit, & explicat, quod suprà dixerat de λόγῳ in genere, & applicat ad Christum illum, de quo testificatus est Iohannes. Est igitur hæc minor propositio. Atqui ille Iesus, de quo testificatus est Io. Baptista; idque nomine Dei Patris, est ille λόγος, qui vera lux est omnium hominum. (Illuminat enim omnē hominem) & qui semper fuit in mundo, & per quem mūdus factus est, quamuis mundus eum non nouit: *Nam ad suos venit, & sui eum non receperunt.* Hanc assumptionem probabit testimonio Iohannis Baptistæ & aliis argumētis, sicut in præsentia probat ab operibus diuinis secūdi generis, quę ad Ecclesiæ salutem pertinent: quum ait, vers. 12. *quotquot receperunt eum, dedit eis, &c.* Hinc sequitur, Christum esse æternum Dei Filium, à Patre distinctum, inseparabilem, Deum verum Confirmat autem, quod dixerat, quum subiicit. *Et sermo ille &c.* quasi dicat, Nam sermo ille caro factus est, & habitauit inter nos, & gloriam eius vidimus, vt gloriam vnigeniti à Patre, &c. Est autem iste, Christus ille, de quo Iohannes est testificatus. Ergo hic Christus, æternus Deus.

XXIIII. Illum etiam locum, vbi ait Iohan. *Et sermo factus est caro*, id est homo: noster Nebulo conatur eludere; quia hinc videt apertè concludi, τὸν λόγον, fuisse ante carnem assumptam, rem per se subsistentem, æternam, per quam omnia sunt facta. Sic igitur interpretatur; *& verbū caro fuit:* vt sit sensus: *Etsi suprà diximus eum fuisse in principio, & quidem apud Deum, & Deum ipsum esse, & omnia per ipsum esse facta aliáque præclara de ipso prædicauimus, ne quis tamen ob id putet. nos velle dicere, eum esse, vel æternū, vel Deum ipsum, Nihil minùs tale quid est Iesus, quem λόγον ab officio vocauit: sed fuit mera caro, id est purus homo, imbecillus, mortalis, vt nos, & nihil præterea, quod ad eius attinet naturam: quanquā Deus est officio, quia ille est per quem seruamur. Est enim homo, homini Deus beneficiis scilicet, & collatione salutis.* Hæc est istius Diaboli interpretatio. Sed facilè refellitur. Ad Heb. Apostolus de Filio Dei, per quē facta esse secula suprà dixerat, ait, Eum nō sumsisse Angelos, sed semē Abrahæ, hoc est factū esse hominē, assumendo semen Abrahę Heb. 2. 16. Erat igitur res subsistens iste λόγος, Filius Dei: antequam carnem sumpsisset. Quis enim potest, nostrum aliquem sibi assumere, & sustentare, qui nihil est subsistens? Quare aliam naturam, præter humanam, in Christo esse, manifestum est. Oportet enim diuersam esse naturam assumentis, à natura rei assumtæ. At alius est sensus Apostoli, inquiet nebulo: Assumsit (nempe in suam gratiam) semen Abrahæ. Sed nullibi ἐπιλαμβάνεσθαι sumitur, pro assumere in gratiam: & aliena est ista interpretatio, à scopo Apostoli, vt per se liquet: Itaque euincitur, λόγον extitisse, antequam esset caro factus. Et Iohan. ait, Filiū Dei venisse in carne. 1. Io. 4. 2. Quid hoc sibi vult? Interpretatur Paulus ad Tim. cum ait: *Deus manifestatus est in carne*, 1. Tim. 3. 16. Venisse igitur in carne, est sese in carne assumta, manifestasse. Quid verò illud: *Et habitauit*, seu commoratus est, *inter nos, & vidimus gloriā eius?* Alludit ad illud Baruch. 38. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, & de Deo loquitur, qui legem dedit.* Bar. ait, *visus est*, Iohan. *vidimus gloriam eius*. Bar. ait, *cum hominibus conuersatus est*. Iohan. *& habitauit*, seu commoratus est, *inter nos*. At quæ gloria illa Christi? Deitas, miraculis, & aliis operibus patefacta, vnde Iohan. *Hoc initium fecit signorum, & (ita) manifestauit gloriam suam*, hoc est, diuinam potentiam, Ioan. 2. 11. Hæc optimè consentiunt, cum illo Apostoli ad Timoth. *Deus manifestatus est in carne, &c.* Subdit postremò, *Vidimus gloriā eius, vt vnigeniti à Patre.* Alia igitur ratione genitus est à Deo Patre, quā nos. Quare non gratia, sed natura, cùm nulla alia sit species filiationis, & natiuitatis à Deo, quàm aut natura, aut gratia. Quapropter è substantia Patris est, naturáque Deus. Si enim est vnigenitus, non habet fratres, quatenus vnigenitus est. Habet autem quo ad humanam naturam. Alia igitur in eo natura, secundum quam solus genitus est ex Patre Deo.

XXV. Hac etiam Ioh. sententia, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, refelluntur duo pugnantes inter se errores: Nestorij & Sabellij. Sentiebat Nestorius, τὸν λόγον, quæ est persona per se subsistens, carnem, id est, hominem iam subsistētem, sibi copulasse; & ex his duabus personis vnum cōflatum esse Christum: ex persona diuina, & ex persona humana: ex filio Dei, & ex filio hominis. Sed Ioan. aliter docet, dicens: *Et λόγος factus est caro*, id est homo: Non ait, Ex λόγῳ & carne cōpositus est Christus, sed *λόγος factus est caro*: qua phrasi significat, τὸν λόγον manentem id, quod erat, carnem nondum existentem, eam procreando, sibi copulasse, ita vt manendo quod erat, factus sit quod non erat. Quum dicimus, Homo factus est doctus, non significamus, hominem doctrinam existentem sibi existenti copulasse; ita vt duæ res existentes sint coniunctæ, homo & doctrina, & idem homo duabus reb. per se subsistentibus constet, sed significamus hominem existentem, discendo, doctrinámque non existentem sibi comparando, factum esse doctum. Quod autem nos dicimus de substantia & accidente, idem dicere voluit Iohannes de λόγῳ, & de carne, quum dixit: *Et λόγος factus est caro*, hoc est, carnem, seu humanam naturam procreando, sibi ὑποστατικῶς copulasse.

Sabellius, & Praxeas docebant, Deum Patrem carnē sibi sumsisse, factúmque esse hominem, qui homo Filius est Dei, quia conceptus est de Spiritu sancto, id est, virtute Altissimi (Patris) & ita Patrem esse in Filio, & Filium in Patre. Neque aliter intelligendum esse dictum, 2. Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo:* ita vt Christus constet ex Patre Deo, & homine ex Virgine nato: ac proinde Patrem esse passum. Ab his nō dissentiunt aliqui ex nostris Antichristis. Sic enim interpretantur: *Pater in me, & Ego in Patre:* vt intelligant ex Patre & ex homine virtute Patris concepto, atque ex Virgine nato, constare Christum. Atque hac ratione defendi posse, Christum esse Deum, & natura Deum, Deúmque verum; propter indissolubilem vnionem Dei Patris cum Christo homine. Sed aliter docet Euangelista. Non enim ait, Deus, nempe ille apud quem erat λόγος, factus est caro: sed λόγος, qui scilicet distinctus erat ab illo Deo, apud quē erat, & est, factus est caro. Christus igitur non constat ex Patre, & homine: sed λόγῳ & carne, hoc est, humana natura, ὑποστατικῶς τῷ λόγῳ vnita. Quare Christus Deus est verus, quia λόγος est, qui est Deus. & verus homo, quia λόγος factus est verè caro, id est homo.

XXVI. Venio nunc ad id, cuius causa totum hūc contextum explicaui, ea qua potui diligentia, refutatis hæreticorū commētis, & confirmata Patrum interpretatione. Finis fuit, vt hinc demonstremus, quum Iohan. appellauit λόγον, id est, Christum, Deū; non eum hoc nomine appellasse, quòd eum nouerit, officio tantùm, aut donorum diuinorum multitudine, esse Deum, sed quòd omnino illum agnouerit pro vero, ęterno, & ipsa essentia naturáque Deo. Argumenta, quibus hoc demonstrari potest, diximus suprà quadruplicis esse generis. Quædam duci à proprietatibus personarum patris, & filij, quædā de attributis diuinæ essentię; hoc est, Dei ipsius, quędam ab operibus Dei propriis, quæ triplicia sunt, quædam denique ab honore, qui soli debetur Deo. Is enim in quem hæc cōpetunt, Deus sit essentia, & natura necesse est. Competunt autem hæc omnia in Christum. Et hæc quatuor argumentorum genera, in contextu hoc nobis suppeditantur, quibus demonstratur, Iesum Christum verum, & æternum, atque essentia Deum esse.

Primum igitur argumentum est ver. 1. 2. est ab attributis Dei, hoc est, ab æternitate. Tale autem est.

Qui verè æternus est, is verus Deus est, natura. Solus enim Deus, qui essentia Deus est, non officio tantùm, est verè æternus.

Christus est verè æternus. Est enim ille λόγος, qui erat in principio, & quidem apud Deum. Ergo, &c.

Alterum argumentum est ab operibus Dei propriis, ac primò ab operibus creationis, & gubernationis, conseruationísque rerum omnium. Solius Dei est, omnia condidisse & conditum non esse: Item, omnia viuificare ac sustentare, ac homines ipsos lumine rationis naturalis donare, & eos in eo conseruare: ex vers. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 11. primis tribus scil. 3. 4. 5. hæc in genere dicuntur de λόγῳ, reliquis verò expressè

de Iesu illo, de quo testificatus est Io. Bap. Christus, qui est ille λόγος qui omnia condidit, omnia viuificat, sustentat, & homines omnes, quum veniunt in hunc mundum, lumine rationis, & intelligentiæ donat, atque ita semper in mundo, & in hominibus, qui tenebræ sunt lucet: licet homines eum nō comprehendāt seu non agnoscant. Deinde ex operibus quę ad salutem Ecclesiæ pertinent, ex v. 12.13. hunc in modum. Non potest ille, non esse natura, & essentia Deus: qui dat hominibus in se credentibus vt sint reapse Filij Dei geniti non ex sanguine, non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri, sed ex Deo ipso. Christus hoc præstitit, & præstat. Tertiò ex v. 14. ab operibus extra ordinem naturæ, id est, à miraculis. Quomodo potest ille officiu tantùm, & non natura, atq; essentia Deus esse, qui talia edit opera, quibus gloriam diuinam, diuinam nimirum potētiam, deitatémque ipsam, in se, tanquam in germano, & vnigenito Dei Filio, plenè, perfectéque inhabitare, palàm demonstrat? Christus talia edidit opera; & ea ratione, præter alias, gloriā deitatis in se inhabitantis, hominibus spectandam præbuit: atque ita præbuit, vt multi ea spectârint.

Tertium argumentum ex v. 12. ducitur à proprietatibus personæ ipsius Filij. Qui ita semper apud Deum Patrem est, vt ab eo separari nequeat, sed est in illo, vt vnum sit cum illo, iam inde ab æterno: & in perpetuum: is certe non potest non esse Deus natura: Talis est Christus, λόγος enim erat, & est in perpetuum, apud Deum Patrem. Item ex v. 14. Qui genitus est è Dei Patris substantia, & non est factus filius gratia, annon natura Deus est? Talis est Christus. Est enim vnigenitus Patris; Ac proinde non gratia (multi enim gratia sunt Filij Dei) sed natura Filius Dei est, eóque natura Deus.

Quartum argumentum ex v. 7. 12. sumitur ab honore soli Deo debito, vt est, fiduciā salutis in eo collocare. In quē credendum est, is certè natura Deus est. In solum enim natura Deum, credendum est, & is solus hoc debet affici honore, vt scripturæ passim docent. Hoc honore afficiendus est Christus, & in hūc finem missus fuit Io. Bap. vt hortaretur omnes ad fidem in hoc Iesu Christo collocandam. Et Christus ipse, hanc in se fidem, sibi, & Deo Patri probari confirmauit, cum omnibus in se credentibus, hanc præstet facultatem, vt mox fiant filij Dei.

Ergo ex his omnibus luculentissimè apparet, quum Ioh. vocârit τὸν λόγον, qui est Christus, θεόν: non ideò eum hoc nomine appellasse, quòd eum agnosceret Deum esse duntaxat officio, sed quòd agnouerit illum pro vero, & natura, atque essentia Deo. Hinc verò colligere licet, quoties Christus à Io. aliis quoque in locis; appellatur Deus: hoc nomine appellari, quod eum nouerit esse, natura, & essentia Deum.

Posteaquam igitur hunc præcipuum, & insignem, de Christi Deitate locum, diligenter, vt puto explicauimus: & argumentis inde deductis demonstrauimus, Christum appellatum à Io. fuisse Deum, non propter officium, aut propter donorum excellentiam, sed quòd natura, & essentia verus sit Deus: Non erit necesse, vt in aliis locis, vbi Deus apertè nominatur, explicandis, immoremur. Sed satis fuerit & loca & argumenta, quibus ostenditur, nomen Dei in Christum propriè, & essentialiter competere: ceu digito monstrare.

## CAPVT III.

### Aliorum locorum Ioh. vbi Christus disertè vocatur Deus, breuis explanatio.

NVNC itaque breuiter aliquot alios similes locos indicabimus, & quomodo confirmēt Christi veram æternámque Deitatem, demonstrabimus. Ac primùm quidem ex eodem Iohanne, illa, quæ sequuntur, loca notanda sunt diligenter.

#### *Loc. 2. ex Ioh. 20. vers. 28.*

THomas, cuius fides ex morte Christi infirmata non parum fuerat, posteaquam conspectis & contrectatis cicatricibus Domini Iesu, reapse vidit, & persuasus fuit, cū à mortuis, sicut etiam promiserat se facturum, resurrexisse agnoscit & confitetur, Christum suum esse & Dominum & Deum: in hæc verba prorumpens: *Dominus meus, & Deus meus*. Ego non dubito quin locutus hebraicè Thomas, vsus fuerit vsitata apud Mosen & Prophetas locutione, apud quos Deus vocatur, יהוה אלהינו, *Iehoua Deus noster*. Græci autem, Iehouę vocem vertunt Κύριος: sicut & Hebræi, loco Iehouę, dicunt *Addoni*, Dominus. Si hoc non placet saltem Dominum suum vocat, propter officium. Ideò enim Christus Dominus noster vocatur, quia nos suo redemit sanguine, quia caput est Ecclesiæ, quia data est ei omnis auctoritas in cœlo & in terra, deniq; quia constitutus est à patre, totius mundi rector, & iudex. Ita propter officium Dominum vocat. Deum autem appellat, quod nouerit eum esse natura, & essentia talem: vtpote Filium è Patris Dei substantia genitum, vt aliàs ostendimus. Hoc nunc inde liquet, quia in hanc cognitionem, & confessionem excitata fuit eius fides: à cognita potentia, qua seipsum Christus à mortuis excitauit die tertia. Sic enim prædixerat: *Soluite templum hoc*, &c. Et: *Potestatem habeo ponēdi animam meam*, &c. Io. 2. & 10. 19. Excitare autem aliquem à mortuis, solius est illius Dei, qui natura Deus est. Ergo cùm Thomas nouerit Christum hac potentia præditum, seipsum excitasse iuxta suam promissionem: Idcirco denuò illum pro vero natura, & essentia Deo agnouit, adorauit, confessus est. Ascendit enim eius fides ab humana in Christo natura, ad eius diuinam agnoscendam, & ab eo, quod erat propter officium, in id quod erat per naturam penetrauit. Idcircò primum Dominum, deinde Deum confessus est. Argumento igitur ducto ab attributis Dei, hoc est, ab omnipotentia seu à facultate excitandi mortuos ad vitam, confirmatur, Thomam appellasse Christum Deum, non officio, sed natura. Idem liquet ex scopo, seu fine propter quem Ioh. Euangelista hanc Thomæ confessionem recitat: nempe vt ea illud confirmet, quod ipse de principio suæ historiæ proposuerat, & probauerat: τὸν λόγον incarnatum, hoc est, Christum, esse æternum Deum. Supra autem demonstratum est, Christum à Io. vocatum fuisse Deum non propter officium, sed propter naturam, qua verus est Deus. Idcircò subiicit ad finem ca. 20. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus est ille Filius Dei*, nempe naturalis: eóque natura Deus, vt suo loco explicatum fuit.

#### *II. Locus tertius ex 1. Iohan. 5. vers. 20.*

IN Epistola autem priore, Ioh. vocat Christum ἀληθινὸν θεόν. Neque enim hoc intelligi potest de Patre, sed de Filio. Principio, quia in tota epistola disserit de Filio, & in hoc versu duo præcipue de illo dixit. Primum est, scimus, quod Filius Dei venit, & dedit nobis διάνοιαν, vt, cognoscamus τὸν ἀληθινὸν (nempe θεόν.) Et hoc in genere: significans Patrem cum in primis hac dictione, Alterum. Et sumus ἐν τῷ ἀληθινῷ (Deo) Quonam Deo? Explicat personam Filij, dicens ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ: (Patris scilicet veri Dei, de quo antea) Ἰησοῦ χριστῷ. Apparet hic Filium appellatum fuisse ἀληθινόν, nēpe Deum. Appositiuè enim sic legendum esse censeo: Et sumus ἐν τῷ ἀληθινῷ (nēpe) ἐν τῷ υἱῷ, &c. Ergo quū postea subdit, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός: apparet loqui de eo, de quo postremo loco verba fecit, dicens, Sumus in vero, in Filio eius. Deinde idem liquet ex altero prædicato. Ait enim, & vita æterna. De quo prædicat nomen vitæ æternæ, de eodem etiam prędicatur nomen veri Dei. Vtrunque enim coniungitur cum hoc pronomine οὗτος. De Christo autem prædicatur nomē vitæ æternæ. Sic enim etiam in principio Epistolæ hunc vocauit λόγον τῆς ζωῆς, imò etiam vitam æternam. *Annunciamus*, inquit, *vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & manifestata est nobis*: Ergo de eodem Christo prædicatur primū etiam nomen, nempe ἀληθινὸς θεός. Quare dubitari nō potest, quin Iohan. de Christo locutus sit: quum dixit, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Qualem igitur prædicat Deum esse Iesum Christum, Filium Dei? num officio tantum? At certè non esset verus Deus, sicut nec Angeli, nec Moses, nec Iudices, nec vlla pura creatura. Verus enim Deus ille dicitur, & est, qui natura Deus est. Idem liquet ab attributis Dei. Solus verus & natura Deus: est reuera, non viuens tantùm, sed vita ipsa æterna: quia & ab æterno & in æternum viuit ipse, per se: & alios quoque in sempiternum viuificat, Est autem Christus vita æterna: idem confirmatur ab operibus Dei propriis. Dare διάνοιαν, seu mentem, qua possimus nosse verum Deum: solius est illius Dei, qui natura Deus sit. Filius autem dedit nobis hanc διάνοιαν. A cultu etiam, quę soli debetur Deo, idem confirmatur. *Cauete vobis* (inquit Iohannes,) *ab idolis colendis*. Hortatus est autem Ioh. tum in Euangelio, tum in Epistolis, vt vera fide colamus Christum. Ergo si Christus non esset Deus natura, sed tantū officio, nos eum colendo, coleremus idolum. Quare Io. vt confirmaret, Filium verum esse Deum, sicut antè suasit, vt eum colamus, sic ad extremum Epistolæ primæ, dehortatur à colendis idolis. Dubium igitur non est, quin Ioha. vbicunque Christum vocat Deum, eum ideò vocet Deum, quia nouit esse natura, & essentia Deum.

### III. Loc. 4. ex Apocal. 22. versic. 6 & 16.

ANgelus Iohanni dixit, se missum fuisse ad eum à Domino Deo sanctorum Prophetarum: seque esse illius Angelum. Dubium autem non est, quin quæ hic in fine Apoc. tradit Ioh. de hac Angeli missione, consentanea sint cum iis, quæ de eadem scripta reliquerat initio primi capitis. Præsertim cùm hæc sit consuetudo Iohannis, vt quod initio alicuius libri proponit, idem quoque tanquam conclusione, quanquam variatis aliquo modo verbis, resumat ac repetat, vt & in Euangelio, & in epistola patet. Ibi proponit primo Christum, tanquam talem Dei vnigenitum: qui sit æternus semper apud Patrem, & Deus ipse. Idem repetit in fine, quum primùm recitat confessionem Thomæ, qui Christum vocauit Dominum suum, & Deum suum: hoc est, Iehouam suum, & Elohim suum. Deinde quum subiicit, hæc omnia esse scripta, vt credamus Iesum esse illum Filium Dei, nempe, vnigenitum, qualem in primo cap. proposuerat. In epistola itidem primo cap. proponit Christum, tanquam λόγον τῆς ζωῆς, & ipsam ζωὴν αἰώνιον, quæ fuerit abscondita apud Patrem: cúmque vocat Filium Patris. In fine epistolę repetit idem: eum vocans vnigenitum Dei Filium, Deum verum & ζωὴν αἰώνιον. Idem etiam facit in Apoc. si quis diligenter obseruet: Et vt mox planum faciam. Itaque necesse est, vt quę in fine scribit de missione Angeli, ad annunciãdum Iohanni & per Iohannem Ecclesiis hanc Apoc. Iesu Christi, congruant cum iis, quæ eadem de re scripsit in 1. cap.

Atqui ibi non dixit, Angelum fuisse missum à Patre: sed (immediatè) à Christo: id quod & Christus ipse in fine huiusce capitis disertè confirmat, dicens: *Ego Iesus misi Angelum meum.*

Ergò dubitandum non est, quin iam Angelus, quum dixit, Dominus Deus sanctorum Prophetarum misit Angelum suum, nomine istius Dei sanctorum Prophetarum, intellexerit Christum. Quorsum enim opus est effugiis, vt dicas, Angelum missum fuisse à Patre principaliter: & hunc solum esse Deum sanctorum Prophetarum: à Christo autem secundariò, tanquam à Mediatore? Verba Angeli non ita sonant. Sed loco nominis Christi, posuit nomen Domini Dei S. Prophetarum. Et quod Christus ait: *Ego Iesus misi Angelum meum*: ille dixit Dominus Deus sanctorum Prophetarum misit Angelum suum. Etsi hoc nomine, non immediatè Christum intellexit: saltem complexus eo illum sit, necesse est. Fuit enim reuera missus à Christo: Id quod certè Angelus non diffitetur: sed potiùs fateri intelligendus est, quum ait, Dominus Deus S. Proph. misit Angelum suum, id est, me. Alioqui iniuriam facit Christo à quo missus est. Et legati omnes exprimere solent nomen eius: à quo mittitur. Sicut etiam Prophetæ, Christus ipse, & Apostoli fecerunt: Nullibi autem Angelus fassus esset, se missum esse à Christo: si hic, nomine Dei sanctorum Prophetarum, eum non intelligit: vel saltem eum Patre complectitur, atque coniungit. Est igitur pio cuique manifestum. Christum agnitum fuisse ab Angelo isto, eoque & à reliquis omnibus pro tali Dei filio, qui Deus sit verus, Deus sanctorum prophetarum Cur etiam obsecro Deus, vocatur Deus sanctorum prophetarum? Num propter creationem tantùm? minimè verò. Num propter fœdus tantùm? nequaquam. Sed propter Spiritum sanctum suum, quo locutus est in prophetis, & per prophetas. At Petrus ait, Spiritum Christi illum esse, qui erat in prophetis: Ac proindè esse illum, qui per Spiritum sanctum loquebatur in prophetis. 1. Pet. 1. 11. Sic etiam Apostolus ait, Christum in se loqui. 2. Cor. 13. 3. Ratio itaque propter quam Deus, vocatur sanctorum prophetarum Deus, euincit Christum esse illum Deum Sanctorum Prophetarum, à quo Angelus ait, se missum fuisse.

## CAPVT IV.

Explanatio locorum, D. Pauli, in quibus, disertis verbis nominando Christum Deum, demonstrat, eum esse Deum natura, & essentia: non officio tantùm & priuilegio.

VEnio ad loca Pauli Apostoli, in quibus rotundis verbis, Christum vocat Deum; Deum supra omnes; Deum benedictum; Deum magnum.

### Loc. 5. ex Act. 16. v. 31. & seq.

PAulus & Silas in Act. dicunt custodi carceris; *Crede in Dominum Iesum, & seruaberis tu & domus tua.* Et mox fuerunt omnes, qui erant in illius ædibus, baptizati, in nomen Domini Iesu Christi, in quem iussi fuerunt credere, & cuius doctrinam audierant, & receperant. Sic verò deinceps legitur de illo custode carceris, qui crediderat in Christum: *Exultauit cum vniuersa domo sua, quod credidisset Deo:* Quis obsecro est iste Deus, cui credidisse illum custodem ait Lucas; nisi ille Christus, in quem iussus fuerat à Paulo, & Sila credere? Christum igitur apertè Lucas Deum appellat, Pauli Apostoli discipulus, & comes. Qualem autem Deum? Natura & essentia, vt loci circumstantiæ docent. Hoc patet ab honore, qui soli debetur Deo: ista autem est fides: *Crede,* inquiunt, *in Dominum Iesum Christum &c.* Idē probatur ab operibus Dei propriis, quorum præcipuum est seruare ad salutem. *Crede,* inquiunt, *in Dominum Iesum & seruaberis tu, & domus tua.*

### II. Loc. 6. ex Act. 20. v. 28.

PAulus Ephesinæ Ecclesiæ episcopis commendauit Ecclesiam; & præter alia dixit, *Attendite vos ipsos, & totum gregem, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei: quam ille proprio sanguine acquisiuit:* Ait Deum acquisiuisse sibi Ecclesiã, nempe totam, quę etiam fuit à condito orbe, suo sanguine. Non potest autem hoc referri ad Patrem; nam dixisset, quam acquisiuit sanguine Filij sui Iesu Christi. Cùm verò dicat, suo sanguine, & solus Christus suo sanguine Ecclesiam sibi acquisierit: quis non videat, Christum apertè appellari ab Apostolo Deum? Qualem verò Deum? Dicent (scio) Samosateniani. Officio. Hic enim explicatur causa, cur Deus appelletur; quia scilicet Ecclesiã redemit suo sanguine. Sed nos cõtrà contendimus, non potuisse Ecclesiam, vi sanguinis alicuius redimi, & seruari, nisi, qui sanguinem pro Ecclesia fudit: is verus sit Deus natura, & essentia. Hoc liquet cùm aliunde, tum ex Epistola ad Heb. Ideirco enim contendit Apostolus, oportuisse Filium Dei, per quem facta sunt secula, quique initiò terram fundauit, corpus sibi à Patre aptatum sumere, fierique hominem, & sanguine suo nos redimere: quia sanguine hircorum aut vitulorum, aut vllius puræ creaturæ, non poterant peccata expiari. Atque hoc idem docet hîc, quum ait: *quam Deus acquisiuit sanguine suo:* quasi dicat, Ideò acquisiuit suo sanguine: quia Deus est. Si non esset Deus, non potuisset suo sanguine acquirere. Vis enim redemtionis in sanguine; à deitate est. Quare non hic indicat causam Apostolus, cur Christum vocet Deum, ab officio scil. Sed contrà docet, ideò per huius sanguinem, efficaciter redemptam, & seruatam esse Ecclesiam, quia qui acquisiuit, verus est natura, & essentia Deus. Ab efficacitate igitur sanguinis Christi, in redimenda Ecclesia: liquido apparet, Christum appellatum à Paulo fuisse Deum, quia natura & essentia verus est Deus. Sed veniamus ad ipsius Epistolas, vbi permulta, apertissimáque sunt de eadem re testimonia.

### III. Loc. 7. ex Rom. 9. vers. 5.

LOcus certè ille ad Rom. vbi Christum vocat Apostolus apertissimè Deum, eúmque supra omnes laudandum, eludi minimè potest, quin concludatur inde, Christum verum esse Deum, non iam officio, quàm natura & essentia. Primùm ait, *Ex quibus* (Patribus) *erat Christus* τὸ κατὰ σάρκα, hoc est quod ad humanam attinet naturam, quæ etiam apud Iohannem, 1. 14. nomine carnis intelligitur. Non fuisset autem opus hac exceptione, τὸ κατὰ σάρκα, si Christus mera esset caro, h. e. nudus homo, eóque officio tantum Deus, non natura. Docet igitur Apostolus hac particula, aliam in Christo esse naturam, secundùm quam non est ex patribus hominibus, sed ex Patre Deo: Ac proindè eum natura esse Deum, vt etiam Pater est. Ait deinde, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητός. Est hoc vnum ex attributis Dei, quod suprà omnes & supra omnia altissimus. Ait præterea *Laudandus* (nempe supra omnes) *in secula.* Hic etiam honor debetur soli vero Deo, vt laudetur supra omnes in secula. Quòd si spectes causam, cur hoc loco Christum, postcaquam dixisset, eum esse ex Patribus τὸ κατὰ σάρκα, appellârit Deum supra omnia, videbis Apostolum eum agnouisse pro vero Deo, natura, non tantùm officio. Scopus enim fuit ostendere, quanta sit dignitas, & pręstantia populi Israelitici; vt liquet ex pręcedēti contextu. Ad hoc autem maximè faciebat, si ostenderet, ex Israele natum esse eum, qui non solùm homo est, ex Patribus Israeliticæ gentis, quod ad carnem attinet, primogenitus: verùm etiam quod ad alteram attinet naturã, genitus ex Deo Patre, Deus. Hac de causa vtrúque coniunxit: quòd sit ex Patribus secundùm carnem, & Deus laudandus supra

omnes. Neque enim hic sermo erat Apostolo de officio Christi, sed de illius persona, eòque de duabus quibus constat naturis. Christus igitur vocatus est Deus ab Apostolo, quia Apostolus nouit eum verum esse natura & essentia Deum.

*Loc.8.ex Rom.14.c.vers.11.& sequent.*

*Omnes enim sistemur ad Tribunal Christi, Scriptum est enim: Viuo ego (dicit Dominus) mihi sese flectet omne genu.* Hoc enim adductum est probationis causa. Hoc igitur testimonio Prophetæ, docet Christum esse illum Iehouã, qui dixerat apud Iesaiam, 45.21. *Mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo*, id est, agnuscet me pro vero Deo, & me, vt verum Deum, laudabit. Vnde posteà dicit Apostolus, *Nempe ergo vnusquisque nostrùm, de seipso reddet rationem Deo.* Cuinam Deo? Christo, ad cuius tribunal omnes sistemur. Apertè igitur etiam hic Apostolus Christum appellauit Deum, & quidem, illum Iehouam esse nouit: qui apud Iesa. ait, se omnia condidisse; & præter se non esse Deum Iesa.45.18.

*IV.Loc.9.ex 2.Cor.12.versic. 8.& 9.*

Apostolus ad Cor. posteaquam narrasset peculiarem quandam crucem, qua exercebatur à Deo in patientia, ne supra modum, propter magnitudinem reuelationum, quas consecutus fuerat à Domino, efferretur; subiecit, *Super hoc ter Dominum rogaui, vt abscederet à me.* Hoc nomen Κύριος, bifariam accipitur, pro Deo Iehoua, & pro Christo mediatore. Sed hic per nomen Domini, intelligi à Paulo Iehouam, inde liquet, non solùm quòd sæpè Apostoli secuti 70. versionem, quem prophetæ appellarunt Iehouam, ipsi vocârunt Κύριον: sed ob id maximè, quòd mentione facta inuocationis, alludit ad illud Ioelis, quod etiam citatur in Actis, & in Epistola ad Roman. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini*, hoc est, Iehouæ, *saluus erit* Ioel.2.32. Act.2.21. Rom. 10.13. Posteà verò docet Christum esse hunc Iehouam, quem rogarat: quum ait, *Et dixi mihi* (scilicet ipse Iehoua, ille Κύριος) *Sufficit tibi gratia mea. Nam potentia mea in infirmitate perficitur.* Hactenusque apparet eum qui hîc loquitur Apostolo, esse illum Κύριον, Iehouam, quem rogauerat Apostolus: eundémque loqui de sua potentia, quæ eò clarius sese exerit, quò grauiores sunt infirmitates nostræ, quibus facit medicinam, & quas curat. Audi iam quid subdat Apostolus, *Libenter igitur magis gloriabor de infirmitatibus meis, vt inhabitet in me potentia*: Quænam illa? Illa quæ in nostra infirmitate perficitur. Cuius verò est hæc potentia? Illius Κυρίου, seu Iehouæ, quem rogaui: & qui dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea &c. Cùm ita res se habeat: ego Paulus libenter magis gloriabor de infirmitatibus meis, vt inhabitet in me potentia huius Iehouæ, quàm vt conquerar. Non tamen dixit Apostolus, Κυρίου, sed Christi. Quis igitur non videat, Christum fuisse Apostolo illum Iehouam, quem rogauerat, & cuius potentia in nostris infirmitatibus perficitur? Quare etiam nemo non videt, Christum Deum esse non officio tantùm, sed natura, & essentia, non minùs quàm sit Pater. Liquet hoc ab honore, qui soli vero Deo debetur, hoc est, ab inuocatione. Apostolus enim rogauit, & inuocauit, τὸν Κύριον, hoc est, Iehouam Christum. Deinde, idem patet ab attributis veri Dei, hoc est, ab omnipotentia, qua potest nos è tentationibus eripere, & à Sathana, Sathanæque colaphis liberare: quòd talis sit huius Christi potentia, quæ in nostris perficiatur infirmitatibus: quòd eius gratia nobis sufficiat aduersus omnes Sathanæ insultus, & colaphos. Denique inde quàm maximè confirmatur, Christum natura & essentia Deum esse, quia illum Apostolus simpliciter vocat Iehouam: quum ait, se ter Κύριον, rogasse: eo scilicet sensu Christum, Κύριον, vocando, quo etiam Prophetæ, & posteà ipse, & reliqui Apostoli dixerunt, Qui inuocauerit nomen Domini, id est, Iehouæ, saluus erit.

*V.Locus 10.ex Philip. 2.ver.5.6.&c.*

*Hic affectus sit in vobis, qui fuit & in Christo Iesu, Qui cùm in forma Dei esset, &c.*

Est hic locus, vnus ex præcipuis ac præclaris, quibus asseritur diuina in Christo essentia ab omnibus hæreticorum blasphemiis. Etsi enim, quod ad verborum attinet connexionem, & genuinam totius sententiæ intelligentiam, non parum sit obscurus, id quod testantur tot, tamque variæ interpretum sententiæ in hunc locum: tamen quod ad scopum attinet Apostoli, & argumentum, quod tractat, nihil clarius. Nam quis sit scopus Apostoli, nemo non videt, nisi qui omnino non vult videre. Hortatus fuerat, imo obtestatus Philipp. vt colerent inter se charitatem, vnanimes, & sententiis vni: Ac proinde nihil gererent per contentionem, aut inanem gloriam, sed ex modestia, alium quisque præstantiorem se existimans. Et hoc pacto, ne sua quisque spectet: sed quæ sunt aliorum. Hæc est Apostoli adhortatio. Quò meliùs autem illos ad hoc permoueat, exemplum adfert perfectissimum huiusce charitatis, & humilitatis: exemplum nimirum Christi, cuius Summa, hæc est: Tanta fuit Christi, tum erga Patrem humilitas, atque obedientia, tum erga nos charitas: vt cùm adhuc esset in (sola) Dei forma (id est verus tantùm Deus) ac proinde cùm esset in æquali cum Patre maiestate, ac gloria, & ita posset in ea perpetuò permanere: nunquam tamen in suum induxerit animum, hoc facere: nempe semper in ea æqualitate cum Patre permanere, quòd hoc futurum fuisset rapina quædam, nempe tum gloriæ, Patri soli debitæ, tum dignitatis, & salutis nobis præfinitæ, & constitutæ. *Sed semetipsum exinaniuit, forma serui assumpta.* Exinaniuit, id est, penitus suam deposuit maiestatem, (nempe, quo ad vsum, non quo ad substantiam) formam serui accipiendo. Ergo & vos, licet sitis magni, & possitis vestro summo iure, continere vos in vestra dignitate, interim tamen, tum propter gloriam Dei, tum propter bonum proximi, non debetis id facere, sed demittere vos pro salute fratrum. Hæc est summa adhortationis. Quod verò ad verborum constructionem, & intelligentiam attinet, non est operæ precium omnium referre sententias. Neque enim est nostri instituti exactè explicare scripturas, ita vt nihil intactũ relinquamus: sed tantum ex vera interpretatione, nostram probare propositionem. Christum nimirum, non appellari in scripturis Deum propter officium tantùm, sed in primis propter naturam. Sic igitur lego, & explico hunc locum: Qui cùm in forma (sola) Dei esset (hoc est, quum tantum verus esset Deus, eòque esset in æquali forma cum Patre) non cogitauit, seu non induxit in animum (facere hanc) rapinam: (nimirum) esse (semper) æqualẽ Deo Patri: hoc est, vt perpetuò maneret in illa æqualitate, in qua erat cum Patre: sed semetipsum exinaniuit, hoc est, sed sponte voluit, seposita ad tempus sua gloria, fieri homo, & ita humiliari. Quare verò perpetuò in ea gloria mansisse, vocat ἁρπαγμόν? Quia ita rapuisset, & Patri gloriam, ei soli debitam: & nobis dignitatem ad salutem, à patre prædestinatam. Quam verò gloriam Patri, & quomodo rapuisset? Gloria Patris est, vt solus maneat semper in sua maiestate, & nunquam fiat aliorum seruus. Filij autem erat se humiliare Patri, & fieri illi seruum, assumta humana carne. Hoc enim fuerat decretum, & prædictum per Prophetas: *Ecce seruus meus*, inquit Iehoua apud Iesaiam. 42.1. Si igitur Filius in ea semper æqualitate, actu permansisset, fecisset rapinam Patri, paternam gloriam sibi vsurpando; & ex consequenti, defraudasset nos nostra exaltatione, & salute, quæ per huius humilitatem erat, ex decreto Patris, comparanda. Quæ obsecro nostra dignitas, & salus nobis prædestinata? Vt Filius se humiliando: & nostram carnem assumendo: naturam nostram exaltaret, diuinæ eam copulando: atque ita nos seruaret sua obedientia, & cruce. Si igitur filius mansisset in ea æqualitate, rapuisset nobis, quod iure ipse nobis debebat, propter prædestinationem Patris; nos scilicet debita dignitate, & salute defraudãdo. En, quam fecisset rapinam, & cur rapinam vocet mansisse semper in ea æqualitate. Sed absit, vt Filius voluisset talem facere rapinam, vel Patri, vel nobis: Hoc est, quod ait: *Non cogitauit* (facere) *rapinam* οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο (nempe) τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. hoc est, non cogitauit; non induxit in animum hanc rapinam, vt permaneret æqualis Deo. Contrà potius voluit se humiliare, & ab illa æqualitate, actu discedere. Ideò subdit particulam aduersatiuã, *sed semetipsum exinaniuit, &c.* Alij aliter interpretantur: Sed sensus tandem eodem recidit, ad rem ipsam quod attinet: Omnes enim Christi æqualitatem cum Patre, rectè hinc colligunt. Quare quod ad præsens pertinet argumentum, hinc facilè euincitur, Christum verum esse, & natura Deum, Patri æqualem: propterea quòd primò in forma est Dei, id est, Deus: sicut quum dicitur formam serui assumpsisse, significatur veram sumsisse naturam humanam, in qua factus fuit seruus, Patri obediens vsque ad mortem. Seruiuit enim in peccatis nostris, vt ait per Ies.43.v.24. Deinde quia æqualis est Deo. Siue enim dicas, vt alij, non iudicauit hanc esse rapinam, nempe, sentire, & dicere se æqualem esse Deo, siue, vt nos interpretamur, non duxit in animum facere hanc rapinam, nempe esse æqualem Deo, id est, vt in æquali maiestate cum Patre semper

per

permaneret: quouis modo veritas efficitur. æqualem etiam ante carnem assumtam, semper fuisse Patri. Tertiò quia ait, *sed semetipsum exinaniuit*, hoc est, ad tempus suam deposuit gloriam, & quasi in nihilum se redegit, formam scilicet serui, h. e. hominis ad seruiendum destinati, assumendo. Quid est enim id quo sese exinaniuit, & proinde quod habebat antequam fieret homo, nisi forma Dei, h. e. Deitatis maiestas, & gloria? Quartò, quia ait, formam serui accepit, id est, naturam humanam, in qua fieret seruus Patris & nobis inseruiret. Ergò etiam nomine formæ Dei, natura Dei intelligitur. Alioqui, si propter illam vocem μορφή, negas Christum esse Deum, propter eandem in altero versu, negandus fuerit esse homo. Denique quia ait, exaltatum esse (tam, id est, iterum) in gloria Patris. Significat enim gloriam, quam deposuerat ad tẽpus, & qua se exinaniuerat, denuò cũ recepisse.

### VI. Loc. 11. ex Col. cap. 2. ver. 9.

QVid verò clarius illis, quæ scribit ad Col. *Nam in eo* (Christo) *inhabitat* πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, σωματικῶς. Primo in Christo inhabitat Deitas. Ergo duæ in eo naturæ: diuina inhabitans, & humana inhabitata. Ideò notandum est, non dixisse Apostolum, πλήρωμα θειότητος, quasi (vt Antichristi dicunt) in Christo homine fuerit tantum plenitudo diuinarum rerum, sapientiæ, potentiæ, bonitatis, donorum Spiritus, atque ita sit diuinus tantum homo, omnibus creaturis reliquis antecellens, sed dixisse πλήρωμα τῆς θεότητος. Est enim magnum discrimen inter vtramque dictionem. Illa qualitates diuinas: hæc essentiam significat. Deinde inhabitat, nempe semper & perpetuo quasi in proprio domicilio. Sic enim ferè accipitur verbum κατοικεῖν. Inseparabilis igitur Deitas in Christo, ab humanitate, θεότης est Deitas ipsa seu diuina essentia. Hæc etsi est impartibilis, Apostolus tamen, vt significaret totam esse in Filio: non dixit simpliciter, In ipso inhabitat θεότης, sed addit πλήρωμα: imò etiam, vt melius exprimeret, adiecit πᾶν. Ergo nihil Deitatis est in Patre, quod non sit etiam in Filio: ac proinde per omnia Patri æqualis est filius. Non inhabitat autem Deitas in Christo, communicatione virtutum, & donorum, seu per effecta, sicut in sanctis, neque sacramentali vnione, sicut Deus in templo suo habitasse dicitur, sed inhabitat σωματικῶς, hoc est, vnione σωματικῇ, substantiali, & hypostatica: σῶμα enim substantia est, & ideò etiam hypostasis. Proinde dixit σωματικῶς, vt doceat, ex deitate & humanitate coniunctis, constare vnum Christum. Neque est, cur hic Sabellianus aliquis dicat, nomine Deitatis intelligi Patrem Deum, qui solus sit Deus: & Deitas ipsa, Et ita interpretetur verba Apostoli, quasi Christus purus sit homo, in eo verò inhabitet Pater & omnia operetur, ac proinde hoc nomine, Christum quoque posse vocari Deum, eumque natura, & verum. Etsi enim Pater semper est in Christo sua οὐσίᾳ: Pater tamen non habitat in Christo σωματικῶς, hoc est, vnione hypostatica: cum nunquam legatur Pater, vel assumsisse semen Abrahæ, vel factus caro, sed tantùm λόγος, Filius, vt Apostoli Iohan. & Paulus docent. Iohann. 1. 14. Hebr. 2. 16. Plenitudo igitur Deitatis, habitans in Christo corporaliter, est ipse æternus Filius, ac Λόγος, de quo Ioh. *Et* Λόγος *caro factus est*. Qui ideò dicitur plenitudo Deitatis, quia tota Deitas, tam in Filio est, quàm in Patre. Liquidò igitur apparet, ex illis, quæ scribit, hoc loco Apostolus, qualem senserit & prædicârit esse Christum; nimirum, Filium Dei, non solùm dilectum Patri, & in quo, tanquam in imagine imperfecta, ingenium & natura Patris, vtcunque reluceat, sed talem Filium, in quo, tanquam in perfectissima, eoque essentiali imagine, totus Pater videndum sese exhibuerit, qui non factus sed genitus sit, ante omnes creaturas, qui sit creator, & moderator rerum omnium: denique qui non homo tantùm, sed etiam verus sit Deus, Patri per omnia æqualis.

### VII Locus 12. ex 1. Tim. 3. ver. 16.

INsignis etiam est ille locus in priore ad Timoth. Et sine controuersia magnum est pietatis mysterium: *Deus manifestatus in carne, &c.* Hic enim nomine Dei intelligendum esse Christum, non autem simpliciter Patrem, manifestum est, si quis diligenter singula huius versus membra perpendat. *Magnum est*, inquit *pietatis mysterium*. Quale autem mysterium est? si neges Filium esse Deum, & cùm Deus esset, factum esse hominem; sed dicas Deum tantùm, quem vocant Patrem, sese in carne manifestasse: dum suam in Christo homine beneuolentiam, nos seruando, declarauit. Hoc certè non est tantùm mysterium, hoc est, res vsque adeò humanæ menti abscondita, vt dicere debuerit, Sine controuersia magnum est mysterium. Sed hoc demum, est tam magnum mysterium, vt à nemine possit comprehendi, vnicum Filium Dei, Deum verum, factum esse hominem, & nostra natura, sese spectandum præbuisse, passum, & mortuum esse pro nostra salute. Ait deinde, *Deus manifestatus in carne*. Iohan. explicat, quomodo sese manifestauerit in carne, nempe, veniendo ad nos in carne. Quis autem venit in carne? Filius Dei, ait Iohannes 4. 2. Quis etiam iustificatus est in Spiritu, nisi Christus, quum vi suæ deitatis, quæ sese in carne miris modis exerebat declaratus est quis esset. nempe is, quem se esse prædicabat, Filius Dei vnigenitus. hoc est, solus è Patris substantia genitus? Quis ita conspicuus factus est Angelis, vt in eum tanquam intentis oculis inspexerint? Christus: cuius incarnationem Angeli annunciârunt, natiuitatem prædicârunt, & laudes celebrarunt, cui in deserto ministrarunt, in passione adsuerunt, quem resuscitatum conspexerunt, & ascendentem in cœlum comitati sunt. Quem verò prædicârunt Apostoli gentibus, nisi Christum crucifixum? vt docet Paulus 1. Cor. 1. 2. Quis creditus, hoc est, quis fide, tanquam Seruator receptus est in toto mundo, nisi Christus? sed quod postremo ait, Receptus est in gloriam, nullo modo de Patre intelligi potest, sed tantùm de Filio. Neque enim vnquam Pater, recessit à sua gloria, vt in eam iterum esset recipiendus. Sed Christus receptus est in gloriam, quum euectus est ad cœlum, & sedit ad dexteram Patris. Act. 1. 9. &c. Et tamen ille idem est Deus, qui & manifestatus est in carne, & qui receptus est in gloriam. Christus igitur ille est Deus, de quo hic loquitur Apostolus. Qualis verò Deus? num officio tantum? At hoc modo quale foret mysterium, quod purus homo, Deus tantum officio, sese in carne patefecerit, hoc est, suam erga nos beneuolentiam, pro nobis moriendo, declararit? Deinde quum ait, *Deus manifestatus est in carne*, docet aliud esse illum, qui sese manifestauit, & aliud carnem, in qua sese manifestauit. Non igitur Christus θεὸς κατὰ σάρκα, ac officio duntaxat Deus, sed ea natura, quæ à carnis natura longè sit diuersa, nempe diuina.

### VIII. Locus 13. ex Tit. 2. ver. 13.

I*Lluxit gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus.* Quæ hæc Dei gratia? Filius, per quem in gratiam Patris, vt scribit ad Ephes. 1. 6. gratis recepti sumus. Is apparuit, nempe in carne. In quem verò finem: *Erudiens nos. vt abnegata, &c. Expectantes beatam illam spem, & illustrem illum aduentum gloriæ Magni illius Dei, &c.* Hic apertè vocat Christum, non simpliciter Deum, sed Magnum illum Deum. Neque enim hic locus de alio, quàm de Christo intelligi potest, Quis enim est ille, cuius aduentum gloriosum expectant fideles omnes? Christus. Nomen enim ἐπιφάνεια nusquam alicui in nouo Testamento, nisi Filio Dei, Iesu Christo tribuitur. Atque hæc est gloria, de qua Christus apud Matth. 25. 31. *Quum venerit Filius hominis in gloria sua, &c.* Deinde constructio græca postulat, vt vtrumque prædicatum, μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν referatur ad idem subiectum, Ἰησοῦ Χριστοῦ. Is igitur est σωτήρ, & μέγας θεός. Sic autem esse construendum hunc locum, docet vnicus articulus τοῦ: qui vtrique prædicato communis est, & vtrumque cum vno & eodem subiecto coniungit. Si legeremus, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: omnino duo haberemus subiecta, & duo prædicata: ac primum referretur ad Patrem, alterum ad Filium Iesum Christum. Sed cum vno tantum articulo vsus sit, apertè significauit, se vtrumque prædicatum ad idem subiectum, hoc est, ad Christum referre. Alioqui si ad duas referas personas, cùm tamen vna tantùm indicetur, vnico articulo: idem licebit facere in aliis locis. Vt quum de Christo ait Apostolus. 1. Cor. 15. 24. *Quum tradiderit regnum* τῷ θεῷ, καὶ πατρί. Cur obsecro dicimus hîc eundem significari, qui & Deus & Pater dicitur? quia vnus articulus τῷ, est communis, & θεῷ, & πατρί. Idem nos dicimus propter eandem causam de isto loco ad Titum. Non potest igitur iste locus eludi, quin de Christo prædicetur, quod & Seruator noster & Magnus Deus sit. Quare non officio tantũ, sed etiam natura, & essentia Deus sit necesse est. Alioqui admodum paruus foret Deus, si officio duntaxat Deus esset.

### IX. Loc. 14. ex Heb. 1. vers. 8. & 10.

APostolus ad Hebræos de Christo hæc ex Psalm 45. 7. citat *Thronus tuus, ô Deus, in seculum seculi.* Manifestum autem est in Psalmo, vnde versus iste desumtus est, & ad Christum accommodatus: אלהים, accipi pro vero natura & essentia Deo: Talem igitur esse Christum nouit Apostolus

Ex alio verò Psalmo. nempe 102.26. sumsit illud: *Et tu Domine initiò terram fundasti.* Sic incipit Psalmus ille: *Iehoua exaudi orationem meam.* Vertunt semper septuaginta nomen Iehouæ, in Κύριον. Idem autem Iehoua vocatur postea אלי Deus mi. Quis verò dubitat, quin Iehoua, qui & אל vocatur, Deus sit natura & essentia? Talis igitur fuit Christus Apostolo. Et à creatione rerum omnium idem confirmatur. Hanc enim dat Christo, quæ tamen soli vero Deo debetur accepta.

### *Locus 15. ex Heb. 3. vers. 3. & sequent.*

COllationem faciens Apostolus inter Mosen, & Christum, demonstrat Christum longè excellentiorem esse Mose, hoc est vsus argumento. Excellentior certè semper est Architectus, maiorique honore dignior, quàm domus ipsa ab Architecto ædificata. Propositio hæc non opus habet confirmatione, quia per se manifestissima est. Atqui Christus Architectus est Ecclesiæ: Moses autem pars eius, vtpote lapis vnus. Mosen etiam partem esse Ecclesiæ non probat, quia est extra controuersiam. Primum autem membrum, nēpe, Christum esse Architectum Ecclesię: sic probat.

Deus est ille, qui Ecclesiam, & omnia hæc, quæ ad Ecclesiam pertinent, ædificauit. (Hoc nemo inficiabitur.

Atqui Christus est Deus. Hoc enim supponit Apostolus, quia id antea probauerat.)

Ergo Christus est Ecclesiæ Architectus: ac proindè tantò excellentior Mose, quanto Deus Architectus tota ipsa domo, hoc est, Ecclesia, nedum vno lapide, vti fuit Moses. Hic nemo non videt, Christum ab Apostolo disertè appellari Deum. & qualemnam Deum? Architectum totius Ecclesiæ, quæ fuit ab orbe condito: ac proinde æternum. Omnis enim Architectus, prior est domo sua. Si talis Deus est Christus, quomodo igitur ψιλὸς ἄνθρωπος: & ideò Deus officio tantùm, non autem natura & essentia æterna?

### *X. Locus 16. ex Heb. 8. vers. 2.*

COrpus Christi, hoc est, humanam in Christo naturam, appellat Apostolus Tabernaculum. Deinde ait, hoc tabernaculum fixum esse à Domino, non ab vllo homine. Vbi apparet ex antithesi Domini & hominis, nomine Domini significari ab Apostolo Deum ipsum Iehouàm, quem, vt diximus, Septuaginta vocant Κύριον. Hic igitur apertè eum, qui fixit tabernaculum, hoc est, qui creauit humanam in Christo naturam, vocat Deum Iehouam. Quis autem fixit hoc tabernaculum: Christus, vt ipse Apostolus docet, quum de Christo verba faciens dicit: *Non enim assumsit Angelos, sed semen Abrahæ.* Heb. 2.16. Iis verbis docet Filium Dei tabernaculum hoc sibi formasse, seu naturam humanam, quam assumsit, creasse. Quod euincitur ex illis verbis apud Iohan. *Omnia per ipsum facta sunt, &c.* Io. 1.3. Si enim omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est, quomodo non etiam tabernaculum hoc, de quo loquitur Apostolus, peripsum λόγον factum, & fixum est? Apostolus igitur Christum intellexit, & nominauit Deum, quum dixit tabernaculum fuisse fixum à Domino, non ab homine. Quomodo autem non est essentia Deus, ille, qui hoc fixit tabernaculum: cùm solius essentiæ Dei sit, res omnes creare?

### *Locus 17. ex Heb. 11. vers. 10.*

APostolus loquens de Abrahamo, ait illum per fidem commoratum esse in terra promissionis, tanquam in terra aliena non sua. *Expectabat enim*, inquit, *Ciuitatem habentem fundamenta* (id est cœlum) *cuius ciuitatis Artifex & Conditor est Deus.* Et tamen in eadem epistola dixerat, Cœlos omnes esse opera manuum Christi. Hebr. 1.10. *Et opera*, inquit, *manuum tuarum sunt cœli.* Deum igitur hîc vocat Christum, cœli artificem & conditorem. Quare à creatione cœli, docet Christum esse verum natura & essentia Deum.

## CAPVT V.

Quid senserint & prædicârint reliqui Apostoli, de vera Christi Deitate. Et eorum quæ hactenus fuerunt de Christo dicta, conclusio. Eandem enim fuisse aliorum etiam Apostolorum fidem, de Christo vero Deo, ex ipsorum scriptis patet: vt paucis planum iam faciemus.

### *Locus 18. ex Actor. 1. vers. 24.*

APostoli posteaquam duos cōstituissent in medium, Iosephum & Matthiam, vt ex eis vnus è cœlo per sortem declararetur, qui in locum Iudæ succederet: sic orârunt: *Tu domine, qui corda nosti omnium: ostende vtrum elegeris ex iis duobus.* Hic apertè eum, cuius erat homines eligere ad Apostolatum, inuocant: & Deum, qui nôrit corda omnium, appellant, eoque agnoscunt esse verum sua natura Deum. Est autem extra controuersiam, Apostolos omnes electos fuisse non solùm à Patre, verum etiam à Filio eius, Iesu Christo. Vnde & Paulus Gal. 1.1. ait, se Apostolum esse, non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum, nempe electum & factum. Proinde omnes Apostoli dicebant se Apostolos esse Iesu Christi, non tam quia prædicarent Christum, quàm quòd electi à Christo ad Apostolatus officium, in hoc ei inseruiebant. Idcircò Apostolus modò Deum, modò Christum, Apostolos constituisse docet. Ephe. 4.11. 1. Cor. 12.28. Quare mihi dubium non est, quin hanc precationem direxerint Apostoli non ad Patrem solum, sed etiam ad Christum, qui sicut reliquos, sic etiam Matthiam elegerat. Cùm igitur hunc, vnà cum Patre inuocent, & Deum qui nôrit omnium corda appellent: quomodo non est Filius perinde natura & essentia Deus, atque etiam Pater?

### *II. Locus 19. ex 2. Pet. 1. ver. 1.*

SImon Petrus &c. ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Hic locus similis est illi quem superius adduximus ex Epistola ad Titum. Eadem enim de causa, quam ibi attulimus, efficitur hîc etiam, non posse aliter hunc locum intelligi, quàm duo de eodem Christo, à Petro prædicari: nempe quod sit Deus noster, & Seruator noster. Vnicus enim est articulus τοῦ, quo vterunque prædicatum connectitur, & de eodem subiecto Iesu Christo prædicatur. Quare dubium non est, quin Petrus hîc vocet Christum Deum: Et eum quidem: per quem & seruamur, ac proinde Deum natura & essentia. Est enim solius veri Dei, hæc opera fidem & salutem præstare.

### *III. Locus 22. ex Iud. Epist. ver. 4.*

AIt Iudas de perditis Doctoribus, quales sunt Libertini nostro tempore, ab iis transferri gratiam Dei nostri ad lasciuiam, & Deum, qui solus est δεσπότης, negari. Solum Deum ait esse δεσπότην illum, quem negant huiuscemodi impij. Petrus verò, à quo Iudas desumsit sua, docet Iesum Christum esse hunc δεσπότην, quem falsi doctores negant. Verba Petri hæc sunt: Etiam δεσπότην, qui illos mercatus est, abnegantes. 2. Pet. 2.1. Quis mercatus nos est, nisi Christus suo sanguine? Si igitur solus Deus est δεσπότης: vt Iudas ait, & Christus δεσπότης iste est, vt docet Petrus, efficitur necessariò Christum esse Deum. Cum hoc autem Petri dicto: *Qui nos est mercatus &c.* consonat illud Pauli: *Deus redemit Ecclesiam suo sanguine.* Act. 20.28. At Iudas subiicit, in quiet aliquis: *Et Dominum nostrum Iesum Christum.* Discrimē igitur facit inter Deum δεσπότην, & inter Dominum Iesum Christum. Imò contrà, confirmat Iudas, Christum esse hunc δεσπότην nostrum, Deum. Illa enim omnia prædicata de vno subiecto Iesu Christo prædicantur, sicut anteà dictum est de loco illo ad Titum: cùm vnus tantùm sit articulus τὸν communis omnibus illis prædicatis. Sic enim legendum est: καὶ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν μόνον δεσπότην θεὸν, καὶ κύριον ἡμῶν ἀρνούμενοι. Significat igitur Christum esse illum Deum, qui vnicus est δεσπότης & Κύριος noster. Hic autem est titulus veri Dei, vt apud Prophetas videre est.

IV. Hæc sunt quæ obseruauimus loca in nouo Testamento, in quibus Christus appellatus fuit Deus. Credo autem apertè satis & dilucidè, cum ex his locis, tum ex aliis Scripturis, tam veteris quàm noui Testamenti, dextrè, simpliciter, ad analogiam fidei, & sine vlla contorsione, anteà explicatis, demonstratum esse, Dominum nostrum Iesum Christum, neque nudum esse hominem, puramve creaturam, neque Filium Dei, vel adoptionis, vel natiuitatis ex Virgine gratia, neque Deum officio, & plenitudine donorum, sed Filium æternum, ex substantia Dei Patris progenitum, eoque verum, & natura Deum Iehouam, Patri suo per omnia æqualem, hoc vno excepto, quòd Pater à nullo est, Filius autem à Patre est, & habet, quicquid est, & habet. Ac me quidem non latet, fuisse nonnulla exposita, quæ non ita faciunt ad rem, de qua disputatur, & ea etiam re multis visum iri totum opus prolixius, quàm causa postulabat. Verùm neque me huius prolixitatis pœnitet: neque dubito, quin omnia pij, qui Christum, & eius gloriam diligunt

diligunt, sint in meliorem partem interpreraturi. Etsi enim non omnia, quæ de eo prædicantur, ad æternam ipsius Deitatem confirmandam pertinent, omnibus tamen illius gloria promouetur. Quid hoc autem piis viris gratius contingere potest, quàm vt omnibus maiestatem Filij Dei promoueri videant? Vt enim Christus dicebat, se ad hoc venisse in Mundum, & in hoc natum esse, vt testimonium daret veritati, Ioh. 18. 17. ita nos in hoc sumus electi, vocati, iustificati & glorificati per Christum, vt hunc Filium pro nostra virili, & quacunque possumus ratione in sempiternum glorificemus. Quia qui honorat Filium, honorat & Patrem, & ex consequenti vtriusque Spiritum, Ioh. 5. 23. Ac certè cùm Christus sit fundamentum totius Ecclesiæ, æquum est vt hoc fundamentum, cuius præcipua pars est ipsius deitas, deinde humanitas atque officium, à nobis in Ecclesia bene firmetur & stabiliatur, vt super hunc verum Deum, & hominem, nos quoque tanquam viui lapides, exædificati, stabiles ac firmi in eius fide ac obedientia in sempiternum permaneamus: ac ne ab vllis procellis, in mortem deuolui vnquam possimus. Faxit igitur iste Iesus Christus: verus Iehoua (quique est vera Iehouæ sapientia) vt in vera sui cognitione, firmi, ac constantes ad mortem vsque permaneamus. Est enim væ illis qui Christum ignorant. Confirmanda iam erit Spiritus S. deitas.

*LIBRI SEXTI FINIS.*

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS,

## Liber Septimus.

*Spiritum sanctum, esse verum, æternumque Deum Iehouam à Patre & Filio procedente.*

### CAPVT I.

Varij de Spiritu sancto errores. Ratio eorum refutandorum. Thesis, quæ de Spiritu S. Deitate retinenda est, & eius confirmatio ex veteri Testamento.

DIsseruimus de æterna Christi Deitate satis. Restat, vt iam de diuina quoque ipsius Spiritus sancti essentia, hoc libro dicamus. Sicut autem de Christo permultis, sic etiam de Spiritu sancto non paucis hæresibus exagitata fuit olim, & nunc etiam agitatur Ecclesia Dei.

Quarum hæresewn prima, illorum est, qui contenderunt, & contendunt, Spiritum sanctum nil aliud esse quàm ἐνέργειαν, motum, actionem, qua Deus efficaciter agit in animis Electorum: minimè verò esse substantiam aliquam, multò verò minùs personam: quòd nomen Spiritus propriè nomen sit actionis, non substantiæ. Sic Samosatenus, Seruetus, & horum discipuli. Altera eorum est, qui substantiam quidem eum esse dixerunt, veramq; personam, sed creatam, quemadmodum & Filium Spiritum esse creatum docuerunt. Hæc fuit Ariana & Macedoniana hæresis de Spiritu sancto. Tertia accessit sententia, Spiritum sanctum personam esse diuinam, æternam, increatam, sed non aliam à persona Patris & Filij. Sic Sabellius sensit ac docuit. Quarto loco non defuerunt, nec desunt, qui dicant Spiritum sanctum, veram quidem esse personam, eámque Deum, sed à persona Patris, & Filij, non solùm distinctam, verùm etiam disiunctam: eoque ita verum esse Deum, vt alius sit à Patre, & à Filio Deus. Sic Tritheitæ. Denique fuerunt, qui in omnibus quidem, & per omnia cum Ecclesia Catholica consenserunt, sed hoc tantùm pertinaciter defendere conati sunt, Spiritum sanctum, non procedere à Filio, sed tantùm à Patre.

II. Ad primam quod attinet, falsum est, quod aiunt nomen Spiritus, nomen esse tantùm actionis, non autem substantiæ. Sæpe enim hac voce significatur in sacris literis substantia, sed inuisibilis & incorporea, viuens, agens ac mouens, eaque vel creata, vt anima hominis spiritus appellatur, Luc. 23. 46. Iohan. 19. 30. & vt Angeli vocantur Spiritus Psa. 104. 4. (vt de aere, qui etiam est substantia, nil dicam) vel increata, vt essentia diuina, hoc est, Deus. Iohan. 4. 24. Et hoc modo contendimus Spiritum etiam sanctum, substantiam esse diuinam, per se subsistentem, viuentem, intelligentem, volentem, sicut abundè est demonstratum libro huiusce prioris partis primo: idque multis rationibus, præsertim verò ab intelligentia atque iudicio, à liberâ voluntate, & ab effectis, quæ illi attribuuntur & quæ non nisi in substantiam viuentem, veramque personam competere possunt. Non negamus tamen, quin aliquando significetur hoc nomine, actio, & agitatio huius spiritus in fidelibus, atque adeò etiam ipsa Spiritus sancti dona, in nobis per actionem Spiritus S. producta: vt Apostolus docet ad Cor. & Lucas in Actis. 1. Cor. 12. 4. &c. Act. 8. 15. & alibi. Quid etiam est illud *Spiritum ne extinguatis*, nisi sanctas Spiritus S. in vobis accensas flammas, atque ignes, lumina intelligentiæ & fidei? 1. Thes. 5. 19. Sed certè frequentissima est significatio Spiritus, pro tertia in Deo persona, quæ procedit à Patre, & à Filio, & quæ Filij ac Patris spiritus vocatur, vt suprà abundè demonstratum est. Idcircò non est cur plura hac de re dicamus. De tertia quoque sententia, quæ fuit Sabellij, non est opus, vt hîc plura disputemus. De ea enim dictum est satis superque in primo libro, vbi ostendimus, distinctos verè esse inter se, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Quarta refutabitur libro octauo, vbi demonstrabimus, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ita esse ὁμοουσίους, vt non plures sint Dij; sed vnus tantùm Iehoua. De secunda igitur tantùm contra Arium & Macedonium, & nonnihil etiam de postrema hoc libro disputabitur. Nam quanquam postrema quæstio nonnullis fortasse haud tanti momenti esse videtur, vt de ea in hoc tempore disceptandum sit: tamen quia illorum sententia, qui dicebant Spiritum sanctum non procedere à Filio, abusi sunt Ariani, ad confirmandam suam hæresin, qua contendebant Filium minorem esse Patre: omninò negligenda nobis non est. Nam præterquàm quòd valet ad stabiliendum ordinem personarum in Deo: pertinet etiam ad confirmandam Filij cum Patre æqualitatem.

III. Ad rem igitur ipsam, vt accedamus, hanc de Spiritu sancto, Thesim propono.

THESIS.

*Spiritus sanctus, tertia in Deo persona, verus & æternus est Deus Iehoua.*

VTar autem in confirmanda hac thesi, eadem methodo, qua etiam in stabilienda Filij deitate vsi sumus, nimirum vt primo loco veteris Testamenti loca, quæ sunt de Spiritu sancto, diligenter examinemus, & ex iis, an verus sit Deus, nec ne sit, demonstremus. Deinde idem in locis noui Testamẽti faciamus. Vndè verò meliùs initium confirmandæ, deitatis Spiritus sancti faciam, quàm ex principio Geneseos, vnde etiã exorsi sumus diuinã Christi naturã demonstrare? Moses enim primus omnium, veram veri Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti cognitionem, quanquam haud ita distinctè & perspicuè vti postmodùm Christus ipse in nouo fecit Testamento tradidit, quum docuit à tali Iehoua, qui sit Elohim, omnia esse condita. Non possum igitur hunc primum locum præterire, qui est in principio Geneseos.

*Locus primus ex Genes. cap. primo, vers. primo.*

I*N principio creauit Elohim cœlum & terram.* Nomine plurali Elohim, qui creauit cœlum & terram, significari plures non tam Dei perfectiones, quàm personas diuinas,

anteà demonstratum est. Ac de Patre nemo dubitat. De Filio, Patris Sapientia & Sermone, satis abundè demonstratum est tam ex veteri, quàm nouo Testamento. De Spiritu etiam sancto aliquot habemus testimonia; nimirum ab hoc quoque creatum esse cœlum & terram: ac proinde in nomine Elohim contineri. Afferri solet illud ex Psalmo 33. vers. 6. *Verbo Domini firmati sunt cœli, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hoc certè antiqui etiam Hebræi (vt apud Galatinum videre est) interpretati sunt de verbo, id est, de Sapientia, Filio Dei, & de Spiritu sancto. Sed tamen scio hunc locum a multis eludi, tum quod Propheta nihil aliud voluerit concludere iis verbis, quàm Deum omnia solo suo iussu effecisse, tum quod idem sit verbum Domini, & Spiritus oris eius, sicut & apud Iesaiam, 11.4. Cæterùm, cùm in Deum, neque verbum seu sermo, neque Spiritus oris, neque os ipsum, propriè competant, & aliis in locis apertè constet, nomine sermonis seu verbi Dei eius Sapientiam, & nomine Spiritus Dei, eius virtutem significari: absurdum non est, quod Patres, & doctissimi etiam nostri seculi, locum hunc de sapientia Dei, hoc est, de Filio, & de virtute Dei, hoc est, de Spiritu sancto, interpretati sunt. Atque hoc voluit Propheta, Deum Patrem, omnia per verbum suum, hoc est, per suam Sapientiam, quæ est Christus: & per suam virtutem, quæ est Spiritus sanctus, fecisse, & perfecisse, & ambos cum dicente, & spirante vnum esse Deum, qui omnia condidit. Sed alia luculentiora adfero testimonia: Psalm. 104. vers. 30. *Mittis Spiritum tuum* (inquit Dauid) *& creantur, & renouas faciem terræ.* Loquitur ibi Propheta de cursu operum Dei, per suas vices, sapientissimè disposito: nimirum, Quonam modo Deus, modò dat animantibus escam, & illa colligunt, & satiantur bonis: modo auertit faciem, & illa contristantur: modò colligit eorum Spiritum, id est, vitam, & illa intereunt & reuertuntur in limum suum: modò emittit Spiritum suum, & noua creantur animalia, & ita renouatur facies terræ. Quid igitur hîc Propheta, nomine Spiritus intelligit, nisi virtutem Dei, quæ omnia gignit, & nouas creat animas, tam in hominibus, quàm in aliis animantibus? Facit enim apertum discrimen inter Spiritus nostros, & Spiritum Dei, quum ait: *Aufers Spiritum eorum, & deficiunt*, id est, animas animalium. *Rursus emittis Spiritum tuum, & creantur*, Spiritus nostri creantur, & auferuntur: Spiritus autem Dei creat, perque hunc nostri creantur spiritus. Hunc porrò Spiritum, seu virtutem omnia creandi & viuificandi, non dicimus esse in Deo accidens aliquod, sed substantiam: sicut etiam de Sapientia eius, antea dictum est.

Quidquod multi de resurrectione hunc locum interpretantur, *O Domine aufers Spiritum eorum & peribunt, emittes Spiritum tuum & creabuntur*, id est, resurgent à mortuis. Per quem autem fiet resurrectio? per Spiritum sanctum ait Apostolus Roman. octauo versicul. vndecimo: *Quòd si Spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum à mortuis, per inhabitantem Spiritum viuificabit mortalia corpora vestra.* Quare Spiritus Dei creator est omnium, & nomine Elohim significatus fuit à Mose.

Adfertur & illud ex Iobo capite vigesimo sexto versic. 13. *Spiritu suo cœlos ornauit*, hoc est, sua virtute, & potentia.

Quid etiam hic prohibet, quin nomine Spiritus intelligamus Spiritum sanctum? quoniam is est vera Dei Patris virtus, quâ vnà cum sua sapientia, id est, Filio, & cœlos ornauit & omnia agit. Et apud Lucam, 1.35. Spiritus sanctus, virtus Altissimi vocatur: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Idcircò autem virtus hæc, Dei Spiritus appellatur, quod sit de essentia Patris, substantia spiritualissima. Ergo, vt significetur Spiritus sanctus esse Deus, eiusdemque οὐσίας: vocatur Spiritus Dei. Quare si Spiritu Dei, id est, virtute, quæ in Deo non est qualitas, sed substantia, ornati, & conditi sunt cœli, & hæc virtus est ipse Spiritus sanctus, consequitur per Spiritum sanctum creatos esse cœlos.

Adferunt & illud ex Iobo, capite trigesimo tertio versic. quarto: *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis viuificat me.* Locus iste apertior est, quàm vt vlla valeant effugia. *Spiritus iste Dei fecit me*, inquit Elihu. Et de eodem Spiritu locutus est antea, quum dixit, Sapientiam petendam esse à Spiritu Dei omnipotentis: *Spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Iob. 32. 8. Sed apud Lucam apertissimè tribuitur Spiritui sancto, creatio naturæ humanæ, quam Filius in vtero Virginis sibi ὑποστατικῶς vniuit. *Ecce* (inquit Angelus) Luc. 1. 31. &c. *concipies in vtero, &c. Quomodo* (inquit Maria) *fiet istud, quoniam virum, &c. Spiritus sanctus* (inquit Angelus) *superueniet in te, &c.* Docet certè hic locus, Deum Patrem, sicut suo Spiritu, qui & virtus Altissimi appellatur, formauit Filio, & per Filium corpus, & animam: Sic etiam quæcunque alia fecit, & facit, eodem Spiritu, eademque sua virtute, omnia fecisse, & facere. Neque enim alia virtute creauit cœlum & terram, quàm etiam formauit corpus in vtero Virginis, sed eadem planè. Hæc autem virtus, est Spiritus sanctus.

Manifestum igitur, per Spiritum etiam sanctum creatum esse cœlum & terram: ac proinde nomine Elohim contineri, quum ait Moses. *In principio creauit Elohim.* Gen. 1.1. Qui autem fecit cœlum & terram, hunc esse verum Iehouam, nemo dubitat.

Sed quid clarius illis locis, qui sunt in Actis Apostolorum? Petrus ait, Spiritum sanctum esse illum, qui per os Dauidis locutus est in Psalmis. Act. 1.16. Apostoli reliqui dicunt illum, qui locutus est per os Dauidis, esse illum Deum, qui creauit cœlum & terram, & omnia: *Domine tu es, qui fecisti cœlum & terram, mare, & quæcunque in iis sunt, qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt Gentes &c. Act. 4.24.*

### *IV. Locus secundus ex Genes. primo, versiculo secundo.*

QVÆ verò iam dixi de Spiritu sancto, nimirùm quòd Pater, per Filium, Sapientiam suam, hac virtute, quæ Spiritus Domini vocatur, creârit cœlum & terram: ac proinde Spiritum sanctum in nomine Elohim contineri, & esse Iehouam: confirmatur illo quòd sequitur: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Permulti tam ex Hebræis interpretibus, quàm ex Patribus, & nostri seculi Doctoribus, nomine Spiritus Domini interpretati sunt ventum, seu aerem, sicut eum etiam nunc videmus, tunc super aquas circumfusum fuisse, & quasi volitasse. Sed non pauci etiam sunt, qui locum hunc de Spiritu sancto intellexerunt, viri magni, atque doctissimi, tam inter Hebræos, præsertim antiquos, quàm inter Patres, & nostri temporis doctos viros.

Rabi Simeon, maximæ apud Hebræos auctoritatis, sic locum hunc interpretatus est: teste P. Galatino li. 2. c. 16. Et Spiritus Elohim volitans erat super aquas, hoc est, Spiritus Messiæ, de quo dictum est Iesa. vndecimo, versicul. secundo, *Et requiescet super eum Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ & intellectus: Spiritus consilij & fortitudinis: Spiritus scientiæ & pietatis.*

Rabi Salomo ita verbum *ferebatur*, interpretatur, vt non possit quadrare in aerem, sed optimè in Spiritum sanctum. Interpretatur enim verbum מרחפת, pro incubabat, fouebat in modum alitis, quæ alis suis oua fouet, & complectitur, donec pulli excludantur. Sensus igitur erit: Spiritus sanctus, tanquam Dei virtus, rerum omnium viuificatrix, massam illam rudem, & indigestam, quæ alioqui per se consistere nequibat, suo quasi calore, hoc est sua efficacitate, fouebat, sustentabat, viuificabat: donec indè rerum species, tanquam ex ouis pulli, excluderentur. Atque huic occinit, quod est in Psalmo centesimo quarto versic. tricesimo: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.* Dum enim abest Spiritus Dei, omnia pereunt & euanescunt. Dum adest omnia viuificantur.

Basilius in Hexaemer. Homi. 2. vtramque adfert interpretationem, nempe de aere, ac vento, & de Spiritu sancto, sed in hanc alteram inclinat.

Sic Hieronymus interpretatus est: vir Hebraicæ linguæ peritissimus, & multæ lectionis.

Sic Cyprianus sermone de Spiritu sancto: *Hic Spiritus sanctus* (inquit) *ab ipso Mundi initio, aquis legitur superfusus.* Sic Beda, sic permulti alii.

Atque vt ex profanis quoque Scriptoribus, illis præsertim, qui multa è sacris literis, in suos libros transtulisse feruntur: tam à Iustino Martyre, quàm ab Eusebio Cæsariense, aliquid dicam: Plato nihil aliud mihi videtur intellexisse, pro anima Mundi, quàm hunc Spiritum sanctum, seu virtutem Dei, qua omnia viuificantur. Libr. de Legib. 10. ἄγει μὲν δὴ ψυχὴ πάντα, τὰ κατ' οὐρανὸν, καὶ γῆν, καὶ θάλασσαν, ταῖς αὐτῆς κινήσεσιν, αἷς ὀνόματά ἐστι βούλεσθαι, σκοπεῖσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, βουλεύεσθαι. Admirabilia sunt, quæ

quæ Trismegistus de hoc Spiritu, de quo Moses, scripta reliquit in suo Asclepio, qui est de voluntate Dei. Latinè sic habent: *Spiritu augetur, & gubernatur omnis in orbe species, Spiritus implet omnia. Mundus nutrit corpora, Spiritus animas, Spiritu ministrantur omnia, & vegetantur in Mundo.* Item: *Hoc Spiritu* (inquit) *omnia indigent. omnia enim portat: pro cuiusque dignitate omnia viuificat, & alit: à fonte sanctò producitur.* Sic ille. Et qualem vocat Spiritum, λεπτὸν, ἢ νοῦν. Et de hoc etiam Virgil. Æneid. lib. 6. mihi videtur locutus, quùm dixit:

*Principiò cælum, ac terram, camposque liquentes,*
*Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,*
*Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Et sic Cyprianus sermone supra citato, horum philosophorum dicta, de anima mundi intellexit: nempe animam mundi esse Spiritum sanctum. Ac præter tot præclaros Interpretes, his etiam rationibus confirmari potest, meo iudicio, hunc locum non posse de aere, seu vento, sed tantùm de Spiritu sancto intelligi. Nam posteaquam dixisset Moses in genere: In principio creauit Deus cœlum & terram, quibus duobus nominibus, omnes res conditas complexus est, tam cœlestes & inuisibiles, vti est cœlum Beatorum, & Angeli, quàm visibiles & corporatas, veluti sunt reliqua omnia: Tum omissis rebus inuisibilibus, cœlo scilicet Beatorum, & Angelis, de quibus disserere ad populum rudem operæ pretium non erat, & ad visibilia tantùm suam restringens orationem totam hanc rudem massam, vnde omnia corporata educta sunt, appellauit, tum הארץ tum Abyssum, tum aquas: Ac de hac massa primum sic dixit, *Et terra erat* תהו ובהו: quibus verbis significauit, totam illam machinam fuisse de principio materiam quandam confusam, & indistinctam, atque impolitam, sed tamen à Deo creatam. Ex qua materia confusa, porrò per partes explicata, educti sunt orbes cœlestes, cum suis astris, elementa item omnia formis inter se distincta, & ex elementis reliqua omnia composita, & suis quæque formis discreta. & illa prima confusione, ac permistione, liberata. Deinde aliud adiecit incommodum, cui tota illa confusa massa erat obnoxia, tenebras nimirum, dicens, *Et tenebræ erant super faciem Abyssi*, hoc est, Non solum omnia erant תהו ובהו confusa, & inter se permixta, atque informia: sed tenebris quoque obducta. Vbi etiam apparet, nomine תהום, abyssi, illud idem intellexisse Mosen, quod antea appellauerat ארץ תהו ובהו: idque de sententia etiam omnium interpretum. Ideo autem illam massam, & primam materiam hoc nomine appellauit, vt significaretur, materiam fuisse fluxam, in qua nihil solidum aut stabile, nihil denique erat distinctum: ideò erat Abyssus. Eandem materiam confusam mox appellauit המים dicens, Et Spiritus Domini מרחפת על פני המים. Postquam enim ostendisset imperfectionem illius materiæ confusæ, & tenebris obductæ, incepit explicare bonum, quod accedebat illi materiæ, & massæ confusæ, nempe Spiritus Domini, qui confusum illud chaos, nomine המים significatum, sustentabat, viuificabátque. Primum autem opus, sua forma à reliquis distinctum, fuit lux: idcircò ait ver. 3. Et dixit Deus, Fiat lux: & facta est lux. Hanc esse simplicem horum verborum intelligentiam, nemo non videt. Atque in primis hæc duo sunt extra controuersiam. Vnum, nomine הארץ, & המים תהו, eandem rerum omnium inter se confusionem, seu chaos impolitum, & indistinctum significari. Alterum, nihil fuisse distinctum, & formis præditum, nisi post creatam lucem. Primùm enim discecit tenebras lucis creatione, & ortu, deindè cœpit discernere elementa, & quidem aerem secreuit ab aquis, & ab arida, & eum extendit, ita vt suprà & infià haberet aquas, sicut sequitur in v. 6.

V. Nunc itaque dico, pugnare cum ipso Mosis contextu, si nomine Spiritus Dei, interpretemur aerem. Quia si ante creatam lucem Spiritus Domini, id est Aer, erat, seu ferebatur super aquas, hoc est, super massam illam confusam, chaosque impolitum, aer igitur non continebatur in illo chaos ante creatam lucem, sed erat segregatus ab illis aquis, materiáque confusa. Quomodo enim erat eum illis aquis permistus, si iam ferebatur super aquas? Atqui aer, ante creatam lucem, continebatur & ipse cum reliquis elementis in illo chaos impolito, & confuso: ac tum demum tantùm fuit segregatus ab aquis illis, postquàm fuit creata lux, vt liquet ex Mosis ipsius verbis, & ex ordine creationis Non potest igitur nomine illius Spiritus Domini, qui ante conditam lucem ferebatur super aquas, seu super massam illam informem, intelligi aer ipse, sed aliquid à tota illa massa, quæ תהו nomine significatur, diuersum. Non erat autem extra, & supra illam materiam, exceptis Angelis, de antiquorum sententia, & cœlo Beatorum, aliquid nisi Deus: cum omnia, quæ postea suis distincta formis condita commemorantur, in illa materia confusa simul continerentur. Non potest igitur nomine Spiritus Domini, nisi virtus Dei, quæ Spiritus S. appellatur, intelligi. Pugnat præterea illa interpretatio cum scopo & mente Mosis. Moses enim voluit demonstrare illum Deum, quem proponebat populo colendum, & cuius legem tradebat, esse totius Mundi, non solùm creatorem, sed etiam conseruatorem & gubernatorem: propterea quòd is sit ille, qui iam indè ab initio, Mundum à se conditum, & quidem dum adhuc omnia essent confusum chaos, sua virtute viuificatrice fouebat, & perpetuò fouet; idque instar auiculæ, & gallinæ, quæ sua fouet oua. Nō potest ergò hæc operatio attribui aeri, quin Mosis propositum tollatur. Certè solius Dei fuit, totam illā massā fouere, & ad opera inde omnia educenda, præparare. Adde quod significatio participij מרחפת, non potest competere in aerem, sed verè in Deum. Significat enim verbum illud, non simpliciter mouere, sed se mouere instar gallinæ, quùm alas expandit, & sese super oua componit, vt eis incubet, quemadmodum optimè est interpretatus R. Salomoh. Aer autem non sese mouet, sed mouetur ab alio. Neque aui animatæ comparari commodè potest, cùm non sit animatus. Deus verò per metaphoram hoc verbum, in hac significatione, sibi vsurpat. Vndè & Moses ait, Deum instar aquilæ, quæ excitat nidum suum, & super pullos suos incubat, extendisse alas suas (est ibi idem verbum ירחף) super populum, & eum assumsisse Deum 33. 11. Significat Deum suo patrocinio, ceu alis, populum suum protexisse, fouisse, viuificasse, conseruasse, & è captiuitate Ægypti, ceu ex chaos, quasi pullos ex ouis exclusisse, & in terram fœlicissimam transtulisse. Et Lucas, quum describit, quo pacto virgo conceptura esset Iesum, ait Angelum sic dixisse: *Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Spiritus sanctus*, inquit, *superueniet*. (i. desuper è cœlo, instar cœlestis columbæ, expassis alis, veniet super te) *& virtus Altissimi* (id est, ipse Spiritus, qui est virtus Altissimi) *obumbrabit tibi* (hoc est, tanquam cœlestis columba, sua virtute fouebit te: & quasi incubabit tibi, & vim concipiendi tibi præbebit) *ideoque concipies*. Luc. 1. 35. En quomodo proprium est Spiritus sancti, præstare id, quod hic dat Moses Spiritui Elohim, incubare scilicet magno chaos, illud fouere, & ad ζωογονίαν (vt ait Basilius) atque adeò ad omnes creaturas, suis formis distinctas, ex illo educendas præparare, atque animare. Interpres ergo Mosis sit: Moses ipse in Deut. & Angelus apud Lucam. Proinde non incongruè Patres docent effectum illum Spiritus Domini, quem describit Moses in Genes. typum fuisse illius, quem præstat Spiritus sanctus in aqua Baptismi. Vt enim ibi incubabat aquis illis, & eas fouebat, animabat, præparabatque ad ζωογονίαν, rerumque omnium generationem: sic Spiritus sanctus præsidet aquis Baptismi, & eis quasi incubat, illisque benedicit, & inde Electos fouet, regenerat, animat, fœcundosque reddit ad bona opera. Certè virtus viuificandi, à Paulo datur Spiritui sancto. Rom. 8. 11.

VI. At mihi velim ab iis, qui de vento & aere verba Mosis interpretantur, responderi, quænam fuerit prima rerum distinctio? Certè prima fuit inter lucem & tenebras, quæ facta fuit posteaquam Spiritus Domini ferebatur super aquas. Tum enim primùm dixit Moses, *Et diuisit lucem a tenebris*. Non erat igitur tunc distinctus aer ab aquis, & terra, vt posset fouere totam massam. Atque vt dictum est, lux inprimis educta fuit, non aer. Adde quòd omnia erant non solùm תהו, informis, sed etiam בהו inania, & sine virtute vlla, aut efficacitate. Quomodo igitur poterat aer reliqua viuificare? Primum etiam, quod inter res creatas Deus dixit esse bonum, fuit lux: quia ea non tam delectabat, quàm vtilis erat toti massæ. Non fuit igitur aer, ille Spiritus, qui tantam vim daret toti massæ, vt eam sustentaret, foueret, animaret. Fuisset enim bonum præcedens lucem, & vtilius luce. Ad hæc neque cœlum quod tam longè maius & excellentius est aere, ac vento, neque terram, neque abyssum, neque aquas ornauit hoc nomine Moses, in hac historia, vt appellaret cœlum Elohim, terram Elohim, aquas Elohim, sed tantùm fuisse facta ab Elohim. Quid causæ igitur fuit cur solum aerem, seu ventum voluerit appellare Spiritum Elohim? Certè discrimen facit apertum Moses inter illa, quæ creauit Elohim, & inter Spiritum Elohim. Nam de hoc Spiritu non dixit sicut de aliis: Et creauit Elohim Spiritū רוח. Imò huic Spiritui dat virtutē non minorē virtute creandi: cùm det ei vim sustētandi, fouēdi, viuificandi, animandi disponendique omnia ad meliores formas, quæ fuerant iam confusè creata. Postremo quod faciebat tūc Spiritus ille, idem etiam nūc facit. Causam enim sustē-

tatricem mundi,& conseruatricem describit Moses. A quo verò sustentatur, & fouetur mundus, nisi à Spiritu illo Elohim,de quo in Psalmo 104.30. *Emitte Spiritum tuum,& creabuntur,& renouabis faciem terræ?* Allusit enim Dauid ad locum Mosis,de prima creatione. Nam terra tunc erat תהו ובהו vanitas,seu desolatio,atque inanitas. Postquam verò Spiritus Domini cœpit incubare aquis, terra,id est,tota illa massa, tam cœli quàm reliqua,cœperunt aliquam habere formam & virtutem. *Ita* (inquit Dauid) *quoties vis, ô Deus,Spiritu tuo omnia renouas,viuificasque.* Quis igitur iste Spiritus Elohim, nisi illa virtus Altissimi, de qua Angelus ad Mariam:*Virtus altissimi obumbrabit tibi?* Luc.1.35.Hæc autem est Spiritus S. Quod si quispiam excipiat, Esto,fuerit virtus Altissimi, non tamen effeceris hanc virtutem esse, quod vocatis Spiritum S. personam scilicet aliquam, quæ Deus sit.Fuit enim *δύναμις* quædam Dei,quæ omnia sustentabat.Ad hoc respondebitur fusè suo loco.In præsentia contendo virtutem hanc Dei, non esse accidens in Deo, sed substantiam, ac personam, vt etiam demonstratum fuit libro primo. Deinde Moses participio מרחפת talem describit Spiritum, & talem ei, tanquam agenti causæ, dat actionem, vt possit non esse persona aliqua viuens, intelligens, volens. Concludo igitur cum Cypriano in sermone de Baptismo, & cum Hieronymo ad Oceanum, Spiritum sanctum esse illum spiritum, de quo Gen.1. Qui cùm incubaret aquis illis primis totius Mundi, eásque fouetet, & animaret: symbolo quodam declarauit,quod facturus erat super aquas Baptismi, à Christo instituendi, se nimirum descensurum super Christum, in specie columbæ, & mansurum super eum:Et illum nunc incubare aquis nostri Baptismi, easque sanctificare, vt lauacrum sint regenerationis, & qui baptizantur electi,illos per hunc Spiritum sanctificari, regenerari, animari ad opera bona: ac proinde verum esse Deum.

### VII.Loc.3.ex 4.Exod.vers.12.& Num.12. vers.6.

IEhoua sic ait Mosi: *Et nunc vade,& ego ero in ore tuo,& docebo te quid loquaris.* Docet solius esse Iehouæ,in ore esse Prophetarum,ac illos docere,quid loquantur. Sed clarius & generalius est illud ex Numer. *Et dixit,Audite nunc verba mea. Si fuerit Propheta vobis: ego Iehoua in visione apparebo illi,in somnio loquar cum illo.* Manifestum est ex hoc loco illum,qui loquebatur in Prophetis,& aliis viris Dei,vt Apostolis, verum esse Iehouam. Hoc confirmant exempla Prophetarum, qui quum adferebant verbum ad populum, soliti semper erant præfari,Iehouam ad se loquutum fuisse, vel in visione,vel in somnio.Sic Ies.6.1. *Vide Iehouam.* Sic Hos.1.1. *Verbum Iehouæ quod fuit ad Hoseam.* Et Apostolus ad He.1.1. *Olim Deus loquutus Patribus per Prophetas.* At Christus docet,hunc esse Spiritum Patris:*Nolite*,inquit, *cogitare quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini,sed Spiritus Patris vestri,qui loquitur in vobis.* Mat.10.19.20. Et Petrus dicit,fuisse Spiritum Christi, qui in Prophetis loquebatur, & futura prænunciabat.1.Pet.1.11.Et idem alibi:*Spiritu*,inquit, *sancto,inspirati,loquuti sunt sancti Dei homines.* 2. Petr. 1. 21. Huc pertinent, quæ fuit apud Samuelem: *Spiritus Iehouæ loquutus est in me.* 2. Sam.23.2. Et apud Ezech. *Ingressus est in me Spiritus, postquam loquutus est mihi.* Et: *Dixitque ad me,Fili hominis,mitto ego te ad filios Israel*,&c. Ezec.2.2.& 11. 5. *Sic dixit* אדני יהוה (Spiritum Domini vocat Iehouam.) Item alibi:*Decidit ergo super me Spiritus Iehouæ:& dixit*,&c.

### VIII.Locus 4.ex Leuitic.19.vers.2.&c.

DIxit Iehoua ad Mosen:*Loquere ad Aaron fratrem tuum, vt ne ingrediatur omni tempore in sanctuarium,intra velum coram propitiatorio,quod est supra arcam.In nube enim apparebo supra propitiatorium.* Atque ita ibi describit ceremonias & sacrificia, quibus debeat vti sacerdos. Ac per eas ceremonias, tanquam per *αἰνίγματα* spiritualia, ac cœlestia, verum scil. sacerdotem Christum, verumque propitiatorium, verumque tabernaculum, corpus scil. Christi significauit. At hæc omnia à Spiritu S. instituta,& per hæc,spiritualia significata fuisse,docet Apostolus ad Hebræos 9.8.Postquam enim horum omnium,quæ hîc habentur,summam recitasset,atque in primis illud, quòd sacerdos semel in anno ingrediebatur Sancta Sanctorum & ea oblato sacrificio denuò claudebat:subiecit hæc verba:*Hoc declarante Spiritu S. nondum patefactam fuisse viam ad sacrarium, priore tabernaculo adhuc consistente, quod erat exemplar pro tempore illo.*

### Loc.5.ex Leuit.26.vers.12.& sequent.

LOquitur Iehoua, ac primo prohibet idola, deinde subiicit promissionem: *Et ambulabo, incedere faciam meipsum,in medio vestri:& ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum.* Colligitur ex hoc loco,illum esse Iehouã, qui in medio nostri, id est, in nobis ipsis inhabitat, & inambulat. Est enim hoc solius Iehouæ, in sanctis habitare,tanquam in suo templo. Hoc verò attribuitur Spiritui S. quòd in nobis,tanquam in suo templo inhabitat. Sic enim legimus in priore ad Corinth.6.19. *An ignoratis,corpus vestrum templum esse Spiritus sancti qui in vobis est?* Item: *Quæ consensio templo Dei cum simulachris?nam vos estis templum Dei viuentis, sicut dixit Deus, habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus,& ipsi erunt mihi populus.* 2. Cor.6.16.

### IX.Locus 6.ex Deut.9.v.8.

SIc ait Moses: *Etiam in Horeb prouocastis ad iram Iehouam, & iratus est Iehoua contra vos,vt perderet vos.* Docet aperte,illum,qui fuit ad iram prouocatus à populo,fuisse,& esse Iehouam. Attamen Iesaias dixit,hunc fuisse Spiritum sanctum:*Ipsi autem* (inquit) *fuerunt rebelles, & irasci fecerunt Spiritum sanctum eius.* Ier.63.10. Huc spectat,quod & Apostolus ait ad Ephes. *μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ,per quem obsignati estis,in diem redemtionis*, hoc est, ne contristetis, seu ne tristitia afficiatis Spiritum sanctum.Eph.4.30. Quid hoc sibi vult,nisi,ne ad iracundiam prouocate?

### Locus 6.ex Iob.cap.12.vers.8.

PRofectò,Spiritus est in homine,& inspiratio שדי *sapere facit eos.* Sapientia igitur est à Spiritu Dei omnipotentis,שדי. Iacobus tamen ait,esse à Deo. *Si quis indiget*,inquit,*sapientia,postulet à Deo.* Iac.1.5.

### X.Locus 8.ex Psalm.2.vers.1.& sequent.

APostoli in Actis dicunt, Iehouam illa,quæ in hoc Psalmo habentur,per os Dauidis prædixisse. *Domine* (inquiunt) *tu es Deus ille, qui fecisti cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt: qui per os Dauidis pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes:* Act.4.24. Iehoua igitur verus Deus creator cœli & terræ,hunc Psalmum per os Dauidis cecinit. Petrus autem in Actis etiam docet,Spiritum sanctum per os Dauidis vaticinatum esse, dicens, *Oportuit impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid.* Act.1.16.

### Locus 9.ex Psalm.95.vers.7.8.& sequent.

LOquitur in hoc Psalmo Iehoua Sic enim incipit Ps. *Venite,& exultemus Iehouæ.* Paulò pòst ait: *Hodie si vocem eius audieritis,ne obduretis cor vestrum,sicut in Meriba sicut in die Massa,in deserto, in quo tentauerunt me Patres vestri,probauerunt me, & viderunt opus meum.* Quis igitur conquestus fuit cum populo,quod fuerit ab eo tentatus? est ipse verus Iehoua. Sicut etiam alibi dicitur: *Et tentarunt Deum in corde suo.* Psal.78.18.Item. *Et tentarunt Deum in solitudine.* Psal.106.14.Apostolus tamen ad Heb.Spiritum sanctum describit tanquam illum, qui fuerit in deserto tentatus à populo,& qui hæc verba loquutus fuerit per Dauidem: *Quapropter*,inquit Paulus,*sicut dicit Spiritus ille sanctus, Hodie si vocem eius audieritis,ne obdurate corda vestra, sicut in exacerbatione,in die tentationis illius in deserto: vbi tentauerunt me* (Spiritum sanctum) *& viderunt opera mea:quapropter infensus fui.* Heb.3.7.

### XI.Locus 10.ex Ies.6.vers.9.& sequent.

QVi apparuit Iesaiæ,in ea gloria & throno,quem describit Propheta, fuit Iehoua. Et idem de excæcatione & induratione populi Iudaici vaticinatus,dixit Prophetæ:*Vade,excæca cor populi huius.* Veruntamen Paulus in Actis ait, eum,qui hoc per Prophetam prædixit,fuisse Spiritum sanctum. *Rectè sane Spiritus S.loquutus est,per Iesaiam Prophetam, Patribus nostris, dicens, Vade ad populum istum,& dic, Audientes audietis,& non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis.* Act.28.25.&c.

### Locus 11.ex Ies.cap.11.vers.1.& sequent.

VAticinatus de Christo, qui instar virgulti oriturus erat de radice Issai,dixit:*Et requiescet super eũ* (Christũ)

רוח יהוה

רוח יהוה. *Spiritus sapientia & intelligentia. Spiritus consilij & fortitudinis: Spiritus scientia & timoris Domini.* Is Spiritus est Ichoua. Idcirco enim dicitur Spiritus Ichouæ, quia è substantia est Ichouæ: sicut etiam noster Spiritus, è nostra substantia est. Idcircò dicitur Spiritus, quia à Patre procedit. Io. 15.18. Ab effectis etiam idem liquet; vt est, sapientiam communicare, quod solius est Dei. Ideò enim vocatur Spiritus sapientiæ, quòd hic Spiritus sit horum donorũ auctor & largitor: sicut docet Apostolus. 1. Cor. 12.4. &c. Is autem Spiritus, de quo hîc vaticinatus est Propheta, est ille, qui descendit & mansit, requieuitque super Christum. De quo illud apud Io. *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat Spiritu sancto.* Io. 1.33. Est igitur Spiritus sanctus verus Ichoua. Nam etiam Apostolus dona, quæ dicit distribui à Spiritu sancto pro vt vult, ait eadem donari à Deo, qui omnia efficit in omnibus: docẽs Spiritum sanctum eundem esse cum Deo, Deum scilicet verum. 1. Cor. 12.6.

*Locus 12. ex Ies. cap. 48. v. 16.*

PRopheta ait, se missum fuisse ad populum à Ichoua, & à Spiritu eius: *Et nunc*, inquit אדני יהוה *misit me*, ורוחו. *& Spiritus eius.* Attribuit etiam Spiritui sancto Dei, eãdem missionem, quam Ichouæ Patri: dum ait: *Misit me dominus Ichoua, & Spiritus eius.* Nõ enim ait cum Spiritu suo, vt intelligas missum esse Prophetam à Patrẽ, instructum dũtaxat donis Dei: sed ait, *Et Spiritus eius*, scilicet misit. Est igitur persona, intelligẽs, volens, mittens, & eiusdem auctoritatis cuius & Pater: ac proinde Ichoua. Est enim solius Dei, mittere Prophetas. Cum hoc consentit illud in Act. 13.2. *Spiritus S dixit, segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus, ad quod elegi eos.*

*Locus 13. ex Iesa. 61. vers. 1. & sequent.*

MEssias de se loquitur dicens: *Spiritus Domini* (Ichouæ) *super me: eo quod vnxerit Ichoua me.* Et Christus apud Luc. ostendit: hæc fuisse de se prædicta. Luc. 4.21. Se igitur tanquam hominem fuisse à Patrẽ, & à Spiritu Sãcto missum, ad Euangelium prædicandum. Non est autem vllius creaturæ, vngere Christum in Prophetam, sacerdotem, Regem, eũque etiam quà homo est, mittere ad prædicandum, & suum officium faciendum: sed solius Dei. Idcircò apud Prophetas, maximè apud Ies. Ichoua sẽper ille est, qui promittit se missurum Messiam, qui eum vngit, quique eum dat Prophetam gentibus. Quòd si excipias, verba sic esse intelligenda: quòd ille, cuius est Spiritus, miserit Christum: nihil efficis. Nam legimus etiam apud Matth. 4.1. Christum actum fuisse in desertum à Spiritu sancto.

XII. *Locus 14. ex Ierem. 31. vers. 31. & sequent.*

QVis obsecro est, qui promittit nouum fœdus domui Israel, & domui Iuda? Ichoua. *Ecce dies veniunt* (inquit Icho) *& feriã cũ domo Israel, & cum domo Iuda, fœdus nouũ.* Et illud explicat, dicẽs *Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum describam eam.* Itẽ, *omnes cognoscent me, à minimo eorum, vsque ad maximum eorũ: quia propitiabor iniquitati eorum.* Apostolus verò ad Hebręos, hũc noui Testamẽti auctorem docet esse Spiritum sanctũ. *Testificatur autem* (inquit) *nobis & ipse Spiritus S. Nam postquam prædixit* (nempe iste Spiritus) *hoc est fœdus, quod paciscar* (ego Spiritus sãctus) *cũ eis post dies illos, dicit Dominus* (Ichoua) *inditas leges meas in corda eorum, & in mentes eorum inscribam. Et peccatorum atque iniquitatum ipsorum, nõ recordabor amplius.* Noui quid possit excipi. Sed suo loco diluentur sophismata. Sunt alia pleraque testimonia, in veteri Testamẽto, & maximè apud Prophetas, quibus confirmari abundè potest, Spiritum sanctum verum esse Ichouam. Sed quis omnia colligat?

XIII. *Locus 15. ex Sapient. 1. ver. 5. & sequent.*

VNus locus superest, quem non possum prætermittere: quin, si non exactè explicem, saltem indicem: Is est in libro, qui dicitur sapientia Salomonis. Scio non esse librum hunc in canone, nihil tamen in eo contineri impium aut blasphemum, extra controuersiam est. Cap. igitur primo in ipso ingressu perspicuè Deum Dei sapientiam, quæ est Dei Filius: & eiusdem Spiritum, quem Spiritum sanctum appellamus: nobis videndum proponit: & Spiritum sanctum verũ esse Deum, apertè ostendit. Propositio hæc est ca. 1. *Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Cogitate* (sentite) *de Deo in bonitate, & in simplicitate cordis, quærite illũ.* Sequitur ratio propositionis, & maximè cur in bonitate & simplicitate cordis quęrẽdus sit Deus. *Quoniã inuenitur ab iis, qui non tẽtãt eum. Apparet autem* (id est, sese visendum exhibet) *iis qui nõ diffidunt ei.* Sequitur confirmatio à contrario, σκολιοὶ γὰρ λογισμοὶ (id est, tortuosæ enim cogitationes) *separant à Deo.* Vocat σκολιοὺς λογισμοὺς, impiorum iudiciũ cogitationes & ratiocinationes contra iustitiam, & cõtra verbum Dei. Et opponitur hoc dictũ illi, quod antea iussit, dicẽs: *Quærite Deum in simplicitate cordis.* Et illi alteri: *Apparet autẽ iis, qui nõ diffidunt ei. Tẽtata autem potentia arguit insipientes*, & opponitur hoc dictũ illi, *Inuenitur ab iis, qui nõ tẽtãt eum* Quæ est autẽ hæc δύναμις θεοῦ? Docet Apostolus esse ipsũ Christum. 1. Cor. 1.24. Lucas esse Spiritũ S, καὶ δύναμις *Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1.35. *Si quidẽ in malitiosũ animũ non ingreditur sapientia: nec habitabit in corpore* κατάχρεῳ ἁμαρτίας: hoc est, in homine, qui peccato implicitus sit, & obnoxius subditúsque tanquã mãcipium. κατάχρεως enim significat hominem vsuris, & debitis implicitum. Sic etiam vocat hominẽ, maximè iudicem peccatis implicitum, & deditum, & quasi obæratum, ita vt non possit se inde extricare. En iterum Christum, nomine sapiẽtię significatum. Is enim Spiritu & vera sui cognitione, non habitat in hominibus, qui mãcipia sint peccati. Sequitur igitur explicatio. *Spiritus disciplinæ sãctus fugiet* (pro fugit) *dolũ: & abigetur* (subducet se) *ab insipiẽtib. cogitationib.* καὶ ἐλεγχθήσεται *aduenięte iniustitia*, hoc est, & fugatur aduẽtu iniquitatis, & iniustitię φιλάνθρωπον γὰρ πνεῦμα σοφίας: hoc est, humanus enim, seu hominũ amans est, ac proinde non fert eos, qui in homines sunt iniusti, iniurij, maledici. Ideò sequitur. *Et blasphemum non absoluto à labiis eius*, h. e. Spiritus sapientię non finet impunitum eum, qui labiis suis in hominẽ est blasphemus, & contumeliosus, vti sunt iudices, quum iniustas fersit sententias. *Quoniam renum eius, testis est Deus: & cordis ipsius inspector verus, & lingua auditor:* Adfert hic confirmationem, Spiritum sanctum nõ permissurum vt impunitus abeat homo maledicus, & blasphemus. Quid ita? *Quia* (inquit) *Deus est conscius renum.* Spiritum sanctum hîc vocat Deũ. Et huic dat cognitionẽ cogitationum, affectuum, & verborum omnium. Apparet autem eum loqui de Spiritu, quia subdit: *Nã Spiritus Domini replet orbem terrarũ* (sua scilicet præsentia; ac proinde omnia videt & audit. Idcirco subdit, *Et continens omnia* (id est, & iste Spiritus, qui omnia continet, & sustẽtat:) *scientiam* (noticiam) *habet vocis*, hoc est, audit, & nouit omnium voces, & quicquid vbique terrarum dicatur. Ratio: quippe qui omnia cõtineat, & vbique sit. Cõcludit, *Itaque* διὰ τοῦτο (quia vbique est, & omnia audit, & est φιλάνθρωπος Spiritus) *qui loquitur iniusta, non latuerit* (Spiritum sanctum hunc:) *nec præteribit* (παρελεύσεται αὐτὸν) *eũ* ἐλέγχουσα ἡ δίκη) vltrix pœna). Cõclusio principalis. Ergo diligite iustitiam, qui iudicatis terram. & nolite iniusta loqui: hoc est, iniustas ferre sentẽtias. In hoc contextu Spiritui sancto datur apertè, Primò, odium peccati, quia fugit hominem dolosum, & subducit se ab iis, qui vana cogitant, & moliuntur. & quum aduenit iniquitas, ipse fugatur. Est enim pugna inter Spiritũ sanctum, & peccatum, seu Spiritum malignum. Secundò, Datur amor erga hominem. Ideò vocatur φιλάνθρωπος. Tertiò, Datur iustitia. Idcircò dicit Salomon, quòd iste Spiritus non finit impunitum, seu absoluit hominem, qui suis labijs maledicat, seu blasphemet. Quartò, datur cognitio rerum omnium, etiam cordium nostrorum. & disertè vocatur Deus. Idcirco ait, *nam renum eius: testis est Deus, & cordis ipsius inspector verus, & lingua auditor*, Quintò, Datur immẽsitas: qua vbique est, & omnia replet. Idcirco ait: *nã Spiritus Domini replet orbem terrarum.* Sextò, Datur iterum cognitio omnium, quæ dicuntur. & fiunt. Idcircò subdit: *Et quod cõtinet omnia*, id est, Spiritus ipse, *noticiam habet vocis*: Et concludit: διὰ τοῦτο *qui loquitur iniustè, non latebit eũ.* Septimò, Datur sũma iustitia. Idcirco: *nec præteribit eũ vltrix pœna.* Hæc certè non cõpetunt, aut competere possunt, nisi in verum Deum. Est igitur Spiritus sanctus verus natura, & essentia Deus: quoniam quæ propria sunt essentiæ diuinæ, prædicantur in scripturis de Spiritu sancto, & verus Ichoua appellatur, vt anteà visũ est. Atque hęc satis sint, ex veteri Testamento, pro Deitate Spiritus sancti.

## CAPVT II.

### Explicatio locorum, quę sumpta sunt ex Euangelistis, ad confirmandam Deitatem Spiritus sancti.

ID verò, quod satis abundè ex veteri Testamẽto demõstrauimus, de diuina Spiritus sancti essentia: fusiùs ex libris noui fœderis est ostendendum. Quare

locos, qui hac de re, in nouo fœdere sparsi sũt, seruato librorum ordine, nũc in vnum colligemus, atque examinabimus diligenter, & thesim superiùs allatam, argumentis inde ductis, confirmabimus.

### *Locus primus ex Matth. 1. vers. 8.*

*IEsu Christi verò natiuitas ita fuit. Nam cùm Mater eius Maria, desponsata esset Ioseph: priusquam conuenissent, inuenta est in vtero habens* (vterum ferre) *ex Spiritu sancto.* Coniungo cum hoc versu versum 23. vbi recitatur vaticinium de hac re Ies. Prophetæ: *Ecce illa virgo habebit in vtero, & pariet Filium, & vocabis nomen eius Immanuel: quod est, si interpreteris, nobiscum Deus.* Iesa. 7. 14. Hic primò docetur; Spiritum sanctum esse personam, seu substantiam intelligentem, volentem: & deinde verum Deum. Etenim Spiritus sãctus est persona, quia viri præstitit vicem: vnde dicitur Maria gestasse vterum, ex Spiritu sancto. Quum enim ait, Mariam gestasse vterum, ex Spiritu sancto: opponit Spiritum sanctum viro: & significat, sicut aliæ mulieres gestant vterós ex suis viris, quia scilicet horum actione & semine concipiunt fœtus: ita Mariam gestasse vterum, non ex viro, sed ex Spiritu sancto: quòd scilicet Spiritus sanctus, instar viri, mirabiliter effecerit, vt in vtero Mariæ conceptus sit Iesus. Spiritus igitur sanctus, persona est vera: quia vicem præstitit viri. Hoc clariùs explicat Lucas. 1. 31 Quum enim dixisset Angelus, *Ecce concipies in vtero & paries: Quomodo,* inquit illa, *quoniam virum non cognosco?* Quasi dicat, omnis mulier gestat vterum, ex cognito suo viro. Ego autem non cognosco virum. Quomodo igitur? *Spiritus sanctus* (inquit Angelus) *superueniet in te.* q. d. Spiritus sãctus è cœlo super te veniet: & is, loco viri tibi erit. Sua enim interna vi, & actione efficiet, vt cõcipias: gestabis igitur vterum ex Spiritu S. Hic certè describitur Spiritus sanctus, non vt actio, & ἐνέργεια aut motus: sed vt persona agens, mouens, efficiens, Deus etiam apertè demonstratur multis rationibus. Primò à nomine τὸ πνεῦμα, ille Dei spiritus: non ergo creatus, quia procedit à Patre. Io. 15. 26. Quare est de substantia Patris, eoque Deus. Deinde à nomine, Sanctus. Cur enim Sanctus dicitur? non tam quia Sanctus per se, sicut & Pater, qui ait, *Sancti estote, quia & ego sanctus sum.* Leuit. 11. 44 quàm quia omnes sanctificat. Vtrumque autẽ solius Dei est. Præterea à dictione, virtus Altissimi. Ergo vis hæc Dei, non est separata à Deo: sicut nec virtus cuiuspiam ab ipso cuius est separata est. Deinde non est in Deo accidẽs: ac proinde de essentia est Dei, eoque Deus. Est enim essentia illa, impartibilis. Adhæc ab actione: *superueniet* (inquit) *in te* scilicet è cœlo *& obũbrabit tibi:* sicut etiam Gen. 1. ver. 2. *Spiritus Domini.* מרחפת. Nõ est enim vllius creaturæ sua vmbra efficere, vt virgo concipiat. At Maria, vi Spiritus sancti concepit: & ex eo gestauit vterùm. A collatione etiam vaticinij Iesaiæ, cum hac historia. Quis dixit *Ecce virgo concipiet?* Est Iehoua, vt ibi liquet. Ex quo dicit concepturam? nempe ex se Iehoua, neque enim ex alio poterat concipere virgo quàm ex Iehoua: ac non cõcepisset virgo, nec fuisset signum. Ex aliquone Spiritu creato? at nullius creaturæ est efficere vt virgo concipiat. Num ex seipsa? At præterquam quòd fieri hoc non potuit: cõtrarium etiam docet Angelus, verborum Iehouæ interpres, quum ait Mariæ, eam concepturam ex Spiritu sancto, id est. ex Spiritu Iehouę. Ergo quum Iehoua dixit: *Ecce virgo cõcipiet:* necessariò subintelligendum est, ex me Iehoua: & hoc etiã inde liquet, quia ait: *Et vocabis nomen eius Immanuel:* quasi dicat, idcircò Immanuel eũ vocabis, quia ex me אל Deo, concipietur: non dico ex mea substantia (neq; enim Iesus quatenus homo, est ex substantia Dei) sed ex Deo solo agente, ac concipere efficiente. Atqui concepit virgo, & gestauit vterũ ex Spiritu sancto, vt ait Matth. Spiritus igitur sanctus est Iehoua.

### *II. Loc. 2. ex Matth. 3. versic. 16. & 17.*

*ET baptizatus Iesus, ascendit statim ex aqua: & aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem, tanquam columbam, & venientem super eum & ecce vox, &c.* Marcus 1. 10. ait fissos fuisse cœlos, quũm descendit Spiritus sanctus super eum. Lucas 3. 21. &c. ait Spiritum descendisse corporea specie, tanquam columbam super eum. Ex hoc etiam loco non obscurè apparet Spiritum sanctum esse Deum, primò à scopo Euangelistæ. Cur enim hæc narrat? Voluit ostẽdere, Iesum fuisse à Deo inauguratum publicè, ad munus docendi, & redimendi mundum, Deoque recõciliandi. Huc enim spectat vox. *Hic est filius meus, &c. In quo acquiesco.* Huc spectat circumstantia temporis: quia antequam officio fungatur Prophetæ, inauguratur: & paulò pòst prodit ad officiũ faciendum. Pater igitur, & Spiritus sanctus Iesum inaugurârunt. Pater, sua voce: Spiritus sanctus suo visibili super eum descensu. Sicut autem non est vllius creaturæ, mittere Prophetam vllum, sed solius Dei iuxta illud, *Prophetam suscitabit Dominus,* Deu. 18. 15. & de pseudoprophetis, *Currebant,* inquit, *& ego non mittebam eos.* Ier. 23. 31. Sic multò minùs vllius fuit creaturæ, Iesum vel mittere, vel inaugurare Prophetam, & mundi redemptorem. Huc illud Ies. 6. 1. Luc. 4. 18. *Spiritus Domini super me: propterea quod vnxit me: pauperibus Euangelizatum misit me.* Deinde de nullo vnquam Angelo, pura ve creatura legitur, quum descendit è cœlo, cœlum fuisse scissum & apertum: sed semper symbolum fuit, singularis præsentiæ Dei. Sic de Filio Dei, sedente ad dextram Patris, ait Stephanus, Act. 7. 56. *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dexteris, &c.* Ergo cùm ad descensum Spiritus sancti dicat Marcus, scissos fuisse cœlos: & Matth. apertos: vterque docere voluit, Spiritum hunc, Spiritum esse Dei, Deum. Inde etiam hoc confirmatur, quia ait, Spiritum hunc descendisse super Iesum, & Ioh. ait, mansisse super eum, Io. 1. 33. Non fuit igitur spiritus creatus. Non est enim Spiritus creati, descendere & manere super Christum: sed potiùs illi astare, illique ministrare, vt apud Matth. legitur, Angelos fecisse, illumque adorare, vt iubentur in Psalmo: & citatur ad Heb. Matth. 4. 11. Heb. 1. 6. Psal. 97. 7. Neque dici potest, nomine Spiritus intelligenda esse donã Dei. Hic enim Spiritus, substantia fuit, quæ columbæ, vel verum corpus, vel speciem sibi assumpsit, & in ea apparuit. Huc accedit, quòd Euangelistæ subdunt, simulatque fuit baptizatus, & ita inauguratus Christus: eum statim fuisse ab hoc Spiritu actum seu subductum in desertum. Estne vllius creaturę, Iesum Christum ducere, aut agere huc vel illuc: & præsertim in desertum, vt tentaretur à Diabolo? Si quis perpẽdat diligenter, totam hanc Spiritus S. actionem, qua fissis cœlis, in specie columbæ descendit super Christum, & hoc visibili symbolo eum inaugurauit, & inauguratum statim in desertum subduxit, vt tentaretur à Diabolo: Videbit apertè hũc Spiritũ, & rem esse subsistentem, intelligẽtem, volẽtẽ; & nullo modo creatum esse Spiritum, sed Deum creatorem: Qui sicut descendit supra Mariam, & illam obumbrando, creauit in eius vtero animã & corpus Iesu: Sic in baptismate descendit super Christum, & eum, vt hominem inunxit, & suis repleuit donis.

### *III. Loc. 3. ex Matth. 12. vers. 31. 32. & Marc. 3. vers. 29. & Luc. 12. vers. 10.*

BLasphemare Spiritum sanctum est veritatem, agnitam per gratiam Spiritus sancti, ex animo & destinata malitia, oppugnare, & in perpetuum reiicere. Hæc verò ideò est irremissibilis: quia secum adfert impœnitentiam. Hebr. 6. 4. &c. Idcircò verò coniungitur cum impœnitentia: quia cùm sit maxima omnium iniuria in Deum, Deus hos homines non vult donare resipiscentia. Sunt enim reprobi: & hoc peccatum, testimonium est reprobationis. Ideò autem est maxima iniuria: quia qui hoc modo peccant, non solùm peccãt in personã Spiritus sancti, sed in gratiam eius. Quid n. agunt aliud, quàm quòd Spiritui sancto intùs veritatẽ docente, in faciem inspuunt, & quasi aiunt, mentiris? Ideò dicuntur Spiritum gratiæ cõtumeliã afficere. Heb. 10. 29. Hoc autem nihil grauius. Ergo primùm ab ipsa gratia Spiritus S. & eius opere, quod est veritatem patefacere: deinde à peccati grauitate, & irremissione liquet Spiritum S. esse Deum. Si quis probè intelligat, quid sit blasphemia in Spiritũ S. & quã ob causam dicatur, & reuera sit irremissibilis: is etiã perspicuè videbit Spiritum S. verum esse Deum. Ergo notandũ est, primùm, non simpliciter, dici peccatum in Spiritum sanctum, sed blasphemiam seu conuicium. Fit igitur verbis siue expressis, siue etiam intùs in mente retentis. Deinde notanda est causa, cur dicatur blasphemia non in Filium, aut in Patrẽ, sed in Spiritum sanctum: ea non est, quòd qui in Spiritũ S. blasphemus est, is etiam non sit cõtumeliosus in Patrẽ, & in Filium. Quomodo. n. non est contumeliosus in Patrem, ac in Filium, qui blasphemus est in Spiritum sanctum, cùm Spiritus sanctus, Spiritus sit & Patris & Filij: & qui conculcãt sanguinem Filij, dicãtur blasphemare Spiritum sanctũ? Sed ea est ratio, quia Spiritui sãcto hoc propriè datur in scripturis: eũ scil. intus in cordibus nos docere, nos alloqui, nobis patefacere veritatem. Etsi enim etiã Pater dicitur nobis reuelare Filiũ, & Filius Patrẽ, eoq; & Euangelij veritatẽ vterque patefacere: quia tamen vterque hoc facit per Spiritũ suũ sanctũ. idcircò propriè & immediatè Spiritui sancto hoc datur, quòd Euangelij veritatem nobis perspectã reddat interna sua actione, & illustratione. Hinc colligimus, quid sit blasphe-

blasphemare Spiritum S. est veritatem non ignoratam, sed cognitam per Spiritum S. non simpliciter, aut ex infirmitate, sed ex animo, & ex destinata malitia oppugnare. Hæc est propriè blasphemia in Spiritum sanctum, qualis fuit Pharisæorum, quum dicerét, Christum eiicere dæmonia in Beelzebub, non in Spiritu sancto. Erant enim aliter persuasi, & conuicti in conscientia, vi spiritus sancti veritatem patefacientis. Et hac de causa dixit Christus, non posse illud conuicium remitti: quia scilicet nulla ratione excusari poterat. Nam si quis veritatem oppugnet, sed incognitam: vtcunque excusabilis est, vt Paulus: idcircò ait, se veniam consecutum esse: quia ignorās fecerit in incredulitate. 1. Tim. 1. 13. Si quis itidem neget ex infirmitate: capax est adhuc resipiscentiæ, & obtendere potest infirmitatem, & imbecillitatem. Sed qui & citra ignorantiam, & citra infirmitatem: verùm sciens ac volens, & ex destinata malitia (vt in epist. ad Heb. habetur cap. 6. v. 4. & 10. v. 18.) veritatem à Spiritu sancto patefactam oppugnat: is verè dicitur blasphemare Spiritum sanctum, & ea de causa, nihil prorsus, quo se excuset ostendere potest: Ac proinde, neque etiam huiusmodi blasphemi resipiscere possunt, sunt enim, vt loquitur Apostol. *αὐτοκατάκριτοι* Tit. 3. 11. Hæc igitur est causa, cur ij dicantur blasphemare, non Filium, etiamsi abnegant Filium: Sed Spiritum sanctum, non tam quia peccant in eius personam, quàm quia in eius gratiam sunt contumeliosi. Summa, qui veritatem hoc modo oppugnant, idcircò dicuntur in Spiritum S. esse blasphemi & contumeliosi: quia hoc facere, nil aliud est, quàm Spiritui sancto, qui intus veritatem docet in faciem conspuere, ex destinata malitia conuitiari, & mendacij crimen obiicere: qua contumelia, quæ maior excogitari potest? Vnde ab Apostolo ij dicuntur Spiritum gratiæ contumelia afficere, Heb. 10. 29. Hinc verò satis apertè apparet: primò: An Spiritus sanctus motus tantùm quidam sit, & actio Dei: an verò substantia, intelligens, volens, agens. Nemo enim potest dici blasphemus in actionem aliquam, sed in ipsum loquentē, docentē, dicentē. Deinde apparet etiā an sit Deus, necne sit. Est enim solius Dei, veritatem intus in animo patefacere, & docere. Vnde quicunque ita edocti sunt veritatem, vocantur *θεοδίδακτοι*, in sacris literis. Iesa. 54. 13. Ier. 31. 33. Ioha. 6. 45. Quis autem docet? Spiritus sanctus. Ergo etiam ex hoc loco nō obscurè colligitur, Spiritum sanctum, qui veritatem docet, & in quem blasphemi sunt illi, qui veritatem agnitam ex destinata malitia oppugnant: verum esse natura & essentia, Deum.

### *IV. Locus 4. ex Matth. 28. vers. 19.*

NEque etiam obscurus est locus ille, qui est de Baptismo. Dominus Iesus posteaquam instituisset ministerium verbi, & iussisset Euangelium perferri ad omnes gentes, dicens: *Profecti ergo, docete omnes gentes*: Mox etiam iussit omnes eos, qui Euangelio credidissent, sigillo noui fœderis obsignari, nempe Baptismate. Et quanam forma? *Baptizantes eos*, inquit, *in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti*. Vsi sunt omnes Patres hoc loco, ad demonstrandam deitatem, tum Filij, tum Spiritus sancti, quòd nimirum non liceat baptizari quempiam in vllum hominem, seu in nomen alicuius rei creatæ: sed tantùm in Deum. Et rationem adferunt: quoniā baptizari in nomen alicuius, nil aliud sit, quam baptizari in eius cultum, religionem, fidem, doctrinam. Est autem tali cultu & religione Deus tantùm colendus: eiusque doctrina simpliciter audienda. Et huc aiunt spectare illud Apostoli, 1. Cor. 1. 13. *Nunquid in nomen Pauli baptizati estis?* quasi diceret, minimè: quòd id non liceat: quemadmodum etiam (inquiunt) non licet credere, nisi in Deum. Cæterùm ex hac forma Baptismi apertiùs etiam veram vtriusque Deitatem possumus colligere, si spectemus, cuius rei sigillum sit baptismus. Baptismus sigillum est noui fœderis: quo omnes, qui recipiuntur in fœdus nouum, obsignantur Deo. Quorsum autem hæc obsignatio? Præter alios fines, hic etiam est non postremus: nempe, vt hoc symbolo tum ipsi sese meminerint, tum alij intelligant, eos receptos esse in fœdus. Cuius, seu quorumnam? Eorum, in quorum nomen baptizati sunt: eoque meminisse eos debere, se non ampliùs sui esse iuris, sed eius, in cuius nomen baptizati, & in cuius fœdus recepti sunt: ac proinde meminisse etiam debere sui officij, quod in Baptismate promiserunt illi, quocum in fœdus coierunt: fidei nimirum, inuocationis, cultus, & obedientiæ. Quis autem est ille, qui nos in suam amicitiā, fœdere icto, & firmato, recipit? Deus Iehoua: ille nimirum, cui etiam soli symbolo fœderis obsignamur, obsignariq; licet. At obsignamur tam Filio, & Spiritui sancto, quàm Patri. Baptizamur enim in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Quis igitur ex hac forma baptismi, non apertè videat effici, sicut Patrem, sic etiam Filium, & Spiritum sanctum esse Deum? Est enim consecutio hæc certissima.

Ab illis recipimur in nouum fœdus, in quorum nomen baptizamur. Baptismus enim symbolum est noui fœderis.

Baptizamur autem in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti.

A Patre igitur, & Filio, & Spiritu sancto, recipimur in nouum fœdus.

Porrò, qui nos in suam *κοινωνίαν*, icto fœdere, recipit, Deus est Iehoua.

Ergo tam Filius, & Spiritus sanctus, quàm Pater, Deus est Iehoua.

Et huc spectat, quòd ad Heb. 10. 15. &c. introducitur Spiritus, qui dicit: *Hoc est fœdus meum, &c.* Adde modo huc argumentum à partibus fœderis ductum, nimirum, quòd sicut nos promittimus fidem & obedientiam illis, in quorum nomen baptizamur, sic illi vicissim pollicentur gratiam, remissionem peccatorum, salutem æternam. Hæc autem polliceri, & præstare, solius est Dei. Item in Baptismate sumus ita illius, in cuius nomen baptizamur: vt non simus amplius nostri iuris, sed illius, cui fœdere coniungimur. Scriptura autē tam docet nos esse Spiritus sancti, quàm Patris, & Filij: *An ignoratis, vos esse templum Spiritus sancti: neque esse vestri iuris?* 1. Cor. 6. 19.

### *V. Loc. 5. ex Ioh. 3. vers. 5.*

N*Isi quis genitus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto: &c.* Est etiam hic locus ad confirmandam Spiritus sancti Deitatem, meo quidem iudicio, efficacissimus. Nam si quis illum verum esse Deum concludat, qui cum reliquo mundo homines quoque creauit: nemo certè sanus, talem hominem irridere, aut talem argumentationem refellere poterit: cùm hoc proprium Dei sit, omnia condidisse, & condere, & conseruare, & viuificare: vt Prophetę, & Apostoli docent, Ier. 10. 12. Act. 4. 24. Quantò minus igitur rideri potest, aut debet ille, qui eum verum esse Deum cōtendat, cuius actione, & virtute homines nouæ fiunt creaturæ, & in vitam diuinam, ac incorruptibilem regenerātur? Regeneratio enim talis qua de loquimur, longè prętantior & excellentior est, ipsa prima creatione & naturali vegetatione. Proinde qui ita sunt regeniti, filij Dei vocantur, & nati ex Deo: Ioh. 1. 12. 13. quòd proprium Dei sit homines sibi regenerare & suos efficere filios. Atqui Christus dat hunc effectum Spiritui sancto, quum ait oportere nasci denuò: &, qui nascitur ex spiritu, spiritualem esse: &, nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto, non posse introire in regnum Dei. Et sic scriptura passim tradit hāc doctrinam, per Spiritum sanctum fieri hominum regenerationem: Tit. 3. 5. Et denique per eundem etiam, nostra corpora ad immortalem vitam tandem viuificatum iri. 2. Cor. 3. 7. Rom. 8. 11. Ergo si ex eo, quòd ostendimus, per Spiritum sanctum, non minùs, quàm per *Λόγον*, omnia esse à Patre condita, omnia viuificari, & sustentari: meritò conclusimus Spiritum sanctum non minùs esse Deum, quàm etiam sit Pater, & Filius, multò efficacius hoc idem euincimus ex eo, quòd quicunque regeneratur, ex Spiritus sancti virtute & actione regeneratur. Deinde idem sunt nasci ex Deo, & regenerari ex spiritu sancto. Spiritus ergo sanctus Deus. Quòd si quispiam contendat, non esse idem planè, nasci ex Deo, & generari ex spiritu sācto, quòd ideò dicamur nati ex Deo, quia Deus Pater est, qui nos in filios sibi genuit, dicamur verò generati ex Spiritu sancto, quia illo, tanquam Dei virtute, semineque incorruptibili regeneremur, ac proinde non sequi, Spiritum sanctum esse Deum, nullo negotio refellitur hæc exceptio. Principiò demonstratum est Spiritum sanctum non esse talem Dei virtutem, quæ non sit vera substantia, neque esse *ἐνέργειαν*, seu motum, & actionem aliquam, sed veram substantiam, per se subsistentem, intelligentem, volentem, agentem. Aut igitur tanquam causa efficiens, homines sua actione regenerat in filios Dei; aut non regenerat. Si non regenerat, non possumus igitur dici renati esse Spiritu sancto, quoniam ipse Spiritus, neque est materia, ex qua regeneremur, neque est forma, qua constet regeneratio; (Hæc est enim qualitas noua creata, ex qua humana natura renouatur, vnde etiam vocamur noua creatura) neque est pura actio, qua à Deo Patre regeneremur, vt ostensum est: vnde neque dicimur regenerari ex actione, sed actione: nec denique instrumentum est, quo Deus vtatur ad nos regenerandos; sed vera est substantia & vera persona quæ intelligit, vult, & agit. Quare, si Spiritus sanctus, non regenerat vt causa efficiēs, ex ipso renasci homines, dici nullo modo possunt. Verè autem renascimur,

vt Christus loquitur, ex Spiritu sancto. Renascimur igitur ex ipso tanquam ex causa efficiente: sicut omnes liberi, dicuntur ex suis nasci parentibus. Quare idem planè sunt, nasci ex Deo & renasci ex Spiritu sancto: & spiritus sanctus causa est efficiens nostrę regenerationis. Ac proinde ex eo, quod Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu sancto*: meritò concludimus Spiritum sanctum verum esse Deum.

## *VI. Loc. 6. ex Ioh. 14. v. 26. & 15. v. 26.*

O δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Liquet etiam hinc Spiritum sanctum, tum esse personam, quia consolatur, quia docet, quia suggerit omnia: tum etiam esse Deum, ab his effectis. Solius enim Dei est, consolari, omnia docere, & omnia quæ docuit Christus, mentibus nostris suggerere.

Deinde ait cap. 15. *Quum autem venerit ὁ παράκλητος, quē ego mittam vobis à Patre (Spiritus, inquam, ille veritatis qui à Patre* ἐκπορεύεται *procedit, emanat) ille testabitur de me, sed & vos testabimini*. Hinc itidem apparet Spiritum sanctum esse personam, quia ait: *Ille testabitur de me*. Nam si dicas, dicitur testari de Christo, quia afflatus est Dei in mentes Apostolorum immissus, per quem illi testati sunt de Christo: nihil dicis. Discrimen enim facit inter Apostolorum, & Spiritus sancti testimonium, cùm primò dicat, ille testabitur: deinde subdat: *sed & vos testabimini*. Quare sicut Apostoli personæ sunt, quæ testatæ sunt: sic etiam Spiritus sanctus non est actio, seu afflatus, per quem: sed persona, quæ testata est de Christo, Apostolis, & aliis, afflatu, signis, & donorum distributionibus, quibus omnibus veritatem in animis electorum obsignauit: Christum nimirum esse vnicum, in quo nostra salus sit posita, & firma. Deinde hinc etiam liquidò colligitur, Spiritum sanctum esse Deum: hac enim ratione, qua Spiritus sanctus testimonium dedit Christo, veritatem scilicet Euangelij in animis electorum confirmando, interno afflatu, & actione in animis: & deinde externis etiam signis, & donorum distributionibus testificari nulla potuit, aut potest creatura. Item ait, hunc Spiritum à Patre procedere, seu emanare ἐκπορεύεσθαι. Qualis autem obsecro potest esse hæc Spiritus sancti à Patre processio, seu emanatio? Primùm æterna est. Nunquam enim non Spiritus sanctus à Patre processit: Sicut etiam nunquam non Filius ex Patre est genitus. Hanc æternam processionem indicauit Iesus Christus, hoc verbo procedit: quasi diceret, Spiritus qui semper, & perpetuò procedit à Patre. Et alibi æternus prædicatur Spiritus sanctus. Hebr. 9.14. Est igitur æterna processio Spiritus sancti. Deinde essentialis est ista processio: non enim procedit Spiritus sanctus à Patre, vt accidens de subiecto. Nam Spiritus sanctus nō est accidens, sed substantia. Neque etiam in Patre vllum est accidens, sed totus est substantia, & sua essentia. Neque etiam, vt substantia finita de substantia finita procedit, ita vt sint duæ diuersæ inter se substantiæ, sicut fœtus procedit ex vtero matris. Est enim Pater immensus, & Spiritus sanctus immensus: vt videmus in libro Sap. *Spiritus Domini replet orbem terrarum & continet omnia*. Sap. 1.7. Non igitur ita procedit à Patre, vt diuidatur, & separetur à Patre: sed est semper in Patre, sicut & in Filio: vndè & Spiritus vtriusque dicitur. Neque etiam procedit, vt substantia infinita & immensa, tum quia non possunt esse multæ substantię immensę, tum quia sic essentia Dei composita esset tribus substantiis: est autem simplicissima. Non igitur procedit Spiritus à Patre, vt vna substantia seu essentia, cùm vna tantùm sit Diuina essentia, vnus Iehoua. Qualis igitur est ista processio? seu quomodo intelligendus est Spiritus sanctus procedere à Patre, adde & à Filio, vt posteà explicabimus? Non alia ratione, quàm per communicationem eiusdem essentiæ, à Patre, & à Filio in Spiritum sanctum. Sicut enim generatio Filij ex Patre, nil aliud est, vt suprà ostendimus, quàm totius essentiæ paternæ in Filium deriuatio, seu communicatio: Sic processio Spiritus sancti nil aliud est, quàm eiusdem essentiæ, & quidem totius, plena & perfecta participatio, in ipso Spiritu sancto incomprehensibili modo facta. Et sic Antiquissimi patres interpretati sunt, & similibus quibusdam explicârunt. Iustinus in ἐκθέσει τῆς πίστεως, pag. 177. posteaquam dixisset quomodo Filius genitus sit ex Patre, nempe sicut φῶς ἐκ φωτὸς, per communicationem scilicet totius eiusdem luminis, hoc est Deitatis. Ac proinde Filium, & coæternum esse Patri, eiusdemque essentię, & genitum esse à Patre, sine vlla, vel passione, vel alteratione, vel decisione. Idem etiam concludit de Spiritu sancto, his verbis, τὴν αὐτὴν δὲ γνῶσιν καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος κατέχομεν. ὅτι ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα. πλήν γε δὴ τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως διοίσει: (pro διαφέρει) ὁ μὲν γὰρ φῶς, ἐκ φωτὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε. τὸ δὲ (scil. πνεῦμα) φῶς μὲν ἐκ φωτὸς, καὶ αὐτὸ οὐ μὴν γεννητῶς, ἀλλ᾽ ἐκπορευτῶς, προῆλθεν, οὕτως συναΐδιον πατρί. οὕτως τῆς οὐσίας αὐτοῦ. οὕτως ἀπαθῶς ἐκεῖθεν ἐκπορευθὲν γεγονός. Processio igitur Spiritus sancti ex Patre nil aliud fuit Iustino, quàm eiusdem essentiæ cōmunicatio. Tertullianus cōtra Prax. pag. 410. Postcaquam similibus radicis, & fruticis: fontis & fluuij: Solis & radij vtcunque declarasset, quomodo Filius genitus sit ex Patre, per cōmunicationem scilicet eiusdem essentiæ Patris: mox etiam hæc subiecit de Spiritu sancto. *Et tertius vbi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus à Deo & Filio. Sicut tertius à radice, fructus, & frutice: & tertius à fōte, riuus, & flumine: & tertius à Sole, apex, & radio. Nihil tamē à matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit. Ita trinitas post cōsertos, & cōnexos gradus, à Patre decurrēs, & monarchiæ nihil obstrepit,* οἰκονομίας *statū protegit. Hāc me regulam professū, quā inseparatos ab alterutro, Patre Filiū, & spiritū S. testor: tene vbiq. Et ita quid quomodo dicatur agnosces.* Docuit igitur illis similibus, quomodo etiā Spiritus sanctus à Patre & à Filio procedat: participatione scilicet seu communicatione, eiusdem essentiæ Patris, & Filij. Scio scopum Christi fuisse, docere, Spiritum S. nihil allaturum, nisi à Deo: sicut & ipse de se dixerat: quia tamen dixit eum à Patre procedere, voluit etiam indicare illum esse Deum: quando ex Deo Patre nullum procedere accidens potest, sed tantùm substantia, eaque diuina. Cùm hæc ita habeant: ergo ex eo, quod Christus ait, Spiritum sanctum procedere à Patre, manifestè & necessariò efficitur, Spiritum S. verum esse Deum: cùm hæc promissio sit æterna, & fiat communicatione eiusdem numero essentiæ: quæ sicut tota est in Patre, & in Filio; sic etiam tota in ipso est Spiritu sancto.

## *VII. Locus 7. ex Ioh 20. ver. 22. & 23.*

Legimus Christum insufflasse in Apostolos Spiritum sanctum, & ita auctoritatem remittendi, & retinendi peccata, in hæc verba dedisse: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Sunt igitur hîc tria consideratione dignissima, & quæ omnia ad rem faciunt: Flatus Christi eiusdem Spiritus auctoritas remittendi peccata. Flatus, sensibile, & corporale symbolum fuit, rei inuisibilis, & verè spiritualis, hoc est, Spiritus sancti. Symbolum autem ad rem cuius est symbolum, valdè accommodatum fuit. Primò Spiritus sanctus vento comparatur, Iohann. 3.8. & ideò etiam dicitur Spiritus, quòd spiretur à Patre, & à Filio, quasi ex corde Patris & Filij. Deinde vt flatus ille è substantia Christi erat, ita Spiritus sanctus. Hinc efficitur, & Christum, qui eum spirat: & Spiritum S. qui à Christo fuit spiratus, & spiratur, verum esse Deum, Filio, & Patri ὁμοούσιον. Quod ad secundum attinet, Christus insufflando, ipsissimum Spiritum sanctum ex sese communicauit, & reipsa dedit Apostolis. Neque enim assentior illis qui putant donum tantùm aliquod Spiritus sancti, seu gratiam, qua idonei fierent ad prædicandum Euangelium à Christo datam fuisse Apostolis: sed ipsummet Spiritum sanctum dedit Apostolis, & ipsi illum receperunt, & in eis inhabitauit, in eis loquebatur, arguebat mundum, in eis edebat miracula, in eis remittebat peccata. Sic etiam reipsa Spiritus ipse sanctus habitat in omnib[9] fidelibus, & eos regit, agit, ducit. Nota sunt dicta: *Si quis diligit me, &c. veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Iohan. 14.23. *Qui non habet Spiritum Christi: &c.* Item: *Qui filij Dei sunt: aguntur à Spiritu Dei.* Item: *Resuscitabit mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Rom. 8.9.11.14. Item, *Corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui habitat in vobis.* 1. Cor. 3.16. Verè igitur Spiritus sāctus ipse inhabitat in omnibus fidelibus quanquā efficacius sese exerit in vno, quàm in alio, suis donis, & gratiis. Neq; interim tamen sentiendū est, Spiritum sanctum vnione aliqua hypostatica, in ipsis fidelibus habitare: sicut plenitudo Deitatis in Christo homine. Proinde nunquam dicitur habitare spiritus sanctus in nobis σωματικῶς: sicut πλήρωμα τῆς θεότητος in Christo. Si implet omnia sua essentia: quid mirum, si eadem sua essentia is inhabitet in fidelibus, verùm excellentiùs & efficaciùs in iis operando, & suis gratiis sese exerēdo, quàm in aliis creaturis? Quare dubium non est, quin Christus ipsum Spiritum sanctum sufflādo dederit Apostolis. Datus etiam antea fuerat: sed vt eo regenerarentur. Nunc datur: sed vt per hūc inaugurentur ad suum munus; per totum terrarum orbem, faciendum & auctoritatem accipiant remittendi peccata. Datus postremò etiam clarius fuit in die Pēcecostes: sed vt per hunc donis ad munus Apostolicum fideliter obeundum necessariis, magis ac magis ornarētur. Proinde nō hæc inter

se pu-

repugnant: quòd sæpiùs datus sit Apostolis idem ipse Spiritus sanctus, cum variis temporibus in diuersos fines datus legatur. In nobis quoque est iam Deus: sed excellentiùs erit quum fuerit omnia in omnibus. Hinc verò etiam confirmatur, Spiritum sanctum esse Deum; ex eo, quod idem Spiritus in variis erat Apostolis, & variis in locis, nunc in omnibus fidelibus, & omnibus in locis. Hoc enim posse, nullius est creaturæ, sed solius Dei. Ad tertium quod attinet: Dat Christus Apostolis auctoritatem remittendi peccata, & retinendi, verbo nimirum Euangelij, pœnitentes & credentes, absoluendo: impœnitentes, & incredulos, ligando; non ex suo ipsorum arbitrio, sed ex vi & iudicio Spiritus. Idcirco enim datur prius Spiritus sanctus, vt ne quid agant ex se ipsis, sed omnia ex ductu Spiritus. Nam sine hoc Spiritu, & ipsi fuissent hallucinati: & ipsorum ministerium inefficax fuisset. Quòd igitur primò det Spiritum sanctum, deinde dicat, *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt*: docet auctoritatem remittendi peccata, in Apostolis fuisse, & vim suam habuisse à Spiritu sancto. Et Spiritum sanctum illum ipsum fuisse, qui propriè remittebat peccata per Apostolos: non autem Apostolos ipsos, nisi vt Spiritus sancti instrumenta. Hinc etiam tertium colligitur argumentum, quo eadem cõfirmatur doctrina, de Deitate Spiritus sancti. Solius enim Dei est propriè, remittere, & retinere peccata: seu peccata condonare, & imputare. Quare cùm Spiritus sanctus ille sit, qui in Apostolis cum Patre, & Filio, peccata remittebat: mundum sibi reconciliabat: in gratiam recipiebat: eoque & æterna vita donabat, idque ad prædicationem Euangelij: Manifestum & perspicuum fit, Spiritum sanctum verum esse Deum. Atque hæc satis ex Euangelistis.

## CAPVT III.

Breuis interpretatio locorum, quæ ex Actorum libro sumpta sunt, pro Deitate Spiritus Sancti, & argumentorum indè petitorum explicatio.

HIstoria verò Apostolica, quæ est alter Lucæ liber, plena est testimoniis, & argumentis, quibus tum vera hypostasis, tum etiam æterna, & naturalis Deitas Spiritus sancti confirmari potest: Nos breuitati studentes præcipua tantùm loca examinabimus: & rationibus indè ductis thesim confirmabimus.

*Loc. 8. ex Act. 1. v. 16. & 4. v. 24.*

PEtrus sic ait: *Viri fratres oportuit impleri scripturã hanc, quam prædixit Spiritus sãctus per os Dauid.* Hic apparet quæ Dauid in suis scripsit Psalmis, non ex se, sed ex Spiritu sancto intus sibi loquẽte, ac dictante scripsisse. Cõfer modò hũc locũ cũ illo, vbi Apostoli omnes sic precãtur: *Domine tu es Deus ille, qui fecisti Cœlũ, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui per os Dauidis pueri tui dixisti, Quare frem. &c.* Hic apertè illum, qui locutus est per os Dauidis, Deum vocat: & quidem verum Deum, rerum omnium conditorem. Spiritus autem sanctus testimonio Petri, ille est qui locutus est per os Dauidis. Quis igitur hîc non videat apertissimum, & certissimum, de Deitate Spiritus sancti testimonium? & Spiritum sanctum non esse donum quoddam seu motum, & actionem: sed verum, & viuentem Deum?

*II. Locus 9. ex Act. 2. vers. 2. & sequent.*

DEscendit super Apostolos Spiritus sanctus, sub variis signis. Primũ signum, fuit ventus vehemens. Sic Ezech. 1. 4. Idem Spiritus apparuit prophetæ, in turbine, & vento. Et Christus antea dedit Spiritum sanctum sub symbolo sui flatus Io. 20. 22. & rectè. Spiritus enim dicitur, similitudine nostri Spiritus: quòd scilicet spiretur à Patre, & à Filio: vt noster ex nobis. Et sic Ge. 1. 2. *Spiritus Domini incubabat aquis.* Erat enim & est virtus Dei viuifica: virtus, inquam, Dei, sed essentialis, intelligens, volẽs, agens: quam Deus Pater & Filius, veluti ex se spirant: & eã omnia viuificant. Fuit igitur ille ventus vehemens, primò Symbolũ personæ Spiritus sancti, qui à Patre, & à Filio spiratus: ab vtroque etiam missus fuit super Apostolos. Deinde symbolum fuit effectus futuri: nempe per hunc Spiritum sanctum in Apostolis concutiẽdum fuisse totum terrarum orbem, prædicatione Euangelij. Hoc autem proprium Dei opus fuisse docet Apostolus, Heb. 12. 26. Ag. 2. 7. *Adhuc semel & cõmouebo cœlum, & terrã.* Iehoua dicit, se hoc facturum: Fecit autem Spiritus sanctus, & hoc significauit, quum descendit super Apostolos, sub symbolo venti vehementis: qui concussit totam domum, vbi erant Apostoli. Alterum signum, fuerunt linguæ dispertitæ. Hoc signo Spiritus sãctus ostẽdere voluit, quid effecturus esset in Apostolis: nempe donaturum se illos, vt mox secutum est, dono linguarum omnium gentium: vt possent omnibus gentibus Euangelium prædicare. Et dispertitæ quidem fuerũt hæ linguæ: quia significabat Spiritus sanctus Euangelium non esse continendum in Iudæa: sed dispertiendum, & propagandum ad omnes gentes. Quis autẽ tã excellẽs ludimagister potuisset Apostolos intra multos etiã annos, tot docere linguas: quot, & quales eos docuit Spiritus sanctus vno momento? Solius Dei hoc fuit opus. Deinde cùm sustentaret illas linguas, sicut antea columbã: docuit se verã esse substantiam. Tertium signum, fuit ignis: fuerunt enim illæ linguæ, quæ apparuerunt super Apostolos, instar ignis. Hoc symbolo significauit Spiritus S. efficacitatẽ, qua donabat Apostolos: & quam in eis conseruaturus erat in finem vsque, nẽpe, vt instar ignis, corda electorũ sua prædicatione accẽderet: veterem hominẽ cõsumeret: omnia purgaret, ac renouaret: id quod & factũ est. Neq; enim doctrina Apostolorũ in aere tãtùm resonauit, sed instar ignis penetrauit in hominũ electorũ mẽtes, & corda: eaq; cœlesti ardore inflãmauit, fide nimirũ, & amore Dei ac proximi ea implẽdo. Sicut & illi discipuli de Christo dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in via: dum loqueretur nobis, & interpretaretur scripturas?* Luc. 24. 32. Atq; hæc vis hodiè quoq; sentitur in prædicatione Euãgelij, ab illis, quibus adest Spiritus sanctus. Cuius autem est hæc vis, nisi Dei? Spiritus igitur sanctus Deus. Adde his testimonium, quod ex Ioele citat Petrus, cum effectis, quę ille Spiritus à Iehoua effusus, erat in filiis Israel, hoc est, in fidelibus, patraturus: *Effũdam*, inquit, *de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, &c.* Ioel. 2. 28. Si igitur est ex Deo: & si hæc largitur dona: profectò Deus est.

*III. Loc. 10. ex Act. 5. vers. 3. & sequent.*

QVia Ananias simulauerat cum vxore, se totum pretium possessionis, quã vẽdiderat, attulisse ad pedes Apostolorum, cùm tamen partem dũtaxat attulisset: dixit ei Petrus, *Anania, cur impleuit Sathã cor tuũ, vt mentireris Spiritui sancto: & subduceres ex pretio agri?* Hîc apertè dicit. Anania suã illa simulatione mentitum esse Spiritui sancto, quũ mentitus est Apostolis. erat enim Spiritus sãctus in Apostolis. Posteà subdit, *Annon manens, tibi manebat? Non es mentitus hominibus, sed Deo*: qui scilicet in nobis habitat, & per nos omnia agit. Hic apertè, quem anteà vocauerat Spiritum sanctum, modò vocat Deum. Deus igitur Spiritus sanctus. Neq; hîc valẽt effugia. Nam etiam Paulus sic locutus est. 1. Cor. 3. 16. & 6. 19. *Tẽplũ Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis*: dicẽs ideò nos esse tẽpla Dei, quia Spiritus sanctus habitat in nobis, vt in suo tẽplo: eoque Spiritũ sãctũ esse Deũ. Deinde etiam ex circunstantiis loci apparet Spiritum sanctum esse Deum. Vnde enim nouit Petrus fraudem Ananiæ: & Sathanam in eius fuisse corde? Non certè aliundè, quàm ex illo Spiritu sancto, quo & ipse, & reliqui Apostoli, tum aliàs, tum recens donati fuerãt. De hoc. n. Spiritu Christus, *Ipse vos* (inquit) *docebit omnia, & quæ futura sũt, annũciabit vobis* Io. 16. 13. Solius autem Dei est corda sicut videre, sic etiam patefacere. Vnde etiam tanta efficacia voci Petri, vt ea audita, mox extinctus sit Ananias: & paulo pòst eius vxor? Vis illa, à Spiritu sancto fuit. Id quod anteà significauerat futurum Spiritus sanctus quum descendit super Apostolos in symbolo ignitarum linguarum. Significauit enim se daturum tantam vim linguis, & vocibus Apostolorum, vt instar ignis, tũ corda electorum in Dei amorem accenderent, & renouarent tum impios atque hypocritas perderent, atque consumerent. Quemadmodum posteà corporaliter etiã cõtigit huic Ananiæ, & eius vxori. Et Apostolus apertè dicit *Christi bonus odor sumus: aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.* 2. Cor. 2. 15. 16. Fuit igitur à Spiritu sancto hæc vis in verbis Petri, qua factum est vt Ananias mortuus sit. Quare Spiritus sanctus Deus: cùm vis hæc solius sit Dei. Meritò igitur quem vocauit primò Spiritum sanctum, mox appellauit Deum Apostolus.

*IIII. Loc. 11. ex Act. 7. vers. 51.*

STephanus Iudæos accusat pertinaciæ in Deũ, dicẽs, *Duri ceruice, & incircuncisi corde, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis (obnitimini) sicut patres vestri, ita & vos.* Cui autẽ restiterũt Patres? Tã in libris Mosis, quã in concionibus prophetarũ, perpetuò accusantur Israelitæ, quod per-

tinaces fuerint, & præfracti, contra Deum Iehouam, qui eos eduxerat ab Ægypto, hoc extra omnem est controuersiam. Ergo cum hic Stephanus dicat, & ipsos, & ipsorum Patres, semper restitisse Spiritui sancto: annon apertè docuit, Spiritum sanctum, qui loquebatur in Stephano, verum esse Iehouam, illum Deum Israelis?

*Locus 12. ex Act. 7. v. 55. & 56.*

ITem ibidem de Stephano legimus: *Cum autem esset plenus Spiritu sancto, vidit gloriã Dei, & Iesum &c. Ecce video cœlos apertos, &c.* Vnde hæc vis Stephano, vt videret cœlos ceu fissos: & supra cœlos gloriam Dei, & Iesum stantem ad dextram Dei Patris? Neque enim dubito, quin oculis corporeis, sed cœlesti, & diuina luce illustratis, penetrauerit cœlos Stephanus: & supra illos viderit Iesum hominem, quem in hunc finem vocat Filium hominis. Sic enim significant verba Lucæ dicentis: *Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intentis in cœlum oculis* (quibus oculis? corporeis: hos enim intenderat in cœlum) iis igitur oculis corporeis: *vidit gloriã Et Iesum stantem, &c.* At vnde hæc vis oculis Stephani? à Spiritu sancto, quo plenus erat; hoc patet ex verbis Lucæ: *Cum autem plenus esset Spiritu sancto intentis oculis, &c.* sensus est, Quoniam autem plenus erat Spiritu sancto, idcircò intentis in cœlum oculis, vidit gloriam Dei, &c. Vis igitur illa, qua oculis corporeis penetrauit cœlos, & vidit Iesum super cœlos: fuit à Spiritu sancto. Si autem Spiritus sanctus Spiritus esset creatus: quomodo tantam hanc vim Stephano dare potuisset? Solius enim Dei opus hoc est.

*V. Locus 13. ex Actor. 13. ver. 2. & deinceps.*

QVùm multi fratres Antiochiæ essent, & simul etiam ministrarent Domino: hoc est, quum essent in publica actione concionis, & precum, & fortè cœnę etiam dominicę, & simul omnes ieiunarent: Spiritus sanctus dixit (clara nimirum, & sonora voce, vt ab omnibus audiretur. Opus enim erat, vt omnes intelligerent, Paulum cœlitùs vocari à Deo, ad officium Apostolatus inter gentes obeundum.) Spiritus igitur sanctus dixit, *Segregate mihi Barnabam & Saulum. At illi emissi à Spiritu sancto, ascenderunt, &c.* Primum hic apparet Spiritum sanctum esse personam in Deo subsistentem, nõ autem mutuam & mortuam vim. Loquitur enim, & ait se hos elegisse, seu vocasse. Deinde apparet, verum esse Deum. Solius enim Dei est eligere ministros, & pastores, eos vocare, & præficere Ecclesiis: atque ita totam regere Ecclesiam Sic Apostolus ait: *Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas, &c.* 1. Cor. 12. 28. Hic autem Spiritus sanctus hoc sibi effectum attribuit dicens: *Segregate mihi* (Spiritui sancto) *Paulum, &c.* Et huc spectat locus Ies. *Et nunc ecce Iehoua misit me, & Spiritus eius.* Iel. 48. 16. Cũ hoc testimonio, coniunguntur etiam quatuor alia in iisdem Actis, quæ iam sequuntur.

*VI. Loc. 14. ex Act. 15. vers. 28.*

POsteaquam in Concilio Apostoli, & alij fratres concepissent quosdam canones, ad pacem in Ecclesia conseruandam, necessarios: in hunc modum ad fratres, qui erant ex Gentibus, scripserunt: *Visum est, inquientes, Spiritui sancto, & nobis, ne quid amplius imponeremus vobis oneris, quàm hæc necessaria.* Si visum est Spiritui sancto, est igitur persona, iudicio, intelligentia, & voluntate prædita: Si verò Spiritus non est Deus, nulla igitur authoritas illius concilij, in præscribendis canonibus tanquam necessariis. Quid enim, quòd ita visum sit Apostolis, & Spiritui creato: si non etiam idem visum sit Deo? Neque ignorabant Apostoli, suum iudicium nihil essẽ, nisi cõsentaneum foret cum iudicio Dei. Ergo cùm dicant, visum est Spiritui sancto: significare voluerunt fratribus, hoc esse iudicium, voluntatem, & decretum Dei, quod ad illos perscribunt. Quare Spiritum sanctum pro vero agnouerunt Deo Apostoli omnes. Solius enim Dei est, præscribere leges tanquam necessarias, suis Ecclesiis: vt docet Iacobus cap. 4. 12. dicens: *Vnus est legislator.* Atque hinc colligimus, præcepta illa non tam Apostolorum, quàm Dei præcepta fuisse. Hoc confirmatur ex eo quòd Apostolus etiam Paulus quæ tradebat Ecclesiis, sine expresso verbo Dei, dicebat se tradere ex Spiritu sancto. Lege in 1. Corinth. cap. 7. vbi non pauca tradidit, de quibus nullum in scripto verbo Dei apertum extabat testimonium: & ideò dicebat: *Dico autem ego, non Dominus:* his verbis discrimen aliquod faciens inter illa, quæ tradebat ex aperto Dei verbo, & inter illa, quæ citra apertum scripturarum testimonium scribebat, ex Spiritu sancto. Ad extremum verò capitis, ne quis putaret, hæc Paulum tradidisse è suo capite: ac proinde non esse res magni momenti, subiecit: *Puto autem me quoque Spiritum Dei habere.* Ait, puto, non sine ironia; perstringens pseudo apostolos, qui iactabant, se habere Spiritum sanctum. Ait Apostolus: *Puto me quoque habere Spiritum sanctum.* Interim tamen certò sciebat, Spiritum sanctum in se inhabitare. Iis verbis significare voluit, quæcunque scripserat, etsi non haberent apertum testimonium in scripturis: ea tamen esse à Spiritu Dei. In eadem tamen Epistola: posteaquam similia tradidisset præcepta, quæ in ca. 7. subiecit, ea esse mandata Dei; quia scilicet ex Spiritu sancto ea scripserat. *Si quis, inquit, videtur Propheta esse, aut spiritualis* (id est Spiritum sanctum habens) *agnoscat quæ scribo vobis esse Domini* (id est Iehouæ) *mandata.* 1. Cor. 14. 37. Si igitur quæ tradebat ex Spiritu sancto vocat Dei mandata: profectò apertè docuit Spiritum sanctum esse Deum. Quare liquet, quæ etiam Apostoli tradiderunt Gentibus ex Spiritu sancto: præcepta Dei fuisse: ac proinde Spiritum sanctum esse Deum.

*VII. Loc. 15. ex Act. 16. vers. 6. & deinceps.*

PAulus, & Timotheus, cum reliquis comitibus, quum peragrassent Phrygiam, & Galaticam regionem: vetiti fuerunt à Spiritu sancto, loqui verbum Dei, in Asia. Profecti igitur in Mysiã, tentabant ire in Bithyniam: sed neque hoc permisit eis Spiritus sanctus. In visione verò iussit eos Spiritus sanctus venire in Macedoniam; & Macedonibus euangelizare. Hic etiam apparet Spiritum S. primò esse personã, quia apparet, iubet, & prohibet, loqui ire, &c. Deinde verum esse Deum. Solius enim Dei est præscribere Apostolis, quibus debeant, & quibus non debeant euangelizare, vetare, ne loquantur: & iubere euangelium prædicare: denique nosse, vbi sint electi, quibus prædicãdum est, & vbi non sint: & quando cum fructu possit prædicari, & quando sine fructu. Ad summam, declarabat iis suis præceptionibus Spiritus S. se Dominum esse, & gubernatorem Ecclesiæ, atque Apostolorum: ac proinde verum Deum. Hoc magis etiam liquet ex loco insequenti.

*VIII. Locus 16. ex Act. 20. vers. 22. &c.*

PAulus, vt se à temeritate excusaret, cuius potuisset fortè à fratribus accusari, quòd Hierosolymam, vbi cũ manebãt afflictiones, proficisci decreuisset, testatur Spiritum sanctum huiusce suæ profectionis auctorem, & ducẽ esse, dicẽs, *Et nunc ecce, ego obligatus Spiritu proficiscor Hierosolymam: quæ in ea obuentura sint mihi ignorans: Nisi quòd Spiritus sanctus per singulas vrbes, &c.* Sensus Apostoli est, Se deuinctum à Spiritu sancto trahi Hierosolymam, vt non possit, nisi velit rebellis esse in Spiritum Dei, non ire Hierosolymam. Hinc etiam luculenter apparet, Apostolos, & omnes verè pios, à Spiritu sancto ita duci, & deuinctos teneri, vt nõ possint illi non obtemperare, & quò iubet ille, proficisci, & inde vult discedere, id quod certè faciũt non coacti, sed volẽtes, Spiritu sancto operante in illis velle, & perficere. Est autem hoc opus Dei proprium.

*Locus 17. ex Act. 20. vers. 28.*

ATtendite igitur vobis, & gregi. In quo (grege) *Spiritus sãctus vos constituit Episcopos.* Est hoc perspicuum argumentum, pro Deitate Spiritus sancti, quòd supra etiam attigimus. Attribuit enim Apostolus Spiritui sancto auctoritatem constituendi Episcopos in Ecclesiis. Docet autem Apostolus, hoc esse proprium Dei, quum ait: *Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primum Apostolos deinde Prophetas, tertiò Doctores.* Ephe. 4. 11. Item ad Ephes. disertè scribit hoc esse factum à Christo. Est igitur locus apertus, non solùm Spiritum sanctum esse Deum, & Filium esse Deum, verum etiã Patrẽ, & Filium & Spiritum sanctum, vnum, & eundem esse Deum, cùm vna, & eadem sit omnium actio, & auctoritas. Hæc etiam ex Actis sufficiant.

CAPVT IIII.

Confirmatio eiusdem doctrinæ, ex aliquot locis Pauli, ex epistola ad Romanos.

Doctri-

DOctrinam De Spiritus sancti deitate. Propheticam & Apostolicam esse, satis abunde huc vsque demonstrauimus. Veruntamen, vt hoc melius etiam appareat, libet aliquot insignia loca in Pauli Epistolis percurrere.

*Loc.18.ex Rom.5.vers.5.*

DOcet cum primis in hoc capite Apostolus, iustificatos per fidem in Christum, ita felices & beatos esse, vt eorum gloria, quam habent apud Deum, ex ipsis etiam calamitatibus promoueatur: idque propter Spiritum sanctum in cordibus nostris habitantem: qui diffusa Dei charitate in cordibus nostris, efficit, vt omnia, etiam, aduersa, cedant nobis in salutem. *Gloriamur etiam*, inquit, *in afflictionibus, &c. Porro spes, non pudefacit, quia dilectio Dei diffusa est in corda nostra per Spiritum sanctum: qui datus est nobis.* Hic primo videmus discrimen esse inter dona Dei, & inter ipsum Spiritum sanctum. Charitas Dei, nempe, qua Deus nos amat: diffusa est in nostris cordibus. Hoc est singulare donum, sentire in nobis ipsis, hunc Dei erga nos amorem. Sed cuius est iste effectus? Spiritus sancti. Ait enim, per Spiritum sanctum diffusam esse hanc charitatem Dei in cordibus nostris. Non est igitur Spiritus sanctus motus, vel actio, aut donum Dei mutum: sed vis subsistens, & agens, & viua. Videmus præterea quod antea diximus, ipsum met Spiritum sanctum in piis habitare, quia ait; *Qui datus est nobis* Est igitur in nobis ille Spiritus, per quem tanquam per causam subsistentem, intelligentem, volentem, agentem, diffusa est charitas Dei in cordibus nostris: Ac proinde si in nobis habitat, est Deus, iuxta illud Iehouæ, *Ego Iehoua habitabo in illis.* Leu. 26. 11. 2. Cor. 6.16. Postremò liquet ex hoc etiam loco, Spiritum sanctum verum esse Deum: ab effectis, quæ solius Dei sunt. Est enim opus merè diuinum, soliúsque Dei, sui erga nos amorem ita in cordibus nostris diffundere, vt illum sentiamus, & inde certiores fiamus, spem, quam habemus in Deo, nos non posse pudefacere. Non possunt hæc in nobis effici, à Spiritu creato sed à solo Deo. Solus n. Deus ius habet in corda animósque electorum: eos illuminandi, regenerandi, fide, spe, & charitate afficiendi, patientia, & gloriatione in afflictionibus donandi, denique beatos, & felices reddendi.

*II. Loc.19.ex Rom.18.v.1. &c.*

HIc Apostolus priore loco statuit propositionem, ex præcedentibus deductam, quæ hæc est: *Nihil igitur damnationis, &c.* Deinde partim eam confirmat: partim eam particulam explicat, & probat, *qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum*: hoc est, illos tantùm esse verè in Christo, eoque omni condemnatione liberatos, & exemtos: qui non traducunt vitam ex ductu carnis seu naturæ corruptæ: sed ex ductu Spiritus Christi, à quo natura est regenerata. Hinc enim agnosci, an aliquis sit verè in Christo, nec ne sit: si ambulet, hoc est, si viuat secundum Spiritum Christi, & non secundum carnē Ratio huius est. Quia, qui per Christum iustificatus, in eoque per fidem vere insitus est: is etiā per Spiritum sanctum, qui Spiritus est Christi, regeneratus, & sanctificatus sit, necesse est. Christus enim quos sibi veræ fidei vinculo copulauit, & iustificauit, hos etiam suo Spiritu sanctificat, & regenerat. Qui autem per Christi Spiritum verè sanctificatus, & regeneratus est: is certe non secundum carnem, hoc est, non secundum naturam corruptam, sed secundum Spiritum, hoc est, secundum naturam regeneratam ambulabit, vitamque traducet suam. Illi igitur duntaxat verè sunt in Christo, & se esse in Christo patefaciunt, qui ambulant, non secundum carnem, sed secundum Spiritum: ac proinde ij soli liberati sunt omni condemnatione. Et contrà qui viuunt secundum carnem, seu (vt Apostolus alia vsus phrasi loquutus est) qui sunt in carne Deo placere non possunt, hoc est, condemnationi sunt obnoxij, quia in odio sunt apud Deū. Et tota hæc ratiocinatio est à posteriori. Sequitur alia à priori, ver 9.

In quo Spiritus Dei habitat (effector nimirum regenerationis:) is certè non est in carne, hoc est, totus corruptus nō est, eoque secundùm carnem non ambulat, sed est in Spiritu: seu renatus est. Spiritus enim Dei, & Christi, non habitat nisi in renatis. Efficit namque sibi templa Spiritus sanctus. & tum demum in illis habitat.

Atqui: *In vobis habitat Spiritus Dei, si verè estis Christi Qui enim non habet Spiritū Christi: is non est eius,* hoc est, Christi. Ergo si estis Christi, eoque verè in Christo: non estis in carne, sed in Spiritu. Ac proinde si verè Christi estis, & à condemnatione liberari, vos non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulabitis. Summa est; In quibus fructus Spiritus Christi, vt est, ambulare non secundum carnem, sed secundum Spiritum, spectantur: in iis habitare Spiritum sanctum, qui est Spiritus Christi. In quibus autem Spiritus Christi habitat, hos vere esse in Christo. His igitur nihil esse condemnationis, qui non secundum carnem ambulent, sed secundum Spiritum.

III. Totum hoc diligentiùs explicare volui, vt appareat omnibus liquidò, in hoc Pauli contextu, nomen Spiritus capi aliquando quidem pro ipsa regeneratione, Spiritus sancti fructu & effecto, sed sæpissimè etiam pro ipso Spiritu Christi, regenerationis auctore, vt versic. 2. Quis enim liberat nos à tyrannide peccati, & à reatu mortis, nisi Spiritus Christi Deus? & ver. 9. & v. 11. Hoc enim verbum, habitare in nobis, ad efficientem causam refertur, quia alludit ad illam promissionem Iehouę, *Inhabitabo, & inambulabo in eis.* Leu. 26 12. Item non aliter accipi potest in versic. 14 quàm pro Spiritu sancto. A quo enim aguntur Filij Dei, nisi à Spiritu, qui persona est agens, & mouens, pro sua sapiētia & volūtate? Quis verò est ille Spiritus, de quo dicit v. 16. *Ipse Spiritus testatur Spiritui nostro nos esse Filios Dei,* nisi Spiritus sanctus? Item ver. 26. *Spiritus sublenat infirmitates nostras, & interpellat pro nobis.* Et 27. *Qui verò scrutatur corda, nouit quis sit sensus Spiritus: quia secūdū Deum interpellat pro Sanctis.* Quasi diceret, neque possunt non exaudiri à Deo, vota & preces nostræ, quas auctore Spiritu sancto fundimus: quia agnitæ sunt & probatæ Deo, vtpote à suo ipsius Spiritu in nobis excitatæ. Suppeditantur autem nobis ex hoc capite tria argumentorum genera, pro confirmanda deitate Spiritus S. Primùm à multis effectis, quæ solius Dei sunt, & à nulla fieri possunt creatura, hic verò attribuuntur Spiritui sancto, apparet Spiritum sanctum verum esse Deum. Deinde luculentissimo argumento, à proprietate personæ Spiritus sancti, idem concluditur. Postremò etiam ab attributis Dei idem confirmatur.

IV. Primùm Spiritus sanctus nos viuificat, & liberat à tyrannide peccati, & reatu mortis, ac proinde efficit, vt nihil nobis sit condemnationis. Hoc docet versicul. 2. dicens: *nam lex Spiritus vitæ,* hoc est, ius, vis, & efficacia Spiritus sancti, Spiritus viuifici, quo donantur omnes, qui per fidem in Christum inseruntur, & quo regenerati sumus, *liberauit me à lege* (hoc est, à iure, à vi, & tyrannide) *peccati & mortis*: cum hoc congruit illud, vbi Spiritus Domini, ibi libertas. 2. Cor. 3. 17. Hinc elicitur argumentum: si Spiritus sanctus auctor est nostrę libertatis, quia liberati sumus à tyrannide peccati: quomodo Deus non est? Neque enim prę stari hoc potuit ab vllo creato spiritu: cùm solius Dei opus sit. Item Spiritus sanctus dicitur habitare in nobis, & verè habitat: v. 9. Inde enim docet nos esse non in carne, id est, prorsus corruptos sed in Spiritu, h. e. renatos & sanctificatos: quia Spiritus Dei sanctus, auctor nimirum regenerationis, habitat in nobis. Sic etiam ad Tim. 2. 1. 14. Spiritus enim sanctus non habitat, nisi in suo tēplo. h. e. in iis, quos regenerando, templum sibi construxit. Habitare autem in nobis, cuius est, nisi Iehouę? Sic enim ille docet, dicens: *Inhabitabo in illis.* Leu. 26. 12. Ab alio etiam effectu idem confirmatur: quod est efficere, vt simus Christi, hoc est, insiti Christo: Hoc docet, quùm ait, v. 9. *Quod si quis Spiritū Christi nō habet,* id est, Spiritum sanctum, *hic nō est eius,* id est, non insitus Christo, vt sit caro de carne eius. His docet Spiritum sanctum esse illum, qui nobis communicatus, nos etiam inserat Christo, ita vt faciat nos esse os, & carnem Christi, vt loquitur Apostolus ad Eph. 5. 30. Est autem hoc solius Dei opus. Item haberi hunc Spiritum S. ab omnibus fidelibus (habent enim eum, quicunque sunt Christi) & per eum omnes fideles cohærere cum Christo: apertum est diuinæ naturæ argumentum. Idem liquet à proprietate personę Spiritus sancti. Spiritus. n. sanctus dicitur esse, & reuera est. Spiritus tum Dei, hoc est, Patris. tum Christi, hoc est Filij. Nam ait v. 9 *Siquidē Spiritus Dei habitat in vobis*: deinde mox cū vocat Spiritum Christi, dicens: *Qui autem non habet Spiritum Christi.* Hinc colligimus Spiritum sanctum procedere tam à Filio, quàm à Patre: eoque eiusdem esse cū Patre, & cū Filio essentię. Si autē Pater verus est Deus, & Filius verus Deus: Ergo & Spiritus sanctus qui ab vtroque procedit, quia vtriusque est Spiritus, Deus sit necesse est. Idem ab attributis Dei euincitur. Solus Deus est verè vita: quia & viuit per se, & causa est vitæ in aliis. Sic Christus, *Ego sum vita*: Io. 14. 6. Spiritus etiam S. hic vocatur vita, v. 10 nempe tum animæ, quod apparet ex iustitia, qua nos donat: tū, cor-

potis, quia, vt sequitur per hunc, viuificabuntur nostra corpora. Ita attribuit Spiritui sancto aliud opus, quod non potest nisi in Deum competere: nimirum, nostra corpora à morte, ad æternam vitam excitare, & viuificare: v. 11. viuificabit & mortalia vestra corpora, per inhabitantem eius Spiritum in vobis. Deus quidem Pater viuificabit, sed per suum Spiritum tanquam per suam virtutem sicut & per Filium tanquam per suam sapientiam. Dat etiam Spiritui sancto gubernationem piorum, dicens v. 14. *Quotquot autem ducuntur Spiritu Dei, ij sunt filij Dei*, ducuntur enim à Spiritu sancto, quia non sinit eos viuere secundum carnem: sed efficit, vt viuant secundum suum ductum: idque perpetuo in finem vsque, donec in plenam æternæ vitæ possessionem introducantur. Hoc certè opus, solius est Dei. Ad hæc, Vi eiusdem Spiritus sancti adoptamur in filios Dei: ideo appellatur Spiritus υἱοθεσίας, & impellimur ad inuocandum Patrem: docemurque Deum, sicut decet, inuocare, ver. 26. Præterea factis iam nobis per ipsum filiis Dei: is in animis nostris inhabitans, patefacit, quinam simus: Testatur enim Spiritui nostro, hoc est, animæ nostræ, nos esse filios Dei: & hæredes æternæ vitæ. Quis verò ignoret adoptare in filios Dei, impellere ad inuocationem, efficere vt rectè inuocemus, denique testari in animis nostris nos filios esse Dei, opera esse talia, quę in nullum creatum Spiritum competere possunt?

*V Loc. 20. ex Rom. 14. vers. 17.*

HIc adscribuntur Spiritui sancto ea, in quibus potissimum consistit regnum Dei: ac proinde euincitur esse, vt institutor regni: sic etiam Deus. Regnum enim Dei non consistit in rebus carnalibus, & externis: sed in spiritualibus: cum totum sit spirituale: primò, In iustitia, tum illa qua verè iustificamur coram Deo: tum illa, qua in nobis inchoata, iusti sumus etiam coram hominibus. Deinde, in pace, tum illa, quam habemus apud Deum iustificati ex fide, & quæ exuperat omnem sensum: tum illa, quam habemus inter nos. Denique, in gaudio vero, scilicet quo exultamus in Domino, & in afflictionibus: & quo verè beati, & felices reddimur: de quo Christus, *Gaudium vestrum plenum*. Io. 15. 11. & 16. 24. Horum omnium auctor est Spiritus S. idcirco ait, *per Spiritum sanctum*. Horum autem & reliquorum bonorum spiritualium auctor prædicatur Deus: *Omne datum bonum, & omne bonum, de sursum est*. Iac. 1. 17. Huc igitur adde, quæ tradit Rom. 15. 13. *Deus autem spei, impleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt spe abundetis per virtutem Spiritus sancti*, sed non sine suo Spiritu. Quid autem sit Spiritus Dei, suprà demonstratum est: non esse motum, aut ἐνέργειαν mutam, sed rem subsistentem, intelligentem, volentem, agentem. Eundem non esse creatum: sed procedentem à Patre, & à Filio, quare eiusdem etiam essentiæ, cum Patre & Filio. Verus igitur natura, & essentia Deus est. Huc etiam spectant, quę subdit Rom. 15. v. 19. Christum per se magna effecisse, virtute verò Spiritus sancti: adde & illud ex versic. 30. *Precor vos per Dominum nostrum Iesum Christum: & per charitatem Spiritus*: hoc est, qua Spiritus nos deuinxit. Si charitatis fraternæ auctor est Spiritus sanctus: Deus igitur est. Charitas enim ex Deo est: 1. Ioh. 4. 7.

## CAPVT V.

### Explicatio locorum, ex priore ad Corinth. epistola sumptorum, pro diuina Spiritus sancti essentia.

*Loc. 21. ex 1. Corinth. 11. vers. 10. 11. & 12.*

DOcuerat Apostolus sapientiam Christianam, hoc est, Euangelium, quod prædicabat: mysterium esse omnibus hominibus ita absconditum, vt ne sapientissimi quidem, illud per se possint percipere: propterea quod omnes suapte natura sint cæci: atq; ita cæci, præpostero iudicio vt quod summa est sapientia cotā Deo, illud ipsi habeat pro maxima stultitia. At vnde igitur (potuisset quis dicere) perspecta vobis est Apostolis ista sapientia? ait: *Nobis autem Deus reuelauit per Spiritū suū*. quasi diceret: Neque nos ad hanc cognitionem peruenimus nostro marte; sed ideò eam nouimus, quia Deus ipse (Pater) reuelauit per suum Spiritum: quo scilicet nos donauit, nostrasque mētes, pulsis naturalibus tenebris illuminauit. Dat ergo hic effectū patefaciendi sapientiam cœlestem, & mysteria Dei, Spiritui sancto. Ac non ait, Spiritus sanctus reuelauit: sed Deus per Spiritum suum sanctum, hoc est, per afflatum, & motionem. Alibi explicatio habetur, *Spiritus deducet vos in omnem veritatem*. Item: *Docebit vos omnia*. Ioa. 16. 13. & 14. 26. Est igitur persona, docens, & illuminans. Est enim hæc locutio similis huic alteri: Sol illuminat per suum splendorem, splendor igitur illuminat. Sicut & de λόγῳ dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt*. Io. 1. 3. nempe à Deo: Ergo ipse omnia fecit. Sicut explicat Apostolus ad Heb. 1. 2. 10. Quod dixi, confirmant, quæ sequuntur: dat enim Spiritui sancto, quod omnia scrutetur, quod nouerit ea quæ sunt Dei, ergo persona agens. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei*: ἐπιχείρημα est, quo probat, se & reliquos, qui hoc donati sunt Spiritu Dei, vere nosse hæc Dei mysteria. Ratio ducitur, à perfectissima Spiritus sancti rerum omnium cognitione atque sapientia. Spiritus enim sanctus omnia scrutatur, hoc est, omnia nouit, licet abscondita: etiam profundissima Dei Patris consilia. Potest igitur ea cui velit reuelare. Quare mirum non est, nobis ea esse reuelata, cùm simus donati hoc Spiritu: & non aliis; qui hunc spiritum non acceperunt. Sequitur ergò, *Quis enim hominum nouit, &c.* Confirmatio à simili, qua duo concludit, Vnum, Spiritum sanctum nosse omnia, etiam profundissima quæque consilia Dei. Ratio, quia in ipso est Deo Patre. Sicut enim animus hominis, idcirco nouit omnia quæ sunt hominis, quia in ipso est homine: ita Spiritus Dei, idcirco nouit omnia, quæ sunt Dei, quia in ipso est Deo. Sicut etiam de Filio anteà concluserat Iohann. Baptista dicens: *Deum nemo vidit vnquam: Filius, qui est in sinu Patris, &c.* Io. 1. 18. hoc est: Quia in sinu est Patris, idcirco nouit Patrem: ac proinde potuit nobis enarrare. Sic de Spiritu sancto hic loquitur Apostolus. Alterum igitur, quod concludit, est: Solum Spiritum sanctum nosse, nempe per se, omnia quæ sunt Dei. Ratio: quia solus est in Deo Patre. Si enim ideò solus Spiritus, id est animus hominis, nouit per se quæ sunt hominis, quia solus in ipso est homine: Ergò etiam Spiritus sanctus solus nouit quæ sunt Dei, quia solus in ipso est Deo. Hic non excluditur Filius: sicut nec ibi Spiritus sanctus, vbi dicit Christus: *nemo nouit Patrem, nisi Filius*: Matth. 11. 27. ratio est, quia vnius sunt essentiæ. Hinc duo confirmantur membra propositionis Apostolicæ: primùm: Nemo igitur sine Spiritu Dei, vt sapiens sit, potest verè nosse quæ sunt Dei, & hanc, quam prædicauimus, sapientiam cœlestem. Nā solus Spiritus per se nouit, & scrutatur profunditates Dei: quippe qui etiam solus in Deo est. Alterum: Omnes, quibus hic spiritus reuelat (reuelat autem illis qui se accipiunt) ij vere nōrunt, quæ sunt Dei: propterea quod is optimè nouit quæ sunt Dei, cùm sit in Deo. *Nos verò spiritum non huius mundi accepimus: sed spiritum qui est ex Deo, vt sciamus, &c.* Conclusio sequitur. Ergo mirum non est, quod nos tantùm Apostoli, & reliqui fideles, noscamus Dei: & ea, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis (animalis scilicet) ascenderunt, aut ascēdere possunt: cum nos soli acceperimus Spiritum hunc sanctum qui omnia scrutatur, & nouit, quæ sunt in Deo.

II. Hic etiam duo argumentorum genera habemus, quibus Deitas Spiritus sancti apertissimè confirmatur. Vnum sumitur ab operibus, quæ solius Dei sunt, vt nosse omnia, etiam profundissima quæque Patris consilia, & secreta. Nam si hoc est solius Dei, scrutari renes & corda hominum, nosseque illa, quæ sunt in homine: quanto magis solius Dei est, scrutari, hoc est, penetrare, vsque in profunditates Dei Patris: & ea etiam mentibus humanis efficaciter reuelare? Proinde dicit, Deus reuelauit per Spiritū sanctum. Solius igitur Dei est, sicut nosse: sic etiam reuelare sese & sua. Sic ait Christus: *nemo nouit Filium nisi Pater: neque quisquam nouit Patrem, nisi Filius: & cui voluerit Filius reuelare*, Matt. 11. 27. Hic verò idem attribuit Spiritui sancto. Ex hoc efficitur, tam Spiritum sanctum, quàm Filium, & Patrem verum esse Deum. Alterū sumitur à proprietate personæ Spiritus sancti. Is est ex Deo, nēpe, Patre, v. 12. *Nos autē non spiritum mundi accepimus, sed spiritū qui est ex Deo*. Quomodo ex Deo est? Procedendo, vt apud Ioh. explicatur, Io. 15. 15. Est igitur de substātia Dei. sicut & de Filio probatum est, quia ex Deo Patre est nascendo, eiusdem igitur eū esse cum Patre essētiæ. Præsertim quod Spiritus sanctus est ita ex Deo vt semper sit in Deo: sicut & de Filio dictum est *Filius, qui est in sinu Patris*, Io. 1. 10. Idcircò ait, ver. 11. *Quis enim hominum nouit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita etiam quæ sunt Dei, nemo ea nouit, nisi Spiritus Dei*, qui scilicet in ipso est, &c. Hoc est commune tribus illis personis, vt vna sit in alia: Pater in Filio: Filius in Patre: Spiritus sanctus in Patre, & Filio: quia vna, & eadem omnium est essentia. Hoc igitur est tertium argumentum.

Spiri-

Spiritus sanctus in Deo est, sicut Spiritus hominis, est in homine.

Ergò sicut anima, ita est hominis, & in homine, vt sit homo: sic Spiritus sanctus ita est Spiritus Dei, & in Deo, vt sit Deus. Est enim anima res subsistens in homine, veraque substantia, & quidem forma substantialis ipsius hominis: ac proinde substantialiter de illa prædicatur hominis nomen. Ita Spiritus sanctus res est subsistens, eoq; vera persona in Deo: ac proinde verus essentia Deus. Alioqui si non esset vera substantia, & persona, eoque verus Deus: quomodo dici posset nosse (nempe per se, & ex se) ea, quæ sunt Dei, sicut & animus, qui est in homine, nouit per se ea, quæ sunt hominis?

### *III. Locus 22. ex 1. Corint. 3. v. 16. & 17.*

HOrtatus Apostolus Corinthios, ne se prostituant hominibus humanæve sapientiæ: sed in vnius Christi fide & obedientia constantes permaneant: præter alia vtitur hoc argumento: *Vos estis templum Dei.* Probat ab inhabitatore. *Nam Spiritus Dei habitat in vobis.* Hoc erat in cõfesso apud omnes fideles: quicunque est Christi seu verus Christianus, eum habere Spiritum Christi, in se habitantẽ. Rom. 8. 6. Hanc propositionem, his verbis complectitur, cũ sua probatione, dicens, ver. 16. *An nescitis vos esse templum Dei: & Spiritum Dei habitare in vobis?* Hanc repetit altero membro, ver. 17. *Si quis autem templum Dei perdit* (φθείρει pro violat) *hunc perdet Deus. Templum enim Dei sanctum est.* Quasi diceret: non potest igitur violari, quin perdatur ille, qui templum Dei sanctum violauerit. Ergò nisi velitis perdi à Deo, nolite vos ipsos, qui estis templum Dei sanctum, violare. Violatis autem si vos ipsos hominibus prostituatis: & fiatis illorum serui, inque illis gloriemini. Quare concludit hortationem: ver. 21. *Itaque nullus glorietur in hominibus: omnia namque vestra sunt: vos Christi: Christus Dei.* 1. Cor. 6. 18. &c. Eodem vtitur argumento, dum eosdem dehortatur à scortatione. Item vsurpat idem argumentum, quum eisdem Corinthiis dissuadet coniugium cum infidelibus 2. Cor. 6. 14. &c. Nam præter alias rationes, cur non debeat fidelis iugum ducere cum infideli, hanc etiam adfert: *Quæ consensio templo Dei cum simulacris? nam vos estis templum Dei viuentis.* Idcircò concludit dicens: *Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite.* Est igitur hic locus apertus ad asserendam Spiritus sancti Deitatẽ. Nam primò ait nos esse templum Dei: cap. autem 6. ver. 19. ait nos esse templum Spiritus sancti: *An ignoratis corpus vestrum templum esse Spiritus sancti?* Spiri- igitur Sanctus Deus. Et confirmatur, quia templum nunquã licuit consecrare nisi Deo. Deinde probat nos esse tẽplum Dei, quia in nobis habitat Spiritus sanctus: qualis autem foret ista probatio: Si Spiritus sanctus non sit ita Spiritus Dei, vt sit Deus? Tertiò idem liquidò apparet, ex verbo inhabitandi. Quis enim est ille, qui habitat in fidelibus? Deus Iehoua. Hoc liquet ex testimonio, quod citat Apostolus 2. Cor. 6. 16. *Vos estis templum Dei viuentis sicut dixit Deus. Habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus.* Si igitur Spiritus sanctus testimonio Apostoli, inhabitat in nobis fidelibus, quomodo non est verus ille Iehoua, qui hoc promiserat se facturum?

### *IV. Loc. 23 ex 1. Cor. 6. v. 11.*

ARgumentum hîc habemus, ab operibus Dei propriis ab illis inquam, operibus quę ad salutẽ Ecclesię pertinent. Horum operum tria hîc commemorat genera: & ea attribuit tam Spiritui sancto, quàm Iesu Christo, & Patri, quem nomine Dei nostri intelligit. Ac proinde docet, Spiritũ S. esse Deum, non minùs, quàm Filius & Pater sunt Deus. Primùm ait, *Abluti estis.* Duo quidem, in hoc contextu, operum genera proponit Apostolus, quibus nostra constat salus: Iustificationem, quæ consistit in remissione peccatorum, inque imputatione iustitiæ Christi: & sanctificationem nostri, seu regenerationem: Interim tamen, quo magis permoueat, & afficiat fideles, ad quos scribit: Iustificationis opus in duas secat partes: vnam vocat ambulationem à peccatis, quum ait, *sed abluti estis:* alteram vocat iustificationẽ, quum ait, *sed iustificati estis.* Quare iustificatio coniungitur cum peccatorum ablutione. Non abs re tamen præposuit ablutionem sanctificationi, & iustificationi, dicendo, *abluti estis*, nempe à sordibus peccatorum. Alludit enim ad Baptismum, ianuam in Ecclesiam Christi: vbi primùm electis, sicut corpora abluuntur aqua: sic animæ, à sordibus peccatorum purgantur. à quonam? à Deo Patre, per sanguinem Christi, & per aquã Spiritus sancti. Ideò hos tres nominat: Patrem quum ait, *Dei nostri:* Filium, quũ ait: *In nomine Domini Iesu:* Spiritũ sanctum, quum ait: *Et per Spiritum Dei nostri.* Atque hic locus declarat cur baptizemur in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quia præter alias causas: horum trium gratia, beneficio, opera, abluimur, sanctificamur, iustificamur, inque ipsorum vnius Dei, fœdus recipimur. Deinde ait, *sed sanctificati estis.* Hæc sanctificatio complectitur duo: vnum, vt exuamus veterem, alterum vt induamus nouum hominem: sed vtrumque in hoc mundo inchoatum, non autem perfectum. Renouantur enim & regenerantur fideles in filios Dei, fiuntque nouæ creaturæ; sed ita vt semper in eis maneant reliquiæ veteris hominis: eoque opus habeant quotidiana peccatorũ remissione. Postremò ait, *Iustificati estis.* Huius præcipua pars, est imputatio iustitiæ, & obedientiæ Christi. A quo verò abluti, sanctificati, & iustificati sumus? à Deo nostro, Patre, in nomine Domini Iesu, hoc est, per Iesum & per Spiritum sanctum. Hæc certè præstare, non est nisi Dei: Ergo cùm hęc attribuat, tã Filio, & Spiritui sancto, quàm Patri: efficitur tam Spiritum sanctum, & Filiũ, verum esse Deum, quàm Patrem ipsum. Sic etiam sanctificationem nostri attribuit Spiritui sancto. 2. Thes. 2. 13.

### *V. Locus 24. ex 1. Corint. 6. v. 19. & 20.*

PRæter illud; quod confecimus argumentum, tum ex cap. 3. ver. 16. 17. tum ex hoc ver. 19. ad asserendam, Spiritus sancti Deitatem, nimirum, quia nos sumus templum Spiritus sancti, quatuor etiam alia hinc colligere licet argumenta, quibus idem confirmetur. Primum hoc est. Posteaquam dixisset, nostra corpora esse templa Spiritus S. mox subiecit, nos non esse nostri iuris: docens iis verbis, nos ita esse Spiritus sancti, vt is vnus ius in nos habeat plenum, & absolutum. Vbique autem scriptura prædicat, nos solius esse Dei: & Deum solum, plenum, & absolutum ius in nostras habere animas, atque corpora: vt quũ ait, se nostrum esse Deum: nos eius populum. Leuit. 26. 2. Non potest igitur Spiritus S. esse creatura: neque est mutum Dei donũ: sed persona intelligens & volens, si ius in nos habet. Alterũ: Posteaquam dixisset, nos esse templum Spiritus sancti, statim eũ nomine Dei appellauit, sic cõcludendo *Glorificate igitur Deum in corpore vestro.* Quomodo ex superiori versu sequitur hæc illatio: *glorificate igitur Deum in corpore vestro:* si nomine Dei non intellexit Spiritum sanctũ? Supra enim dixerat nostra corpora esse templum Spiritus S. Sic igitur erat inferendum: glorificate igitur Spiritum sanctum in corpore vestro, tanquam in suo templo. Debet enim in suo quisq; templo glorificari. At mutato nomine dicit, *glorificate igitur Deum in corpore vestro.* Nomine igitur Dei intellexit illum Spiritum S. de quo dixerat: *Corpora vestra templum sunt Spiritus sancti.* Quare agnouit Apostolus Spiritum sanctum pro vero Deo. Tertium: Adde huc quod suprà dixit: *& non estis vestri iuris:* docens, quicquid sumus, esse ipsius Spiritus sancti, cuius dixit nos esse templum. Posteà verò in conclusione ait, debere nos glorificare Deum: in corpore nostro: & Spiritu nostro. *Quæ* (inquit) *sunt Dei*, quasi diceret, quippe quæ sunt Dei. Suprà dixit, nostra corpora, hoc est, quicquid sumus, esse templum Spiritus sancti, & non esse nostri iuris, sed iuris Spiritus sancti. Hîc ait, hæc corpora, & spiritus nostros, esse Dei: ac proinde debere nos glorificare Deum. Eundem igitur intellexit Apostolus nomine Dei: quem antea nomine Spiritus sancti. Denique verbum quoque glorificandi, idem confirmat. Iubet enim Apostolus, vt glorificemus Spiritum sanctum, quem nomine Dei, vt antea demonstratum est, significauit: & glorificemus quidem in corpore nostro, & in spiritu nostro. Quid est autem hoc, quàm totum, & corpus & animam, in obsequiũ Dei addicere? Talis autem honos Deo debetur, & prætereà nemini, vt passim scripturæ docent. Proinde non possum tacere, quæ hinc colligit Augustinus, non minùs verè, & piè, quàm acutè. Tom. 2. Epist. 66. ad Max. Col. 318. D. initio epistolæ. Prima propositio Augustini est, Vnum solum esse Deum, cui seruitus illa debetur (vtar verbis Augustini) quæ λατρεία Græco vocabulo nuncupatur: iuxta illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies:* λατρεύσεις Secũda propositio, Hunc Deum, non esse solum Patrem, quia etiam Filio in scripturis iubemur hunc præbere cultum, imò & Spiritui sancto. De hoc enim Spiritu sancto dicit Apostolus, *Nescitis, quia corpora vestra, templum sunt, in vobis Spiritus sancti* (scilicet habitantis) *quem habetis à Deo* (Patre) *& non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate igitur Deum in corpore vestro, &c. Quem Deum*, inquit Augustinus: *nisi*

*Spiritum sanctum, cuius corpora nostra dixerat esse templũ: Debetur ergo* λατρεία *Spiritui sancto. Nam si templum ei facere, sicut Salomon fecit, de lignis & lapidib. iuberemur, vtique faciendo templo,* λατρείαν *exhibere conuinceremur: quantò magis* λατρείαν *debemus, cui non fecimus templum, sed sumus?* Hæc Augustinus: Inde verò, hoc est, ex ista λατρεία quã debemus Spiritui sancto, concludit, eum vnà cum Patre, & Filio, ipsum esse Deum, de quo scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Mat. 4. 10. Deut. 6. 13.

### *VI. Loc. 25. ex 1. Corinth. 12. vers. 4. &c.*

D*Iscrimina autem donorum sunt, &c.* Hic etiam locus est vnus ex præcipuis, quos Patres citant aduersus πνευματομάχους. Quatuor enim hic tradidit Apostolus: quibus maximè confirmatur orthodoxa Ecclesiæ de Spiritu sancto doctrina. Principiò permulta commemorat dona; quæ certò à nullo homine, nulloque Spiritu creato, conferri in quempiam possunt: sed à solo Deo. Ideircò ait versic. 6. *sed idem est Deus, efficiens ea omnia in omnibus.* Hæc autem scribit hic Apostolus distribui à Spiritu sancto, versic. 11. & insequentibus. Deinde scribit hæc dona ita per Spiritum sanctum, seu in Spiritu sancto distribui: vt ipse Spiritus ea donet, & efficiat in omnibus: idque prout ipse vult, versi. 11. Tertiò docet hæc eadem dona, & à spiritu sancto, & à Domino, nempe Iesu Christo, & a Deo, nempe Patre, distribui, ver. 4. 5. 6. quo ex loco confirmatur regula illa, in scholis trita: Opera trinitatis ad extra, tribus personis esse communia. Atque hæc non opus habent accurata interpretatione, sunt. n. perspicua. Postremo dicit per eundem Spiritum sanctum fieri, vt omnes simus in vnum corpus baptizati: & in vnum Spiritum potati: vers. 13. Hæc verba sic interpretor: *Etenim* ἐν ἑνὶ πνεύματι, hoc est vi eiusdem Spiritus sancti: *Nos omnes baptizati sumus,* nempe à Patre, *in vnum corpus,* nempe Christi: baptizati, inquam, sumus, hoc est, purgati, abluti à peccatis, regenerati: est enim Baptismus a quo sacramentum, & symbolum regenerationis: qua regeneratione simus nouæ creaturæ, & inserimur Christo: ita vt cum illo fiamus vnum corpus. Ideò subiecit: *in vnum corpus:* scilicet Christi, quod est tota Ecclesia, cum capite Christo. Hæc regeneratio: seu insitio in Christum, fit à Patre, sed per Spiritum sanctum. huiusce enim virtute, & efficacitate regeneramur, Christoque inserimur: vnde & Spiritus regenerationis in scripturis appellatur. Atque hic etiam, locus confirmat, sicut suprà quoque ostendimus, causam cur baptizemur in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti, quià nimirum est vnus atque idem Deus, Pater, Filius, Spiritus sanctus qui nos regenerat, qui nos in fœdus recipit, qui purgat à peccatis, qui inserit in Christum, vt simus cum ipso vnum corpus. Καὶ πάντες (subintellige διὰ τοῦ αὐτοῦ id, quod suprà dixit, ἐν ἑνὶ πνεύματι: id est, per eundem vnum Spiritum sanctum) εἰς ἓν πνεῦμα (scilicet Christi sicut suprà etiam dixit, in vnum corpus, scilicet Christi) ἐποτίσθημεν, *potati sumus.* Alludit ad aliud Sacramentum, Cœnæ scilicet Dominicæ: in qua potati sanguine Christi, & nutriti eius carne, sed per vim Spiritus sancti communicatis: viuificamur etiam Christo, & coalescimus cum eius Spiritu, & vita. Est autem synecdoche, quum mentionem facit tantùm potionis, & non comestionis. Sensus est: & nos omnes, in ipsa quoque Cœna Domini, vi vnius & eiusdem Spiritus sancti, qui est Spiritus Christi: vescimur carne Christi, & eius sanguine potamur: atque ita potamur, vt in vnum atque eundem Spiritum Christi coalescamus, & viuificemur: ita vt non solùm fiamus vnum cum ipso, vnum & idem corpus, verùm etiam vnus & idem Spiritus, & ceu vna anima. Atque hic locus facit ad ostendendum, sanguine Christi verè non potari: ac proinde nec carne eius vesci, nisi illos, qui regenerati, inque Christi corpus insiti, & Spiritu S. donati sunt. Nam primùm ait: *Nos omnes, per vnum Spiritum baptizati,* id est regenerati, *sumus: idque in vnum corpus,* scil. Christi. Deinde subdit: *Et nos omnes* (qui? qui scil. renati sumus, baptizati in vnum corpus, coque facti nouæ creaturæ in Christo) *potati sumus &c.* Non potantur igitur sanguine Christi, nisi qui priùs sunt verè baptizati, id est, renati, & in corpus Christi per Spiritum sanctum insiti. Item quum ait: *Potati sumus:* intelligendum est vt dixit διὰ τοῦ αὐτοῦ, ἐν ἑνὶ πνεύματι, hoc est, per vnum & eundem Spiritum sanctum. Non possumus igitur fieri participes sanguinis Christi, & eo potari: nisi vi Spiritus sancti ille nobis communicetur. Hæc fusiùs pro explicatione huius vers. 13. neque id πάρεργον: nam etiam hinc confirmatur deitas Spiritus sancti.

VII. Ex iis igitur omnibus, quæ hic tradit Apostolus de Spiritu sancto, tria facilè est colligere. Primum quum in Scripturis legimus, Deum aliquid agere per suum Spiritum, non sic esse intelligendas has locutiones, quasi Deus operetur per suum Spiritum, veluti per instrumentum: aut per quandam facultatem, qua tantum agatur, & non quæ agat: sed Deum Patrem ita agere per suum Spiritum, vt ipse Spiritus agat, tanquam eadem cum Patre causa efficiens. Nam dixit quidem Apostolus v. 5. *Huic datur,* scil. à Patre, *per Spiritum sermo sapientiæ, &c.* & sic vers. 9. & 10. Verùm idem etiam Apostolus ait. ver. 1. *Discrimina autem donorũ sunt, sed idem Spiritus:* qui scil. ea dona largitur, vt postea explicat. Et quidem apertè docet, Spiritum S. tam causam esse efficientem horum donorum, quàm etiam Pater sit. Cùm enim de Patre dixisset, vers. 6. *Sed idem est Deus, efficiens ea omnia in omnibus:* posteà subiecit idem de Spiritu sancto vers. 11. dicens: *Sed omnia hæc efficit vnus ille atque idem Spiritus.* Quid clarius? Hinc apparet alterũ: nimirum Spiritum sanctum non esse actionem Dei, seu donum mutum, & mortuum: sed esse veram personam, rem scilicet per se subsistentem, intelligentem & voluntate libera præditã, agentem & mouentem. Si enim hęc omnia agit & distribuit; est igitur substantia agens. Et si hęc agit, & diuidit singulis, prout vult, vt ait Apostolus: est igitur substantia agens, intelligens, liberè volens; eoque vera persona. Hinc conficitur tertium, nempe Spiritum sanctum verum esse Deum. Si enim est Spiritus Dei, & in Deo, isque substantia viuẽs, est igitur essentia Deus, quia Spiritus Dei æternus est, & nihil in Deo est subsistens, quod non sit Deus. Idem patet ab operibus. Spiritus elargitur dona & facultates spirituales: easque distribuit pro sua voluntate. Hoc autem est solius Dei. Item efficit omnia, quæ & Pater Deus, & Filius Deus. vers. 11. Item vna est Patris, Filij & Spiritus sancti voluntas. Distribuit enim Spiritus sicut vult: Et eadem efficit Pater, & Filius. procul dubio, sicut & ille & iste vult. Est igitur vnus cum Patre, & Filio Deus, Patri, ac Filio per omnia æqualis. Item vi Spiritus sancti baptizamur à Patre, in vnum Christi corpus, inque illud inserimur: eoque tam à Spiritu, quàm à Patre, & Filio regeneramur, & in fœdus recipimur. Et nos vicissim, fidem, & obedientiam, ac cultum promittimus, tam Spiritui sancto quàm Patri & Filio: Atque hoc significamus, quum tam in nomen Spiritus sancti quàm in nomen Patris & Filij baptizamur. Est igitur Spiritus sanctus Deus. Item in Cœna etiam, non possumus vesci carne, & potari sanguine Christi: nisi vi eiusdem Spiritus sancti ea nobis spiritualiter communicentur. Item ea sic nobis per Spiritum sanctum communicantur, vt non solùm fiamus vnum corpus, & vna caro cum Christo: sed etiã vnus cum eo Spiritus. Potamur enim in eũdem spiritum. Est hæc certè potentia, & vis, solius Dei. Est igitur Spiritus Deus. A nomine etiam Dei. Dixerat vers. 11. *Omnia hæc* (dona scilicet & ministeria, de quib. suprà) *efficit vnus ille atque idẽ Spiritus, distribuens* (priuatim illa singulis membris Ecclesiæ) *prout vult.* Paulò pòst verò loquens de hac donorum, & ministeriorum distributione, vers. 28. ait, *Et alios quidem Deus in Ecclesia constituit: primùm Apostolos, deinde Prophetas, &c.* Quem igitur anteà vocauerat Spiritum, posteà appellauit Deũ. Item dixerat, vi Spiritus sancti nos baptizari, seu regenerari, & inseri in vnũ corpus Christi, ita vt singuli simus membra huius corporis, quod est Ecclesia ver. 13. mox subdit, *Nunc autem Deus collocauit membra singula sigillatim in corpore sicut voluit:* ver. 18. Quæ verba intelliguntur non tam de corpore humano, quàm de corpore Ecclesiæ. Huius enim causa, simile à nostro corpore, membrisq; nostri corporis sumsit. Quem igitur anteà vocauerat nomine Spiritus sancti, hic nomine Dei appellat.

## CAPVT VI.

### Breuis expositio aliorum locorum, quæ ad eiusdem doctrinæ confirmationem, petita sunt ex posteriore Pauli ad Corinthios epistola.

ILLVSTRIA verò sunt, quæ in altera habentur ad Corinthios hac de re testimonia. Quare paucis ipsa etiam sunt perstringenda.

### *Locus 26. ex 2. Cor. 3. vers. 3. & 6. ac deinceps.*

VT totum hoc caput rectè intelligatur: & ex eo intellecto, argumenta ad confirmandam Spiritus sancti Deitatem, faciliùs colligantur: notandum est ipsum in duas secari partes: In prima, miro artificio, quasi contrarium agens, commendat se, & suos collegas, reliquosque Apostolos: & hoc

& hoc ad versum vsque sextum. In altera, commendat dignitatem, & prestantiam ministerij Euangelici, vsque ad finem capitis. In prima parte, dum vult se aduersus calumnias Pseudoapostolorum tueri: nimirum, quòd non ambitionis causa, ea de se prædicet, quæ prædicat, sed tantùm vt præstantiam sui ministerij defendat: perstringit aduersarios ambitionis, qui literas hinc inde emendicabant, quib. laudarentur, ac commendarentur Ecclesiis. Ergo Apostoli propositio hæc est. Non commendamus nos ipsos hisce ad vos literis nostris. neque opus habemus, sicut alij vllus epistolis, quibus vel vobis, vel aliis commendemur. Ac proinde, quæ antea de me prædicaui, ea debent vobis esse extra omnem vanæ ambitionis suspicionem. Sed hanc propositionem per interrogationem enūciat, dicens: *Incipimus rursus nos ipsos, &c. Epistola enim nostra, &c.* Sensus est, Quales antea fueritis, impii scilicet & omnes genus vitiis referti: omnes homines norunt. Quales etiam nunc sitis per meum ministerium, nemo nō videt. Vestra enim pietas, ex suis fructibus, est perspecta omnibus. Dū autē omnes sciunt, quales fueritis: & omnes vident, quales iā sitis, per meum ministeriū, effecti: inde etiam facilè omnes intelligunt, quis & qualis ego sim. An verus Christi Apostolus, & viuū Spiritus sancti organum, in prædicando Euangelio: necne sim. Nihil. n. efficaciùs prædicat, qualis sit Præceptor, & doctor, doctus ne sit, an indoctus: pius an impius: diligens in officio, an negligens, quàm ipsius Discipuli, sua nimirum non lingua, sed pietate, sed eruditione, sed virtute, vel cōtrà, impietate, ignorantia, vitio. Sunt enim discipuli instar Epistolæ viuæ: qua commendatur vel improbatur Præceptor. Idem de Episcopo, & de suo populo, siue Ecclesia. Qualis enim populus, talis & sacerdos. Hinc illud vulgatum, *Opus probat opificem.* Ergo cùm sitis mihi, ô Corinthii, quales iam estis, instar Epistolæ apud omnes homines, & apud vosmetipsos. opus non habeo vllis aliis commendatitiis literis, vel apud vos, vel apud alios. Satis enim reipsa perspicuum est omnibus, ex inspectione vestri, & illius Ecclesiæ an sim verus Christi Apostolus: & organum Spiritus S. in meo ministerio necne sim. Quare quæ anteà de me scripsi, non scripsi vt me vel apud vos, vel apud alios efferā & cōmēdem: sed vt meum ministerium aduersus calumniatores defendā. Hic est sensus huius secundi versus: vbi adfert rationem, cur nō opus habeat literis commendatitiis. *Epistola nostra, (* qua scilicet debeo commendari, vel vobis, vel aliis*) vos estis.* Vos, inquam, quales iam estis. Christiani, & fideles per meū ministeriū effecti: quasi diceret, non vos, vt nuda papyrus, sed vos cùm pietate: quæ inscripta est vestris cordibus. & quæ sese sancta vita exerit, & omnibus sese conspicuam, & quasi legendam præbet, estis Epistola. Nam epistola, propriè non est ipsa papyrus, seu charta: sed id, quod inscriptū est in charta. Ideò quum ait, *Vos estis Epistola*, intellige vos cum vestra pietate, & fructibus pietatis. Propriè enim epistola Pauli erat ipsa pietas, cum suis fructibus inscripta in cordibus Corinthiorum Ideò sequitur, *In cordibus vestris inscripta.* Nam quòd ipsi Corinthii scripti essent in suis ipsorum cordibus, sed quod substantia epistolæ, erat in illorum cordibus scripta. Quæ hæc epistolæ substantia? Pietas. Erat hæc cordibus Corinthiorum, per ministerium Pauli inscripta. Et ita credo legendum esse, quanquam omnes Codices habent nostris: sed facilis est mutatio literæ ϛ, in ν. Et nostra interpretatio consentanea est cum iis quæ sequuntur in vers. 3. vbi alludit ad locum Ierem. 31. 33. de lege scribenda in cordib. *Quæ intelligitur & legitur ab omnibus.* Quasi diceret, Vestra pietas, etsi inscripta est in vestris cordibus, nō est tamen ibi occulta. Suis enim fructib. foràs sese profert: ita vt ab omnibus facilè possit perspici, & ceu quædam epistola legi atque intelligi. Hic est sensus. Si quis tamen velit communem, & receptam retinere lectionem, in cordibus nostris: hic, quem adferam, tolerabilior fuerit sensus. Dixerat, se non opus habere literis commendatitiis: nempe neque suis, aut aliorum, quibus sese commendarent Corinthiis: neque literis Corinthiorum ad alios, quibus commendaretur apud alios. Ratio est, quia ipsimet Corinthii, sunt instar talis Epistolæ: quæ Apostolum commendet, tam Corinthiis ipsis, quàm aliis hominibus. Nunc igitur ad primum quod attinet. ait. *Vos estis epistola nostra, scripta in cordibus nostris,* hoc est, ex vestra enim pietate, quam consecuti estis à Domino, per nostrum ministerium, sumus ego, & mei collegæ, persuasi de vobis in cordibus nostris, quanta sit vestra erga nos beneuolentia, & quanto simus apud vos in pretio. Idcirco, vt vobis commendemur, non est opus vlla ad vos epistola. Ad alterū quod attinet, ait: *Quæ intelligitur, & legitur ab omnibus,* hoc est. Nec solùm, quia nobis perspecta est vestra pietas, & quasi scripta in cordibus nostris, persuasi sumus in quanto apud vos simus pretio: Verùmetiam ea dem vestra pietas, ita sese profert suis fructibus foràs ad omnes: vt nemo hominum non possit eam videre & cernere. Ac proinde fit, vt vos ipsi talis epistola sitis quæ, & vobis ipsis, & aliis omnibus hominibus, commendet: vt opus non sit aliis literis commendatitiis, vel ad vos, vel à vobis ad alios pro me. Sequitur, φανερούμενοι, scilicet ὑμεῖς. Coniunxit enim cum ὑμεῖς, in superiori versu) ὅτι ἐστὲ ἐπιστολή, &c. Explicat primùm, quod iam dixit, Corinthios esse epistolam: quæ ab omnibus legatur, &c. *Quæ scilicet φανερούμενοι, estis, ὅτι ἐστὲ, epistola &c.* hoc est, Ideò dico vos esse instar epistolæ, quæ ab omnibus possit legi: quia palàm factum est, fructibus scilicet vestræ pietatis, vos esse Christi epistolam, hoc est Christum, per meum ministeriū, scripsisse in cordibus vestris suam legem, fidem, pietatem. Deinde explicat, quo sensu appellârit Corinthios, epistolā: nimirum, quatenus in ipsis seu in ipsorum cordibus inscripta erat pietas, quæ est summa totius legis: non atramento sed Spiritu Christi. Ideò ait, ὅτι ἐστὲ ἐπιστολή, ἐγγεγραμμένη, &c. Tertiò explicat etiam, quo sensu vocârit hanc epistolam, suam epistolam: non quòd ipse propriè inscripserit pietatē in cordibus Corinthiorum (hoc enim fecisse Christum suo Spiritu sancto. Ac proinde Corinthios propriè esse epistolam Christi) Sed quòd opera sui ministerii, Christus vsus sit ad scribendam hanc epistolam. Fuit enim Apostolus, ceu calamus Christi: ideò ait: *Epistola Christi estis, subministrata à nobis, &c.* Hic igitur Corinthii, atque inprimis ipsorum corda fuerunt instar chartæ, & tales sumus omnes nos. Christus fuit scriptor: ideò ait Apostolus: *epistola estis Christi.* Spiritus sanctus instar atramenti, vt explicat. Sicut enim atramentum est id, quo, & ex quo immediatè formantur literæ: ita Spiritus sanctus est ea virtus qua immediatè inscribitur in cordibus Electorum pietas. Apostolus cum verbo Euangelii fuit instar calami, quo doctrina Euangelii per Spiritum sanctum fuit à Christo, in cordibus Corinthiorum inscripta. Alludit autem proculdubio ad illud Ierem. *Scribam legem meam in cordibus ipsorum, &c.* Porrò notandum, id quòd anteà etiam non semel obseruatum à nobis fuit: Quæ agit Pater, eadem agere & Filium & quæ Filius, eadem & Spiritum sanctum. Quare etsi legimus sæpenumerò, Filium, aut Patrem agere per suum Spiritum, non ita tamen hæc loca sunt intelligenda, quasi non etiam Spiritus sanctus eadem, vt causa efficiens, agat cum Filio, & cum Patre. Quæ cum ita sint, efficitur, si Christus scripsit in cordibus Corinthiorum, & quotidie in cordib. Electorum scribit pietatem: Spiritum quoque sanctum, eandem inscribere. Huc pertinet, quòd in hoc potissimùm capite, Euangelium appellatur Spiritus: vt quum ait ver. 6. noui Testamenti, non literæ, sed Spiritus. Item *litera (* id est, lex*) occidit Spiritus autem*, id est, Euangelium, *viuificat.* Quid ita? Quia quum prædicatur Euangelium, Spiritus sanctus illabitur in corda Electorum, & ibi illud inscribit. Euangelium autem fide receptum, viuificat. Ideò etiam ministerium Euangelii, ministerium Spiritus vocatur v. 8. Hinc ergo conficitur argumentum, quo ab hoc opere, quod est inscribere Euangelium in cordibus electorum, euincitur non solùm Filium, sed etiam Spiritum sanctum, verum esse Deum Iehouam. Quis enim promisit se scripturum in cordibus legem, hoc est, ipsam pietatem, quæ est summa doctrinæ legis, & Euangelii, nisi Iehoua? Non solùm autem Christus: sed etiam Spiritus sanctus, hanc inscribit: Ergo, &c. Volui hunc contextum fusius explicare, cùm propter intelligentiam loci, qui alioqui obscurus est, tum vt clariùs hinc appareat veritas, quam defendimus, de Spiritus sancti deitate.

## II. Locus 27. ex 2. Corinth. 3. versic. 17. & 18.

NVnc, si totum reliquum percurramus cōtextum huiusce capitis, magis ac magis cōfirmabimur in eo, quod diximus de Spiritu S. déque doctrina Euangelii, inscripta in cordibus electorum, vi, & opera Spiritus sancti, & Apostolos reliquosque legitimos pastores, fuisse & esse instrumenta Spiritus sancti, in inscribenda cordibus electorum pietate. Ac proinde Spiritum sanctum esse illum verum Iehouam, qui hoc promiserat per Ierem. Prophetam se facturum. Ier. 31. 33. *Fiduciam autem habemus huiusmodi per Iesum Christum apud Deum. Non quòd &c.* Occupatio est: At si sumus Epistola Christi, & Christus ipse est, qui scripsit in cordib. nostris, vi sui Spiritus emollitis, & carneis factis, pietatē, Tu verò Paule, tantùm externus es minister Christi, cur igitur tanta confidentia te effers, & appellas nos epistolam tuam, quasi tu in cordibus nostris inscripseris fidem, & totam pietatem? Respondet Apostolus: non vtimur hac confidentia, ità de vobis loquendi, quòd sentiamus nos

esse nostris viribus idoneos, ad inscribenda in vllo homine pietatem. Nam ex nobis ipsis, ne idonei quidem sumus ad aliquid boni cogitandum, nedum ad tantam gratiam aliis impertiendam. sed quòd vtamur hac confidentia, ideò facimus propter Christum apud Deum, bona scilicet conscientia. Quia scil. Christus nobis ad hoc opus, tanquam suis ministris, vtitur: & idoneos aptosque ad Euangelij gratiam aliis quoque efficaciter communicandam effecit. Quare nihil nobis arrogamus, sed totum Deo damus. *Qui (Deus) etiam fecit, vt idonei essemus ministri noui Testamenti.* Confirmatio est superioris sententiæ. Quòd simus idonei ad aliquid boni cogitandum, hoc habemus à Deo: multò magis etiam quod simus idonei ministri, ad gratiam noui Testamenti aliis impertiendam, hoc habemus ex eodem Deo. Is enim fecit nos idoneos. Atque hinc confirmatur deitas Christi. Anteà enim vers. 3. docuerat, Christum illum esse, qui scripserit in cordibus Corinthiorum pietatem: vsus ad hoc, ministerio Apostoli. Item v. 4. dixerat, quòd tanta confidentia, de sui ministerij dignitate & efficacitate loquatur: ideò hoc facere per Christum.: quia scilicet Christus se vtatur efficaciter ad tantum opus. Nunc ait, se & ministrum Euangelij esse factum à Deo: & totã suam efficacitatem in ministerio, habere à Deo. Constat certè etiam aliunde, & ex Actis Apostolorum, Paulum fuisse factũ Apostolum, & quidem idoneum Apostolum, à Christo. Nouit igitur Christum, Deum. Confirmatur etiam deitas Spiritus sancti. Ait enim se à Deo factum ministrum, & idoneum ministrum, noui Testamenti: & omnem suam ἱκανότητα idoneitatem esse à Deo. Constat autem aliunde, & ex actis: Paulum fuisse ab ipso Spiritu sancto, vocatũ ad opus, & ministerium Apostolicum: Et tam Paulum, quàm reliquos Apostolos omnes, omnem suam ἱκανότητα, gratiam, & vires accepisse à Spiritu sancto, posteaquam super eos descendit, & eo fuerunt repleti. Et sic promiserat Apostolis Christus Io. 16. 13 & 20. 22. accepto Spiritu S. acceperũt etiam efficacem auctoritatẽ remittendi peccata: *Et Spiritu S. repleti, cœperunt loqui, prout Spiritus sanctus dabat, &c.* Act. 2. 4. Ergo hic etiam locus confirmat Spiritum S. esse Deum.

III. *Non litera* (inquit) *sed Spiritus, &c.* Nunc à commendatione sui, & suorum collegarum reliquorumque Apostolorũ, qui scil. essent efficacissima Christi, & Spiritus S. instrumenta, ad pietatem, gratiámque Euangelij, electis communicandam, eorumque cordibus insculpendam: transit commodùm ad commendationem ipsius Euangelij, ministeriique Euangelici: in summa docet Spiritum sanctum ad prædicationem Euangelij, cuius Apostoli sunt ministri, efficacem esse in electis, ita vt eos viuificet. Id quod certè prædicationi legis nunquam est concessum: cùm potiùs ea homines semper occidantur, & condemnentur. Longè igitur præstantius esse ministerium Euangelicum, prædicatione legis. Ac primò Euangelium vocat spiritum, id est, rem viuam, & viuificantem. Legem verò appellat literam; rem sc. mortuam, sed inanimam, & occidentem, dicens. Non literæ, id est, legis, cuius minister fuit Moses: sed Spiritus, id est, Euangelij, quod attulit Christus, & dedit Apostolis ad salutem Ecclesiæ. Ratio vtriusque appellationis. *Nam (inquit) litera occidit: Spiritus viuificat.* Cur legem vocat literam? quanquam totum hoc anteà quoque explicauimus: inutile tamen non fuerit denuò breuiter declarare. Ergo vocat legem literam, quia nil habet, vnde possit concipi spes vitæ. Habet enim tantùm præcepta, & minas: promissiones sunt irritæ, quia ex Dei ordinatione, nunquam ad prædicationem legis dabatur Spiritus Dei viuus, ne ipsis quidem electis. Erat igitur tantùm litera mortua, in tabulis lapideis, & chartis scripta, docens quidem, quid vitandum, quid persequendum: Sed quæ nõ poterat corda immutare, & præstare, quæ iubebat, idq; neq; per se erat enim tantùm externa doctrina, de vitandis & persequendis: neque per aliud: non enim habebat adiũctũ Spiritum sanctum viuificantem. Erat igitur res, & doctrina plane inanima, & inefficax. Ideò tãtùm litera scripta in tabulis lapideis: quo significatur, legem non habere vim, corda è lapideis facere carnea. Cur Euangelium Spiritus? Non simpliciter, propter doctrinam in se, ita appellatur. Hoc enim pacto ipsum quoque foret tãtùm litera, etiam electis: sicut reprobis semper, est litera tantùm mortua. Sed Spiritus appellatur propter aliud. hoc est, quia Euangelium, quum prædicatur electis, habet semper adiũctum Spiritum sanctum, idque ex voluntate Dei Patris, qui sic per Iesaiã promisit, cap. 59. 21. loquens enim de nouo fœdere, seu Testamento ait: *Spiritus meus, qui erit super te: & verba mea, quæ ponã in os tuum: nunquã recedent de ore tuo: &c.* Ibi apertè promisit inseparabilem coniunctionem Spiritus, & verbi Euangelij, in ipsis electis. Proinde quum prædicatur Euangelium: Spiritus sanctus illabitur in corda electorum, illaque ex lapideis facit carnea: hoc est, mollia, & flexibilia in obsequium Dei. In illis excitat fidem, qua recipiant Euangelium: & receptum insculpit, atque obsignat. Ita dicitur inscribere legem, hoc est, ipsam pietatem: ipsumque legis scopum, Christũ. Sic ad Gal. 3. 2. *Spiritum accepistis ex operib. legis, an ex auditu fidei?* Propter hunc Spiritum adiunctum Euangelio in electis, dicitur etiã Euangelium virtus esse Dei in salutem &c. Ro. 1. 16. Quare duo sunt in Euangelio, doctrina ipsa de gratia Dei, deque gratuita peccatorum remissione, propter Christum: Et Spiritus S. ex voluntate Dei, semper illi adiũctus. A Spiritu sancto adiuncto, qui est res viua, & viuificans, ac ceu anima Euangelij: Euangelium denominatur, & appellatur Spiritus. Quare sensus est, Lex est tantùm litera, id est doctrina mortua, quia caret Spiritu: Euangeliũ est Spiritus, id est, res viua, & viuificãs, quia habet Spiritum sanctũ viuificantem. Ideò ait, *Litera autem occidit, Spiritus autem viuificat.* Est redditio causæ, sed cum amplificatione: quasi diceret, Lex nõ solùm est litera mortua, sed etiam mortificans, & occidens. Hoc ideò facit lex, quia, cùm vna ex parte, proponat præcepta, & iram, ac mortẽ minetur illis qui ea nõ seruant omnia: & altera ex parte, quia caret Spiritu Dei, nõ præstet vires, quib. præcepta possimus seruare: quid aliud agit, quàm quòd omnes occidit, & cõdemnat: omnes inquam, etiam electos? Euangelium verò viuificat: nõ sua simpliciter doctrina, sed Spiritu sancto sibi adiuncto, vt supra explicatum est. Donat enim Electis fidem quam exigit: per fidem recipitur Christus, qui in Euangelio offertur, vt Seruator: per Christum verò iusti, & per eius Spiritum sanctificati, vitam consequimur æternam. Hic igitur apertam habemus causam, cur Euangelium vocetur Spiritus viuificans: quia Spiritus sanctus ille comitatur, inscribitque in cordibus Electorum, & ita eos viuificat, vita Christi. Ac proinde quis non videt Spiritum sanctum esse Deum: tum quia Spiritus est Dei Patris, & Christi, ab vtriusque scilicet substantia procedens: tum quia ea præstat effecta, quæ à nullo creato Spiritu præstari possunt? Vt quod Euangelium inscribat cordibus, non omniũ, sed tantùm Electorũ. Hos igitur nouit & discernit à reprobis. Vt etiam quòd donet electos fide, & viuificet. Hinc maximè pendet præstantia Euangelij supra Legem & Mosen. Ideò sequitur 7. 8. 9. *Quod si mortis ministerium, &c.* Iacto hoc fundamento, Legem esse literam mortuam, imò & occidentem: Euangelium verò esse Spiritum viuum, & viuificantem: Nunc argumentatur à minori ad maius, iis tribus versibus: & probat, ministerium Euangelij, præstãtioris esse gloriæ, quàm ministerium Legis. Argumentum tale est: Lex fuit à Deo tradita Mosi magna cũ gloria, atque ita magna, vt filij Israël non potuerint intueri in faciem Mosis, quum à Dei colloquio ad populum cum Lege redibat: idque propter gloriam, quæ in facie Mosis splendebat, instar Solis. Atque ita apparet, dignitatem & gloriam Legis esse magnam. Ergo multò magis gloriosum est Euangelium, eiusque ministerium. Ratio huius consecutionis, sumitur à præstantia, & virium, & operationum Euangelij: quæ Lege maiores sunt, & præstantiores viribus, & effectibus Legis. Lex est litera tantùm: hoc est, res mortua, scripta in tabulis tantùm lapideis: Ac proinde, quæ nullam habet vim, corda ex lapideis in carnea, hoc est, flexibilia in Dei obsequium, immutandi: imò ministerium est mortis, & condemnationis, hoc est, nil aliud potest, quàm homines occidere, & condemnare. Euangelium autem Spiritus, hoc est, res viua, & viuificans, vi Spiritus sancti, quem secum habet semper adiunctum: & per quem illud inscribitur in cordibus, ea immutando, & in obsequium Dei flectendo, ipsamque pietatem, & fidem insculpendo. Est autem sine controuersia, maior dignitas & gloria eius, quod secum habet semper adiunctum Spiritum sanctum: ac proinde quod in cordibus nostris insculptum, nobis administrat Spiritum, vitam, & iustitiam: quàm eius, quod in lapidibus tantùm insculptum, corda hominum immutare non potest: imò quod nihil nisi mortem, & condemnationem ministrat. Ergò si Legis dignitas, & gloria magna est, vt prædicant, & quidem verè, Pseudo-apostoli, maior sit dignitas & gloria Euangelij, ministeriique Euangelici necesse est. 10. *Etenim quod glorificatũ fuit, &c.* Amplificatio est: est autem hic sensus: Quid dico gloriam Euangelij maiorem esse gloria Legis? Imò Legis gloria, respectu & comparatione gloriæ Euangelij, nulla est: Sicut lux etiam Lunæ, comparatione lucis Solis, nulla est. Hic est sensus huius versic. Etenim quod glorificatum, &c. hoc est, non est assecutum, neque tantam, neque huius generis gloriam. 11. *Nam si quod aboletur, &c.* Alia cõfirmatio à stabilitate gloriæ ducta. Lex abolenda erat, & iam abolita est

ta est: Euangelium manet, & mansurum est in æternum. Est igitur gloria huius maior. Hactenus docuit ministerium Euangelij, longè præstantius esse ministerio Legis, de quo gloriabantur Pseudoapostoli: qui Christum quidem prædicabant, vt Seruatorem, sed talem, qui neminem seruet, sine legis Mosaicæ obseruatione. Tota autem argumentatio, pendet à Spiritu sancto, qui efficax est in Euangelii prædicatione, non autem Legis.

IV. Versic. 12. *Itaque cum habemus*, &c. Ex iis, quæ dixit, colligit causam, cur Apostoli liberè prædicent Euangelium, nempe per solum Christum, sine operibus legis, homines iustificari: & non sicut Pseudeapostoli, qui prædicant Christum, non liberè, sed tectum Legis velamine. Itaque cùm huiusmodi spem habeamus, hoc est, certitudinem de præstantia, & vi Euangelij, certámque spem, fore, vt nunquam mutetur, sicut Lex: ideò in huius administratione seu prædicatione magna vtimur libertate. 13. *Nec sumus, sicut Moses, &c.* Confirmatio conclusionis, qua perstringit Pseudoapostolos. Illi enim dum prædicabant Christum, instar Mosis, velamen quoddam Legis obducebant Christo, hoc est, non audebant liberè prædicare Christum, nudum & apertum, nimirum per solum Christum, sine operibus Legis, homines iustificari. 14. 15. *Itaque occalluerunt. &c.* Explicat typum veli Mosaici, confirmatioque est superioris doctrinæ: nempe quàm infirma sit Lex, imò & perniciosa, quia ministratur sine Spiritu Christi: contrà quàm efficax Euangelium, quia adiunctum habet in sui administratione, Spiritum sanctum. Velamen enim super faciem Mosis, quum auersus à Deo, conuertebat se cum Lege ad populum, typus fuit futuræ cæcitatis illorum, Iudæorum, qui corda auersa habituri erant à Christo, quæ cæcitas nullo modo per legem tolli possit. Depositio verò velaminis, quum facie à populo auersa, ad Deum se conuertebat, typus fuit beneficij, quod recepturi erant illi, qui ad Christum sese conuerterent, eumque neglecto Mundo, & Lege audituri erant: nimirum, velamen depositum iri ex illorum cordibus, per Christum, Euangelio prædicatum: & per Spiritum sanctum, cordibus electorum, impressum. Hoc dicit ver. 14. Explicat autem, clariùs, versic. 15 & 16. vbi quum ait, *Quū autem fuerit ad Dominum, &c.* Nomine Domini intelligi Christum, luce clarius est: quia anteà dixerat, velamen illud non tolli, nisi per Christum; hic autem dicit tolli, quum quis conuertitur ad Dominum. Dominus igitur est Christus. Simile est: vt si quis dicat, tunc tolli ab oculis tenebras, quum quis conuertit faciem ad Solem. Quomodo autem quis dicitur conuerti ad Dominum, hoc est, ad Christum? quum sese à legis doctrina ad Euangelium conuertit: credens se per solum Christum, sine operibus legis seruari. Confirmat igitur hic vim Euangelij: quo antè dixerat, homines, viuificari, sicut lege occiduntur. Vnde verò vis ista Euangelio? à Spiritu sancto, qui est Spiritus Christi. Ideò vocauit Spiritum ipsum Euangelium. Sequitur ver. 17 *Dominus enim Spiritus est, &c.* Δὲ pro γὰρ, sicut etiam syriacum, aliquando capitur: vt 1. Thes. 2. versic. 14. item cap. 4. ver. 15. Affert enim causam Apostolus, cur qui ad Dominum conuertuntur, illis auferatur velamen: causa est, quia conuertuntur ad illum, qui vi sui Spiritus liberat à seruitute tenebrarum, tollitque velamen naturalis cæcitatis. Hoc igitur explicans ait, ὁ δὲ κύριος, τὸ πνεῦμα. Patres, atque etiam Basilius, lib. de Spiritu sancto cap. 21. accipit τὸ πνεῦμα pro subiecto: & nomen κύριος, accipit pro Iehoua. Hinc concluserunt, Spiritum sanctum, esse Iehouàm, Deum verum. Sed apparet subiectum in hac propositione esse nomen κύριος & prædicatum τὸ πνεῦμα: & nomine, κύριος, intelligi Christum. Et sensus Apostoli perspicuus est: nēpe, Christum esse illum Spiritum, cuius minister erat Apostolus; & qui viuificat; velamenque ex cordibus tollit nostris: hoc est, esse illum, qui suo Spiritu eos donet qui ad se conuertuntur. Vbi autem est Spiritus Domini, ibi sublato velamine, libertas est: nempe inspiciendi gloriam Dei: vt postea explicatur insequenti versu. Quicunque igitur conuertuntur ad Dominum: ex horum cordibus tollitur velamen. Hic est sensus totius versus. Cæterùm explicanda est propositio prima: *Dominus est ille Spiritus*: nempe, ille, de quo antea locutus est, & cuius causa Euangelium quoque appellauit Spiritum, dicens se esse ministrum factum noui Testamenti, non literæ, id est legis, sed Spiritus, hoc est, Euangelij. Quare Euangelium Spiritus dicatur, dixi: non quia doctrina Euangelii sit Spiritualis, legis autem carnalis: (nam etiam lex Spiritualis est, Rom. 7. 14.) sed quia Euangelium, cuius substantia est Christus, adiunctum habet Spiritum sanctum qui est Spiritus Christi: & hoc donantur electi, quum audiunt Euangelium. Ait igitur: *Dominus est ille Spiritus*: qui scilicet audientes Euangelium illuminat, & viuificat: electos nimirum. Vel si dicas: Dominus est, ille Spiritus, cuius dixi me factum esse ministrum. Nam primum quidem substantia Euangelii est Christus: & hunc prędicabat Apostolus. 1. Cor. 1. 23. Deinde Christus est ille, qui per Euangelium efficax est, in cordibus electorum, vi sui Spiritus, qui est Spiritus sanctus: quo omnes electi donantur, quum audiunt Euangelium. Huius autem Christi, efficacis per Euangelium, in electorum cordibus, Spiritu suo sancto, minister erat Apostolus: Sicut & Iohannes Baptista dicebat: *Ego vox clamantis: Ego baptizo aqua, ille autem Spiritu sancto.* Ioh. 1. 23. 33. Christus ergò duplici de causa est ille Spiritus, cuius Apostoli erant ministri: tum propter summam doctrinæ, tum propter efficacitatem Spiritus sui sancti in Euangelio. Et doctrina quidem est, seu corpus Euangelii: Spiritus verò Christi est, instar animæ ipsius Euangelii. Ac ratione huius Spiritus, qui est anima doctrinæ Euangelicæ, tota quoque doctrina appellatur Spiritus ab Apostolo: sicut & antè à Christo; quum dixit: *Verba, quæ ego loquor, sunt Spiritus, & vita*: hoc est, Spiritus viuificans. Io. 6. 63. Itaque meritò Christus dicitur esse ille Spiritus, cuius Apostoli dicebant, se esse ministros: eoque iure etiam optimo Christus dicitur esse Spiritus suus sanctus: non certè persona, quia alia est persona Filii, & alia Spiritus sancti: sed alia, eaque triplici ratione. Prima est, quia Spiritus sanctus, Spiritus est Christi, & à Christo procedit, vnde etiam statim eum vocat Apostolus spiritum Domini. Sic Sol potest dici esse radius ipse, non quod non distinguatur à radio, sed quòd radius sit à sole. Ita sensus fuerit: Christus est ille Spiritus, hoc est, ille, è quo Spiritus est, & cuius est ille Spiritus, quo tollitur velamen: quo donantur electi, qui audiunt Euangelium, & cuius causa totum Euangelium vocatur, & est Spiritus: ac proinde, qui conuertitur ad Christum, ab eo tollitur velamen. Altera ratio est, quia vis, & actio, qua Spiritus sanctus per Euangelium electos illuminat & eorum corda velamine liberat atque viuificat, tam est Christi, quàm ipsius Spiritus sancti. Hoc indicās Apostolus subiecit: *Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas.* Cuius autem est liberare? Christi, vt ipse docet, quum ait: *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* Ioh. 8. 38. Ita Sol dicitur esse radius ipse, quia vis, & actio radii est etiam Solis, à quo ille est. Atque hoc voluit in primis docere Apostolus, Christum esse illum, qui suo spiritu agens in nostris cordibus, per Euangelium tollit velamen: ac proindè conuertendum esse cor ad Christum. Tum enim ablatum iri velamen. Sicut si diceremus, solem esse illum, qui suo radio pellit tenebras ab oculis: conuertendos igitur esse oculos ad solem. Sed hoc alia expressit locutione, nempe, *Dominus est ille Spiritus*, vi scilicet & actione. Sicut si dicas, sol est radius: vi & actione, quia vis & actio radij, vis est & actio solis. Non admodum dissimili sensu, ipse Christus de Io. Baptista dixit, Io. Baptista est ipse Elias Mat. 11. 14. nō persona, sed officio, spiritu atque virtute. Quanquam longè excellentiori modo, Christus est ipse spiritus sanctus, hoc est, spiritus suus, qui & à Christo procedit, & tota vis, omnisque actio spiritus sancti, est vis & actio ipsius Christi, quàm Ioh. fuerit Elias.

Hinc verò quid consequitur? Tertius modus, quo Christus, est ipse spiritus sanctus, nempe οὐσίᾳ. Etsi enim de hac Apostolus ex professo, hic non loquitur: tamen necessariò ex illis duobus modis hic tertius consequitur. Si enim Christus est Spiritus S. quia Spiritus sāctus est Spiritus Christi, & à Christo, & quia tota vis, & omnis actio Spiritus sancti, qua in cordibus agit Electorum, ea Christi, & à Christo est: efficitur Christum, etiam essentia, esse ipsum Spiritum sanctum. Sicut etiam Sol idem est essentia lucis, quod est etiam radius: & radius, idem quod Sol: quandoquidem radius est à Sole, & tota vis atque actio radij, vis est, & actio Solis. His enim duabus rationibus, Christus quoque concludebat, se vnum esse cum Patre: primò, quia erat à Patre, & Patris Filius. Secundo, quia eadem operabatur, quæ & Pater: hoc est, quia tota virtus, omnis ipsius actio, virtus erat & actio ipsius Patris. Hæc cùm ita se habeant, euincitur: si Christus est Deus, ipsum etiam Spiritum sanctum esse Deum: quia Christus est ipse Spiritus, tum quia Spiritus sanctus, est Spiritus Christi: tum quia vis & actio Spiritus sancti, est vis & actio Christi: tum denique quia vna est vtriusque Deitas seu essentia, sicut Solis & radij, vna est vtriusque lux.

V. Hæc est causa, cur totum hoc caput breuiter interpretari volui: vt ex præcedētibus bene intellectis, vera huius loci intelligentia erueretur, nempe quo sensu, Dominus dictus sit ab Apostolo, esse ille Spiritus: Atque ex vera horū verborum intelligentia appareat, an ex hoc loco meritò, & verè colligamus, Spiritum sanctū verum esse Deum

necne verè colligamus. Idem efficitur ex verbis, quæ sequuntur: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*: hoc est, ibi exemptum est velamen cordis: ita vt qui donati sunt hoc Spiritu Domini, ij liberati misera cæcitatis naturalium tenebrarum seruitute, liberè possint intueri in faciem, & gloriam Dei. Quod antè dederat Christo, dicens, per Christum, tolli velamen: hic idem dat Spiritui Christi. Hinc igitur colligitur, quo sensu dixerit, Christum esse ipsum Spiritum: non persona, sed vi & actione, tollendi velamen è cordibus nostris. Hinc etiam euincitur Spiritum sanctum esse Deū; quia tollere velamen è cordibus, & donare Electos vera libertate, qua possimus videre Deum: non est certè vllius creati Spiritus, sed solius Dei. Hoc idem confirmant, quæ sequūtur: v. 18. *Nos autem, &c.* Hæc est vera aduersatiua particula. Opponitur enim iis, quæ antè dixerat de Mose, qui ponebat velamen super faciem, deque Iudæorum cæcitate, per velamen Mosis significata. *Nos autem &c.* qui scilicet ad Christum, in Euangelio propositum, conuersi sumus. Tria autem narrat effecta opposita illis, quæ dixerat de Iudæis, nondum ad Christum conuersis, & ideò Spiritu Christi destitutis: & vnam horum omnium causam, docet esse Spiritum sanctum, quum ait, *tanquam a Domini spiritu*: hoc est, vt pote hæc omnia operante Spiritu Domini. Primum igitur effectum Spiritus sancti est, quòd dum tollit velamen à cordibus nostris: retegit faciem Domini. Ideò ait: *Nunc autem retecta facie*, nempe Domini. Quomodo retecta? sublato velamine à cordibus nostris. Alterum effectum est, quòd donat nos noua luce: & ea efficit, vt gloriam Domini in Euangelio, tanquam in speculo relucentem, apertè intueamur. Hoc significat, quū ait *gloriam Domini κατοπτριζόμενοι*. Tertium effectum est reformatio nostri in imaginem Dei: idque quotidiano profectu. Hanc docet, dicens, *In eandem imaginem transformamur: a gloria in gloriam.* Docet enim vi Spiritus fieri, vt quum in Deum, in Christo resplendentem, tanquam in Solem nullis obductum nubibus intuemur, tanta illius luce perfundamur, vt in eius imaginē transformemur: hoc est vt alii ceu secundarii soles efficiamur: qui posteà ad alios progressi, illos quoque eadem luce illustremus. Ita verò proficimus in hac quotidiana nostri renouatione: (id quod vocat à gloria in gloriam) vt tandem futuri simus, quasi dij: quum scilicet Deus erit omnia in omnibus. Vndè verò omnia ista tam magna opera? à Spiritu Christi. Est igitur verus Deus.

*VI. Loc. 28. ex 2. Cor. 13. v. 13.*

GRatia *Domini nostri Iesu Christi, &c.* Hic etiam locus non obscurè confirmat Spiritus sancti tum personam à Patre & Filio distinctam: tum deitatem. Primùm constat nomine Spiritus hic non intelligi donum aliquod, vel actionem diuinam: sed personam. Coniungit enim Spiritum cum Patre, & cum Filio: vt tertiam personam, à prima & secunda distinctam. Deinde sicut Christo attribuit gratiam qua scilicet tanquam Mediator, nos Deo Patri gratos fecit, & reconciliauit: Patri verò charitatē, qua scilicet nos dilexit ante mundi constitutionem in Christo: sic Spiritui sancto κοινωνίαν, qua nimirum ipse nobis communicatus, in ipsam quoque Patris & Filii κοινωνίαν nos adducit. Atque ita docet Spiritum S. esse illum, qui nobis Patris charitatem communicat, dum efficit, vt eam sentiamus diffusam in cordibus nostris, Rom. 5. 5. & qui communicat ipsam quoque Christi gratiam, dum efficit, vt donati fide, participes deinde fiamus totius beneficii Christi, sentiamúsque nos verè per Christum esse redemptos, & Patri reconciliatos. Huiuscemodi autem actiones, non cadunt nisi in eum, qui sit res subsistens, intelligens, volens, agens. Euincitur ergò nomine Spiritus, hoc loco, non significari donum: sed personam agentem, donantem, communicantem. Neque etiam obscurè, vt dixi, ex hoc versu colligitur, Spiritum S. quem iam ostendimus personam esse, esse etiam non Spiritum creatum, sed Deum. Dum enim hunc coniungit Apostolus cum Patre, & cum Filio, in hac adprecatione; docet hunc tam Deum esse, quàm etiam Pater Deus, & Filius Deus est. Neque est sine causa, quod Apostolus hic precatus sit Corinthiis distinctè, gratiam Christi, charitatem Dei Patris, & κοινωνίαν Spiritus sancti. Quænā hæc est causa? Scribebat ad Corinthios, qui à Pseudoapostolis Iudæis seducebantur; legem Mosis tanquam ad salutem necessariā, vrgentibus. Primùm igitur voluit docere, totam salutem haberi à Christo propter dilectionem Patris, per κοινωνίαν Spiritus sancti, non autem ex operibus. Deinde voluit perstringere Pseudoapostolos, quod non essent in doctrina de Deo Patre, Deo Filio, Deo Spiritu sancto sani & synceri: quippe qui Iudaismum magis, quàm Christianismum vndequaque spirarent. Precatus est igitur Corinthiis, horum trium beneficia, vt doceret, beneficia, & salutem omnem esse ab illo Deo, qui est Pater, qui est Filius, qui est & Spiritus S. Denique eam attribuit Spiritui sancto potentiam, facultatem atque operationem, quæ in nullum creatum Spiritum competere potest, nempe quòd ipse adducat nos in κοινωνίαν Patris ac Filii, eoque & sui, omniumque cœlestium beneficiorum faciat participes.

## CAPVT VII.

### Explicatio aliorum quorundam locorum, ex aliis Pauli Epistolis ad probationem eiusdem doctrinæ.

SVNT breuiter percurrenda alia quædam, ex D. Paulo, de Spiritus sancti diuina essentia: deinde veniemus ad id, quod est postremo loco dicendum, de ipsius processione.

*I. Locus 29. ex Gal. 4. v. 6.*

Q*Voniam autem estis Filij, Deus misit Spiritum suum, &c.* Duplici etiam argumento, hinc asseritur diuina Spiritus sancti natura. Primùm inde deducitur, quòd Spiritum hunc, Spiritum Filij Dei, vocat. Hac enim locutione docet Apostolus, vt suprà quoque ostendimus, Spiritum sanctum procedere è substantia Filii; non minus quàm è substantia Patris. Si igitur Filius Deus: ipsius quoque Spiritus Deus sit oportet. Significari autem nomine Spiritus non donum aliquod inanimum, sed ipsam Spiritus sancti personam: liquet non solum indè, quod hunc coniungit cū persona Patris mittentis, & cum persona Filii, cuius Spiritus esse dicitur, tanquam tertiam personam: verùm etiam inde, quòd huic Spiritui attribuit actionem, quę non potest esse, nisi personæ illiúsq; diuinæ: nempe quòd clamet in cordibus nostris, hoc est, clamare nos, & inuocare faciat ex corde Patrem cælestem. Alterum igitur argumentum, quo hinc confirmatur æterna, diuinaque Spiritus sancti natura, est ab opere, quod solius Dei esse potest. Nam Spiritus sanctus habitat in cordibus omnium, & singulorum filiorum Dei: eaque regenerat, moderatur, regit, & ad inuocandum Deum Patrem afficit, atque agit, & promouet: Sicut ad Rom. dixerat: *Accepistis Spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba, Pater.* Adde tertium; quod ab immensitate, quæ solius Dei est, ducitur. Idem enim Spiritus Christi in corde cuiusque fidelis habitat; & clamat, Abba Pater. Atque hoc docet, quum Spiritum numero singulari nominat, dicens: Spiritum Filii sui: docens, se loqui de Spiritu S. qui vnus est. Plurali verò numero corda expressit, dicens, In corda vestra: docens vnum atque eundem Spiritum Christi, in singulorum Electorum cordibus habitare, operari, clamare.

*II. Locus 30. ex Gal. 5. vers. 22.*

PRincipio auctorem virtutum Christianarum, in omnibus fidelibus, iam per Spiritum sanctum renatis, facit eundem Spiritum sanctum, quum ait, *Fructus Spiritus esse charitatē, gaudium, pacem, lenitatē, benignitatem, fidem, māsuetudinem, temperantiam*: Sicut & alibi docuerat. Rom. 8, 9. Spiritus enim sanctus sicut nos regenerat; sic etiam in nobis excitat, atque profert fructus regenerationis. Efficit etiam, vt lex nullum in nos ius habeat condemnandi. Et huc spectat quod ait vers. 12. *aduersus has, non est lex.* Item tollit paulatim corruptionem naturæ, &c. Ideò ait vers. 24. *Qui enim Christi sūt, &c.* Qui verò sunt Christi? Qui habent Spiritum Christi. Ait præterea, sanctos crucifigere carnem cum vitiis: quia hoc quidem efficit in illis Spiritus sanctus, verùm non tanquam in stipitibus, sed tanquam in Filiis Dei, iam Spiritui sancto assentientibus & cooperantibus. Postremò, totius vitæ Spiritualis & Christianę, auctorem & moderatorem docet esse Spiritum sanctum, quum ait, vers. 25. *Si Spiritu viuimus, Spiritu etiam incedamus*: στοιχῶμεν. στοιχεῖν est, non simpliciter incedere, sed iuxta certum canonem, & ad alterius ductum, & directionem incedere, vt nō declinemus nec ad dexteram, nec ad sinistram. Ait quoque, *Nos viuere Spiritu*; nimirum sicut corpus, viuit anima. Docet igitur Spiritum sanctum esse auctorem vitæ in piis: quia dum in ipsis viuit ipse, efficit, vt nos quoque viuamus: vt docet alias: *Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus.* Gal. 2. 20. Ait item: *Spiritu incedamus.* Docet igitur Spiritum esse illum, qui ita agit fideles, vt ad ipsius Spiritus du-

tus ductum viuant: & non declinent, aut dextrorsum, aut sinistrorsum. Si autem Spiritus sanctus Deus non esset; præstare hæc in nobis minimè posset.

*III. Locus 31. ex Ephes. 1. vers. 13. & 14.*

Ait omnes, qui vera fide Euangelium amplexi, credunt in Christum, eos obsignatos esse τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας, τῷ ἁγίῳ: ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν, &c. Loqui hic Apostolum de Spiritu sancto, quam tertiam vocamus personam; non autem de dono aliquo, liquet, primùm ex articulo præpositiuo, eoque ingeminato, τῷ πνεύματι, τῷ ἁγίῳ & τῆς ἐπαγγελίας. Quomodo Spiritus est promissionis? Passiuè & actiuè. Passiuè, quia hic est ille, qui omnibus sanctis, & à Patre & à Filio singulariter promissus est. Actiuè etiam, quia is est, qui Euangelium, sermonem veritatis & ἐπαγγελίαν appellatum, obsignat in cordibus Electorum: Sicut etiam Filius perditionis vocatur Antichristus, quia & perditus est, & perdit. 2. Thess. 2. 3. Deinde apparet idem ex relatiuo masculino, quem subiicit, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν, cùm tamen, πνεῦμα, neutrius sit generis: id quod scholia quoque græca annotârunt. Hinc verò confirmari diuinam Spiritus sancti naturam, dubium non est, si quis diligenter examinet, quæ hic attribuuntur Spiritui sancto: Appellatur σφραγὶς, nempe Dei Patris, quum ait ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι, nempe tanquam σφραγῖδι. 2. Cor. 1. 22. Sic etiam alibi. Eph. 4. 30. Est enim Spiritus sanctus σφραγὶς ipsius Patris, sed substantialis, in qua expressa est Patris imago. Sicut enim Christus dicitur χαρακτὴρ ὑποστάσεως Patris, quod in ipso expressa sit tota Patris essentia, atque perfectio: ita Spiritus sanctus dicitur σφραγὶς ipsius Dei, cùm eadem, tum alia de causa. Nam primùm in sigillo insculpitur imago: deinde eo vtimur, ad eandem imaginem, aliis quoque rebus, quas volumus obsignare, vt literis, imprimendam: idque vt ab aliorum literis discernatur, & rebus. Primum igitur Spiritus sanctus dicitur, & est σφραγὶς ipsius Patris: quia in eo, sicut & in Filio, tota Patris essentia ab æterno insculpta est, hoc est, communicata. Deinde hoc Spiritu, tanquam sigillo vtitur ad eandem sui imaginê, electis, quantum imprimi illis potest, imprimendam: hoc est, ad suam lucem, iustitiam, sanctitatem, charitatem, adeoque diuinam suam naturam (sed eo sensu, quo docet Petrus 2. 1. 4.) communicandam: nos regenerando, renouando, sanctificando: & tum fidem in cordibus confirmando, tum charitatem erga se, & proximum accendendo: ita vt non dubitemus pro gloria Dei, & pro salute proximi vitam profundere. Hæc est imago Dei, quam in Electis per suum sigillum, hoc est, per Spiritum sanctum exprimit: atque ita nos obsignat, vt discernamur à reprobis. ἀῤῥαβὼν quoque appellatur; propterea quòd per hunc Spiritum nobis datum, & apud nos manentem, certos nos facit, de æterna salute plenaque futuræ hæreditatis possessione: Sicut etiam qui dat arrham pro re empta, nondum toto pretio persoluto: ita ratam facit emtionem, atque contractum, vt non possit amplius retractare: nisi velit arrham amittere. Certè Deus Pater non vult, & non potest, Spiritum nobis datum, amittere. Ergò cùm Spiritus sanctus talis sit virtus Dei Patris, ac ceu σφραγὶς, in qua tota sua expressa sit, & communicata essentia: & qua suam in nobis insculpsit imaginem: talisque ἀῤῥαβὼν sit, qui Patris promissiones in animis nostris confirmet, vt de futura, plenaque possessione cœlestis hæreditatis dubitare amplius non possimus: atque hæc effecta, præstari non possint nisi à Deo: Dubitari non potest: quin verus sit Deus, Spiritus ille, qui hæc præstat.

*IV. Locus 32. ex Ephes. 2. vers. 18.*

Vtiq; per ipsum (Christû) *habemus aditû ἐν ἑνὶ πνεύματι ad Patrem*, Hic quoque habemus, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: Patrem, ad quem accedimus: Filium, per quem aditum habemus ad Patrem, & Spiritum sanctum, quo duce & directore deducimur ad Christum & ad Patrê. Sic ad Rom. 8. 14. legimus, Filios Dei agi, & duci à Spiritu sancto. Neque verò hoc opus est, aut esse potest vllius creati Spiritus. Alibi enim datur Patri hoc opus, nempe, quòd nos ducat & trahat ad Christum, & ad se, Io. 6. 44. Idem verò hîc, & alibi attribuitur Spiritui sancto. Apparet igitur etiam ex eodem opere, quod commune est Patri, & Spiritui sancto, & verò etiam Filio: Spiritum quoque sanctum esse Deum. Item versibus insequentibus & præsertim v. 22. eiusdem huiusce capitis, eadem doctrina confirmatur. Docet enim Apostolus opera Spiritus sancti omnes electos in Christum ædificari; vt sint habitaculum Dei Patris. *In quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritû.* Alibi tamen & Patri, & Filio attribuitur hoc opus; quod est Ecclesiam Dei ædificare, ex vasis electis. Patri, vt apud Ierem. 3. 4. *Rursûmque ædificabo te, & ædificaberis virgo Israel.* Filio autem: vt apud Mat. 16. 18. *Ego ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Est igitur opus solius Dei, quod hic attribuitur Spiritui sancto. Quare Spiritus sanctus Deus.

*V. Loc. 33. ex Ephes. 4. v. 30.*

*Et ne contristetis Spiritum sanctû, quo obsignati estis, &c.* Quum pij aliquid aut cogitant, aut dicunt, aut agunt, quod pugnat cum illis, quæ Spiritus sanctus in ipsis habitans, suggerit (suggerit autem tantùm consentanea verbo Dei) tum dicuntur contristare Spiritum sanctum quo sunt obsignati. Quare docet Spiritum S. esse in Electis, tanquam in suo domicilio: & quidem esse personam, quia côtristatur. Etsi enim in Spiritû S. non cadût affectus humani, interim tamen hac locutione docet, Spiritum S. non esse rem inanimam: sed substantiam viuentem, cognoscentem, recti amantem, & mali osorem. Contristatur enim Spiritus S. sicut & in Genesi legimus, cap. 6. v 7. Deum dixisse: *Pœnitet me fecisse hominem*: non vt nos, sed modo qui cum Dei natura non pugnet. Si autem Spiritus S. persona est, & in nobis habitat: quid aliud esse potest, quàm Deus?

*VI. Locus 34 ex 1. Thes. 4. v. 8.*

Posteaquam tradidisset Thessalonicensibus quędam pręcepta, & ad ea seruanda hortatus fuisset, subiecit: *Proinde qui hæc reiicit, non hominem reiicit, sed Deum: qui etiam dedit nobis Spiritum sanctum:* nempe qui loquitur in nobis. Nam à Spiritu etiam sancto, qui in Apostolo loquebatur, confirmare voluit Apostolus; quæ præcepta tradiderat; ea non esse hominis, sed Dei mandata. Confer huc illa quæ in 1. ad Cor. scribit, de iis, quæ sine expresso quidem verbo Dei tradiderat, sed tamen ex Spiritu in se loquente. Inde etiam docet, ea præcepta esse Domini præcepta, quia è Spiritu Dei ea tradiderat, dicens: Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, agnoscat, quæ scribo esse Domini mandata. Ita hîc, Proinde qui hæc reiicit, non hominem reiicit, sed Deum. Docuit igitur, Spiritum sanctum, è cuius afflatu loquebatur Paulus, verum esse Deum.

*VII. Locus 35. ex 1. Timoth. 4. v. 1.*

*Spiritus autem manifestè dicit, quòd, &c.* Apostasiam, quæ futura erat sub Antichristo, longè antè præuiderat, & prædixerat Spiritus S. per suos Prophetas & Apostolos. Hęc autem, & alia futura Prophetis & Apostolis in animos immisisse, & ita per illos prædixisse; cuius fuit aut esse potuit, nisi Dei? Nec valet exceptio, Deus reuelauit & pędixit per suum Spiritum, quasi per afflatum & lumen quoddam, Prophetis, Apostolisque donatum. Nam Paulus ait, *Spiritus ipse dicit*. Et Christus, *Spiritus*, inquit, *qui loquitur in vobis*. Matt. 10. 20. Et Petrus, 1. 11. *Spiritus Christi, qui erat in Prophetis, longè antè testificatus fuerat, & declarauerat Prophetis, quænam passiones erant Christo euentura, & quæ etiam gloria illas foret secutura.* Spiritus igitur sanctus non est mortuum lumen, & inanimus afflatus; sed verus, & viuens Deus.

*VIII. Loc. 36 ex Tit. 3. vers. 5. & 6.*

*Qvum autem bonitas, &c.* Hic quoque habemus tres personas distinctas, Patrê qui nos saluos fecit ex sua misericordia: Filium, per quem effudit in nos Pater Spiritum sanctum, & Spiritum sanctum, qui effusus est. Dat autem Spiritui sancto hoc opus, quo in baptismate electi renouãtur & regenerantur: quod solius Dei esse, anteà quoque demonstratum est: nô potest igitur hic locus eludi, quin hinc apertè efficiatur, Spiritum sanctum esse Deum.

*Loc. 37. ex 1. Iohan. 5. vers. 7. & sequent.*

*Tres sunt qui testificantur in cœlo: Pater, Λόγος, Spiritus sanctus.* Horum testimonium vocat testimonium Dei. Vt hic locus fuit de principio explicatus; ita nunc illum repeto & contendo, sicut ex aliis perspicuis locis, sic etiam ex hoc, non obscurè euinci, Spiritum sanctum & veram esse personam, & verum cum Patre, & cum Filio Deum. Ac de Spiritus sancti deitate satis, apud pios omnes. Nam præfractis, & qui diabolico agitantur spiritu, quis vnquam satisfecerit? Talia tamen sunt, quæ attulimus loca, ad quæ neq; possunt neque poterunt vnquam, nisi nugando respondere aduersarij, inimici Patris, Filij, & Spiritus sancti.

## CAPVT VIII

Spiritum sanctum, qui vera est in Deo persona, & naturalis, æternúsque Iehoua: procedere, seu emanare, non solùm à Patre, verùm etiam à Filio.

Dicendum iam aliquid est, de vltima quæstione, quam initio huiusce libri proposuimus de Spiritu sancto; nimirum, An à Patre solùm, an verò etiam à Filio procedat. Sic enim illud ἐκπορεύεσθαι versum obtinuit in Ecclesia: id quod tamen nihil aliud significat, quàm proficisci, & venire ab aliquo. Breuis & dilucida est responsio: *Spiritum sanctum non minus à Filio, quàm à Patre procedere.* Cæterùm antequam ad confirmationē accedā, explicanda est propositio, ex sententia omnium Patrum, totiúsque Ecclesię, in hunc vsque diem. Verbo procedendi in hac quæstione, nihil aliud intellexerunt Patres, tam Latini, quàm Græci, qui de hac re disputârunt: quàm esse ex illius essentia, à quo procedere dicitur: eoque originem ab ipso habere, procedendo. Sicut & Filius, ideò genitus ex Patre dicitur: quia ex Patris est essentia, ab eoque originem habet, nascendo. Sic igitur sentiunt orthodoxi: Spiritum S. non minus esse de substantia Filii, quàm de substantia Patris: quæ vna atq; eadem est: cùm non minus etiā Filii dicatur, & sit Spiritus, quàm Patris. Ac proinde sicut Filius est à solo Patre, & ab eo solo suam habet essentiam, sed (vt vtar verbis Iustini Martyris) μονῶς, quia solius Patris Filius dicitur, & est, non autem à Spiritu sancto, quia neque est, neque dici potest Filius Spiritus sancti: Ita Spiritum sanctum esse à Patre, & à Filio, & ab vtroque suam habere essentiam, sed ἀμφοτέρως: quia Spiritus est, & dicitur, tā Filii, quàm Patris. Inde consequi, Filium non esse minorem Patre, vt Ariani contendebant. Hæc explicatio tam clara atque perspicua est, & res ipsa certissima: vt nulla etiam confirmatione, apud homines non contentiosos, opus habeat: Ne tamen nihil dixisse videamur; ad huius sententiæ confirmationem, quædam nobis sunt scripturarum loca examinanda: sed id quàm breuissimè fiet.

### II. *Locus 1. & præcipuus ex Ioh. 15. vers. 26.*

Hic locus est, quo vnico vsi sunt Græci ad probandum, Spiritum sanctum non procedere à Filio, sed tantùm à Patre: quid ita? quia (inquiebant) nunquam legimus Spiritum sanctum procedere à Filio: sed tantùm legimus procedere à Patre. Verùm quàm huiuscemodi argumentatio friuola sit, nemo non videt: nimirum Christus dicit Spiritum sanctum procedere à Patre: & non dicit procedere à se Filio: Ergo non procedit à Filio, sed tantùm à Patre. Est enim similis huic; ait Apostolus: *Quoniam estis Filij, misit Deus* (Pater) *Spiritum Filii sui* (& non ait Spiritum suum) *in corda vestra, &c.* Galat. 4. 6. Ergo Spiritus sanctus est tantum Spiritus Filij, non autem Patris. Item similis est isti, Calor in aëre est à Sole: igitur non est à radio Solis. Si particula exclusiua, tantùm, vel à solo Patre, adderetur in antecedente; tum sequeretur Græcorum argumentatio. Quòd autem Patrem nominauerit, & non se Filium, dicendo: *Qui à patre procedit*: in promptu est causa. Quia enim dixerat, se missurum hunc Spiritum, inde satis apertè intelligere poterant Apostoli, Spiritum hunc, esse Spiritum Christi. Quare non fuit necesse addere, Qui procedit etiam à me. Deinde hæc dicebat vt Mediator: omnia autem semper referebat ad Patrem. Vt verò Patrem nominaret, fuit plusquàm necessarium; ne putarent Apostoli eum missurum Spiritum, qui non esset verus Dei Patris Spiritus. Quare ex hoc potiùs loco, collato cum cap. 14. & 16. colligi possunt multa, quib. confirmetur Spiritus sanctus procedere nō minùs à Filio quàm à patre, cap. 14. v. 26. dixerat Christus, patrem missurum hunc Spiritum, idque in nomine Christi ipsius. Si nomen Spiritus accipiamus, vti accipiendum est, pro Spiritus sancti persona (is enim est paracletus: is est qui suggessit omnia, qui denique ea mirabilia præstitit, quæ Christus & hic, & cap. 16. fusius explicat:) Si, inquam, Spiritus significat hic Spiritus sancti personam, qui Spiritus, Deus est: quid obsecro aliud significauit Christus hac locutione, quàm Spiritum, quem pollicebatur, esse verum Dei Patris Spiritum? nullius enim est mittere Spiritum sanctum, nisi illius, cuius est. Io. 15. 26. Ergo cùm Christus etiam hic dicat se missurum esse Spiritum; apertè significauit, hunc paracletum, suum esse Spiritum, & non minùs suum, quàm Patris. Id quod aliis infinitis scripturarum testimoniis confirmatur. Vbi idem Spiritus Patris, Spiritus etiam Filii nominatur Rom. 8. 9. Spiritus Dei: postea Spiritus Christi vocatur. Gal. 4. v. 6. Phil. 1. v. 19. 1. Pet. 1. v. 11. Non minùs igitur Spiritus Christi est, quàm Patris. Atqui esse Spiritum Patris, idem est; atque esse à Patre, vt liquet 1. Cor. 2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum*, v. 10. Vbi vocat Spiritum, Spiritum Dei: id quod statim reperit v. 11. Mox subiicit ver. 12. *Nos verò non spiritum Mundi accepimus, sed Spiritum, qui est ex Deo.* Quem anteà vocauerat Spiritum Dei, statim eundem appellat Spiritum, *qui est ex Deo.* Quare docet idem esse, Spiritum Dei esse, & Spiritum esse ex Deo: Sicut etiam idem sunt, Filium Dei esse, & esse ex Deo natum. Idem igitur etiam fuerit Spiritum esse Christi, & Spiritum esse à Christo. Cùm itaque Spiritus sanctus, non minùs sit Spiritus Christi, quàm Spiritus Patris, efficitur, Spiritum sanctum non minus esse à Filio, quàm à Patre. Ac proinde non minùs esse de substantia Filii, quàm de substantia Patris: & non minùs originem habere à Filio, quàm à Patre. Hoc autem est id quod Patres intellexerunt, hoc verbo procedendi. Hoc inde clariùs illucescet, si cogites primùm, Filium non minùs esse Deum, quàm Pater sit Deus. Secundo Spiritum esse Filii, quatenus Deus est. Tertiò idem esse, Spiritum esse Dei, & ex Deo. Non minùs igitur procedit à Filio Deo, quàm à Patre Deo.

III. Idem confirmatur ab eodem verbo mittendi. Tam Filius mittit Spiritum sanctum, quàm Pater; vt ostensum est: imò eadem est missio, qua Pater mittit, & qua Filius etiam mittit, cùm vtriusque sit Spiritus; & actio Patris, ab actione Filii separari non possit. Ergo eadem etiam est Patris, & Filii, in mittendo Spiritu auctoritas atque potestas. Quomodo autem est eadem vtriusque auctoritas, si non ab vtroque etiam procedit? Non est enim auctoritas vni in alium in diuinis, nisi (vt vocant) originis: quatenus scilicet vnus est ab alio: vt Filius à Patre, & ab vtroque Spiritus sanctus. In reliquis omnibus, æquales sunt inter se. Illustro totum hoc quod conclusi ex verbo mittendi, simili Solis. In Sole tria sunt, corpus solare, radius & calor. Sol non est à radio, neque à calore: idcirco nunquam dicitur mitti sol à radio aut à calore. Radius, quia à sole est, idcirco mitti etiam in terram dicitur à sole. Calor ab vtroque, tam à radio, quàm à sole: hac de causa rectè etiam dicitur mitti in terram, tam à radio, quàm à sole. Hinc colligimus, hæc duo simul esse connexa in sole; esse ab aliquo, & ab eodem etiam mitti: vt à quo quis mittitur, ab eodem etiam esse, & emanare dicatur. Quid in hoc magis in trib. illis diuinis personis, quarum vna, atque eadem est essentia, admittendum fuerit? Idcircò Pater nunquam dicitur mitti à Filio, aut à Spiritu sancto: quia Pater non est neque à Filio neque à Spiritu sancto. Neque etiam Filius, quà λόγος, legitur vnquam missus à Spiritu sancto, quamobrem? quia Filius non est à Spiritu. Legimus verò Luc. 4. 18. fuisse missum quà homo est, ad prædicandum & euangelizandum pauperibus. quare? quia quà homo est, à Spiritu sancto est vi Spiritus sancti conceptus. Hinc apparet eam personam tantùm ab altera mitti, quæ ab altera etiam est. Ergo cum Scriptura apertè tradat, Spiritum sanctum mitti à Filio, consequitur Spiritum sanctum esse à Filio. Deinde ait Ioh. 16. v. 14. de Spiritu sācto: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, quod renunciabit vobis.* Sensus est, Non aliam vobis tradet sapiētiam ab ea, quam ego vobis tradidi: hoc est, nihil planè diuersum tradet; & hac re glorificabit me, tanquam perfectum doctorem. Hæc est enim gloria Christi, quatenus doctor est, & propheta: si alius nemo, diuersum ab eo, quod ipse docuit, doceat. Ait autem sapientiam hanc à se accepturum Spiritum sanctū. *De meo accipiet*, inquit, &c. Si de meo, ergo à me. Quomodo verò accepit à Christo Spiritus, quæ in mundum attulit? non certè alia ratione, quàm qua etiam Christus accepit à Patre. Nam eadem de se docuerat antea Christus? se nihil docuisse, nisi quæ acceperat à Patre. Filius autem, quà λόγος, & Filius, nō accepit à Patre, nisi nascendo. Ergo & Spiritus sanctus accepit à Filio procedendo seu emanando à Filio. Atque hoc inde luculentiùs innotescet si consideres tum Spiritum sanctum verum esse Deum, tum Deum non accipere quicquam, nisi ab eo, de cuius est substantia. Est igitur Spiritus sanctus Deus, de substantia Filii Dei. Non enim ab alio accipit sapientiam Spiritus sanctus, quàm ab eo, à quo etiam habet essentiam: à Patre scilicet, & à Filio.

IV. Sed quod subdit adhuc clariùs confirmat quod diximus, cap. 16. v. 15. *Omnia quæ habet Pater, &c.* Occupatio est, Quomodo ais, ô Christe, Spiritum sanctum omnia accepturum à te? An non est accepturus à Patre Deo, quicquid nobis est allaturus? Omninò, sed quæcunque habet Pater, mea sunt: idcircò quicquid acceperit à Patre, à me quoque accipiet: proptereà dixi, illum accepturum de meo.

quod

quod renunciabit vobis. Hinc apertè colligitur, si Spiritus sanctus accepit à patre essentiam,eandem etiam accepisse à Filio. Est enim hic generalis propositio. Quicquid igitur accepit Spiritus sanctus à Patre , illud etiam totum accepit à Filio.Ratio, *quia omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, inquit Filius. Sicut igitur, quæ renunciauit Apostolis Spiritus sanctus, ea ideo dicitur accepisse non solùm à Patre , verùm etiam à Filio : quia omnia, quæ Pater habet , Filii sunt: Sic etiam concluditur, totam suam essentiam Spiritum S.accepisse, non solùm à Patre,verùm etiam à Filio, idque vt Iustinus ait,ἀνταποδοτικῶς:quia omnia,quæ habet Pater,sunt ipsius Filii. Quare procedit tam à Filio , quàm à Patre Spiritus sanctus.

Quod si quis excipiat: At eodem argumento sequetur, etiam Filium, quicquid habet , accepisse à Spiritu sancto, quia quicquid habet Pater , est etiam Spiritus sancti : Responsio in promtu est Ordo personarum obstat,quo minùs hoc consequatur de Filio,quod concludetur de Spiritu sancto. An non hæc etiam est vera ; omnia quæ habet Filius, sunt Patris?omninò: Non tamen sequitur, Ergo quicquid habet Pater, habet à Filio. Ratio est : quia prima persona, non accipit à secunda; sed secunda à prima,tanquam ab origine,& fonte. Sic secunda persona nõ accipit à tertia:sed tertia.à secunda,vt ordo,qui in scripturis indicatur,personarum seruetur. Primò enim ponitur Pater,vt fons:vnde & Filius,& Spiritus sanctus.Secundo,Filius,vt à quo etiam nõ minùs,quàm à Patre sit Spiritus. Tertio,Spiritus; post hunc nemo. Ordo igitur iste efficit, vt optimè inferatur de Filio. Si omnia, quæ habet Pater,sunt Filii: ergo quicquid accipit Spiritus sanctus à Patre,accipit etiam à Filio,post quem sequitur Spiritus sanctus. Sed non contrà idem efficietur de Spiritu S.hoc modo: Quicquid habet Pater,est etiã Spiritus S. ergo quicquid accipit Filius à Patre, illud etiam accipit à Spiritu S. Filius enim immediatè omnia à Patre habet,vt docet Scriptura: nihil autem à Spiritu S. Posterior enim accipit à priore,& ab eo originem habet:non contrà. Spiritus autem sanctus est posterior Filio;non tempore,nõ æternitate, non aliquo æternitatis gradu: sed tantùm origine, & ordine personarum.

*V. Loc. 2. ex Ioh. 20. vers. 22.*

CHristus insufflando in Apostolos, dedit illis Spiritum sanctum. Illa actione , certum est,significatum fuisse, partim Christum tam facile , & verè posse Spiritum sanctum communicare, quàm etiam sufflare: partim Spiritum, tam intimum esse Christo , & naturalem , quàm etiam halitus,& flatus erat. Sed præter hæc,significare etiam voluit Christus, non minùs à se procedere, & è sua substantia spirari Spiritum sanctum , quàm Spiritus ille animalis, seu flatus ex ipso afflabatur. Sunt hæc omnia verissima,atque certissima. Ac proinde dubitari non debet, aut potest,Spiritũ sanctum tam esse à Filio, quàm à Patre: ac proinde Filium, non minorem esse Patre. Confirmantur hæc ab aliis , tum auctoritatibus Patrum, tum rationibus etiam , à distinctione personarum inter se,& ab ipsis relationibus,ductis. Sed mihi propositum fuit scripturis tantum agere,cùm has tantùm admittant illi, aduersus quos hæc docemus, & etibig mus. Proinde plura non addo : cum etiam non sit necesse. Satis enim mihi videor confirmasse , Spiritum sanctum esse , & veram personam,& verum, æternumque Deum , & denique à Patre , & Filio procedentem , tanque Filii esse Spiritum, quàm Patris. Veniendum itaque est ad horum veram ὁμοουσίαν.

*LIBRI SEPTIMI FINIS.*

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS,

## Liber Octauus.

***Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non plures, sed vnum duntaxat esse Deum Iehouam.***

### CAPVT I.

Eorum omnium,quæ superioribus libris tractata fuerunt, breuis repetitio. Thesis, quæ de vnitate essentiæ,in tribus personis,retinenda est:& eius explicatio.

HActenus demõstrata à nobis sunt , perspicuis certisq; scripturarum testimoniis:adde & rationibus è fonte sacrarum scripturarum collectis,hæc omnia. I. Vnum tantum esse Iehouam. II. Tres in hoc Iehoua esse ὑποστάσεις, seu Elohim, Patrem , Filium, & Spiritum sanctum. III. Hos tres Elohim inter se ita esse distinctos. vt vnus non sit alter. IV. Horum quemque,verum esse Deum Iehouam. Restat nunc quinta , eaque postrema Thesis explicanda, & confirmanda. Ea est de vnitate essentiæ Patris,Filii,& Spiritus sancti.

THESIS.

*Etsi Pater verus est Deus Iehoua , & Filius , verus Deus Iehoua , & Spiritus sanctus , verus Deus Iehoua : non sunt tamen tres essentia numeroque Iehoua,sed vnus tantùm Iehoua.*

II TRes nominamus, Patrem,Filium,& Spiritum sanctum,quia reuera tres sunt substantiæ,per se subsistentes,viuẽtes intelligentes, volentes, agentes: vt suprà demonstratum est. Et quidem inter se ita suis proprietatibus distinctæ : vt vna non sit altera : sicut etiam abundè explicatum, & confirmatum à nobis fuit. Deinde dicimus, Patrem verum esse Deum Iehouam : & Filium verum Deum Iehouam:& Spiritum Sanct.verum Deum Iehouam. Hoc verò ideò dicimus,quia non solùm idem nomen, tam de Filio,& de Spiritu S. quàm de Patre in scripturis prædicatur: verùm etiam quia quicquid est Dei, essentia,attributa, opera , & qui soli Deo debetur , honos, tam illis,quàm illi,in sacris scripturis attribuuntur: vt antea visum est : ac proinde profitemur, horum vnumquemque, esse natura, & essentia Deum, eoque verum Iehouam. Tertio loco adiicimus,quod est proprium huiusce postremæ quæstionis,Non esse tres essentia Deos. Hoc essentiæ nomen addimus.quia non inficiamur posse dici χωρὶς, tres esse Deos: sicuti Iustinus,& aliquot alij loquuti sunt:hoc est.tres personas,quarum quæque Deus est. Nomen enim Dei vsurpârunt Patres isti pro persona, quæ Deus est ; quum disputârunt aduersus eos,qui vnum contendebant esse Deum,non solùm essentia: sed etiam persona. Cæterùm tres esse natura & essentia Deos, nunquã docuerunt Patres illi. Non sine causa igitur adiectum voluimus essentiæ, imò & Iehouæ nomen. Hoc.n.nomine propriè diuina significatur essentia:sicut radix,vnde deriuatur, Hebraica , facilè docet. Cum essentia tamẽ sit vna tantùm, eaque perfectissima & simplicissima, & impartibilis: nullo modo possunt dici plures esse di natura,& essentia,hoc est,plures Iehouæ.Postremò addita est particula , Numero. Hoc ideò factum est: quia sicut olim fuerunt , qui apertè negarunt, Patrem, Filium,& Spiritum sanctum esse ὁμοουσίους: ac proinde contenderunt , non esse omnes vnum & eundem Deum οὐσίᾳ: Sic nunc non desunt, qui contendunt , nomine quidem esse ὁμοουσίους: sed reipsa diuidunt in partes diuinam οὐσίαν. Dicunt enim Patrem,Filium & Spiritum S. esse ὁμοουσίους, quemadmodum homo ho-

mini est ὁμοούσιος. Ita inferunt: Sicut multi homines, & multi sunt, & vnus: vnus quidem οὐσίᾳ, h.e. natura, quia omnes eiusdem sunt naturæ: multi verò numero, quia multæ personæ: sic illi tres, Pater, Filius, & Spiritus S. & tres sunt dij, & vnus. Vnus οὐσίᾳ, quia omnes eiusdem sunt essentiæ, h. e. naturæ: tres verò numero, quia sunt tres personæ, quarum quæque Deus est Iehoua, ab alio ita distinctus, & disiunctus: vt omnes simul, vnus esse Deus Iehoua minimè possint: Sed, vt tres sunt personæ, tresque Elohim, sic etiam tres sint numero Iehouæ omnino oporteat. Verùm quid hoc est aliud, quàm cum Arianis ludere in verbis: & ὁμοούσιος accipere, pro ὁμοιούσιος: Cùm tamen maximum sit inter hæc discrimen? Esse enim Patrem, Filium, & Spiritum sanctum ὁμοουσίους, Patres & vniuersa Ecclesia intellexerunt, omnes simul ita eiusdem esse essentiæ: vt vna & eadem sit in singulis: sicque omnes tres, esse vnam atque eandem essentiam, quæ quatenus variis distinguitur proprietatibus, quas Iustinus vocat diuersos subsistendi modos: varias etiam, hoc est, plures, veréque inter se distinctas, quanquam per omnia æquales, constituit personas, ac proinde respectu essentiæ, quæ vna est omnium, & in omnibus impartibilis, ἀδιαίρετος: omnes vnum tantùm numero esse Deum, respectu vero personalium proprietatum, quibus eadem οὐσία distinguitur: tres esse ὑποστάσεις, seu tria πρόσωπα. Hac igitur de causa adiecimus hanc particulam, vt verã ὁμοουσίαν explicaremus, Patris, Filii & Spiritus Sancti.

III. Clariùs etiam explico, quod dixi, vt meliùs intelligamur, quonam sensu dicamus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non esse tres essentia, & numero Deos: sed vnum tantùm. Deus, etsi definiri non potest: interim tamen omnium iudicio, est τὸ ὂν æternum & perfectum, quo nihil perfectius excogitari potest. cùm & per se existat: & causa sit πάντων τῶν ὄντων. Tradunt hoc scripturæ: vt quum ipse Deus vocet se, τὸν ὤν, Exod. 3.14. Apoc. 1.4. κατ' ἐξοχήν. Et huc facit nomen Dei proprium, Iehoua: à verbo, quod esse significat. Tale eius nomen, solitum est appellari à patribus οὐσία, in abstracto, διὰ τὸ εἶναι: tum quod melius hoc nomine explicetur Dei simplicitas; tum etiam, quòd plus perfectionis exprimatur hoc nomine abstracto, οὐσίας, seu essentia, quàm concreto nempe, τὸ ὄν: vt quum etiam dicimus aliquem esse non iniquum, sed ipsam iniquitatem, & alium non sanctum, sed ipsam sanctitatem. Et philosophi scriptũ reliquerunt, & quidem verissimè: si formæ inuenirentur in abstracto, illas futuras seipsis in cõcreto perfectiores. Quis enim nescit, albedinem, si per se inueniretur, perfectiorem fore rem, omni corpore albo? Cùm itaque Deus sit, τὸ ὂν perfectissimum & simplicissimum, quo nihil perfectius, & simplicius excogitari potest: iudicârunt patres, & alii doctissimi viri, non posse meliù exprimi, quid sit Deus, quàm si dicamus esse οὐσίαν, hoc est, essentiam, æternam, perfectissimam, cum aliis attributis, quæ illi dat scriptura sancta: propterea quod perfectius quiddam, & simplicius significat nomen abstractum, οὐσία, quàm concretum τὸ ὄν. Adde quòd nomina abstracta, significant suapte natura, res impartibiles. Neque enim diuidi in partes possunt, scientia, aut albedo, & οὐσία: concreta verò suapte natura, sicut significant compositionem quandam ex subiecto, quod est tale, & ex forma, qua tale est: sic etiam significant res, quæ aliquo modo diuidi in partes saltem animo possint. His igitur de causis non immeritò dicitur Deus, essentia esse æterna. Ac quid aliud est obsecro id, quod Apostolus vocat θεότητα: Col. 2.9. quàm θεία οὐσία, hoc est diuina essentia? Cùm enim vellet probare, Christum verum esse, & perfectissimum natura Deum: dixit in eo habitare πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, quod quid aliud fuit, quàm dicere, plenitudinem diuinæ essentiæ? Quare non potest vlla iusta de causa reiici hæc vox, οὐσία, quum dicimus, Deum esse οὐσίαν. Quòd si morosi homines nolint nomen essentiæ; non possunt certè euadere, quin cogantur admittere nomen, quo vtitur Apostolus, nempe θεότης. Possumus igitur Deum vocare τὴν θεότητα, ipsam deitatem: diuinam, inquam, ipsam naturam, & essentiam. Neque enim Deus compositus est, vt constet subiecto, quod: & Deitate, qua Deus sit: Sed est ipsa Deitas. Quid est autem θεότης aliud, quàm ipsa (vt dixi) essentia diuina, vna, impartibilis, & immensa? Nunc tenemus rectè dici, Deum Iehouam, esse ipsam diuinam essentiam. Hinc sequitur, patrem esse diuinam essentiam, quia Deus est Iehoua: Filium etiam diuinam esse essentiam, quia & ipse Deus est Iehoua: Spiritum quoque sanctum esse diuinam essentiam, quandoquidem & ipse non minùs quàm Pater, & Filius, est Deus Iehoua. Cùm autem diuina hæc essentia vna sit quia impartibilis, immensa, & perfectissima est; (id quod scripturæ prædicant, partim quum inculcant vnum tantùm esse Iehouam immensum, impartibilem, & perfectissimum, partim quum vnam duntaxat in singulari numero nominant θεότητα.) Hinc apertè & necessario efficitur, vnum tantùm esse Iehouam, vnúmque Deum: cum Deus nihil aliud sit, quàm ipsa diuina essentia, quæ vna est numero, & non plures. Vnde Augustinus to. 3. de Tri. l. 7. cap. 1. & 2. contendit Patrem & Filium vnam esse sapientiã: quia etiam vna sunt essentia. Hæc sunt perspicua certissima etiam esse non dubitant docti & pii. Nos verò rem ita se habere, apertis demonstrabimus scripturis.

IV. Verùm hinc confestim oritur difficilis admodum quæstio ad explicandum, & ad intelligendum, & quæ propria est de trinitate. Ex qua quæstione non probè intellecta, ortæ sunt omnes hæreses aduersus hunc articulum de Deo vno, in tres personas; seu de vno Iehoua in tres Elohim distincto. Ex eadem verò orthodoxè & iuxta scripturas, intellecta, & explicata illustrior, & dilucidior apparet veritas nostræ fidei, qua credimus, vnum tantùm esse Deum Iehouam, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres inter se verè distincti Elohim, seu personæ. Quæstio igitur hæc est.

Si Deus ipsa est diuina essentia, quia est Iehoua: & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sunt hæc vna atque eadem diuina essentia, quia quisque illorum est Iehoua. Quomodo igitur sunt tres Elohim, ὑποστάσεις, personæ, inter se distinctæ? videntur enim hæc inter se pugnare: esse vnum, & esse plures.

Hactenus respõsum est ab orthodoxis scriptoribus, & id quidem piè, ac verè, minimè ita pugnare: quia diuersis respectibus, & vnum sunt, & plures: vnum, respectu essentiæ: plures, respectu personarum. hæc dilucida est responsio. Sed si vlteriùs interroges, at quomodo intelligitis, esse vnum respectu vnius essentiæ, & plures, respectu personarum? Explicant illi in hunc modum: in vna & eadem essentia, tres consistunt personæ: respectu igitur vnius essentiæ, in qua subsistũt: omnes esse vnum: respectu verò personarum, quæ subsistunt, esse plures. Cæterùm aduersarii, non hac contenti explicatione: arripiunt hæc verba calumniosè, & inferunt, nos quatuor constituere deos: vnum, qui vocetur essentia, & tres qui vocentur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quasi verò nostri statuant essentiam diuinam, seu quandam quartam substantiam, extra personas subsistentem: & deinde tres personas, quasi tres alias in illa quarta subsistentes. Est hoc, verba sanè & rectè dicta, malignè & calumniosè interpretari. Illa enim locutione, nostri nihil aliud intellexerunt: quàm omnes has tres personas, eadem constare essentia; sicque eandem esse, in omnibus essentiam. Sicut enim dicimus Solem & radium eadem constare luce, seu, eandem lucem esse in Sole, & in radio: Idem etiam significari dicimus hac alia quamuis valdè impropria, locutione, Solem & radium in eadem luce subsistere. Neque tamen hinc sequitur, nos fingere lucem, quasi tertiam quandam substantiã, à Sole & à radio diuersam: quia subsistant Sol & radius. Ergo orthodoxorum responsio, si rectè intelligatur: & verissima est, & secum non adfert illud absurdũ, quod inde consequi contendunt aduersarij: sed imperitè & ἀσυνέτως. Et si verò ita se nobiscum gerunt malignè, & calumniosè perditi homines: est tamen, cur demus operam vt quoad eius fieri potest, & ipsis obturentur ora: & simplicioribus veritatis alioqui amantibus, consulatur. Quanam ratione? Perspicua magis, & dilucida veritatis explicatione è fonte sacrarum literarum petita. Pro mea igitur virili, próque eo lumine, quo me dignatur Deus: quæstionem hanc per Scripturas, & iuxta analogiam fidei explico in hunc modum.

V. Constat iam è sacris literis, Deum reuera essentiam esse æternam, immensam, perfectissimámque: quæ in Scripturis, vnius deitatis nomine significatur: cùm Deus sit ὁ ὤν, vt Græci habent, seu, vt alii vocant τὸ ὄν, & Iehoua. Ac proinde etiã manifestũ est: si quẽ vocant sacræ literæ Patrẽ, Deus est: &, si quẽ nominãt Filiũ, Deus est: & si etiam quem appellant Spiritum sanctum, Deus est: tam Filium & Spiritum S. quàm Patrem, esse hanc æternam, immensam, perfectissimámque essentiam: ita vt de singulis, eadem ex æquo prædicetur οὐσία. Deinde illud etiam extra controuersiam est apud omnes, qui sacras profitentur literas: hos tres, his rationibus inter se differre & distingui: quòd Pater sit à nullo, eoque simpliciter ἀγέννητος sit, Filium gignens: quòd Filius sit à Patre, per verã, sed inscrutabilem generationem, eáque verè sit γεννητός: & quod Spiritus S. sit à Patre & à Filio, per ineffabilem actionẽ, quam processionem vocant, eoque verè sit, & dicatur ἐκπορευτός. Quia enim sacræ Scripturæ nullam docent esse primæ personæ, hoc est Patris originem, sicut docent secundæ, & tertiæ, nempe Filii, & Spiritus sancti: hac de causa, prima vocatur ἀγέννητος. Quia verò docent, ab ipsa genitam esse alteram, nempe Filium: & procedere

Spiri-

Spiritum sanctum: idcircò eadem prima persona non solùm vocatur Pater, sed etiam fons atque origo totius deitatis, in Filio & Spiritu S. Quid est autem hoc aliud, quàm & Filium, & Spiritum S. originem suæ deitatis habere à Patre; illum, per modum, quem Scripturæ vocant generationem: hunc, per modum, quem eędem appellāt processionem? Origine verò habere, nihil aliud est, quàm habere essentiam ab alio communicatam: sicut contrà nullam habere originem, est essentiam habere à seipso, à nullo autem communicatā. Quia igitur hoc est proprium Patris, vt tanquam ἀγέννητος, Filium ex seipso, h.e. ex sua essentia generet: & Spiritum S. vnà cum Filio ex se, hoc est, ex sua emittat essentia: Filij verò proprium est, vt genitus ex Patre, vnà cum Patre, Spiritū sanctum è sua emittat substantia: Spiritus autem sancti propriū est, vt à Patre, & à Filio emanet, seu procedat: atque ita his rationibus istisque personalibus proprietatibus inter se differunt, & distinguūtur: idcirco Patres, & alij non contemnendi scriptores Ecclesiastici, dixerunt, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctū, nulla re alia inter se differre, & distingui, quàm suis propriis relationibus & proprietatibus personalibus, ἀγεννησία, γεννήσει, καὶ ἐκπορεύσει. Sunt hæc omnia etiam in S. Scripturis reapse perspicua, atque certa: nempe & Deum, esse essentiam: & personas suis distingui proprietatibus. Hæc cum ita se habeant: si quis velit vtcunque hasce personas definire, essentia fuerit loco generis, quatenus de singulis personis ex æquo prædicatur, vt antea visum est. Proprietates vero singulorum, nobis erunt instar differentiarum, quibus vnaquæq; persona ab alia distinguitur. Etenim quid sunt personæ aliud, quàm ipsa essentia, non simpliciter accepta, sed certis personalibus proprietatibus distincta? essentia enim per sese, sine talibus proprietatibus considerata, nomen simplicis essentiæ retinet: & ita ex æquo de omnibus personis prædicatur. Eadem verò, prædictis proprietatibus distincta, ipsas constituit personas: & nomen substantiæ seu ὑποστάσεως suscipit. Neque enim persona reapse aliud est, quàm essentia, certa aliqua personali proprietate distincta: & quasi (vt ita cum Scholasticis loquar) indiuiduata. Proinde cum tribus distinguatur proprietatibus, ἰδιότησι, tres constituit ὑποστάσεις, seu personas: ita inter se distinctas, vt vna neque (nisi τῇ οὐσίᾳ) sit in alia; neque prædicetur de alia. Reipsa tamen persona (vt dixi) non est substantia, ab essentia diuisa: sed ipsa est essentia, verùm certa proprietate, quasi ex communi in singulare & ἄτομον, contracta.

VI. Simili declaro, quantum potest arcanum illud mysterium similibus à natura petitis illustrari. Lux, quæ reapse eadem est in Sole, & in radio: sed in sole quidem, tanquam ab alio (ita supponatur) minimè dependens, aut communicata: in radio verò, tanquam à Sole dependens, & communicata: hæc, inquam, lux simpliciter, & per sese, sine iis, quas dixi, differentiis considerata, nomen simplicis lucis retinet: & vna tantùm est, prædicatúrque tam de medio, quàm de Sole: atque ita se habet loco generis. Sed si eadem consideretur, quatenus independens, seipsam totam communicat, nempe radio: hac proprietate contracta, atque distincta, constituit Solem. Quid enim est Sol, nisi lux (neque enim hîc considero corpus ipsum solare) nisi, inquam, lux ab alio non dependens: sed seipsam totam radio communicans? Si autem consideretur eadem lux, quatenus tota est in radio, essentialiter communicata: illa, hac alia proprietate distincta à Sole, constituit radium. Quid enim est radius aliud, quàm lux eadem, quæ in Sole est: sed à Sole, tota essentialiter communicata? nam neque hic considero aerem, in quo lux est radij: sed solùm lucem communicatam. Hoc simili vtcunque intelligimus, quid de illa luce Deitatis, æterna, & perfectissima, simplicissimaque sentiendum sit. Vna & eadem lux est Solis, & radij, non extra Solem, aut radium, sed & in Sole, & in radio. ita vt Sol nihil aliud reipsa sit, quàm hæc lux, & radius nil aliud, quàm eadem lux: ita vt non possint dici duæ luces: sed vna duntaxat reipsa lux. Interim tamen, quatenus consideratur in Sole, & in radio iuxta varias proprietates: eadem lux à seipsa distincta est, non quidem natura, & essentia: sed diuersis (vt hîc etiam sic loquar) proprietatibus, ἀγεννησίᾳ nimirum in Sole, & γεννήσει in radio. Sic itaque, vt tandem huic explicationi finem faciam, statuendum est: primùm, Vnam tantùm esse diuinam essentiam, æternam, simplicissimam, perfectissimam, vt Scripturæ describunt, &, quem vocant Deum, hanc esse essentiam. Deinde: Hanc essentiam diuersis subsistendi modis, quos proprietates vocant personales, in plures distingui personas: hoc est, quatenus ipsa ingenita, & incommunicata, seipsam (impropriè loquendo: Pater enim propriè eam communicat; & communicando, filium generat) quatenus, inquam, ipsa incommunicata, seipsam totam communicat, per actionem immanentem, quam generationem Scripturæ vocant: eatenus eam nominari, & esse Patrem, eandem verò à Patre communicatam, per actionem, vt dixi, immanentem, quæ dicitur generatio, vocari, & esse Filium, & is propriè dicitur genitus. Denique eandem, quatenus tota per actionem ineffabilem, quam processionem vocant, communicatur à Patre & à Filio: eatenus vocari, & esse Spiritum sanctum, qui hanc etiam ob causam, Patris, & Filij spiritus vocatur, & is propriè dicitur procedere à Patre, & à Filio. Ita videmus essentiam reuera eandem, diuersis hypostaticis proprietatibus, quasi diuersis subsistendi (vt loquitur Iustinus) modis, diuersas constituere personas, inter se quidem distinctas, ac non diuisas, neque dissimiles: cùm omnes vnà & eadem constent non tam natura, quàm essentia, diuersis subsistendi modis distincta.

VII. Scio, quid hîc mihi possit, quantum ad quasdam locutiones, ex Lombardo, & Aquinate & aliis obiici, de modis loquendi propriis apud eos essentiam scilicet diuinam, de natura suæ significationis esse illud, quo: Deum autem in concreto, esse illud, quod: ac proinde rectè quidem dici Deum genuisse Deum, non autem essentiam, essentiam: quòd essentia ex modo suæ significationis, non possit supponere (vt illi loquuntur) pro persona. Verùm, non hîc de loquendi modis disputo, & fassus sum impropriè dici essentiam seipsam communicare, & aliquem generare, sed tantùm res ipsas, vt intelligantur, quantum possunt à nobis in huius mundi tenebris intelligi, pro mea virili explico. Fatentur autem & ipsi, tum essentiam in diuinis nihil aliud esse secundum rem, quàm personam, & personam nil aliud, quàm essentiam: tum etiam Deum idem esse, quod Deitas. Non pecco igitur, si explico res ipsas, sicut realiter se habent, præsertim cum Augustinus quoque, & alij non dubitârint dicere, essentiam esse de essentia: pro, Filium de Patre, sicut Deum de Deo: lumen de lumine, & ambos esse vnam essentiam, vnum Deum, vnum lumen. Et Ignatius ad Magnes. dixit, οὐσίαν γεννητήν: eandem phrasim vsurpârunt Patres in concilio Niceno, vt refert The. histor. lib. 1. ca. 12. Et in libro de fide ad Petrum, qui liber Augustino inscribitur, legimus, naturam & diuinitatem Filij natam, & genitam esse de natura Patris, & de hac re ait, dubitandum non esse. Thomas verò Aquinas hasce locutiones, vt orthodoxas, admittit, essentia diuina est Pater, Filius, & Spiritus S. & contrà, Pater, Filius, & Spiritus S. sunt ipsa diuina essentia. Item de singulis personis, Pater est essentia diuina, Filius est essentia diuina, & contra: essentia diuina est Pater: essentia diuina est Filius. Ac proinde has locutiones, licèt improprias, quas Patres vsurpârunt, non posse simpliciter improbari, nempe essentiam genuisse essentiam, hoc est, Patrem, qui est essentia, genuisse Filium, qui eadem est essentia: nam si quis velit propriè loqui, dicendum potiùs fuerit, Pater, qui est essentia, genuit Filium, qui eadem est essentia, quàm essentiam genuisse essentiam. Ergò neque ego, si has velim locutiones vsurpare, explicandæ & illustrandæ veritatis de vnitate essentiæ, causa, damnari possum aut debeo.

VIII. Atque, vt liquidius appareat, me à veritate non aberrare, ita confirmo explicationem meam. Si quis dicat, Pater, quà Deus, est essentia æterna, & quà Pater, est ὑπόστασις, atque persona, nemo hominum piorum, hac offendetur oratione: neque itidem, si idem dicam de Filio, & de Spiritu sancto, nempe, Filius, quatenus Deus, est essentia illa æterna: quà Filius est altera ὑπόστασις, & persona, & ita de Spiritu sancto. Quid est autem illud, quo fit, vt iste, quem vocamus Patrem, sit, & dicatur Pater? Est ἀγεννησία: & verò etiam simul γέννησις actiuè accepta, hoc est, quia ingenitus ipse, generat alium è sua essentia, hoc est, quia ingenitus ipse, generat alium è sua essentia, id quod nihil aliud est, quàm totam suam essentiam, per actionem immanentem, quam generationem scripturæ vocant, communicando, alteram producere, hoc est, Filium procreare. Quid verò illud est, quo etiam fit, vt quem vocamus Filium, sit Filius? Altera proprietas, seu alter subsistendi modus, nempe γέννησις, passiuè accepta: hoc est, quia genitus est ex Patris substantia. Quid denique est illud, propter quod Spiritus, sit Spiritus sanctus? Tertia proprietas ἐκπόρευσις, quia neque generans, neque genitus à Patre, & à Filio ἐκπορεύεται. Istæ igitur proprietates, siue tres subsistendi modi, efficiunt, vt & Pater sit persona à Filio, & à Spiritu sancto distincta: & Filius persona à Patre, & à Spiritu sancto discreta, & ita de Spiritu sancto. Est autem manifestum personam realiter, & secundum rem (vt loquuntur Scholastici) seu, vt latinè loquar, reapse: idem esse, quod essentia est. Neque enim existimandum est, in illa simplicissima Deitate, perso-

nam alteram esse substantiam, ab essentia diuersam, vt calumniosè nobis obiiciunt aduersarij: minimè verò, nam neque extra essentiam: vllam constituimus personam, neque extra personas, vllam imaginamur essentiam, sed personas (extra quas nulla est οὐσία) reapse nil aliud esse dicimus, quàm ipsam essentiam: non simpliciter, sed quatenus essentia, per certam proprietatem, seu per certum subsistendi modum, quasi per quandam differentiam est eeu indiuiduata (si liceat ita loqui de tanto mysterio) & ad certam ὑπόστασιν quasi contracta Pater enim est æterna essentia, quia Deus, sed cum hac proprietate, qua verè fit, vt sit Pater: nimirum, quia ingenitus generat. Filius etiam æterna est essentia, quia Deus, sed cum hac proprietate, quæ est, genitum esse ex patre, quia Filius. Spiritus sanctus essentia est, quia Deus, sed essentia, per hanc tertiam proprietatem, quæ est processisse, & procedere à Patre, & à Filio, ad tertiam personam quasi restricta.

Hæc cùm ita se habeant, quid absurdi est, si explicandæ illius trinitatis personarum, & retinendæ simul vnitatis essentię gratia, sic loquamur, & totum mysterium aliis verbis explicemus? nempe, Essentia illa æterna & simplicissima (quæ vna tantùm est) quatenus ingenita generat, hoc est, quatenus nullam habens ipsa originem, seipsam totam communicat: idque per actionem æternam, & immanentem, quæ generatio vocatur, Pater appellatur, & verè Pater est. Eadem verò essentia, quatenus est ex Patre communicata, per immanentem actionem quæ vt dixi, in scripturis vocatur generatio: Filius appellatur, & est. Denique eadem essentia, quatenus à Patre & à Filio communicatur, per actionem itidem immanentem, quæ processio nominatur, vocatur, & est Spiritus sanctus. Quid, inquam, absurdi est, si hoc loquamur modo? Videmus enim & vnitatem essentiæ pulchrè retineri, contra Arianos, & Tritheitas & pluralitatem personarum perspicuè explicari, contra Sabellium, qui tres personas in vnam confundebat, quòd alia ratione non videret posse vnitatem essentiæ retineri.

IX. His, quò luculentius, clariú que appareat nostram hanc explicationem, nihil à doctrina veteris Ecclesiæ dissidere, subiiciam vnum, aut alterum Iustini locum, vbi non dissimili modo eandem explicat quæstionem.

Iustinus in respons. ad orthodoxos quæst. 17. pag. 242.

Quæst. Εἰ τῶν θείων ὑποστάσεων ἡ ἕνωσίς ἐστιν ἀδιαίρετος: πῶς δύναται τριῶν ὑποστάσεις. καὶ οὐχ ὀνομάζεσθαι πρόσωπα· καὶ οὐχὶ μᾶλλον μία ὑπόστασις τρίπολος? ὀνομαζομένη.

Resp. Τῶν θείων ὑποστάσεων, τὸ μὲν τῆς οὐσίας ἕν ἐστιν ἀδιαίρετον, διὸ καὶ τινὲς ὑποστάσεις ἐνίζουσι ὀνόματι, εἰσὶ τρεῖς. καὶ τὴν ὑπόστασιν καὶ πατέρα. οὐκ ἂν τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν καλοῦμεν καὶ υἱόν, ἀλλ' ἄλλην. τὴν γὰρ τελείαν τῶν ὀνομάτων τῆς τριάδος λέγομεν εἶναι τῶν ὑποστάσεων. οὐχὶ τῆς μονάδος αὐτῶν. διὸ εἷς ἐστιν ὁ θεός, τῷ ἓν καὶ ἀδιαίρετον τῆς οὐσίας. τρία δὲ τὰ πρόσωπα, τῷ διάφορον τῶν ὑποστάσεων. Summa responsionis Iustini est: In singulis diuinis personis vnum esse ἀδιαίρετον, & hoc esse illarum essentiam, atque hac, illas inter se vnitas esse inseparabiliter, eóque vnum esse. Alterum esse διάφορον: & hoc esse modum subsistendi, quo vnaquæque persona subsistit, diuersum ab illo, quo altera subsistit. Et his modis eas personas inter se esse distinctas, ita vt qui Pater est non sit Filius.

Idem verò quæst. 137. pag. 295. clariùs etiam declarat.

Quæstion. in summa sic proponit: Si Deus est vnus tantùm Deus: omnia igitur (nempe in Deo) id habent, vt sint vnum. Quare genitum esse, & ingenitum esse, gignere, & & non gignere, idem fuerint. Quum autem hoc absurdum sit, quia Pater genuit: filius verò non genuit, & filius genitus est, Pater verò non est genitus: Quomodo igitur potest, vnus Deus vocari, & esse, Pater, Filius & Spiritus?

Resp. Respondet in summa, in Deo esse essentiam vnam, & subsistendi modos diuersos, qui sunt ingenitum esse, genitum esse, generare, generari. Ac differentia quidem modorum subsistendi, non tolli vnitatem essentiæ, sed tantum personas distingui: & simili illustrat. In Adamo, Eua, Setho, vna est essentiæ ratio indiuidua & immutabilis, quæ est anima, & corpus: modi autem existendi diuersi. Nam Adam factus est è terra: Eua ex costa Adæ. Sethus ex semine. Sic in Deo vna & eadem est essentia: diuersi autem subsistendi modi. Quare concludit, hæc optime cohærere. Deum esse vnum tantùm, vnitate essentiæ, licet plures sint personæ, neque tamen hinc effici, genitum, & ingenitum esse, generare & generari, idem esse in Deo: cùm id ad modos subsistendi pertineat, non autem ad οὐσίαν. Si quis velit græcè Iustini responsionem audire, ea hæc est. εἷς ἐστιν ὁ θεὸς τῇ συνυπάρξει τῶν τριῶν θείων ὑποστάσεων. τῶν διαφερουσῶν ἀλλήλων οὐ τῇ οὐσίᾳ, ἀλλὰ τοῖς τῆς ὑπάρξεως τρόποις. ἡ διαφορὰ δὲ τῶν τῆς ὑπάρξεως τρόπων, οὐ διαιρεῖ τὸ ἓν τῆς οὐσίας. καὶ τοῦτο δῆλον ἐπὶ τοῦ Ἀδὰμ, καὶ τῆς Εὔας, καὶ τοῦ Σήθ, ὡς μία ἐστὶν ὁ τῆς οὐσίας λόγος (ψυχὴ γὰρ λογικὴ, καὶ σῶμα θνητὸν) τρόπος δὲ τῆς ὑπάρξεως διάφορος (ὁ μὲν γὰρ Ἀδὰμ γέγονεν ἀπὸ τῆς γῆς, ἡ δὲ Εὔα ἐκ τῆς πλευρᾶς, ὁ δὲ Σὴθ ἐκ τοῦ σπέρματος), καὶ ἐν διαφορᾷ τῶν ὑπάρξεων ὄντος αὐτοῖς, ὁ τῆς οὐσίας λόγος εἷς ἀδιαίρετος καὶ ἀπαράλλακτος (οὕτως καὶ ἐπὶ τοῦ θεοῦ. τῇ ταυτότητι τῆς τῶν συνουσιωμένων οὐσίας, εἷς θεὸς ὁμολογεῖται. ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. κατὰ γὰρ συναπτικὸν πρὸς τὸν τῆς οὐσίας λόγον. ὁ τρόπος τῆς ὑπάρξεως. τὰ μὲν οὖν ἐπὶ τῶν θείων τριῶν ὑποστάσεων, ἀσωμάτως ἀπαραλλάκτως νοεῖσθαι, ἐν τούτοις τὸν τῆς οὐσίας. τὰ δὲ μὴ ἀσωμάτως: ταῦτα τῷ τρόπῳ τῆς τῶν συνουσιωμένων ὑπάρξεως.

Eadem & quidem clariùs etiam tradit in libro, cui titulus ἔκθεσις πίστεως. pag. 172.

Posteaquam enim vnum tantùm esse Deum, qui in Patre, Filio, & Spiritu sancto cognoscitur, & omnes hosce tres vnius esse essentiæ dixisset, hanc sibi adfert dubitationem:

πῶς οὖν ἐρεῖ τις, μὴ διαφέρει τὸ γεννᾶν τοῦ γεννᾶσθαι καὶ τὸ ἐκπορεύεσθαι τοῦ ἐκπορευόμενον. ἔστι δὲ ὁ πατὴρ ἀγέννητος, ὅθεν καὶ ὁ υἱὸς γεγέννηται, καὶ τὸ πνεῦμα προβάλλει, ὁ ταυτὸν ὂν τῷ πατρὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Responsio Iustini est: Τὸ ἀγέννητον, καὶ τὸ γεννητὸν, καὶ τὸ ἐκπορευτὸν esse, οὐκ οὐσίας ὀνόματα, ἀλλ' ὑπάρξεως τρόπους. ὁ δὲ τρόπος τῆς ὑπάρξεως τοῖς ὀνόμασι χαρακτηρίζεται τούτοις, ὁ δὲ τῆς οὐσίας ὅλως τῇ θεότητι ὀνομασίᾳ σημαίνεται, ὡς εἶναι διαφορὰν πατρὸς πρὸς τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα κατὰ τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον. τὸ δὲ ταυτὸν κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον. εἰ γὰρ ὁ μὲν ἀγέννητος ἔχει τὸ εἶναι· ὁ δὲ γεννητὸς τὸ δὲ ἐκπορευτὸν. τὰ τῆς διαφορᾶς ἐπιπορεύεσθαι πέφυκεν. εἰ δὲ καὶ τῆς ὑποστάσεως αὐτὸ τὸ κατ' οὐσίαν εἶναι, σημαίνει, τοῦ κοινοῦ τῆς θεότητος ὀνόματι προσδιάκειται. Deinde refert simile, quod est in responsionibus ad orthodoxos, Adam, Euæ, & Sethi.

Sensus igitur est, in Deo vnam esse essentiam, tres autem subsistendi modos. Et essentiam significari nomine Dei ac deitatis. Modos autem subsistendi diuersos, esse hos: nempe, ἀγεννήτως εἶναι, γεννητῶς, καὶ ἐκπορευτῶς. Patrem itaque vnum & idem esse Filio, & Spiritui sancto vnitate οὐσίας seu θεότητος: differre autem ab vtroque, iuxta subsistendi modum: nimirum quòd pater habeat τὸ εἶναι, seu τὴν οὐσίαν, ἀγεννήτως: Filius habeat eandem γεννητῶς: Spiritus verò sanctus eandem ἐκπορευτῶς.

X. Hinc apparet id, quod nos de principio diximus, οὐσίαν esse instar generis, quæ ex æquo de singulis prædicatur, & hos modos subsistendi diuersos, nempe ἀγεννήτως, γεννητῶς, καὶ ἐκπορευτῶς, esse instar differentiarum, quibus eadem οὐσία diuersas constituit personas. Duo in summa ex his omnibus colligimus: Vnum, non immeritò nos in nostra propositione dixisse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse, non multos essentia, & numero Iehouas: sed vnum tantùm Iehouam, propterea quòd eadem sit numero essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Alterum: Etsi verò sunt vnus tantùm Iehoua, essentia, & numero, esse tamen etiam tres, verè inter se distinctas, personas, propter tres diuersos subsistendi modos quibus eadem οὐσία est in Patre, in Filio, in Spiritu sancto.

Denique vt tandem aliquando finem huic faciam explicationi, duo hîc retinenda nobis sunt: primum quidem, Si Pater est essentia illa æterna, & ita Filius etiam, & Spiritus sanctus, vt ante demonstratum est: essentiam igitur diuinam non esse illud, quo aliquid aliud subsistat, sicut in rebus sit creatis, in quibus nihil est sua ipsius essentia, sed esse idipsum, quod per se subsistit: eoque esse ipsum Patrem, ipsum Filium, ipsum Spiritum sanctum. Quid est enim quod subsistit, nisi vnaquæque persona, Pater, Filius, Spiritus sanctus? Vnde rectè dicitur τὸ ὑπάρχον τῇ οὐσίᾳ in Deo idem planè esse: quòd certè nulla alia in re, verum esse potest: & hinc fit, vt persona in Deo, nihil aliud sit quàm essentia. Quare in definitione cuiusque personæ, tam nomen personæ, quàm essentiæ, & potest & debet loco generis poni. Deinde verò, si proprius cuiusque subsistendi modus constituit non simpliciter personam, sed talem personam, ab altera scilicet aliam atque distinctam, eoque personam à persona distinguit potius quàm constituit, manifestum est, quum Patrem nominas, aut Filium, aut Spiritum sanctum, essentiam per se subsistentem, eoque certam personam proprio subsistendi modo ab aliis distinctam, à te significari. Quare, his duobus rectè perceptis, si velis singulas personas vtcunque describere: non incongruè sic dixeris: Pater, essentia est æterna, simplicissima, perfectissima, viuens, intelligens, volens, & ea quidem incommunicata, eoque persona est, simpliciter ἀγέννητος, sui, hoc est, suæ essentiæ communicatione, Filium ab omni æternitate generans. Filius itidem, eadem est essentia æterna, simplicissima, perfectissima, viuens, intelligens, volens, sed per immanentem & incomprehensibilem patris actionem, quam sacræ literæ vocant generationem communicata, eoque persona est ex Deo Patre, ab omni æternitate genita Spiritus quoq; sanctus eadem est essentia æterna, simplicissima, perfectissima, viuens, intelligens, volens, sed per immanentem

nentem in: stabilemque patris & Filij actionem, communicata: eoque persona est à Patre & à Filio, per omnem æter nitatem procedens. Sunt hæ personarum descriptiones, ex iis quæ huc vsque dicta sunt, & perspicuæ & certæ. Illud tantum adhuc monitos velim Lectores, vt quum dicimus essentiam communicatam, nempe Filio & Spiritui sancto; ne existiment Filium aliquid diuersum esse ab hac essentia, quæ per generationem communicata est: quasi reipsa aliud sit res communicata ab eo, cui communicata esse dicitur: minimè verò. Sed essentia per generationem communicata, nil aliud est, quàm ipse Filius genitus. Sicut etiam essentiæ per generationem communicatio: nihil aliud est, quàm ipsa Filij generatio. Essentia ergo tunc dicitur Filio fuisse communicata: quum Filius ex ea genitus est, id quod ab omni fuit æternitate. Atque idem dicimus de Spiritu sancto. Nam etiam apud nos, tunc filiis nostris dicitur communicata fuisse humana natura, quum geniti fuerunt homines. Proinde simpliciter diximus, Filium esse ipsam essentiam, à patre, per generationem communicatam. Essentia enim in Deo, res est per se subsistens: neque à seipsa in vllo differt, nisi modis subsistendi diuersis, in Patre, in Filio, in Spiritu sancto. Explicaui, vt potui hoc mysterium. Qui melius id ex singulari Dei dono, efficere potest: istud vt faciat, rogo, & obsecro. Atque hæc satis, pro Theseos explicatione.

## CAPVT II.

### Theseos, de hac doctrina superiùs explicatæ, confirmatio ex tribus argumentis, ductis à principiis, per se notis.

Confirmanda nunc est propositio, nempe hosce tres, vnum tantum esse οὐσίᾳ, & numero Iehouam. Ac primum quidem rationibus ex certis ac indubitatis principiis; hoc faciemus. Deinde apertis Scripturarum testimoniis ad id vtemur. Postremò Patrum, Iudæorum etiam & Gentilium auctoritatibus, quàm impia sint Tritheitarum commenta, ostendemus.

#### *Argumentum primum ab vnitate essentiæ.*

SI Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt vna & eadem, non autem multiplex essentia diuina: sunt etiam non multi Iehouæ, sed vnus duntaxat numero Deus Iehoua. Est hæc manifesta propositio: A definitione (vt loquuntur) ad definitum. Ostendimus enim Deum nil aliud esse, quàm diuinam, eamque æternam, simplicissimam, immensam, perfectissimamque essentiam. Et quidem hanc esse vnam duntaxat. tum quia in scripturis vnus tantùm est ὁ ὤν & apud Philosophos vnum tantùm τὸ ὄν: tum: quia vnus tantùm Iehoua, vnde nomen essentiæ deriuatur: tum, quia vnam tantùm legimus in Scripturis Deitatem τὴν θεότητα: Col. 2. 9. tum, quia ipsa diuina essentia simplicissima est, eoque in partes secari nullomodo potest. Quod enim nullo modo compositum est, illud etiam nulla ratione diuidi potest: & vnaquæque res, eatenus diuidua, & multiplex fit, quatenus ea composita est. Quare, cùm diuina essentia simplicissima sit, ea etiam vna tantùm sit necesse est. Atqui Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vna & eadem diuina essentia. Est enim Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, & quidem Deus Iehoua, vt ante demonstratum est luculentissimè. Quisq; igitur diuina est essentia: & ea non multiplex, aut diuersa, sed vna omnium, atque eadem. Est enim paulò antè demonstratum, diuinam essentiam, non posse nisi vnã esse: alioqui si diuidi, aut vlla ratione multiplex fieri possit: non fuerit hæc diuina illa essentia, quæ est Deus. Item dubium esse non potest, quin in Patre sit omnis plenitudo deitatis, hoc est diuinæ essentiæ. Eandem esse in Filio, docet Apostolus, Col. 2. 9. Quare non est cur negemus, eandem plenitudinem in ipso quoq; Spiritu sancto inesse: cùm etiã ipse non minùs sit Iehoua, quàm Pater & Filius, vt anteà demonstratum est. Quid autem est plenitudo deitatis, nisi tota diuina essentia? Tota igitur in Patre, tota in Filio, tota in *Spiritu* sancto, nec solùm tota, sed eadem planè: cùm vna tantùm sit Deitas (vt scripturæ docent,) & non plures. Quũ autem dicimus, diuinam essentiam esse in Patre, esse in Filio, esse in Spiritu sancto: non sic intelligenda sunt hæc verba, quasi Pater sit quædam per se subsistens substantia, ab essentia ipsa diuersa: cui substantiæ insit porrò ipsa diuina essentia. Forent. n. duæ substantiæ, simul vnitæ, & compositæ: quemadmodum est anima, in corpore, substantia scilicet in alia substantia. Sed intelligimus Patrẽ constare, essentia, & suo proprio subsistendi modo: qui est, esse ἀγεννήτως. Quid autem hoc est aliud, quàm patrem, esse diuinam essentiam ἀγέννητον, vel ἀγεννησίαν? Idem dico de Filio, & de Spiritu sancto. Quare cùm etiam dicimus, iuxta scripturãs, Patrem, generando Filium, totam suam Filio substantiã communicasse: nihil aliud dicimus, quàm Patrem totam suam essentiam, γεννητῶς (vt loquitur Iustinus) communicasse, & hanc ita γεννητῶς communicatam vocari, & esse Filium Dei Patris. Neque dissimili sensu dicimus, Patrem, & Filium, totam suam essentiam, Spiritui sancto communicasse, hoc est, hanc essentiam ἐκπορευτῶς à Patre, & filio communicatam, esse Spiritum sanctum. Hinc liquidò apparet, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse vnam numero, atque eãdem prorsus, diuinam essentiam, diuersis tantùm subsistendi modis à seipsa distinctam. Ad confirmationem huius assumtionis pertinent illa loca, vbi Pater, & Filius, & ex consequenti etiam Spiritus sanctus dicuntur esse vnum: *ego & Pater* (inquit Christus Ioh. 10. 30.) *vnum sumus*. Item, *Et hi tres vnum sunt*, 1. Ioha. 5. 7. Quomodo vnum? nimirum essentia. Sic Tertull. contra Praxeam. pag. 425. Sic Augustinus, sic Iudæi intellexerunt: ideò voluerunt eum lapidare, vt blasphemum. In ipsis enim personis, Patre, Filio, Spiritu sancto, duo tantùm sunt, essentia, & modus subsistendi, vt anteà vidimus ex Iustino pulchrè explicatum. Nam siue potentiam, siue sapientiam, siue bonitatem, siue iustitiam, siue denique quiduis aliud in Deo consideres, & de Deo dicas, excepto subsistendi modo, quo certa determinatur persona, totum illud reliquum ad essentiam pertinet, & est ipsa diuina essentia. Ac proinde si dixeris esse vnum, potentia, vel consensu, vel alia re: vnum esse, essentia dixeris: cùm vnaquæque persona nulla alia re constet, quàm communi essentia, & proprio subsistendi modo. Non sunt autem Pater, Filius, & Spiritus S. vno subsistendi modo: cùm vnus sit ingenitus, alter genitus, tertius procedens. vnum igitur sint essentia vna, necesse est. Esse autem vnum essentia vna, quid aliud est obsecro, quàm esse vnam & eandem essentiam? Si autem Pater, Filius, Spiritus sanctus vna sunt, eadémque essentia, vt iam satis abundè demonstratum est, consequitur necessariò, Patrem, Filium, Spiritum sanctum esse vnum numero, eundemque omninò Deum Iehouam, & non plures. Huc facit etiam illud Ph. 2. 6. *qui cùm in forma Dei esset*, hoc est, in essentia diuina: Sicut posteà formam serui accepit, (id est, humanam naturam) *seruus*, hoc est homo, *factus*. Sic interpretatur Basilius contra Eunom. Lib. 1. p. 317.

#### *II. Arg. 2. ab vnione personarum essentiali.*

SI Pater, Filius, & Spiritus sanctus ita inter se sunt coniuncti, vt & vnus sit in alio τῇ οὐσίᾳ, & separari à se mutuò non possint: nullo modo possunt esse plures numero dij Iehouæ. Vt enim multi sunt reuera dij: necesse est, non solùm propriis subsistendi modis omnes inter se esse distinctos: verùm etiam, sua quenque substantia, ab alio esse disiunctum. Nomen enim Dei, non modum subsistendi significat: sed veram οὐσίαν, atque substantiam. Nomen autem personæ, seu patris, item filij, item Spiritus sancti vtrumque complectitur, nimirum substantiam simul, & modum subsistendi proprium. Ac proinde si non sunt à se inuicem substantia quisque sua disiuncti, non possunt esse multi, numero, & reapse, dij. Atqui totus Pater est in Filio: Filius in Patre: vterque in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus tam in Filio, quàm in Patre τῇ οὐσίᾳ: idque inseparabiliter. De Patre, & Filio: *Ego in Patre, & Pater in me*, ait Christus: Item: *Filius qui est in sinu Patris*: Item: *sicut tu in me, & ego in te*, Io. 14. 11. & 1. 18. & 17. 21. De Spiritu sancto in Patre, & Filio Apostolus ad Corint. *quis nouit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita nemo, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei* (Patris scilicet & Filij) nẽpe, qui in ipso est Deo. 1. Cor. 2. 11. Nam Spiritus Patris, & Spiritus Christi vocatur. Rom. 8. 9. Ac proinde Spiritus Patris, & Filij tam est in Patre, & in Filio, quàm Spiritus hominis, in homine. Quare non possunt esse plures essentia, & numero dij. Alioqui non tam essent inter se distincti, propriis subsistendi modis: quàm etiam sua quisque essentia, ab altero diuisus, quemadmodum nos quoque inter nos, non tam distincti, quàm etiam disiuncti sumus, sua quisque persona: eoque sua quisque substantia. Nam quomodo Filius est in Patre, & Pater in Filio: nisi vnione essentiali, vel potiùs ταυτότητι τῆς οὐσίας? Qui igitur contendunt Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres esse Spiritus, trésque Deos: ij apertam dant significationem, se non intelligere? quid sit Patrem esse in Filio, & Filium in Patre, & Spiritum sanctum Spiritũ esse Patris, & Filii, in Patre, & Filio manentem. Certum est enim quò minùs aliquid diuisibile est: illud eò magis vnum esse. Aduersus hoc ἀξίωμα, nulla valet sophistica. Est autem Filius, omninò inseparabilis, & indiuisibilis à Patre

poris, quia, vt sequitur per hunc, viuificabuntur nostra corpora. Ita attribuit Spiritui sancto aliud opus, quod non potest nisi in Deum competere: nimirum, nostra corpora à morte, ad æternam vitam excitare, & viuificare: v. 11. viuificabit & mortalia vestra corpora, per inhabitantem eius Spiritum in vobis. Deus quidem Pater viuificabit, sed per suum Spiritum tanquam per suam virtutem: sicut & per Filium tanquam per suam sapientiam. Dat etiam Spiritui sancto gubernationem piorum, dicens v. 14. *Quotquot autem ducuntur Spiritu Dei, ij sunt filij Dei*, ducuntur enim à Spiritu sancto, quia non sinit eos viuere secundum carnem: sed efficit, vt viuant secundum suum ductum: idque perpetuo in finem vsque, donec in plenam æternæ vitæ possessionem introducantur. Hoc certè opus, solius est Dei. Ad hæc, Vi eiusdem Spiritus sancti adoptamur in filios Dei: ideo appellatur Spiritus υἱοθεσίας. & impellimur ad inuocandum Patrem: docemurque Deum, sicut decet, inuocare, ver. 26. Præterea factis iam nobis per ipsum filiis Dei: is in animis nostris inhabitans, patefacit, quinam simus: Testatur enim Spiritui nostro, hoc est, animæ nostræ, nos esse filios Dei: & hæredes æternæ vitæ. Quis verò ignoret adoptare in filios Dei, impellere ad inuocationem, efficere vt rectè inuocemus, denique testari in animis nostris nos filios esse Dei, opera esse talia, quę in nullum creatum Spiritum competere possunt?

*V. Loc. 20. ex Rom. 14. vers. 17.*

HIc adscribuntur Spiritui sancto ea, in quibus potissimum consistit regnum Dei: ac proinde concluditur esse, vt institutor regni: sic etiam Deus. Regnum enim Dei non consistit in rebus carnalibus, & externis: sed in spiritualibus: cum totum sit spirituale: primò, In iustitia, tum illa qua verè iustificamur coram Deo, tum illa, qua in nobis inchoata, iusti sumus etiam coram hominibus. Deinde, in pace, tum illa, quam habemus apud Deum iustificati ex fide, & quæ exuperat omnem sensum: tum illa, quam habemus inter nos. Denique, in gaudio vero, scilicet quo exultamus in Domino, & in afflictionibus: & quo verè beati, & felices reddimur: de quo Christus, *Gaudium vestrum plenum*. Io. 15. 11. 1. Io. 4. Horum omnium auctor est Spiritus S. ideirco ait, *per Spiritum sanctum*. Horum autem & reliquorum bonorum spiritualium auctor prædicatur Deus: *Omne datum bonum, & omne bonum, de sursum est*. Iac. 1. 17. Huc igitur adde, quæ tradit Rom. 15. 13. *Deus autem spei, impleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt spe abundetis per virtutem Spiritus sancti*. sed non sine suo Spiritu. Quid autem sit Spiritus Dei, suprà demonstratum est. non esse motum, aut ἐνέργειαν mutam, sed rem subsistentem, intelligentem, volentem, agentem. Eundem non esse creatum: sed procedentem à Patre, & à Filio, quare eiusdem etiam essentiæ, cum Patre & Filio. Verus igitur natura, & essentia Deus est. Huc etiam spectant, quę subdit Rom. 15. v. 19. Christum per se magna effecisse, virtute verò Spiritus sancti: adde & illud ex versic. 30. *Precor vos per Dominum nostrum Iesum Christum: & per charitatem Spiritus*: hoc est, qua Spiritus nos deuinxit. Si charitatis fraternæ auctor est Spiritus sanctus: Deus igitur est. Charitas enim ex Deo est: 1. Ioh. 4. 7.

## CAPVT V.

### Explicatio locorum, ex priore ad Corinth. epistola sumptorum, pro diuina Spiritus sancti essentia.

*Loc. 21. ex 1. Corinth. 11. vers. 10. 11. & 12.*

DOCVERAT Apostolus sapientiam Christianam, hoc est, Euangelium, quod prædicabat: mysterium esse omnibus hominibus ita absconditum, vt ne sapientissimi quidem, illud per se possint percipere: propterea quod omnes suapte natura sint cęci: atq; ita cęci, prępostericq; iudicij vt quod summa est sapientia corā Deo, illud ipsi habeāt pro maxima stultitia. At vnde igitur (potuisset quis dicere) perspecta vobis est Apostolis ista sapientia? ait: *Nobis autem Deus reuelauit per Spiritū suū*. quasi diceret: Neque nos ad hanc cognitionem peruenimus nostro marte; sed ideò eam nouimus, quia Deus ipse (Pater) reuelauit per suum Spiritum: quo scilicet nos donauit, nostrasque mētes, pulsis naturalibus tenebris illuminauit. Dat ergo hic effectū patefaciendi sapientiam cœlestem, & mysteria Dei, Spiritui sancto. At non ait, Spiritus sanctus reuelauit: sed Deus per Spiritum suum sanctum, hoc est, per afflatum, & motionem. Alibi explicatio habetur, *Spiritus deducet vos in omnem veritatem*. Item: *Docebit vos omnia*. Ioa. 16. 13. & 14. 26. Est igitur persona, docens, & illuminans. Est enim hæc locutio similis huic alteri: Sol illuminat per suum splendorem, splendor igitur illuminat. Sicut & de λόγῳ dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt*. Io. 1. 3. nempe à Deo: Ergo ipse omnia fecit. Sicut explicat Apostolus ad Heb. 1. 2. 10. Quod dixi, confirmant, quæ sequuntur: dat enim Spiritui sancto, quòd omnia scrutetur, quæ nouerit ea quæ sunt Dei, ergo persona agens. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei*. ἐρευνᾷ est, qui probat, se & reliquos, qui hoc donati sunt Spiritu Dei, vere nosse hæc Dei mysteria. Ratio ducitur, à perfectissima Spiritus sancti rerum omnium cognitione atque sapientia. Spiritus enim sanctus omnia scrutatur, hoc est, omnia nouit, licet abscondita: etiam profundissima Dei Patris consilia. Potest igitur, a cui velit reuelare. Quare mirum non est, nobis ea esse reuelata, cùm simus donati hoc Spiritu: & non aliis; qui hunc spiritum non acceperunt. Sequitur ergò, *Quis enim hominum nouit, &c.* Confirmatio à simili, qua duo concludit, Vnum, Spiritum sanctum nosse omnia, etiam profundissima quæque consilia Dei. Ratio, quia in ipso est Deo Patre. Sicut enim animus hominis, ideircò nouit omnia quæ sunt hominis, quia in ipso est homine: ita Spiritus Dei, idcircò nouit omnia, quæ sunt Dei, quia in ipso est Deo. Sicut etiam de Filio anteà concluserat Iohann. Baptista dicens: *Deum nemo vidit vnquam: Filius, qui est in sinu Patris, &c.* Io. 1. 18. hoc est: Quia in sinu est Patris, idcircò nouit Patrem: ac proinde potuit nobis enarrare. Sic de Spiritu sancto hic loquitur Apostolus. Alterum igitur, quod concludit, est: Solum Spiritum sanctum nosse, nempe per se, omnia quæ sunt Dei. Ratio: quia solus est in Deo Patre. Si enim ideò solus Spiritus, id est animus hominis, nouit per se quæ sunt hominis, quia solus in ipso est homine: Ergò etiam Spiritus sanctus solus nouit quæ sunt Dei, quia solus in ipso est Deo. Hic non excluditur Filius: sicut nec ibi Spiritus sanctus, vbi dicit Christus: *nemo nouit Patrem, nisi Filius*: Matth. 11. 27. ratio est, quia vnius sunt essentiæ. Hinc duo confirmantur membra propositionis Apostolicæ: primùm: Nemo igitur sine Spiritu Dei, vtut sapiens sit, potest verè nosse quæ sunt Dei. & hanc, quam prædicauimus, sapientiam cœlestem. Nā solus Spiritus per se nouit, & scrutatur profunditates Dei: quippe qui etiam solus in Deo est. Alterum: Omnes, quibus hic spiritus reuelat (reuelat autem illis qui se accipiunt) ij vere nôrunt, quæ sunt Dei: propterea quod is optimè nouit quæ sunt Dei, cùm sit in Deo. *Nos verò spiritum non huius mundi accepimus: sed spiritum qui est ex Deo, vt sciamus, &c.* Conclusio sequitur. Ergo mirum non est, quod nos tantùm Apostoli, & reliqui fideles, noscamus Dei: & ea, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis (animalis scilicet) ascenderunt, aut ascēdere possunt: cum nos soli acceperimus Spiritum hunc sanctum qui omnia scrutatur, & nouit, quæ sunt in Deo.

II. Hic etiam duo argumentorum genera habemus, quibus Deitas Spiritus sancti apertissimè confirmatur. Vnum sumitur ab operibus, quæ solius Dei sunt, vt nosse omnia, etiam profundissima quæque Patris consilia, & secreta. Nam si hoc est solius Dei, scrutari renes & corda hominum, nosseque illa, quæ sunt in homine: quanto magis solius Dei est, scrutari, hoc est, penetrare, vsque in profunditates Dei Patris: & ea etiam mentibus humanis efficaciter reuelare? Proinde dicit, Deus reuelauit per Spiritū sanctum. Solius igitur Dei est, sicut nosse: sic etiam reuelare sese & sua. Sic ait Christus: *nemo nouit Filium nisi Pater: neque quisquam nouit Patrem, nisi Filius: & cui voluerit Filius reuelare*, Matt. 11. 27. Hic verò idem attribuit Spiritui sancto. Ex hoc efficitur, tam Spiritum sanctum, quàm Filium, & Patrem verum esse Deum. Alterū sumitur à proprietate personæ Spiritus sancti. Is est ex Deo, nēpe Patre, v. 12. *Nos autē non spiritum mundi accepimus, sed spiritū qui est ex Deo*. Quomodo ex Deo est? Procedendo, vt apud Ioh. explicatur, Io. 15. 15. Est igitur de substātia Dei: sicut & de Filio probatum est, quia ex Deo Patre est nascendo, eiusdem igitur cū esse cum Patre essētiæ. Præsertim quod Spiritus sanctus est ita ex Deo vt semper sit in Deo: sicut & de Filio dictum est *Filius, qui est in sinu Patris*, Io. 1. 10. Idcircò ait, ver. 11. *Quis enim hominum nouit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita etiam quæ sunt Dei, nemo ea nouit, nisi Spiritus Dei*, qui scilicet in ipso est, &c. Hoc est commune tribus illis personis, vt vna sit in alia: Pater in Filio: Filius in Patre: Spiritus sanctus in Patre, & Filio: quia vna, & eadem omnium est essentia. Hoc igitur est tertium argumentum.

Spiri-

Spiritus sanctus in Deo est, sicut Spiritus hominis, est in homine.

Ergò sicut anima, ita est hominis, & in homine, vt sit homo: sic Spiritus sanctus ita est Spiritus Dei, & in Deo, vt sit Deus. Est enim anima res subsistens in homine, veraque substantia, & quidem forma substantialis ipsius hominis: ac proinde substantialiter de illa prædicatur hominis nomen. Ita Spiritus sanctus res est subsistens, eoq; vera persona in Deo: ac proinde verus essentia Deus. Alioqui si non esset vera substantia, & persona, eoque verus Deus: quomodo dici posset nosse (nempe per se, & ex se) ea, quæ sunt Dei, sicut & animus, qui est in homine, nouit per se ea, quæ sunt hominis?

### III. Locus 22. ex 1. Corint. 3. v. 16. & 17.

HOrtatutus Apostolus Corinthios, ne se prostituant hominibus humanæve sapientiæ: sed in vnius Christi fide & obedientia constantes permaneant: præter alia vtitur hoc argumento: *Vos estis templum Dei*. Probat ab inhabitatore. *Nam Spiritus Dei habitat in vobis*. Hoc erat in cōfesso apud omnes fideles: quicunque est Christi seu verus Christianus, eum habere Spiritum Christi, in se habitantē. Rom. 8. 6. Hanc propositionem, his verbis complectitur, cū sua probatione, dicens, ver. 16. *An nescitis vos esse templum Dei: & Spiritum Dei habitare in vobis?* Hanc repetit altero membro, ver. 17. *Si quis autem templum Dei perdit* (φθείρει pro violat) *hunc perdet Deus. Templum enim Dei sanctum est.* Quasi diceret: non potest igitur violari, quin perdatur ille, qui templum Dei sanctum violauerit. Ergò nisi velitis perdi à Deo, nolite vos ipsos, qui estis templum Dei sanctum, violare. Violatis autem si vos ipsos hominibus prostituatis: & fiatis illorum serui, inque illis gloriemini. Quare concludit hortationem: ver. 21. *Itaque nullus glorietur in hominibus: omnia namque vestra sunt: vos Christi: Christus Dei.* 1. Cor. 6. 18. &c. Eodem vtitur argumento, dum eosdem dehortatur à scortatione. Item vsurpat idem argumentum, quum eisdem Corinthiis dissuadet coniugium cum infidelibus 2. Cor. 6. 14. &c. Nam præter alias rationes, cur non debeat fidelis iugum ducere cum infideli, hanc etiam adfert: *Quæ consensio templo Dei cum simulacris? nam vos estis templum Dei viuentis.* Idcircò concludit dicens: *Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite.* Est igitur hic locus apertus ad asserendam Spiritus sancti Deitatē. Nam primò ait nos esse templum Dei: cap. autem 6, ver. 19. ait nos esse templum Spiritus sancti: *An ignoratis corpus vestrum templum esse Spiritus sancti?* Spiritus igitur Sanctus Deus. Et confirmatur, quia templum nunquā licuit consecrare nisi Deo. Deinde probat nos esse tēplum Dei, quia in nobis habitat Spiritus sanctus: qualis autem foret ista probatio: Si Spiritus sanctus non sit ita Spiritus Dei, vt sit Deus? Tertiò idem liquidò apparet, ex verbo inhabitandi. Quis enim est ille, qui habitat in fidelibus? Deus Iehoua. Hoc liquet ex testimonio, quod citat Apostolus 2. Cor. 6. 16. *Vos estis templum Dei viuentis sicut dixit Deus. Habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus.* Si igitur Spiritus sanctus testimonio Apostoli, inhabitat in nobis fidelibus, quomodo non est verus ille Iehoua, qui hoc promiserat se facturum?

### IV. Loc. 23. ex 1. Cor. 6. v. 11.

ARgumentum hic habemus, ab operibus Dei propriis ab illis inquam, operibus quę ad salutē Ecclesię pertinent. Horum operum tria hic commemorat genera: & ea attribuit tam Spiritui sancto, quàm Iesu Christo, & Patri, quem nomine Dei nostri intelligit. Ac proinde docet, Spiritū S. esse Deum, non minùs, quàm Filius & Pater sunt Deus. Primùm ait, *Abluti estis*. Duo quidem, in hoc contextu, operum genera proponit Apostolus, quibus nostra constat salus: Iustificationem, quæ consistit in remissione peccatorum, inque imputatione iustitiæ Christi: & sanctificationem nostri, seu regenerationem: Interim tamen, quo magis permoueat, & afficiat fideles, ad quos scribit: Iustificationis opus in duas secat partes: vnam vocat ambulationem à peccatis, quum ait, *sed abluti estis*: alteram vocat iustificationē, quum ait, *sed iustificati estis*. Quare iustificatio coniungitur cum peccatorum ablutione. Non abs re tamen præposuit ablutionem sanctificationi, & iustificationi, dicendo, *abluti estis*, nempe à fordibus peccatorum. Alludit enim ad Baptismum, ianuam in Ecclesiam Christi: vbi primùm electis, sicut corpora abluuntur aqua: sic animæ, à sordibus peccatorum purgantur. à quonam? à Deo Patre, per sanguinem Christi, & per aquā Spiritus sancti. Ideò hos tres nominat: Patrem quum ait, *Dei nostri*: Filium quū ait: *In nomine Domini Iesu*: Spiritū sanctum, quum ait: *Et per Spiritum Dei nostri*. Atque hic locus declarat cur baptizemur in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quia præter alias causas: horum trium gratia, beneficio, opera, abluimur, sanctificamur, iustificamur inque ipsorum vnius Dei, fœdus recipimur. Deinde ait, *sed sanctificati estis*. Hæc sanctificatio complectitur duo: vnum, vt exuamus veterem, alterum vt induamus nouum hominem: sed vtrumque in hoc mundo inchoatum, non autem perfectum. Renouantur enim & regenerantur fideles in filios Dei, fiuntque nouæ creaturæ; sed ita vt semper in eis maneant reliquiæ veteris hominis: eoque opus habeant quotidiana peccatorū remissione. Postremò ait, *Iustificati estis*. Huius præcipua pars, est imputatio iustitiæ, & obedientiæ Christi. A quo verò abluti, sanctificati, & iustificati sumus? à Deo nostro, Patre, in nomine Domini Iesu, hoc est, per Iesum & per Spiritum sanctum. Hæc certè præstare, non est nisi Dei: Ergo cùm hęc attribuat, tā Filio, & Spiritui sancto, quàm Patri: efficitur tam Spiritum sanctum, & Filiū, verum esse Deum, quàm Patrem ipsum. Sic etiam sanctificationem nostri attribuit Spiritui sancto. 2. Thes. 2. 13.

### V. Locus 24. ex 1. Corint. 6. v. 19. & 20.

PRæter illud, quod confecimus argumentum, tum ex cap. 3. ver. 16. 17. tum ex hoc ver. 19. ad asserendam, Spiritus sancti Deitatem, nimirum, quia nos sumus templum Spiritus sancti, quatuor etiam alia hinc colligere licet argumenta, quibus idem confirmetur. Primum hoc est. Posteaquam dixisset, nostra corpora esse templa Spiritus S. mox subiecit, nos non esse nostri iuris: docens iis verbis, nos ita esse Spiritus sancti, vt is vnus ius in nos habeat plenum, & absolutum. Vbique autem scriptura prædicat, nos solius esse Dei: & Deum solum, plenum, & absolutum ius in nostras habere animas, atque corpora: vt quū ait, se nostrum esse Deum: nos eius populum. Leuit. 26. 1. Non potest igitur Spiritus S. esse creatura: neque est mutum Dei donū: sed persona intelligens & volens, si ius in nos habet. Alterū: Posteaquam dixisset, nos esse templum Spiritus sancti, statim cū nomine Dei appellauit, sic cōcludendo *Glorificate igitur Deum in corpore vestro*. Quomodo ex superiori versu sequitur hæc illatio: *glorificate igitur Deum in corpore vestro*: si nomine Dei non intellexit Spiritum sanctū? Supra enim dixerat nostra corpora esse templum Spiritus S. Sic igitur erat inferendum: glorificate igitur Spiritum sanctum in corpore vestro, tanquam in suo templo. Debet enim in suo quisq; templo glorificari. At mutato nomine dicit, *glorificate igitur Deum in corpore vestro*. Nomine igitur Dei intellexit illum Spiritum S. de quo dixerat: *Corpora vestra templum sunt Spiritus sancti*. Quare agnouit Apostolus Spiritum sanctum pro vero Deo. Tertium: Adde huc quod suprà dixit: *& non estis vestri iuris*: docens, quicquid sumus, esse ipsius Spiritus sancti, cuius dixit nos esse templum. Posteà verò in conclusione ait, debere nos glorificare Deum: in corpore nostro: & Spiritu nostro. *Quæ* (inquit) *sunt Dei*, quasi diceret, quippe quæ sunt Dei. Suprà dixit. nostra corpora, hoc est, quicquid sumus, esse templum Spiritus sancti, & non esse nostri iuris, sed iuris Spiritus sancti. Hic ait, hæc corpora, & spiritus nostros, esse Dei: ac proinde debere nos glorificare Deum. Eundem igitur intellexit Apostolus nomine Dei: quem antea nomine Spiritus sancti. Denique verbum quoque glorificandi, idem confirmat. Iubet enim Apostolus, vt glorificemus Spiritum sanctum, quem nomine Dei, vt antea demonstratum est, significauit: & glorificemus quidem in corpore nostro, & in spiritu nostro. Quid est autem hoc, quàm totum, & corpus & animam, in obsequiū Dei addicere? Talis autem honos Deo debetur, & præterea nemini, vt passim scripturæ docent. Proinde non possum tacere, quæ hinc colligit Augustinus, non minùs verè, & piè, quàm acutè. Tom. 2. Epist. 66. ad Max. Col. 318. D. initio epistolæ. Prima propositio Augustini est, Vnum solum esse Deum, cui seruitus illa debetur (vtar verbis Augustini) quæ λατρεία Græco vocabulo nuncupatur: iuxta illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies*: λατρεύσεις Secūda propositio, Hunc Deum, non esse solum Patrem, quia etiam Filio in scripturis iubemur hunc præbere cultum, imò & Spiritui sancto. De hoc enim Spiritu sancto dicit Apostolus, *Nescitis, quia corpora vestra, templum sunt, in vobis Spiritus sancti* (scilicet habitantis) *quem habetis à Deo* (Patre) *& non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate igitur Deum in corpore vestro, &c. Quem Deum*, inquit Augustinus; *nisi*

*Spiritum sanctum, cuius corpora nostra dixerat esse templũ? Debetur ergo λατρεία Spiritui sancto. Nam si templum ei facere, sicut Salomon fecit, de lignis & lapidib. iuberemur, vtique faciendo templo, λατρείαν exhibere conuinceremur: quantò magis λατρείαν debemus, cui non facimus templum, sed sumus?* Hæc Augustinus: Inde verò, hoc est, ex ista λατρεία quã debemus Spiritui sancto, concludit, eum vnà cum Patre, & Filio, ipsum esse Deum, de quo scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Mat. 4. 10. Deut. 6. 13.

### *VI. Loc. 25. ex 1. Corinth. 12. vers. 4. &c.*

D*Iscrimina autem donorum sunt, &c.* Hic etiam locus est vnus ex præcipuis, quos Patres citant aduersus πνευματομάχους. Quatuor enim hic tradidit Apostolus: quibus maximè confirmatur orthodoxa Ecclesiæ de Spiritu sancto doctrina. Principiò permulta commemorat dona; quæ certò à nullo homine, nulloque Spiritu creato, conferri in quempiam possunt: sed à solo Deo. Idcircò ait versic. 6. *sed idem est Deus, efficiens ea omnia in omnibus.* Hæc autem scribit hic Apostolus distribui à Spiritu sancto, versic. 11. & insequentibus. Deinde scribit hæc dona ita per Spiritum sanctum, seu in Spiritu sancto distribui: vt ipse Spiritus ea donet, & efficiat in omnibus: idque prout ipse vult, versi. 11. Tertiò docet hæc eadem dona, & à Spiritu sancto, & à Domino, nempe Iesu Christo, & a Deo, nempe Patre, distribui, ver. 4. 5. 6. quo ex loco confirmatur regula illa, in scholis trita: Opera trinitatis ad extra, tribus personis esse communia. Atque hæc non opus habent accurata interpretatione, sunt. n. perspicua. Postremò dicit per eundem Spiritum sanctum fieri, vt omnes simus in vnum corpus baptizati: & in vnum Spiritum potari: vers. 13. Hæc verba sic interpretor: *Etenim* ἐν ἑνὶ πνεύματι, hoc est vi eiusdem Spiritus sancti: *Nos omnes baptizati sumus,* nempe à Patre, *in vnum corpus,* nempe Christi: baptizati, inquam, sumus, hoc est, purgati, abluti à peccatis, regenerati: est enim Baptismus aquæ sacramentum, & symbolum regenerationis: qua regeneratione simus nouæ creaturæ, & inserimur Christo: ita vt cum illo fiamus vnum corpus. Ideò subiecit: *in vnum corpus:* scilicet Christi, quod est tota Ecclesia, cum capite Christo. Hæc regeneratio: seu insitio in Christum, fit à Patre, sed per Spiritum sanctum. huiusce enim virtute, & efficacitate regeneramur, Christoque inserimur: vnde & Spiritus regenerationis in scripturis appellatur. Atque hic etiam, locus confirmat, sicut suprà quoque ostendimus, causam cur baptizemur in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti, quia nimirum est vnus atque idem Deus, Pater, Filius, Spiritus sanctus qui nos regenerat, qui nos in fœdus recipit, qui purgat à peccatis, qui inserit in Christum, vt simus cum ipso vnum corpus. Καὶ πάντες (subintellige ἀπὸ τοῦ κοινοῦ id, quod suprà dixit, ἐν ἑνὶ πνεύματι: id est, per eundem vnum Spiritum sanctum) εἰς ἓν πνεῦμα (scilicet Christi sicut suprà etiam dixit, in vnum corpus, scilicet Christi) ἐποτίσθημεν, *potati sumus.* Alludit ad aliud Sacramentum, Cœnæ scilicet Dominicæ: in qua potati sanguine Christi, & nutriti eius carne, sed per vim Spiritus sancti communicatis: viuificamur etiam Christo, & coalescimus cum eius Spiritu, & vita. Est autem synecdoche, quum mentionem facit tantùm potionis, & non comestionis. Sensus est: & nos omnes, in ipsa quoque Cœna Domini, vi vnius & eiusdem Spiritus sancti, qui est Spiritus Christi: vescimur carne Christi, & eius sanguine potamur: atque ita potamur, vt in vnum atque eundem Spiritum Christi coalescamus, & viuificemur: ita vt non solùm fiamus cum ipso, vnum & idem corpus, verùm etiam vnus & idem Spiritus, & ceu vna anima. Atque hic locus facit ad ostendendum, sanguine Christi verè non potari: ac proinde nec carne eius vesci, nisi illos, qui regenerati, inque Christi corpus insiti, & Spiritu S. donati sunt. Nam primùm ait: *Nos omnes, per vnum Spiritum baptizati,* id est regenerati. *sumus: idque in vnum corpus,* scil. Christi. Deinde subdit: *Et nos omnes* (qui? qui scil. renati sumus, baptizati in vnum corpus, eoque facti nouæ creaturæ in Christo) *potati sumus &c.* Non potantur igitur sanguine Christi, nisi qui priùs sunt verè baptizati, id est, renati, & in corpus Christi per Spiritum sanctum insiti. Item quum ait: *Potati sumus:* intelligendum est vt dixit ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, ἐν ἑνὶ πνεύματι, hoc est, per vnum & eundem Spiritum sanctum. Non possumus igitur fieri participes sanguinis Christi, & eo potari: nisi vi Spiritus sancti ille nobis communicetur. Hæc fusiùs pro explicatione huius vers. 13. neque id περιττῶς: nam etiam hinc confirmatur deitas Spiritus sancti.

VII. Ex iis igitur omnibus, quæ hic tradit Apostolus de Spiritu sancto, tria facilè est colligere. Primùm quam in Scripturis legimus, Deum aliquid agere per suum Spiritum, non sic esse intelligendas has locutiones, quasi Deus operetur per suum Spiritum, veluti per instrumentum: aut per quandam facultatem, qua tantum agatur, & non quæ agat: sed Deum Patrem ita agere per suum Spiritum, vt ipse Spiritus agat, tanquam eadem cum Patre causa efficiens. Nam dixit quidem Apostolus v. 5. *Huic datur,* scil. à Patre, *per Spiritum sermo sapientia, &c.* & sic vers. 9. & 10. Verùm idem etiam Apostolus ait. ver. 1. *Discrimina autem donorũ sunt, sed idem Spiritus:* qui scil. ea dona largitur, vt posteà explicat. Et quidem apertè docet, Spiritum S. tam causam esse efficientem horum donorum, quàm etiam Pater sit. Cùm enim de Patre dixisset, vers. 6. *Sed idem est Deus, efficiens ea omnia in omnibus:* posteà subiecit idem de Spiritu sancto vers. 11. dicens: *Sed omnia hæc efficit vnus ille atque idem Spiritus.* Quid clarius? Hinc apparet alterũ: nimirum Spiritum sanctum non esse actionem Dei, seu donum mutum, & mortuum: sed esse veram personam, rem scilicet per se subsistentem, intelligentem & voluntate libera præditã, agentem & mouentem. Si enim hęc omnia agit & distribuit; est igitur substantia agens. Et si hęc agit, & diuidit singulis, prout vult, vt ait Apostolus: est igitur substantia agens, intelligens, liberè volens; eoque vera persona. Hinc conficitur tertium, nempe Spiritum sanctum verum esse Deum. Si enim est Spiritus Dei, & in Deo, isque substantia viuẽs, est igitur essentia Deus, quia Spiritus Dei æternus est, & nihil in Deo est subsistens, quod non sit Deus. Idem patet ab operibus. Spiritus elargitur dona & facultates spirituales: easque distribuit pro sua voluntate. Hoc autem est solius Dei. Item efficit omnia, quæ & Pater Deus, & Filius Deus. vers. 11. Item vna est Patris, Filij & Spiritus sancti voluntas. Distribuit enim Spiritus sicut vult: Et eadem efficit Pater, & Filius. procul dubio, sicut & ille & iste vult. Est igitur vnus cum Patre, & Filio Deus, Patri, ac Filio per omnia æqualis. Item vi Spiritus sancti baptizamur à Patre, in vnum Christi corpus, inque illud inserimur: eoque tam à Spiritu, quàm à Patre, & Filio regeneramur, & in fœdus recipimur. Et nos vicissim, fidem, & obedientiam, ac cultum promittimus, tam Spiritui sancto quàm Patri & Filio: Atque hoc significamus, quum tam in nomen Spiritus sancti quàm in nomen Patris & Filij baptizamur. Est igitur Spiritus sanctus Deus. Item in Cœna etiam, non possumus vesci carne, & potari sanguine Christi: nisi vi eiusdem Spiritus sancti ea nobis spiritualiter communicentur. Item ea sic nobis per Spiritum sanctum communicantur, vt non solùm fiamus vnum corpus, & vna caro cum Christo: sed etiã vnus cum eo Spiritus. Potamur enim in eũdem spiritum. Est hæc certè potentia, & vis, solius Dei. Est igitur Spiritus Deus. A nomine etiam Dei. Dixerat vers. 11. *Omnia hæc* (dona scilicet & ministeria, de quib. suprà) *efficit vnus ille atque idẽ Spiritus, distribuens* (priuatim illa singulis membris Ecclesiæ) *prout vult.* Paulò pòst verò loquens de hac donorum, & ministeriorum distributione, vers. 28. ait, *Et alios quidem Deus in Ecclesia constituit: primùm Apostolos, deinde Prophetas, &c.* Quem igitur anteà vocauerat Spiritum, posteà appellauit Deũ. Item dixerat, vi Spiritus sancti nos baptizari, seu regenerari, & inseri in vnũ corpus Christi, ita vt singuli simus membra huius corporis, quod est Ecclesia ver. 13. mox subdit, *Nunc autem Deus collocauit membra singula sigillatim in corpore sicut voluit:* ver. 18. Quæ verba intelliguntur non tam de corpore humano, quàm de corpore Ecclesiæ. Huius enim causa, simile à nostro corpore, membrisq; nostri corporis sumsit. Quem igitur anteà vocauerat nomine Spiritus sancti, hic nomine Dei appellat.

## CAPVT VI.

### Breuis expositio aliorum locorum, quæ ad eiusdem doctrinæ confirmationem, petita sunt ex posteriore Pauli ad Corinthios epistola.

ILLVSTRIA verò sunt, quæ in altera habentur ad Corinthios hac de re testimonia. Quare paucis ipsa etiam sunt perstringenda.

### *Locus 26. ex 2. Cor. 3. vers. 3. & 6. ac deinceps.*

VT totum hoc caput rectè intelligatur: & ex eo intellecto, argumenta ad confirmandam Spiritus sancti Deitatem, faciliùs colligantur: notandum est ipsum in duas secari partes: In prima, miro artificio, quasi contrarium agens, commendat se, & suos collegas, reliquosque Apostolos:

& hoc ad versum vsque sextum. In altera, commendat dignitatem, & præstantiam ministerij Euangelici, vsque ad finem capitis. In prima parte, dum vult se aduersus calumnias Pseudoapostolorum tueri: nimirum, quòd non ambitionis causa, ea de se prædicet, quæ prædicat, sed tantùm vt præstantiam sui ministerij defendat: perstringit aduersarios ambitionis, qui literas hinc inde emendicabant, quib. laudarentur, ac commendarentur Ecclesiis. Ergo Apostoli propositio hæc est. Non commendamus nos ipsos hisce ad vos literis nostris, neque opus habemus, sicut alij vllius epistolis, quibus vel vobis, vel aliis commendemur. Ac proinde, quæ antea de me prædicaui, ea debent vobis esse extra omnem vanæ ambitionis suspicionem. Sed hanc propositionem per interrogationem enūciat, dicens: *Incipimus rursus nos ipsos, &c. Epistola enim nostra, &c.* Sensus est, Quales antea fueritis, impij scilicet & omnes genus vitiis referti: omnes homines norunt. Quales etiam nunc sitis per meum ministerium, nemo nō videt. Vestra enim pietas, ex suis fructibus, est perspecta omnibus. Dū autē omnes sciunt, quales fueritis: & omnes vident, quales iā sitis, per meum ministeriū, effecti: inde etiam facilè omnes intelligunt, quis & qualis ego sim. An verus Christi Apostolus, & viuū Spiritus sancti organum, in prædicando Euangelio: necne sim. Nihil.n. efficaciùs prædicat, qualis sit Præceptor, & doctor. doctus ne sit, an indoctus: pius an impius: diligens in officio, an negligens, quàm ipsius Discipuli, sua nimirum non lingua, sed pietate, sed eruditione, sed virtute, vel cōtrà, impietate, ignorantia, vitio. Sunt enim discipuli instar Epistolæ viuæ: qua commendatur vel improbatur Præceptor. Idem de Episcopo, & de suo populo, siue Ecclesia. Qualis enim populus, talis & sacerdos. Hinc illud vulgatum, *Opus probat opificem.* Ergo cùm sitis mihi, ô Corinthii, quales iam estis, instar Epistolæ apud omnes homines, & apud vosmetipsos. opus non habeo vllis aliis commendatitiis literis, vel apud vos, vel apud alios. Satis enim reipsa perspicuum est omnibus, ex inspectione vestri, & illius Ecclesiæ an sim verus Christi Apostolus: & organum Spiritus S. in meo ministerio necne sim. Quare quæ antea de me scripsi, non scripsi vt me vel apud vos, vel apud alios efferā & cōmēdem: sed vt meum ministerium aduersus calumniatores defendā. Hic est sensus huius secundi versus: vbi adfert rationem, cur nō opus habeat literis commendatitiis. *Epistola nostra,* (qua scilicet debeo commendari, vel vobis, vel aliis) *vos estis.* Vos, inquam, quales iam estis: Christiani, & fideles per meū ministeriū effecti: quasi diceret, non vos, vt nuda papyrus, sed vos cum pietate: quæ inscripta est vestris cordibus. & quæ sese sancta vita exerit, & omnibus sese conspicuam, & quasi legendam præbet, estis Epistola. Nam epistola, propriè non est ipsa papyrus, seu charta: sed id, quod inscriptū est in charta. Ideò quum ait, *Vos estis Epistola,* intellige vos cum vestra pietate, & fructibus pietatis. Propriè enim epistola Pauli erat ipsa pietas, cum suis fructibus inscripta in cordibus Corinthiorum. Ideò sequitur, *In cordibus vestris inscripta.* Nam quòd ipsi Corinthii scripti essent in suis ipsorum cordibus, sed quod substantia epistolæ, erat in illorum cordibus scripta. Quæ hæc epistolæ substantia: Pietas. Erat hæc cordibus Corinthiorum per ministerium Pauli inscripta. Et ita credo legendum esse, quanquam omnes Codices habent nostris: sed facilis est mutatio literæ υ, in η. Et nostra interpretatio consentanea est cum iis quæ sequuntur in vers. 3. vbi alludit ad locum Ierem. 31. 33. de lege scribenda in cordib. *Quæ intelligitur & legitur ab omnibus.* Quasi diceret, Vestra pietas, etsi inscripta est in vestris cordibus, nō est tamen ibi occulta. Suis enim fructib. foràs sese profert: ita vt ab omnibus facilè possit perspici, & ceu quædam epistola legi atque intelligi. Hic est sensus: Si quis tamen velit communem, & receptam retinere lectionem, in cordibus nostris: hic, quem adferam, tolerabilior fuerit sensus. Dixerat, se non opus habere literis commendatitiis: nempe neque suis, aut aliorum, quibus sese commendarent Corinthiis: neque literis Corinthiorum ad alios, quibus commendaretur apud alios. Ratio est, quia ipsimet Corinthii, sunt instar talis Epistolæ: quæ Apostolum commendet, tam Corinthiis ipsis, quàm aliis hominibus. Nunc igitur ad primum quod attinet, ait. *Vos estis epistola nostra, scripta in cordibus nostris,* hoc est, ex vestra enim pietate, quam consecuti estis à Domino, per nostrum ministerium, sumus ego, & mei collegæ, persuasi de vobis in cordibus nostris, quanta sit vestra erga nos beneuolentia, & quanto simus apud vos in pretio. Idcirco, vt vobis commendemur, non est opus vlla ad vos epistola. Ad alterū quod attinet, ait: *Quæ intelligitur, & legitur ab omnibus,* hoc est. Nec solùm, quia nobis perspecta est vestra pietas, & quasi scripta in cordibus nostris, persuasi sumus in quanto apud vos simus pretio: Verùmetiam eadem vestra pietas, ita sese profert suis fructibus foràs ad omnes: vt nemo hominum non possit eam videre & cernere. Ac proinde fit, vt vos ipsi talis epistola sitis qua: & vobis ipsis, & aliis omnibus hominibus, commendetur: vt opus non sit aliis literis commendatitiis, vel ad vos, vel à vobis ad alios pro me. Sequitur, φανερούμενοι, scilicet ὄντες. Coniunxit enim cum ὑμᾶς, in superiori versu, ὅτι ἐστὲ ἐπιστολή, &c. Explicat primùm quod iam dixit, Corinthios esse epistolam: quæ ab omnibus legatur, &c. *Quæ scilicet φανερούμενοι, estis. ὅτι ἐστὲ, epistola, &c.* hoc est, Ideò dico vos esse instar epistolæ, quæ ab omnibus possit legi: quia palàm factum est, fructibus scilicet vestræ pietatis, vos esse Christi epistolam, hoc est Christum, per meum ministeriū, scripsisse in cordibus vestris suam legem, fidem, pietatem. Deinde explicat, quo sensu appellârit Corinthios, epistolā: nimirum, quatenus in ipsis seu in ipsorum cordibus inscripta erat pietas, quæ est summa totius legis: non atramento sed Spiritu Christi. Ideò ait, ὅτι ἐστὲ ἐπιστολή ἐγγεγραμμένη, &c. Tertiò explicat etiam, quo sensu vocârit hanc epistolam, suam epistolam: non quòd ipse propriè inscripserit pietatē in cordibus Corinthiorum (hoc enim fecisse Christum suo Spiritu sancto. Ac proinde Corinthios propriè esse epistolam Christi) Sed quòd opera sui ministerii, Christus vsus sit ad scribendam hanc epistolam. Fuit enim Apostolus, ceu calamus Christi: ideò ait: *Epistola Christi estis, subministrata à nobis, &c.* Hic igitur Corinthii, atque inprimis ipsorum corda fuerunt instar chartæ, & tales sumus omnes nos. Christus fuit scriptor: ideò ait Apostolus: *epistola estis Christi:* Spiritus sanctus instar atramenti, vt explicat. Sicut enim atramentum est id, quo, & ex quo immediatè formantur literæ: ita Spiritus sanctus est ea virtus qua immediatè inscribitur in cordibus Electorum pietas. Apostolus cum verbo Euangelii sui: instar calami, quo doctrina Euangelii per Spiritum sanctum fuit à Christo, in cordibus Corinthiorum inscripta. Alludit autem proculdubio ad illud Ierem. *Scribam legem meam in cordibus ipsorum, &c.* Porrò notandum, id quòd antea etiam non semel obseruatum à nobis fuit: Quæ agit Pater, eadem agere & Filium: & quæ Filius, eadem & Spiritum sanctum. Quare etsi legimus sæpenumerò, Filium, aut Patrem agere per suum Spiritum, non ita tamen hæc loca sunt intelligenda, quasi non etiam Spiritus sanctus eadem, vt causa efficiens, agat cum Filio, & cum Patre. Quæ cum ita sint, efficitur, si Christus scripsit in cordibus Corinthiorum, & quotidie in cordib. Electorum scribit pietatem: Spiritum quoque sanctum, eandem inscribere. Huc pertinet, quòd in hoc potissimùm capite, Euangelium appellatur Spiritus: vt quum ait ver. 6. noui Testamenti, non literæ, sed Spiritus. Item *litera* (id est, lex) *occidit Spiritus autem,* id est, Euangelium, *viuificat,* Quid ita? Quia quum prædicatur Euangelium, Spiritus sanctus illabitur in corda Electorum, & ibi illud inscribit, Euangelium autem fide receptum, viuificat. Ideò etiam ministerium Euangelii, ministerium Spiritus vocatur v. 8. Hinc ergo conficitur argumentum, quo ab hoc opere, quod est inscribere Euangelium in cordibus electorum, euincitur non solùm Filium, sed etiam Spiritum sanctum, verum esse Deum Iehouam. Quis enim promisit se scripturum in cordibus legem, hoc est, ipsam pietatem, quæ est summa doctrinæ legis, & Euangelii, nisi Iehoua? Non solùm autem Christus: sed etiam Spiritus sanctus, hanc inscribit. Ergo, &c. Volui hunc contextum fusius explicare, cùm propter intelligentiam loci, qui alioqui obscurus est, tum vt clariùs hinc appareat veritas, quam defendimus, de Spiritus sancti deitate.

### II. *Locus* 27. *ex* 2. *Corinth.* 3. *versic.* 17. & 18.

NVnc, si totum reliquum percurramus cōtextum huiusce capitis, magis ac magis cōfirmabimur in eo, quod dix mus de Spiritu S. déque doctrina Euangelii, inscripta in cordibus electorum, vi, & opera Spiritus sancti, & Apostolos reliquosque legitimos pastores, fuisse & esse instrumenta Spiritus sancti, in inscribenda cordibus electorum pietate. Ac proinde Spiritum sanctum esse illum verum Iehouam, qui hoc promiserat per Ierem. Prophetam se facturum. Ier. 31. 33. *Fiduciam autem habemus huiusmodi per Iesum Christum apud Deum Non quòd &c.* Occupatiō est: At si sumus Epistola Christi, & Christus ipse est, qui scripsit in cordib. nostris, vi sui Spiritus emollitis, & carneis factis, pietatē, Tu verò Paule, tantùm externus es minister Christi, cur igitur tanta confidentia te efferis, & appellas nos epistolam tuam, quasi tu in cordibus nostris inscripseris fidem, & totam pietatem? Respondet Apostolus: non vtimur hac confidentia, ita de vobis loquendi, quòd sentiamus nos

esse nostris viribus idoneos, ad inscribenda in vllo homine pietatem. Nam ex nobis ipsis, ne idonei quidem sumus ad aliquid boni cogitandum, nedum ad tantam gratiam aliis impertiendam. Sed quòd vtamur hac confidentia, ideò facimus propter Christum apud Deum, bona scilicet conscientia. Quia scil. Christus nobis ad hoc opus, tanquam suis ministris, vtitur: & idoneos aptosque ad Euangelij gratiam aliis quoque efficaciter communicandam effecit. Quare nihil nobis arrogamus, sed totum Deo damus. *Qui (Deus) etiam fecit, vt idonei essemus ministri noui Testamenti.* Confirmatio est superioris sententiæ. Quòd simus idonei ad aliquid boni cogitandum, hoc habemus à Deo: multò magis etiam quod simus idonei ministri, ad gratiam noui Testamenti aliis impertiendam, hoc habemus ex eodem Deo. Is enim fecit nos idoneos. Atque hinc confirmatur deitas Christi. Anteà enim vers. 3. docuerat, Christum illum esse, qui scripserit in cordibus Corinthiorum pietatem: vsus ad hoc, ministerio Apostoli. Item v. 4. dixerat, quòd tanta confidentia, de sui ministerij dignitate & efficacitate loquatur: ideò hoc facere per Christum: quia scilicet Christus se vtatur efficaciter ad tantum opus. Nunc ait, se & ministrum Euangelij esse factum à Deo: & totā suam efficacitatem in ministerio, habere à Deo. Constat certè etiam aliunde, & ex Actis Apostolorum, Paulum fuisse factū Apostolum, & quidem idoneum Apostolum, à Christo. Noui igitur Christum, Deum. Confirmatur etiam deitas Spiritus sancti. Ait enim se à Deo factum ministrum, & idoneum ministrum, noui Testamenti: & omnem suam ἱκανότητα idoneitatem esse à Deo. Constat autem aliunde, & ex actis: Paulum fuisse ab ipso Spiritu sancto, vocatū ad opus, & ministerium Apostolicum: Et tam Paulum, quàm reliquos Apostolos omnes, omnem suam ἱκανότητα, gratiam, & vires accepisse à Spiritu sancto, posteaquam super eos descendit, & eo fuerunt repleti. Et sic promiserat Apostolis Christus: Io. 16. 13 & 20. 22. accepto Spiritu S. acceperūt etiam efficacem auctoritatē remittendi peccata: *Et Spiritu S. repleti, cæperunt loqui, prout Spiritus sanctus dabat, &c.* Act. 2. 4. Ergo hic etiam locus confirmat Spiritum S. esse Deum.

III. *Non literæ* (inquit) *sed Spiritus, &c.* Nunc à commendatione sui, & suorum collegarum reliquorumque Apostolorū: qui scil. essent efficacissima Christi, & Spiritus S. instrumenta, ad pietatem, gratiámque Euangelij, electis communicandam, eorumque cordibus insculpendam: transit commodùm ad commendationem ipsius Euangelij, ministerijque Euangelici: in summa docet Spiritum sanctum ad prædicationem Euangelij, cuius Apostoli sunt ministri, efficacem esse in electis, ita vt eos viuificet. Id quod certè prædicationi legis nunquam est concessum: cùm potiùs ea homines semper occidantur, & condemnentur. Longè igitur præstantius esse ministerium Euangelicum, prædicatione legis. Ac primò Euangelium vocat spiritum, id est, rem viuam, & viuificantem. Legem verò appellat literam; rem sc. mortuam, sed inanimam, & occidentem, dicens. Non literæ, id est, legis, cuius minister fuit Moses: sed Spiritus, id est, Euangelij, quod attulit Christus, & dedit Apostolis ad salutem Ecclesiæ. Ratio vtriusque appellationis. *Nam* (inquit) *litera occidit: Spiritus, viuificat.* Cur legem vocat literam? quanquam totum hoc anteà quoque explicauimus: inutile tamen non fuerit denuò breuiter declarare. Ergo vocat legem literam, quia nil habet, vnde possit concipi spes vitæ. Habet enim tantùm præcepta, & minas: promissiones sunt irritæ, quia ex Dei ordinatione, nunquam ad prædicationem legis dabatur Spiritus Dei viuus, ne ipsis quidem electis. Erat igitur tantùm litera mortua, in tabulis lapideis, & chartis scripta, docens quidem, quid vitandum, quid persequendum: Sed quæ nō poterat corda immutare, & præstare, quæ iubebat, idq, neq, per se: erat enim tantùm externa doctrina, de vitandis & persequendis: neque per aliud: non enim habebat adiūctū Spiritum sanctum viuificantem. Erat igitur res, & doctrina plane inanima, & inefficax. Ideò tātùm litera scripta in tabulis lapideis: quo significatur, legem non habere vim, corda è lapideis facere carnea. Cur Euangelium Spiritus? Non simpliciter, propter doctrinam in se, ita appellatur. Hoc enim pacto ipsum quoque foret tātùm litera, etiam electis: sicut reprobis semper, est litera tantùm mortua. Sed Spiritus appellatur propter aliud. hoc est, quia Euangelium, quum prædicatur electis, habet semper adiūctum Spiritum sanctum, idque ex voluntate Dei Patris, qui sic per Iesaiā promisit, cap. 56. 21. loquens enim de nouo fœdere, seu Testamento ait: *Spiritus meus, qui erit super te: & verba mea, quæ ponā in os tuum: nunquā recedent de ore tuo: &c.* Ibi apertè promisit inseparabilem coniunctionem Spiritus, & verbi Euangelij, in ipsis electis. Proinde quum prædicatur Euangelium: Spiritus sanctus illabitur in corda electorum, illaque ex lapideis facit carnea: hoc est, mollia, & flexibilia in obsequium Dei. In illis excitat fidem, qua recipiant Euangelium: & receptum insculpit, atque obsignat. Ita dicitur inscribere legem, hoc est, ipsam pietatem: ipsumque legis scopum, Christū. Sic ad Gal. 3. 2. *Spiritum accepistis ex operib. legis, an ex auditu fidei?* Propter hunc Spiritum adiunctum Euangelio in electis, dicitur etiā Euangelium virtus esse Dei in salutem &c. Ro. 1. 16. Quare duo sunt in Euangelio, doctrina ipsa de gratia Dei, deque gratuita peccatorum remissione, propter Christum: Et Spiritus S. ex voluntate Dei, semper illi adiūctus. A Spiritu sancto adiuncto, qui est res viua, & viuificans, ac ceu anima Euangelij: Euangelium denominatur, & appellatur Spiritus. Quare sensus est, Lex est tantùm litera, id est doctrina mortua, quia caret Spiritu: Euangeliū est Spiritus, id est, res viua, & viuificās, quia habet Spiritum sanctū viuificantem. Ideò ait, *Litera autem occidit, Spiritus autem viuificat.* Est redditio causæ, sed cum amplificatione: quasi diceret, Lex nō solùm est litera mortua, sed etiam mortificans, & occidens. Hoc ideò facit lex, quia, cùm vna ex parte, proponat præcepta, & iram, ac mortē minetur illis qui ea nō seruant omnia: & altera ex parte, quia caret Spiritu Dei, nō præstet vires, quib. præcepta possimus seruare: quid aliud agit, quàm quòd omnes occidit, & cōdemnat: omnes inquam, etiam electos? Euangelium verò viuificat: nō sua simpliciter doctrina, sed Spiritu sancto sibi adiuncto, vt suprà explicatum est. Donat enim Electis fidem quam exigit: per fidem recipitur Christus, qui in Euangelio offertur, vt Seruator: per Christum verò iusti, & per eius Spiritum sanctificati, vitam consequimur æternam. Hic igitur apertam habemus causam, cur Euangelium vocetur Spiritus viuificans: quia Spiritus sanctus ille comitatur, inscribitque in cordibus Electorum, & ita eos viuificat, vita Christi. Ac proinde quis non videt Spiritum sanctum esse Deum: tum quia Spiritus est Dei Patris, & Christi, ab vtriusque scilicet substantia procedens: tum quia ea præstat effecta, quæ à nullo creato Spiritu præstari possunt? Vt quod Euangelium inscribat cordibus, non omniū, sed tantùm Electorū. Hos igitur nouit & discernit à reprobis. Vt etiam quòd donet electos fide, & viuificet. Hinc maximè pendet præstantia Euangelij supra Legem & Mosen. Ideò sequitur 7. 8. 9. *Quod si mortis ministerium, &c.* Iacto hoc fundamento, Legem esse literam mortuam, imò & occidentem: Euangelium verò esse Spiritum viuum, & viuificantem: Nunc argumentatur à minori ad maius, iis tribus versibus: & probat, ministerium Euangelij, prestātioris esse gloriæ, quàm ministerium Legis. Argumentum tale est: Lex fuit à Deo tradita Mosi magna cū gloria, atque ita magna, vt filij Israël non potuerint intueri in faciem Mosis, quum à Dei colloquio ad populum cum Lege redibat: idque propter gloriam, quæ in facie Mosis splendebat, instar Solis. Atque ita apparet, dignitatem & gloriam Legis esse magnam. Ergo multò magis gloriosum est Euangelium, eiusque ministerium. Ratio huius consecutionis, sumitur à præstantia, & virium, & operationum Euangelij: quæ Lege maiores sunt, & præstantiores viribus, & effectibus Legis. Lex est litera tantùm: hoc est, res mortua, scripta in tabulis tantùm lapideis: Ac proinde, quæ nullam habet vim, corda ex lapideis in carnea, hoc est, flexibilia in Dei obsequium, immutandi: imò ministerium est mortis, & condemnationis, hoc est, nil aliud potest, quàm homines occidere, & condemnare. Euangelium autem Spiritus, hoc est, res viua, & viuificans, vi Spiritus sancti, quem secum habet semper adiunctum: & per quem illud inscribitur in cordibus, ea immutando, & in obsequium Dei flectendo, ipsamque pietatem, & fidem insculpendo. Est autem sine controuersia, maior dignitas & gloria eius, quod secum habet semper adiunctum Spiritum sanctum: ac proinde quod in cordibus nostris insculptum, nobis administrat Spiritum, vitam, & iustitiam: quàm eius, quod in lapidibus tantùm insculptum, corda hominum immutare non potest: imò quod nihil nisi mortem, & condemnationem ministrat. Ergò si Legis dignitas, & gloria magna est, vt prædicant, & quidem verè, Pseudoapostoli, maior sit dignitas & gloria Euangelij, ministeriique Euangelici necesse est. 10. *Etenim quod glorificatū fuit, &c.* Amplificatio est: est autem hic sensus: Quid dico gloriam Euangelij maiorem esse gloria Legis? Imò Legis gloria, respectu & comparatione gloriæ Euangelij, nulla est: Sicut lux etiam Lunæ, comparatione lucis Solis, nulla est. Hic est sensus huius versic. Etenim quod glorificatum, &c. hoc est, non est assecutum, neque tantam, neque huius generis gloriam. 11. *Nam si quod aboletur, &c.* Alia cōfirmatio à stabilitate gloriæ ducta. Lex abolenda erat, & iam abolita est

ta est: Euangelium manet, & mansurum est in æternum. Est igitur gloria huius maior. Hactenus docuit ministerium Euangelij, longè præstantius esse ministerio Legis, de quo gloriabantur Pseudoapostoli: qui Christum quidem prædicabant, vt Seruatorem, sed talem, qui neminem seruet, sine legis Mosaicæ obseruatione. Tota autem argumentatio, pendet à Spiritu sancto, qui efficax est in Euangelii prædicatione, non autem Legis.

IV. Versic. 12. *Itaque cum habemus*, &c. Ex iis, quæ dixit, colligit causam, cur Apostoli liberè prædicent Euangelium, nempe per solum Christum, sine operibus legis, homines iustificari: & non sicut Pseudoapostoli, qui prædicant Christum, non liberè, sed tectum Legis velamine. Itaque cùm huiusmodi spem habeamus, hoc est, certitudinem de præstantia, & vi Euangelij, certámque spem, fore, vt nunquam muretur, sicut Lex: ideò in huius administratione seu prædicatione magna vtimur libertate. 13. *Nec sumus, sicut Moses, &c.* Confirmatio conclusionis, qua perstringit Pseudoapostolos. Illi enim dum prædicabant Christum, instar Mosis, velamen quoddam Legis obducebant Christo, hoc est, non audebant liberè prædicare Christum, nudum & apertum, nimirum per solum Christum, sine operibus Legis, homines iustificari. 14. 15. *Itaque occalluerunt. &c.* Explicat typum veli Mosaici, confirmatioque est superioris doctrinæ: nempe quàm infirma sit Lex, imò & perniciosa, quia ministratur sine Spiritu Christi: contrà quàm efficax Euangelium, quia adiunctum habet in sui administratione, Spiritum sanctum. Velamen enim super faciem Mosis, quum auersus à Deo, conuertebat se cum Lege ad populum, typus fuit futuræ cæcitatis illorum, Iudæorum, qui corda auersa habituri erant à Christo, quæ cæcitas nullo modo per legem tolli possit. Depositio verò velaminis, quum facie à populo auersa, ad Deum se conuertebat, typus fuit beneficij, quod recepturi erant illi, qui ad Christum sese conuerterent, cumque neglecto Mundo, & Lege audituri erant: nimirum, velamen depositum iri ex illorum cordibus, per Christum, Euangelio prædicatum: & per Spiritum sanctum, cordibus electorum, impressum. Hoc dicit ver. 14. Explicat autem, clariùs, versic. 15 & 16. vbi quum ait, *Quū autem fuerit ad Dominum, &c.* Nomine Domini intelligi Christum, luce clarius est: quia anteà dixerat, velamen illud non tolli, nisi per Christum; hic autem dicit tolli, quum quis conuertitur ad Dominum. Dominus igitur est Christus. Simile est: vt si quis dicat, tunc tolli ab oculis tenebras, quum quis conuertit faciem ad Solem. Quomodo autem quis dicitur conuerti ad Dominum, hoc est, ad Christum? quum sese à legis doctrina ad Euangelium conuertit: credens se per solum Christum, sine operibus legis seruari. Confirmat igitur hic vim Euangelij: quo antè dixerat, homines, viuificari, sicut lege occiduntur. Vnde verò vis ista Euangelio? à Spiritu sancto, qui est Spiritus Christi. Ideò vocauit Spiritum ipsum Euangelium. Sequitur ver. 17 *Dominus enim Spiritus est, &c.* Δὲ pro γὰρ, sicut etiam syriacum, aliquando capitur: vt 1. Thes. 2. versic. 14. item cap. 4. ver. 15. Affert enim causam Apostolus, cur qui ad Dominum conuertuntur, illis auferatur velamen: causa est, quia conuertuntur ad illum, qui vi sui Spiritus liberat à seruitute tenebrarum, tollitque velamen naturalis cæcitatis. Hoc igitur explicans ait, ὁ δὲ κύριος, τὸ πνεῦμα. Patres, atque etiam Basilius, lib. de Spiritu sancto cap. 21. accipit τὸ πνεῦμα pro subiecto; & nomen κύριος, accipit pro Iehoua. Hinc concluserunt, Spiritum sanctum, esse Iehouam, Deum verum. Sed apparet subiectum in hac propositione esse nomen κύριος & prædicatum τὸ πνεῦμα: & nomine, κύριος, intelligi Christum. Et sensus Apostoli perspicuus est: nēpe, Christum esse illum Spiritum, cuius minister erat Apostolus; & qui viuificat; velamenque ex cordibus tollit nostris: hoc est, esse illum, qui suo Spiritu eos donet qui ad se conuertuntur. Vbi autem est Spiritus Domini, ibi sublato velamine, libertas est: nempe inspiciendi gloriam Dei: vt postea explicatur insequenti versu. Quicunque igitur conuertuntur ad Dominum: ex horum cordibus tollitur velamen. Hic est sensus totius versus. Cæterùm explicanda est propositio prima: *Dominus est ille Spiritus*: nempe, ille, de quo antea locutus est, & cuius causa Euangelium quoque appellauit Spiritum, dicens se esse ministrum factum noui Testamenti, non literæ, id est legis, sed Spiritus, hoc est, Euangelij. Quare Euangelium Spiritus dicatur, dixi: non quia doctrina Euangelii sit Spiritualis, legis autem carnalis: (nam etiam lex Spiritualis est, Rom. 7. 14.) sed quia Euangelium, cuius substantia est Christus, adiunctum habet Spiritum sanctum qui est Spiritus Christi: & hoc donantur electi, quum audiunt Euangelium. Ait igitur: *Dominus est ille Spiritus*: qui scilicet audientes Euangelium illuminat, & viuificat: electos nimirum. Vel si dicas: Dominus est, ille Spiritus, cuius dixi me factum esse ministrum. Nam primum quidem substantia Euangelii est Christus: & hunc prędicabat Apostolus. 1. Cor. 1. 23. Deinde Christus est ille, qui per Euangelium efficax est, in cordibus electorum, vi sui Spiritus, qui est Spiritus sanctus: quo omnes electi donantur, quum audiunt Euangelium. Huius autem Christi, efficacis per Euangelium, in electorum cordibus, Spiritu suo sancto, minister erat Apostolus: Sicut & Iohannes Baptista dicebat: *Ego vox clamantis: Ego baptizo aqua, ille autem Spiritu sancto.* Ioh. 1. 23. 33. Christus ergò duplici de causa est ille Spiritus, cuius Apostoli erant ministri: tum propter summam doctrinæ, tum propter efficacitatem Spiritus sui sancti in Euangelio. Et doctrina quidem est, ceu corpus Euangelii: Spiritus verò Christi est, instar animæ ipsius Euangelii. Ac ratione huius Spiritus, qui est anima doctrinæ Euangelicæ, tota quoque doctrina appellatur Spiritus ab Apostolo: sicut & antè à Christo; quum dixit: *Verba, quæ ego loquor, sunt Spiritus, & vita*: hoc est, Spiritus viuificans. Io. 6. 63. Itaque meritò Christus dicitur esse ille Spiritus, cuius Apostoli dicebant, se esse ministros: eoque iure etiam optimo Christus dicitur esse Spiritus suus sanctus: non certè persona, quia alia est persona Filii, & alia Spiritus sancti: sed alia, eaque triplici ratione. Prima est, quia Spiritus sanctus, Spiritus est Christi, & à Christo procedit, vnde etiam statim eum vocat Apostolus spiritum Domini. Sic Sol potest dici esse radius ipse, non quod non distinguatur à radio, sed quòd radius sit à sole. Ita sensus fuerit: Christus est ille Spiritus, hoc est, ille, è quo Spiritus est, & cuius est ille Spiritus, quo tollitur velamen: quo donantur electi, qui audiunt Euangelium, & cuius causa totum Euangelium vocatur, & est Spiritus: ac proinde, qui conuertitur ad Christum, ab eo tollitur velamen. Altera ratio est, quia vis, & actio, qua Spiritus sanctus per Euangelium electos illuminat & eorum corda velamine liberat atque viuificat, tam est Christi, quàm ipsius Spiritus sancti. Hoc indicās Apostolus subiecit: *Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas.* Cuius autem est liberare? Christi, vt ipse docet, quum ait: *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* Ioh. 8. 38. Ita Sol dicitur esse radius ipse, quia vis, & actio radii est etiam Solis, à quo ille est. Atque hoc voluit in primis docere Apostolus, Christum esse illum, qui suo spiritu agens in nostris cordibus, per Euangelium tollit velamen: ac proindè conuertendum esse cor ad Christum. Tum enim ablatum iri velamen. Sicut si diceremus, solem esse illum, qui suo radio pellit tenebras ab oculis: conuertendos igitur esse oculos ad solem. Sed hoc alia expressit locutione, nempe, *Dominus est ille Spiritus*, vi scilicet & actione. Sicut si dicas, sol est radius: vi & actione, quia vis & actio radij, vis est & actio solis. Non admodum dissimili sensu, ipse Christus de Io. Baptista dixit, Io. Baptista est ipse Elias Mat. 11. 14. nō persona, sed officio, spiritu atque virtute. Quanquam longè excellentiori modo, Christus est ipse spiritus sanctus, hoc est, spiritus suus, qui & à Christo procedit, & tota vis, omnisque actio spiritus sancti, est vis & actio ipsius Christi, quàm Ioh. fuerit Elias.

Hinc verò quid consequitur? Tertius modus, quo Christus, est ipse spiritus sanctus, nempe οὐσίᾳ. Etsi enim de hac Apostolus ex professo, hic non loquitur: tamen necessariò ex illis duobus modis hic tertius consequitur. Si enim Christus est Spiritus S. quia Spiritus sāctus est Spiritus Christi, & à Christo, & quia tota vis, & omnis actio Spiritus sancti, qua in cordibus agit Electorum, ea Christi, & à Christo est: efficitur Christum, etiam essentia, esse ipsum Spiritum sanctum. Sicut etiam Sol idem est essentia lucis, quod est etiam radius: & radius, idem quod Sol: quandoquidem radius est à Sole, & tota vis atque actio radij, vis est, & actio Solis. His enim duabus rationibus, Christus quoque concludebat, se vnum esse cum Patre: primò, quia erat à Patre, & Patris Filius. Secundo, quia eadem operabatur, quæ & Pater: hoc est, quia tota virtus, omnis ipsius actio, virtus erat & actio ipsius Patris. Hæc cùm ita se habeant, euincitur: si Christus est Deus, ipsum etiam Spiritum sanctum esse Deum: quia Christus est ipse Spiritus, tum quia Spiritus sanctus, est Spiritus Christi: tum quia vis & actio Spiritus sancti, est vis & actio Christi: tum denique quia vna est vtriusque Deitas seu essentia, sicut Solis & radij, vna est vtriusque lux.

V. Hæc est causa, cur totum hoc caput breuiter interpretari volui: vt ex præcedētibus bene intellectis, vera huius loci intelligentia erueretur, nempe quo sensu, Dominus dictus sit ab Apostolo, esse ille Spiritus: Atque ex vera horū verborum intelligentia appareret, an ex hoc loco meritò, & verè colligamus, Spiritum sanctū verum esse Deum

necne verè colligamus. Idem efficitur ex verbis, quæ sequuntur: *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*: hoc est, ibi exemtum est velamen cordis: ita vt qui donati sunt hoc Spiritu Domini, ij liberati misera cæcitatis naturalium tenebrarum seruitute, liberè possint intueri in faciem, & gloriam Dei. Quod antè dederat Christo, dicens, per Christum, tolli velamen: hic idem dat Spiritui Christi. Hinc igitur colligitur, quo sensu dixerit, Christum esse ipsum Spiritum: non persona, sed vi & actione, tollendi velamen è cordibus nostris. Hinc etiam euincitur Spiritum sanctum esse Deũ; quia tollere velamen è cordibus, & donare Electos vera libertate, qua possimus videre Deum: non est certe vllius creati Spiritus sed solius Dei. Hoc idem confirmant, quæ sequũtur v. 18. *Nos autem, &c.* Hæc est vera aduersatiua particula. Opponitur enim iis, quæ antè dixerat de Mose, qui ponebat velamen super faciem: deque Iudæorum cęcitate, per velamen Mosis significata. *Nos autem &c.* qui scilicet ad Christum, in Euangelio propositum, conuersi sumus. Tria autem narrat effecta opposita illis, quæ dixerat de Iudæis, nondum ad Christum conuersis, & ideò Spiritu Christi destitutis: & vnam horum omnium causam, docet esse Spiritum sanctum, quum ait, *tanquam à Domini spiritu*: hoc est, vt pote hæc omnia operante Spiritu Domini. Primum igitur effectum Spiritus sancti est, quòd dum tollit velamen à cordibus nostris: retegit faciem Domini. Ideò ait: *Nunc autem retecta facie*, nempe Domini. Quomodo retectaʔ sublato velamine à cordibus nostris. Alterum effectum est, quòd donat nos noua luce: & ea efficit, vt gloriam Domini in Euangelio, tanquam in speculo relucentem, apertè intueamur. Hoc significat, quũ ait, *gloriam Domini κατοπτριζόμενοι*. Tertium effectum est reformatio nostri in imaginem Dei: idque quotidiano profectu. Hanc docet, dicens, *In eandem imaginem transformamur: a gloria in gloriam*. Docet enim vi Spiritus fieri, vt quum in Deum, in Christo resplendentem, tanquam in Solem nullis obductum nubibus intuemur, tanta illius luce perfundamur, vt in eius imaginè transformemur: hoc est vt alij ceu secundarij soles efficiamur: qui posteà ad alios progressi, illos quoque eadem luce illustremus. Ita verò proficimus in hac quotidiana nostri renouatione: (id quod vocat à gloria in gloriam) vt tandem futuri simus, quasi dij: quum scilicet Deus erit omnia in omnibus. Vndè verò omnia ista tam magna operaʔ à Spiritu Christi. Est igitur verus Deus.

### VI. *Loc. 28. ex 2. Cor. 13. v. 13.*

G*Ratia Domini nostri Iesu Christi, &c.* Hic etiam locus non obscurè confirmat Spiritus sancti tum personam à Patre & Filio distinctam: tum deitatem. Primùm constat nomine Spiritus hîc non intelligi donum aliquod, vel actionem diuinam: sed personam. Coniungit enim Spiritum cum Patre, & cum Filio: vt tertiam personam, à prima & secunda distinctam. Deinde sicut Christo attribuit gratiam qua scilicet tanquam Mediator, nos Deo Patri gratos fecit, & reconciliauit: Patri verò charitatē, qua scilicet nos dilexit ante mundi constitutionem in Christo: sic Spiritui sancto κοινωνίαν, qua nimirum ipse nobis communicatus, in ipsam quoque Patris & Filii κοινωνίαν nos adducit. Atque ita docet Spiritum S. esse illum, qui nobis Patris charitatem communicat, dum efficit, vt eam sentiamus diffusam in cordibus nostris, Rom. 5. 5. & qui communicat ipsam quoque Christi gratiam, dum efficit, vt donati fide, participes deinde simus totius beneficii Christi, sentiamúsque nos verè per Christum esse redemtos, & Patri reconciliatos. Huiuscemodi autem actiones, non cadunt nisi in eum, qui sit res subsistens, intelligens, volens, agens. Euincitur ergò nomine Spiritus, hoc loco, non significari donum: sed personam agentem, donantem, communicantem. Neque etiam obscurè, vt dixi, ex hoc versu colligitur, Spiritum S. quem iam ostendimus personam esse, esse etiam non Spiritum creatum, sed Deum. Dum enim hunc coniungit Apostolus cum Patre, & cum Filio, in hac adprecatione; docet hunc tam Deum esse, quàm etiam Pater Deus, & Filius Deus est. Neque est sine causa, quod Apostolus hic precatus sit Corinthiis distinctè, gratiam Christi, charitatem Dei Patris, & κοινωνίαν Spiritus sancti. Quænã hæc est causa? Scribebat ad Corinthios, qui à Pseudoapostolis Iudæis seducebantur; legem Mosis tanquam ad salutem necessariã, vrgentibus. Primùm igitur voluit docere, totam salutem haberi à Christo propter dilectionem Patris, per κοινωνίαν Spiritus sancti, non autem ex operibus. Deinde voluit perstringere Pseudoapostolos, quod non essent in doctrina de Deo Patre, Deo Filio, Deo Spiritu sancto sani & synceri: quippe qui Iudaismum magis, quàm Christianismum vndequaque spirarent. Precatus est igitur Corinthiis, horum trium beneficia, vt doceret, beneficia, & salutem omnem esse ab illo Deo, qui est Pater, qui est Filius, qui est & Spiritus S. Denique eam attribuit Spiritui sancto potentiam, facultatem atque operationem, quæ in nullum creatum Spiritum competere potest, nempe quòd ipse adducat nos in κοινωνίαν Patris ac Filii, eoque & sui, omniumque cœlestium beneficiorum faciat participes.

## CAPVT VII.

### Explicatio aliorum quorundam locorum, ex aliis Pauli Epistolis ad probationem eiusdem doctrinæ.

SVnt breuiter percurrenda alia quædam, ex D. Paulo, de Spiritus sancti diuina essentia: deinde veniemus ad id, quod est postremo loco dicendum, de ipsius processione.

### I. *Locus 29. ex Gal. 4. v. 6.*

Q*Voniam autem estis Filij, Deus misit Spiritum suum, &c.* Duplici etiam argumento, hinc asseritur diuina Spiritus sancti natura. Primùm inde deducitur, quòd Spiritum hunc, Spiritum Filij Dei, vocat. Hac enim locutione docet Apostolus, vt suprà quoque ostendimus, Spiritum sanctum procedere è substantia Filii; non minùs quàm è substantia Patris. Si igitur Filius Deus: ipsius quoque Spiritus Deus sit oportet. Significari autem nomine Spiritus non donum aliquod inanimum, sed ipsam Spiritus sancti personam: liquet non solum indè, quod hunc coniungit cũ persona Patris mittentis, & cum persona Filii, cuius Spiritus esse dicitur, tanquam tertiam personam: verùm etiam inde, quòd huic Spiritui attribuit actionem, quę non potest esse, nisi personæ illiusq; diuinæ: nempe quòd clamet in cordibus nostris, hoc est, clamare nos, & inuocare faciat ex corde Patrem cælestem. Alterum igitur argumentum, quo hinc confirmatur æterna, diuinaque Spiritus sancti natura, est ab opere, quod solius Dei esse potest. Nam Spiritus sanctus habitat in cordibus omnium, & singulorum filiorum Dei: eaque regenerat, moderatur, regit, & ad inuocandum Deum Patrem afficit, atque agit, & promouet: Sicut ad Rom. dixerat: *Accepistis Spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba, Pater.* Adde tertium; quod ab immensitate, quæ solius Dei est, ducitur. Idem enim Spiritus Christi in corde cuiusque fidelis habitat; & clamat, Abba Pater, Atque hoc docet, quum Spiritum numero singulari nominat, dicens: Spiritum Filii sui: docens, se loqui de Spiritu S. qui vnus est. Plurali verò numero corda expressit, dicens, In corda vestra: docens vnum atque eundem Spiritum Christi, in singulorum Electorum cordibus habitare, operari, clamare.

### II. *Locus 30. ex Gal. 5. vers. 22.*

PRincipio auctorem virtutum Christianarum, in omnibus fidelibus, iam per Spiritum sanctum renatis, facit eundem Spiritum sanctum, quum ait, *Fructus Spiritus esse charitatē, gaudium, pacem, lenitatē, benignitatem, fidem, mãsuetudinem, temperantiam*: Sicut & alibi docuerat, Rom. 8, 9. Spiritus enim sanctus sicut nos regenerat; sic etiam in nobis excitat, atque profert fructus regenerationis. Efficit etiam, vt lex nullum in nos ius habeat condemnandi. Et huc spectat quod ait vers. 23. *aduersus hos, non est lex.* Item tollit paulatim corruptionem naturæ, &c. Ideò ait vers. 24. *Qui enim Christi sũt, &c.* Qui verò sunt Christi? Qui habent Spiritum Christi. Ait præterea, sanctos crucifigere carnem cum vitiis: quia hoc quidem efficit in illis Spiritus sanctus, verùm non tanquam in stipitibus, sed tanquam in Filiis Dei, iam Spiritui sancto assentientibus & coöperantibus. Postremò, totius vitæ Spiritualis & Christianę, auctorem & moderatorem docet esse Spiritum sanctum, quum ait, vers. 25. *Si Spiritu viuimus, Spiritu etiam incedamus*: στοιχῶμεν. στοιχεῖν est, non simpliciter incedere; sed iuxta certum canonem, & ad alterius ductum, & directionem incedere, vt nõ declinemus nec ad dextram, nec ad sinistram. Ait quoque, *Nos viuere Spiritu*; nimirum sicut corpus, viuit anima. Docet igitur Spiritum sanctum esse auctorem vitæ in piis: quia dum in ipsis viuit ipse, efficit, vt nos quoque viuamus: vt docet alias: *Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus.* Gal. 2. 20. Ait item: *Spiritu incedamus.* Docet igitur Spiritum esse illum, qui ita agit fideles, vt ad ipsius Spiritus du-

tus ductum viuant : & non declinent, aut dextrorſum, aut ſiniſtrorſum. Si autem Spiritus ſanctus Deus non eſſet, præſtare hæc in nobis minimè poſſet.

*III. Locus 31. ex Epheſ. 1. verſ. 13. & 14.*

AIt omnes, qui vera fide Euangelium amplexi, credunt in Chriſtum, eos obſignatos eſſe τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας, τῷ ἁγίῳ: ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν, &c. Loqui hic Apoſtolum de Spiritu ſancto, quam tertiam vocamus perſonam; non autem de dono aliquo, liquet, primùm ex articulo præpoſitiuo, eoque ingeminato, τῷ πνεύματι, τῷ ἁγίῳ. & τῆς ἐπαγγελίας. Quomodo Spiritus eſt promiſſionis? Paſſiuè & actiuè. Paſſiuè, quia hic eſt ille, qui omnibus ſanctis, & à Patre & à Filio ſingulariter promiſſus eſt. Actiuè etiam, quia is eſt, qui Euangelium, ſermonem veritatis & ἐπαγγελίαν appellatum, obſignat in cordibus Electorum: Sicut etiam Filius perditionis vocatur Antichriſtus, quia & perditus eſt, & perdit. 2. Theſſ. 2. 3. Deinde apparet idem ex relatiuo maſculino, quem ſubiicit, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν, cùm tamen, πνεῦμα, neutrius ſit generis: id quod ſcholia quoque græca annotârunt. Hinc verò confirmari diuinam Spiritus ſancti naturam, dubium non eſt, ſi quis diligenter examinet, quæ hic attribuũtur Spiritui ſancto: Appellatur σφραγὶς, nempe Dei Patris, quum ait ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι, nempe tanquam σφραγίδι. 2. Cor. 1. 22. Sic etiam alibi. Eph. 4. 30. Eſt enim Spiritus ſanctus σφραγὶς ipſius Patris, ſed ſubſtantialis, in qua expreſſa eſt Patris imago. Sicut enim Chriſtus dicitur χαρακτὴρ ὑποστάσεως Patris, quod in ipſo expreſſa ſit tota Patris eſſentia, atque perfectio: ita Spiritus ſanctus dicitur σφραγὶς ipſius Dei, cùm eadem, tum alia de cauſa. Nam primùm in ſigillo inſculpitur imago: deinde eo vtimur, ad eandem imaginem, aliis quoque rebus, quas volumus obſignare, vt literis, imprimendam: idque vt ab aliorum literis diſcernatur, & rebus. Primum igitur Spiritus ſanctus dicitur, & eſt σφραγὶς ipſius Patris: quia in eo, ſicut & in Filio, tota Patris eſſentia ab æterno inſculpta eſt, hoc eſt, communicata. Deinde hoc Spiritu, tanquam ſigillo vtitur ad eandem ſui imaginẽ, electis, quantum imprimi illis poteſt, imprimendam: hoc eſt, ad ſuam lucem, iuſtitiam, ſanctitatem, charitatem, adeoque diuinam ſuam naturam (ſed eo ſenſu, quo docet Petrus 2. c. 4.) communicandam: nos regenerando, renouando, ſanctificando: & tum fidem in cordibus confirmando, tum charitatem erga ſe, & proximum accendendo: ita vt non dubitemus pro gloria Dei, & pro ſalute proximi vitam profundere. Hæc eſt imago Dei, quam in Electis per ſuum ſigillum, hoc eſt, per Spiritum ſanctum exprimit: atque ita nos obſignat, vt diſcernamur à reprobis. ἀῤῥαβὼν quoque appellatur; propterea quòd per hunc Spiritum nobis datum, & apud nos manentem, certos nos facit, de æterna ſalute plenaque futuræ hæreditatis poſſeſſione: Sicut etiam qui dat arrham pro re empta, nondum toto pretio perſoluto: ita ratam facit emtionem, atque contractum, vt non poſſit amplius retractare: niſi velit arrham amittere. Certè Deus Pater non vult, & non poteſt, Spiritum nobis datum, amittere. Ergò cùm Spiritus ſanctus talis ſit virtus Dei Patris, ac ceu σφραγὶς, in qua tota ſua expreſſa ſit, & communicata eſſentia: & qua ſuam in nobis inſculpſit imaginem: taliſque ἀῤῥαβὼν ſit, qui Patris promiſſiones in animis noſtris confirmet, vt de futura, plenaque poſſeſſione cœleſtis hæreditatis dubitare amplius non poſſimus: atque hæc effecta, præſtari non poſſint niſi à Deo: Dubitari non poteſt: quin verus ſit Deus, Spiritus ille, qui hæc præſtat.

*IV. Locus 32. ex Epheſ. 2. verſ. 18.*

V*Tiq; per ipſum* (Chriſtũ) *habemus aditũ ἐν ἑνὶ πνεύματι ad Patrem*, Hic quoque habemus, & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: Patrem, ad quem accedimus: Filium, per quem aditum habemus ad Patrem, & Spiritum ſanctum, quo duce & directore deducimur ad Chriſtum & ad Patrẽ. Sic ad Rom. 8. 14. legimus, Filios Dei agi, & duci à Spiritu ſancto. Neque verò hoc opus eſt, aut eſſe poteſt vllius creati Spiritus. Alibi enim datur Patri hoc opus, nempe, quòd nos ducat & trahat ad Chriſtum, & ad ſe, Io. 6. 44. Idem verò hîc, & alibi attribuitur Spiritui ſancto. Apparet igitur etiam ex eodem opere, quod commune eſt Patri, & Spiritui ſancto, & verò etiam Filio: Spiritum quoque ſanctum eſſe Deum. Item verſibus inſequentibus & præſertim v. 22. eiuſdem huiuſce capitis, eadem doctrina confirmatur. Docet enim Apoſtolus opera Spiritus ſancti omnes electos in Chriſtum ædificari; vt ſint habitaculum Dei Patris. *In quo & vos vnà ædificamini, vt ſitis habitaculum Dei per Spiritũ.* Alibi tamen & Patri, & Filio attribuitur hoc opus; quod eſt Eccleſiam Dei ædificare, ex variis electis. Patri, vt apud Ierem. 3. 4. *Rurſúmque ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael.* Filio autem: vt apud Mat. 16. 18. *Ego ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Eſt igitur opus ſolius Dei, quod hic attribuitur Spiritui ſancto. Quare Spiritus ſanctus Deus.

*V. Loc. 33. ex Epheſ. 4. v. 30.*

E*T ne contriſtetis Spiritum ſanctũ, quo obſignati eſtis, &c.* Quum pij aliquid aut cogitant, aut dicunt, aut agunt, quod pugnat cum illis, quæ Spiritus ſanctus in ipſis habitans, ſuggerit (ſuggerit autem tantùm conſentanea verbo Dei) tum dicuntur contriſtare Spiritum ſanctum quo ſunt obſignati. Quare docet Spiritum S. eſſe in Electis, tanquam in ſuo domicilio: & quidem eſſe perſonam, quia cõtriſtatur. Etſi enim in Spiritũ S. non cadũt affectus humani, interim tamen hac locutione docet, Spiritum S. non eſſe rem inanimam: ſed ſubſtantiam viuentem, cognoſcentem, recti amantem, & mali oſorem. Contriſtatur enim Spiritus S. ſicut & in Geneſi legimus, cap. 6. v 7. Deum dixiſſe: *Pœnitet me feciſſe hominem*: non vti nos, ſed modo qui eum Dei natura non pugnet. Si autem Spiritus S. perſona eſt, & in nobis habitat: quid aliud eſſe poteſt, quàm Deus?

*VI. Locus 34 ex 1. Theſ. 4. v. 8.*

POſteaquam tradidiſſet Theſſalonicenſibus quędam pręcepta, & ad ea ſeruanda hortatus fuiſſet, ſubiecit: *Proindè qui hæc reiicit, non hominem reiicit, ſed Deum: qui etiam dedit nobis Spiritum ſanctum*: nempe qui loquitur in nobis. Nam à Spiritu etiam ſancto, qui in Apoſtolo loquebatur, confirmare voluit Apoſtolus; quæ præcepta tradiderat; ea non eſſe hominis, ſed Dei mandata. Confer huc illa quæ in 1. ad Cor. ſcribit, de iis, quæ ſine expreſſo quidem verbo Dei tradiderat, ſed tamen ex Spiritu in ſe loquente. Inde etiam docet, ea præcepta eſſe Domini præcepta, quia è Spiritu Dei ea tradiderat, dicens: Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, agnoſcat, quæ ſcribo eſſe Domini mandata. Ita hîc, Proinde qui hæc reiicit, non hominem reiicit, ſed Deum. Docuit igitur, Spiritum ſanctum, è cuius afflatu loquebatur Paulus, verum eſſe Deum.

*VII. Locus 35. ex 1. Timoth. 4. v. 1.*

S*Piritus autem manifeſtè dicit, quòd, &c.* Apoſtaſiam, quæ futura erat ſub Antichriſto, longè antè præuiderat, & prædixerat Spiritus S. per ſuos Prophetas & Apoſtolos. Hęc autem, & alia futura Prophetis & Apoſtolis in animos immiſiſſe, & ita per illos prædixiſſe; cuius fuit aut eſſe potuit, niſi Dei? Nec valet exceptio, Deus reuelauit & prędixit per ſuum Spiritum, quaſi per afflatum & lumen quoddam; Prophetis, Apoſtoliſque donatum. Nam Paulus ait, *Spiritus ipſe dicit.* Et Chriſtus, *Spiritus*, inquit, *qui loquitur in vobis.* Matt. 10. 20. Et Petrus, 1. 11. *Spiritus Chriſti, qui erat in Prophetis, longè antè teſtificatus fuerat, & declarauerat Prophetis, quænam paſſiones erant Chriſto euentura, & quæ etiam gloria illas foret ſecutura.* Spiritus igitur ſanctus non eſt mortuum lumen, & inanimus afflatus; ſed verus, & viuens Deus.

*VIII. Loc. 36. ex Tit. 3. verſ. 5. & 6.*

Q*Vum autem bonitas, &c.* Hic quoque habemus tres perſonas diſtinctas, Patrẽ qui nos ſaluos fecit ex ſua miſericordia: Filium, per quem effudit in nos Pater Spiritum ſanctum, & Spiritum ſanctum, qui effuſus eſt. Dat autem Spiritui ſancto hoc opus, quo in baptiſmate electi renouãtur & regenerantur: quod ſolius Dei eſſe, anteà quoque demonſtratum eſt: nõ poteſt igitur hic locus eludi, quin hinc apertè efficiatur, Spiritum ſanctum eſſe Deum.

*Loc. 37. ex 1. Iohan. 5. verſ. 7. & ſequent.*

T*Res ſunt qui teſtificantur in cœlo: Pater, Λόγος, Spiritus ſanctus.* Horum teſtimonium vocat teſtimonium Dei. Vt hic locus fuit de principio explicatus; ita nunc illum repeto & contendo, ſicut ex aliis perſpicuis locis, ſic etiam ex hoc, non obſcurè euinci, Spiritum ſanctum & veram eſſe perſonam, & verum cum Patre, & cum Filio Deum. Ac de Spiritus ſancti deitate ſatis, apud pios omnes. Nam præfractis, & qui diabolico agitantur ſpiritu, quis vnquam ſatisfecerit? Talia tamen ſunt, quæ attulimus loca, ad quæ neq; poſſunt neque poterunt vnquam, niſi nugando reſpondere aduerſarij, inimici Patris, Filij, & Spiritus ſancti.

## CAPVT VIII

Spiritum sanctum, qui vera est in Deo persona, & naturalis, æternúsque Iehoua: procedere, seu emanare, non solùm à Patre, verùm etiam à Filio.

Dicendum iam aliquid est, de vltima quæstione, quam initio huiusce libri proposuimus de Spiritu sancto; nimirum, An à Patre solùm, an verò etiam à Filio procedat. Sic enim illud ἐκπορεύεσθαι verbum obtinuit in Ecclesia: id quod tamen nihil aliud significat, quàm proficisci, & venire ab aliquo. Breuis & dilucida est responsio: *Spiritum sanctum non minus à Filio, quam à Patre procedere.* Cæterùm antequam ad confirmationem accedã, explicanda est propositio, ex sententia omnium Patrum, totiúsque Ecclesię, in hunc vsque diem. Verbo procedendi in hac quæstione, nihil aliud intellexerunt Patres, tam Latini, quàm Græci, qui de hac re disputârunt: quàm esse ex illius essentia, à quo procedere dicitur: eoque originem ab ipso habere, procedendo. Sicut & Filius, ideò genitus ex Patre dicitur: quia ex Patris est essentia, ab eoque originem habet, nascendo. Sic igitur sentiunt orthodoxi: Spiritum S. non minus esse de substantia Filii, quàm de substantia Patris: quæ vna atque eadem est: cùm non minus etiã Filii dicatur, & sit Spiritus, quàm Patris. Ac proinde sicut Filius est à solo Patre, & ab eo solo suam habet essentiam, sed (vt vtar verbis Iustini Martyris) γεννητῶς, quia solius Patris Filius dicitur, & est, non autem à Spiritu sancto, quia neque est, neque dici potest Filius Spiritus sancti: Ita Spiritum sanctum esse à Patre, & à Filio, & ab vtroque suam habere essentiam, sed ἐκπορευτῶς: quia Spiritus est, & dicitur, tã Filii, quàm Patris. Inde consequi, Filium non esse minorem Patre, vt Ariani contendebant. Hæc explicatio tam clara atque perspicua est, & res ipsa certissima: vt nulla etiam confirmatione, apud homines non contentiosos, opus habeat: Ne tamen nihil dixisse videamur; ad huius sententiæ confirmationem, quædam nobis sunt scripturarum loca examinanda: sed id quàm breuissimè fiet.

II. *Locus 1. & præcipuus ex Ioh. 15. vers. 26.*

Hic locus est, quo vnico vsi sunt Græci ad probandum, Spiritum sanctum non procedere à Filio, sed tantùm à Patre: quid ita? quia (inquiebant) nunquam legimus Spiritum sanctum procedere à Filio: sed tantùm legimus procedere à Patre. Verùm quàm huiusce modi argumentatio friuola sit, nemo non videt: nimirum Christus dicit Spiritum sanctum procedere à Patre: & non dicit procedere à se Filio: Ergo non procedit à Filio, sed tantùm à Patre. Est enim similis huic; ait Apostolus: *Quoniam estis Filij, misit Deus* (Pater) *Spiritum Filii sui* (& non ait Spiritum suum) *in corda vestra, &c.* Galat. 4. 6. Ergò Spiritus sanctus est tantùm Spiritus Filij, non autem Patris. Item similis est isti, Calor in aëre est à Sole: igitur non est à radio Solis. Si particula exclusiua, tantùm, vel à solo Patre, adderetur in antecedente; tum sequeretur Græcorum argumentatio. Quòd autem Patrem nominauerit, & non se Filium, dicendo: *Qui à patre procedit*: in promptu est causa. Quia enim dixerat, se missurum hunc Spiritum, inde satis apertè intelligere poterant Apostoli, Spiritum hunc, esse Spiritum Christi. Quare non fuit necesse addere, Qui procedit etiam à me. Deinde hæc dicebat vt Mediator: omnia autem semper referebat ad Patrem. Vt verò Patrem nominaret, fuit plusquàm necessarium; ne putarent Apostoli eum missurum Spiritum, qui non esset verus Dei Patris Spiritus. Quare ex hoc potiùs loco, collato cum cap. 14. & 16. colligi possunt multa, quib. confirmetur Spiritus sanctus procedere nõ minùs à Filio quàm à patre, cap. 14. v. 26. dixerat Christus, patrem missurum hunc Spiritum, idque in nomine Christi ipsius. Si nomen Spiritus accipiamus, vti accipiendum est, pro Spiritus sancti persona (is enim est paracletus: is est qui suggessit omnia, qui denique ea mirabilia præstitit, quæ Christus & hic, & cap. 16. fusius explicat:) Si, inquam, Spiritus significat hic Spiritus sancti personam, qui Spiritus, Deus est: quid obsecro aliud significauit Christus hac locutione, quàm Spiritum, quem pollicebatur, esse verum Dei Patris Spiritum? nullius enim est mittere Spiritum sanctum, nisi illius, cuius est. Io. 15. 26. Ergo cùm Christus etiam hic dicat se missurum esse Spiritum; apertè significauit, hunc paracletum, suum esse Spiritum, & non minùs suum, quàm Patris. Id quod aliis infinitis scripturarum testimoniis confirmatur. Vbi idem Spiritus Patris, Spiritus etiam Filii nominatur Rom. 8. 9. Spiritus Dei: postea Spiritus Christi vocatur. Gal. 4. v. 6. Phil. 1. v. 19. 1. Pet. 1. v. 11. Non minùs igitur Spiritus Christi est, quàm Patris. Atqui esse Spiritum Patris, idem est, atque esse à Patre, vt liquet 1. Cor. 2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum*, v. 10. Vbi vocat Spiritum, Spiritum Dei: id quod statim repetit v. 11. Mox subiicit ver. 12. *Nos vero non spiritum Mundi accepimus, sed Spiritum, qui est ex Deo.* Quem anteà vocauerat Spiritum Dei; statim eundem appellat Spiritum, *qui est ex Deo.* Quare docet idem esse, Spiritum Dei esse, & Spiritum esse ex Deo: Sicut etiam id[e]m sunt, Filium Dei esse, & esse ex Deo natum. Idem igitur etiam fuerit Spiritum esse Christi, & Spiritum esse à Christo. Cùm itaque Spiritus sanctus, non minùs sit Spiritus Christi, quàm Spiritus Patris, efficitur, Spiritum sanctum non minus esse à Filio, quàm à Patre. Ac proinde non minùs esse de substantia Filii, quàm de substantia Patris. & non minùs originem habere à Filio, quàm à Patre. Hoc autem est id quod Patres intellexerunt, hoc verbo procedendi. Hoc inde clarius illucescet, si cogites primùm, Filium non minùs esse Deum, quàm Pater sit Deus. Secundo Spiritum esse Filii, quatenus Deus est. Tertiò idem esse, Spiritum esse Dei, & ex Deo. Non minùs igitur procedit à Filio Deo, quàm à Patre Deo.

III. Idem confirmatur ab eodem verbo mittendi. Tam Filius mittit Spiritum sanctum, quàm Pater; vt ostensum est: imò eadem est missio, qua Pater mittit, & qua Filius etiam mittit, cùm vtriusque sit Spiritus; & actio Patris, ab actione Filii separari non possit. Ergo eadem etiam est Patris, & Filii, in mittendo Spiritu auctoritas atque potestas. Quomodo autem est eadem vtriusque auctoritas, si non ab vtroque etiam procedit? Non est enim auctoritas vni in alium in diuinis, nisi (vt vocant) originis: quatenus scilicet vnus est ab alio: vt Filius à Patre, & ab vtroque Spiritus sanctus. In reliquis omnibus, æquales sunt inter se. Illustro totum hoc quod conclusi ex verbo mittendi, simili Solis. In Sole tria sunt, corpus solare, radius & calor. Sol non est à radio, neque à calore: idcirco nunquam dicitur mitti sol à radio aut à calore. Radius, quia à sole est, idcircò mitti etiam in terram dicitur à sole. Calor ab vtroque, tam à radio, quàm à sole: hac de causa rectè etiam dicitur mitti in terram, tam à radio, quàm à sole. Hinc colligimus, hæc duo simul esse connexa in sole; esse ab aliquo, & ab eodem etiam mitti: vt à quo quis mittitur, ab eodem etiam esse, & emanare dicatur. Quid ni hoc magis in trib. illis diuinis personis, quarum vna, atque eadem est essentia, admittendum fuerit? Idcircò Pater nunquam dicitur mitti à Filio, aut à Spiritu sancto: quia Pater non est neque à Filio neque à Spiritu sancto. Neque etiam Filius, quà λόγος, legitur vnquam missus à Spiritu sancto, quamobrem? quia Filius non est à Spiritu. Legimus verò Luc. 4. 18. fuisse missum quà homo est, ad prædicandum & euangelizandum pauperibus. quare? quia quà homo est, à Spiritu sancto est vi Spiritus sancti conceptus. Hinc apparet eam personam tantùm ab altera mitti, quę ab altera etiam est. Ergo cum Scriptura apertè tradat, Spiritum sanctum mitti à Filio, consequitur Spiritum sanctum esse à Filio. Deinde ait Ioh. 16. v. 14. de Spiritu sãct. *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, quod renunciabit vobis.* Sensus est, Non aliam vobis tradet sapiẽtiam ab ea, quam ego vobis tradidi: hoc est, nihil planè diuersum tradet; & hac re glorificabit me, tanquam perfectum doctorem. Hæc est enim gloria Christi, quatenus doctor est, & propheta: si alius nemo, diuersum ab eo, quod ipse docuit, doceat. Ait autem sapientiam hanc à se accepturum Spiritum sanctũ. *De meo accipiet*, inquit, &c. Si de meo, ergo à me. Quomodo verò accepit à Christo Spiritus, quæ in mundum attulit? non certè alia ratione, quàm qua etiam Christus accepit à Patre. Nam eadem de se docuerat antea Christus; se nihil docuisse, nisi quæ acceperat à Patre. Filius autem, quà λόγος, & Filius, nõ accepit à Patre, nisi nascendo. Ergo & Spiritus sanctus accepit à Filio procedendo seu emanando à Filio. Atque hoc inde luculentiùs innotescet si consideres tum Spiritum sanctum verum esse Deum, tum Deum non accipere quicquam, nisi ab eo, de cuius est substantia. Est igitur Spiritus sanctus Deus, de substantia Filii Dei. Non enim ab alio accipit sapientiam Spiritus sanctus, quàm ab eo, à quo etiam habet essentiam: à Patre scilicet, & à Filio.

IV. Sed quod subdit adhuc clariùs confirmat quod diximus, cap. 16. v. 15. *Omnia quæ habet Pater, &c.* Occupatio est, Quomodo ais, ô Christe, Spiritum sanctum omnia accepturum à te? An non est accepturus à Patre Deo, quicquid nobis est allaturus? Omninò, sed quæcunque habet Pater, mea sunt: idcircò quicquid acceperit à Patre, à me quoque accipiet: propterea dixi, illum accepturum de meo.

quod

quod renunciabit vobis. Hinc apertè colligitur, si Spiritus sanctus accepit à patre essentiam, eandem etiam accepisse à Filio. Est enim hic generalis propositio. Quicquid igitur accepit Spiritus sanctus à Patre, illud etiam totum accepit à Filio. Ratio, *quia omnia, quæ habet Pater, mea sunt*, inquit Filius. Sicut igitur, quæ renunciauit Apostolis Spiritus sanctus, ea ideo dicitur accepisse non solùm à Patre, verùm etiam à Filio: quia omnia, quæ Pater habet, Filii sunt: Sic etiam concluditur, totam suam essentiam Spiritum S. accepisse, non solùm à Patre, verùm etiam à Filio, idque vt Iustinus ait, ἀναγκαστικῶς: quia omnia, quæ habet Pater, sunt ipsius Filii. Quare procedit tam à Filio, quàm à Patre Spiritus sanctus.

Quod si quis excipiat: At eodem argumento sequetur, etiam Filium, quicquid habet, accepisse à Spiritu sancto. quia quicquid habet Pater, est etiam Spiritus sancti: Responsio in promtu est. Ordo personarum obstat, quo minùs hoc consequatur de Filio, quod concluditur de Spiritu sancto. An non hæc etiam est vera; omnia quæ habet Filius, sunt Patris? omninò. Non tamen sequitur, Ergo quicquid habet Pater, habet à Filio. Ratio est: quia prima persona, non accipit à secunda; sed secunda à prima, tanquam ab origine, & fonte. Sic secunda persona nō accipit à tertia: sed tertia, à secunda, vt ordo, qui in scripturis indicatur, personarum seruetur. Primò enim ponitur Pater, vt fons: vnde & Filius, & Spiritus sanctus. Secundo, Filius, vt à quo etiam nō minùs, quàm à Patre sit Spiritus. Tertio, Spiritus; post hunc nemo. Ordo igitur iste efficit, vt optimè inferatur de Filio. Si omnia, quæ habet Pater, sunt Filii: ergo quicquid accipit Spiritus sanctus à Patre, accipit etiam à Filio, post quem sequitur Spiritus sanctus. Sed non contrà idem efficietur de Spiritu S. hoc modo: Quicquid habet Pater, est etiā Spiritus S. ergo quicquid accipit Filius à Patre, illud etiam accipit à Spiritu S. Filius enim immediatè omnia à Patre hābet, vt docet Scriptura: nihil autem à Spiritu S. Posterior enim accipit à priore, & ab eo originem habet: non contrà. Spiritus autem sanctus est posterior Filio; non tempore, nō æternitate, non aliquo æternitatis gradu: sed tantùm origine, & ordine personarum.

*V. Loc. 2. ex Ioh. 20. vers. 22.*

CHristus insufflando in Apostolos, dedit illis Spiritum sanctum. Illa actione, certum est, significatum fuisse, partim Christum tam facile, & verè posse Spiritum sanctum communicare, quàm etiam sufflare: partim Spiritum, tam intimum esse Christo, & naturalem, quàm etiam halitus, & flatus erat. Sed præter hæc, significare etiam voluit Christus, non minùs à se procedere, & è sua substantia spirari Spiritum sanctum, quàm Spiritus ille animalis, seu flatus ex ipso afflabatur. Sunt hæc omnia verissima, atque certissima. Ac proinde dubitari non debet, aut potest, Spiritū sanctum tam esse à Filio, quàm à Patre: ac proinde Filium, non minorem esse Patre. Confirmantur hæc ab aliis, tum auctoritatibus Patrum, tum rationibus etiam, à distinctione personarum inter se, & ab ipsis relationibus, ductis. Sed mihi propositum fuit scripturis tantum agere, cùm has tantùm admittant illi, aduersus quos hæc docemus, & scribimus. Proinde plura non addo: cum etiam non sit necesse. Satis enim mihi videor confirmasse, Spiritum sanctum esse, & veram personam, & verum, æternumque Deum, & denique à Patre, & Filio procedentem, tanque Filii esse Spiritum, quàm Patris. Veniendum itaque est ad horum veram ὁμουσίαν.

*LIBRI SEPTIMI FINIS.*

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS PRIORIS,

## Liber Octauus.

***Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non plures, sed vnum dnntaxat esse Deum Iehouam.***

### CAPVT I.

Eorum omnium, quæ superioribus libris tractata fuerunt, breuis repetitio. Thesis, quæ de vnitate essentiæ, in tribus personis, retinenda est: & eius explicatio.

HACTENVS demōstrata à nobis sunt, perspicuis certisq; scripturarum testimoniis: adde & rationibus è fonte sacrarum scripturarum collectis, hæc omnia. I. Vnum tantum esse Iehouam. II. Tres in hoc Iehoua esse ὑποστάσεις, seu Elohim, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. III. Hos tres Elohim inter se ita esse distinctos: vt vnus non sit alter. IV. Horum quemque, verum esse Deum Iehouam. Restat nunc quinta, eaque postrema Thesis explicanda, & confirmanda. Ea est de vnitate essentiæ Patris, Filii, & Spiritus sancti.

### THESIS.

*Etsi Pater verus est Deus Iehoua, & Filius, verus Deus Iehoua, & Spiritus sanctus, verus Deus Iehoua: non sunt tamen tres essentia numeroque Iehoua, sed vnus tantùm Iehoua.*

II TRes nominamus, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quia reuera tres sunt substantiæ, per se subsistentes, viuētes intelligentes, volentes, agentes: vt suprà demonstratum est. Et quidem inter se ita suis proprietatibus distinctæ: vt vna non sit altera: sicut etiam abundè explicatum, & confirmatum à nobis fuit. Deinde dicimus, Patrem verum esse Deum Iehouam: & Filium verum Deum Iehouam: & Spiritum Sanct. verum Deum Iehouam. Hoc verò ideò dicimus, quia non solùm idem nomen, tam de Filio, & de Spiritu S. quàm de Patre in scripturis prædicatur: verùm etiam quia quicquid est Dei, essentia, attributa, opera, & qui soli Deo debetur, honor, tam istis, quàm illi, in sacris scripturis attribuuntur: vt antea visum est: ac proinde profitemur, horum vnumquemque, esse natura, & essentia Deum, eoque verum Iehouam. Tertio loco adiicimus, quod est proprium huiusce postremæ quæstionis, Non esse tres essentia Deos. Hoc essentiæ nomen addimus, quia non inficiamur posse dici κατά τι, tres esse Deos: sicuti Iustinus, & aliquot alij loquuti sunt: hoc est, tres personas, quarum quæque Deus est. Nomen enim Dei vsurpârunt Patres isti pro persona, quæ Deus est; quum disputârunt aduersus eos, qui vnum contendebant esse Deum, non solùm essentia: sed etiam persona. Cæterùm tres esse natura & essentia Deos, nunquā docuerunt Patres illi. Non sine causa igitur adiectum voluimus essentiæ, imò & Iehouæ nomen. Hoc. n. nomine propriè diuina significatur essentia: sicut radix, vnde deriuatur, Hebraica, facilè docet. Cum essentia tamē sit vna tantùm, eaque perfectissima & simplicissima, & impartibilis: nullo modo possunt dici plures esse dii natura, & essentia, hoc est, plures Iehouæ. Postremò addita est particula, Numero. Hoc ideò factum est: quia sicut olim fuerunt, qui apertè negarunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse ὁμοουσίους: ac proindè contenderunt, non esse omnes vnum & eundem Deum οὐσίᾳ: Sic nunc non desunt, qui contendunt, nomine quidem esse ὁμοουσίους: sed reipsa diuidunt in partes diuinam οὐσίαν. Dicunt enim Patrem, Filium & Spiritum S. esse ὁμοουσίους, quemadmodum homo ho-

uni est ὁμοούσιος. Ita inferunt: Sicut multi homines, & multi sunt, & vnus: vnus quidem τῇ οὐσίᾳ, h.e. natura, quia omnes eiusdem sunt naturæ: multi verò numero, quia multæ personæ: sic isti tres, Pater, Filius, & Spiritus S. & tres sunt dij, & vnus. Vnus οὐσίᾳ, quia omnes eiusdem sunt essentiæ, h. e. naturæ: tres verò numero, quia sunt tres personæ, quarum quæque Deus est Iehoua, ab alio ita distinctus, & disiunctus: vt omnes simul, vnus esse Deus Iehoua minime possint: Sed, vt tres sunt personæ, tresque Elohim, sic etiam tres sint numero Iehouæ omnino oporteat. Verùm quid hoc est aliud, quàm cum Arianis ludere in verbis: & ὁμοιούσιον accipere, pro ὁμοούσιον: Cùm tamen maximum sit inter hæc discrimen? Esse enim Patrem, Filium, & Spiritum sanctum ὁμοουσίους, Patres & vniuersa Ecclesia intellexerunt, omnes simul ita eiusdem esse essentiæ: vt vna & eadem sit in singulis: sicque omnes tres, esse vnam atque eandem essentiam, quæ quatenus variis distinguitur proprietatibus, quas Iustinus vocat diuersos subsistendi modos: varias etiam, hoc est, plures, veréque inter se distinctas, quanquam per omnia æquales, constituit personas, ac proinde respectu essentiæ, quæ vna est omnium, & in omnibus impartibilis, καὶ ἀδιαίρετος: omnes vnum tantùm numero esse Deum, respectu verò personalium proprietatum, quibus eadem οὐσία distinguitur: tres esse ὑποστάσεις, seu tria πρόσωπα. Hac igitur de causa adiecimus hanc particulam, vt verā ὁμοουσίαν explicaremus, Patris, Filii & Spiritus sancti.

III. Clariùs etiam explico, quod dixi vt meliùs intelligamur, quonam sensu dicamus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, non esse tres essentia, & numero Deos: sed vnum tantùm. Deus, etsi definiri non potest: interim tamen omnium iudicio, est τὸ ὂν æternum & perfectum, quo nihil perfectius excogitari potest. cùm & per se existat: & causa sit πάντων τῶν ὄντων. Tradunt hoc scripturæ: vt quum ipse Deus vocet se, ὁ ὤν, Exod. 3.14. Apoc. 1.4. [illegible]. Et hinc facit nomen Dei proprium, Iehoua: à verbo, quod esse significat. Tale eius nomen, solitum est appellari à patribus οὐσία, in abstracto, ἀντὶ τοῦ ὄντος: tum quod melius hoc nomine exprimeretur Dei simplicitas; tum etiam, quòd plus perfectionis exprimatur hoc nomine abstracto, οὐσία, seu essentia, quàm concreto, nempe, τὸ ὄν: vt quum etiam dicimus aliquem esse non iniquum, sed ipsam iniquitatem, & alium non sanctum, sed ipsam sanctitatem. Et philosophi scriptū reliquerunt, & quidem verissimè: si formæ inuenirentur in abstracto, illas futuras seipsis in cōcreto perfectiores. Quis enim nescit, albedinem, si per se inueniretur, perfectiorem fore rem, omni corpore albo? Cùm itaque Deus sit, τὸ ὂν perfectissimum & simplicissimum, quo nihil perfectius, & simplicius excogitari potest: iudicàrunt patres, & alii doctissimi viri, non posse meliù exprimi, quid sit Deus, quàm si dicamus esse οὐσίαν, hoc est, essentiam, æternam, perfectissimam, cum aliis attributis, quæ illi dat scriptura sancta: propterea quod perfectius quiddam, & simplicius significat nomen abstractum, οὐσία, quàm concretum τὸ ὄν. Adde: quòd nomina abstracta, significant suapte natura, res impartibiles. Neque enim diuidi in partes possunt, scientia, aut albedo, & οὐσία: concreta verò suapte natura, sicut significant compositionem quandam ex subiecto, quod est tale, & ex forma, qua tale est: sic etiam significant res, quæ aliquo modo diuidi in partes saltem animo possint. His igitur de causis non immeritò dicitur Deus, essentia esse æterna. Ac quid aliud est obsecro id, quod Apostolus vocat θεότητα: Col. 2.9. quàm θεία οὐσία, hoc est diuina essentia? Cùm enim vellet probare, Christum verum esse, & perfectissimum natura Deum: dixit in eo habitare πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, quod quid aliud fuit, quàm dicere, plenitudinem diuinæ essentiæ? Quare non potest vlla iusta de causa reiici hæc vox, οὐσία, quum dicimus, Deum esse οὐσίαν. Quòd si morosi homines nolint nomen essentiæ; non possunt certè euadere, quin cogantur admittere nomen, quo vtitur Apostolus, nempe θεότητος. Possumus igitur Deum vocare τὴν θεότητα, ipsam deitatem: diuinam, inquam, ipsam naturam, & essentiam. Neque enim Deus compositus est, vt constet subiecto, quod: & Deitate, qua Deus sit: Sed est ipsa Deitas. Quid est autem θεότης aliud, quàm ipsa (vt dixi) essentia diuina, vna, impartibilis, & immensa? Nunc tenemus rectè dici, Deum Iehouam, esse ipsam diuinam essentiam. Hinc sequitur, patrem esse diuinam essentiam, quia Deus est Iehoua: Filium etiam diuinam esse essentiam, quia & ipse Deus est Iehoua: Spiritum quoque sanctum esse diuinam essentiam, quandoquidem & ipse non minùs quàm Pater, & Filius, est Deus Iehoua. Cùm autem diuina hæc essentia vna sit, quia impartibilis, immensa, & perfectissima est (id quod scripturæ prædicant, partim quum inculcant vnum tantùm esse Iehouam immensum, impartibilem, & perfectissimum, partim quum vnam duntaxat in singulari numero nominant θεότητα.) Hinc apertè & necessariò efficitur, vnum tantùm esse Iehouam, vnúmque Deum: cùm Deus nihil aliud sit, quàm ipsa diuina essentia, quæ vna est numero, & non plures. Vnde Augustinus to. 3. de Tri. l. 7. cap. 1. & 2. contendit Patrem & Filium vnam esse sapientiā: quia etiam vna sunt essentia. Hæc sunt perspicua certissima etiam esse non dubitant docti & pii. Nos vero rem ita se habere, apertis demonstrabimus scripturis.

IV. Verùm hinc confestim oritur difficilis admodum quæstio ad explicandum, & ad intelligendum, & quæ propria est de trinitate. Ex qua quæstione non probè intellecta, ortę sunt omnes hæreses aduersus hunc articulum de Deo vno, in tres personas; seu de vno Iehoua in tres Elohim distincto. Ex eadem verò orthodoxè & iuxta scripturas, intellecta, & explicata illustrior, & dilucidior apparet veritas nostræ fidei, qua credimus, vnum tantùm esse Deum Iehouam, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres inter se verè distincti Elohim, seu personæ. Quæstio igitur hęc est.

Si Deus ipsa est diuina essentia, quia est Iehoua: & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sunt hæc vna atque eadem diuina essentia, quia quisque illorum est Iehoua. Quomodo igitur sunt tres Elohim, ὑποστάσεις, personæ, inter se distinctæ? videntur enim hæc inter se pugnare: esse vnum, & esse plures.

Hactenus respōsum est ab orthodoxis scriptoribus, & id quidem piè, ac verè, minimè ista pugnare: quia diuersis respectibus, & vnum sunt, & plures: vnum, respectu essentiæ: plures, respectu personarum. hæc dilucida est responsio. Sed si vlteriùs interroges, at quomodo intelligitis, esse vnum respectu vnius essentiæ, & plures, respectu personarum? Explicant illi in hunc modum: in vna & eadem essentia, tres constituunt personæ: respectu igitur vnius essentiæ, in qua subsistūt omnes, esse vnum: respectu verò personarum quæ subsistunt, esse plures. Cæterùm aduersarii, non hac contenti explicatione: arripiunt hęc verba calumniosè, & inferunt, nos quatuor constituere deos: vnum, qui vocetur essentia, & tres qui vocentur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quasi verò nostri statuant essentiam diuinam, ceu quandam quartam substantiam, extra personas subsistentem: & deinde tres personas, quasi tres alias in illa quarta subsistentes. Est hoc, verba sanè & rectè dicta, malignè & calumniosè interpretari. Illa enim locutione, nostri nil aliud intellexerunt: quàm omnes has tres personas, eadem constare essentia, sicque eandem esse, in omnibus essentiam. Sicut enim dicimus Solem & radium eadem constare luce, seu, eandem lucem esse in Sole, & in radio: Idem etiam significari dicimus hac alia quamuis valdè impropria, locutione, Solem & radium in eadem luce subsistere. Neque tamen hinc sequitur, nos fingere lucem, quasi tertiam quandam substantiā, à Sole & à radio diuersam: quia subsistant Sol & radius. Ergo orthodoxorum responsio, si rectè intelligatur: & verissima est, & secum non adfert illud absurdū, quod inde consequi contendunt aduersarij: sed imperitè & ἀσυνάρτητα. Etsi verò ita se nobiscum gerunt malignè, & calumniose perditi homines: est tamen, cur demus operam vt quoad eius fieri potest, & ipsis obturentur ora: & simplicioribus veritatis alioqui amantibus, consulatur. Quanam ratione? Perspicua magis, & dilucida veritatis explicatione è fonte sacrarum literarum petita. Pro mea igitur virili, próque eo lumine, quo me dignatur Deus: quæstionem hanc per scripturas, & iuxta analogiam fidei explico in hunc modum.

V. Constat iam è sacris literis, Deum reuera essentiam esse æternam, immensam, perfectissimámque: quæ in Scripturis, vnius deitatis nomine significatur: cùm Deus sit ὁ ὤν, vt Græci habent, seu, vt alii vocant τὸ ὄν, & Iehoua. Ac proinde etiā manifestū est: si quē vocant sacræ literæ Patrē, Deus est: &, si quē nominãt Filiū, Deus est: & si etiam quem appellant Spiritum sanctum, Deus est: tam Filium & Spiritum S. quàm Patrem, esse hanc æternam, immensam, perfectissimámque essentiam: ita vt de singulis, eadem ex æquo prædicetur οὐσία. Deinde illud etiam extra controuersiam est apud omnes, qui sacras profitentur literas: hos tres, his rationibus inter se differre & distingui: quòd Pater sit à nullo, eoque simpliciter ἀγέννητος sit. Filium gignens: quòd Filius sit à Patre, per verā, sed inscrutabilem generationem, eáque verè sit γεννητός: & quod Spiritus S. sit à Patre & à Filio, per ineffabilem actionē, quam processionem vocant, eoque verè sit, & dicatur ἐκπορευτός. Quia enim sacræ Scripturæ nullam docent esse primæ personæ, hoc est Patris originem, sicut docent secundę, & tertiæ, nempe Filii, & Spiritus sancti: hac de causa, prima vocatur ἀγέννητος. Quia verò docent, ab ipsa genitam esse alteram, nempe Filium: & procedere

Spiri-

Spiritum sanctum:ideircò eadem prima persona non solùm vocatur Pater, sed etiam fons atque origo totius deitatis, in Filio & Spiritu S. Quid est autem hoc aliud, quàm & Filium, & Spiritum S. originem suæ deitatis habere à Patre; illum, per modum, quem Scripturæ vocant generationem: hunc, per modum, quem eędem appellāt processionem? Origine verò habere, nihil aliud est, quàm habere essentiam ab alio communicatam: sicut contrà nullam habere originem, est essentiam habere à seipso, à nullo autem communicatā. Quia igitur hoc est proprium Patris, vt tanquam ἀγέννητος, Filium ex seipso, h.e. ex sua essentia generet: & Spiritum S. vnà cum Filio ex se, hoc est, ex sua emittat essentia: Filij verò proprium est, vt genitus ex Patre, vnà cum Patre, Spiritū sanctum è sua emittat substantia: Spiritus autem sancti propriū est, vt à Patre, & à Filio emanet, seu procedat: atque ita his rationibus istisque personalibus proprietatibus inter se differunt, & distinguūtur: idcirco Patres, & alij non contemnendi scriptores Ecclesiastici, dixerunt, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctū, nulla re alia inter se differre, & distingui, quàm suis propriis relationibus & proprietatibus personalibus, ἀγεννησία, γεννήσει, καὶ ἐκπορεύσει. Sunt hæc omnia etiam in S. Scripturis reapse perspicua, atque certa: nempe & Deum, esse essentiam: & personas, suis distingui proprietatibus. Hæc cum ita se habeant: si quis velit vtcunque hasce personas definire, essentia fuerit loco generis, quatenus de singulis personis ex æquo prædicatur, vt antea visum est. Proprietates vero singulorum, nobis erunt instar differentiarum, quibus vnaquæq; persona ab alia distinguitur. Etenim quid sunt personæ aliud, quàm ipsa essentia, non simpliciter accepta, sed certis personalibus proprietatibus distincta? essentia enim per sese, sine talibus proprietatibus considerata, nomen simplicis essentiæ retinet: & ita ex æquo de omnibus personis prædicatur. Eadem verò, prædictis proprietatibus distincta, ipsas constituit personas: & nomen substantiæ seu ὑποστάσεως suscipit. Neque enim persona reapse aliud est, quàm essentia, certa aliqua personali proprietate distincta. & quasi (vt ita cum Scholasticis loquar) indiuiduata. Proinde cum tribus distinguatur proprietatibus, ἰδιότησι, tres constituit ὑποστάσεις, seu personas: ita inter se distinctas, vt vna neque (nisi τῇ οὐσίᾳ) sit in alia; neque prædicetur de alia. Reipsa tamen persona (vt dixi) non est substantia, ab essentia diuisa: sed ipsa est essentia, verùm certa proprietate, quasi ex communi in singulare & ἄτομον, contracta.

VI. Simili declaro, quantum potest arcanum illud mysterium similibus à natura petitis illustrari. Lux, quæ reapse eadem est in Sole, & in radio: sed in sole quidem, tanquam ab alio (ita supponatur) minimè dependens, aut communicata: in radio verò, tanquam à Sole dependens, & communicata: hæc, inquam, lux simpliciter, & per sese, sine iis, quas dixi, differentiis considerata, nomen simplicis lucis retinet: & vna tantùm est, prædicatúrque tam de medio, quàm de Sole: atque ita se habet loco generis. Sed si eadem consideretur, quatenus independens, seipsam totam communicat, nempe radio: hac proprietate contracta, atque distincta, constituit Solem. Quid enim est Sol, nisi lux (neque enim hìc considero corpus ipsum solare) nisi, inquam, lux ab alio non dependens: sed seipsam totam radio communicans? Si autem consideretur eadem lux, quatenus tota est in radio, essentialiter communicata: illa, hac alia proprietate distincta à Sole, constituit radium. Quid enim est radius aliud, quàm lux eadem, quæ in Sole est: sed à Sole, tota essentialiter communicata? nam neque hìc considero aerem, in quo lux est radij: sed solùm lucem communicatam. Hoc simili vtcunque intelligimus, quid de illa luce Deitatis, æterna, & perfectissima, simplicissimaque sentiendum sit. Vna & eadem lux est Solis, & radij, non extra Solem, aut radium, sed & in Sole, & in radio. ita vt Sol nihil aliud reipsa sit, quàm hæc lux, & radius nil aliud, quàm eadem lux: ita vt non possint dici duæ luces: sed vna duntaxat reipsa lux. Interim tamen, quatenus consideratur in Sole, & in radio iuxta varias proprietates: eadem lux à seipsa distincta est, non quidem natura, & essentia: sed diuersis (vt hìc etiam sic loquar) proprietatibus, ἀγεννησίᾳ nimirum in Sole, & γεννήσει in radio. Sic itaque, vt tandem huic explicationi finem faciam, statuendum est: primùm, Vnam tantùm esse diuinam essentiam, æternam, simplicissimam, perfectissimam, vt Scripturæ describunt, &, quem vocant Deum, hanc esse essentiam. Deinde: Hanc essentiam diuersis subsistendi modis, quos proprietates vocant personales, in plures distingui personas: hoc est, quatenus ipsa ingenita, & incommunicata, seipsam (impropriè loquendo: Pater enim propriè eam communicat; & communicando, filium generat) quatenus, inquam, ipsa incommunicata, seipsam totam communicat, per actionem immanentem, quam generationem Scripturæ vocant: eatenus eam nominari, & esse Patrem, eandem verò à Patre communicatam, per actionem, vt dixi, immanentem, quæ dicitur generatio, vocari, & esse Filium, & is propriè dicitur genitus. Denique eandem, quatenus tota per actionem ineffabilem, quam processionem vocant, communicatur à Patre & à Filio: eatenus vocari, & esse Spiritum sanctum, qui hanc etiam ob causam, Patris, & Filij spiritus vocatur, & is propriè dicitur procedere à Patre, & à Filio. Ita videmus essentiam reuera eandem, diuersis hypostaticis proprietatibus, quasi diuersis subsistendi (vt loquitur Iustinus) modis, diuersas constituere personas, inter se quidem distinctas, ac non diuisas, neque dissimiles: cùm omnes vnà & eadem constent non tam natura, quàm essentia, diuersis subsistendi modis distincta.

VII. Scio, quid hìc mihi possit, quantum ad quasdam locutiones, ex Lombardo, & Aquinate & aliis obiici, de modis loquendi propriis apud eos essentiam scilicet diuinam, de natura suæ significationis esse illud, quo: Deum autem in concreto, esse illud, quod: ac proinde rectè quidem dici Deum genuisse Deum, non autem essentiam, essentiam: quòd essentia ex modo suæ significationis, non possit supponere (vt illi loquuntur) pro persona. Verùm, non hìc de loquendi modis disputo, & fassus sum impropriè dici essentiam seipsam communicare, & aliquem generare, sed tantùm res ipsas, vt intelligantur, quantum possunt à nobis in huius mundi tenebris intelligi, pro mea virili explico. Fatentur autem & ipsi, tum essentiam in diuinis nihil aliud esse secundum rem, quàm personam, & personam nil aliud, quàm essentiam: tum etiam Deum idem esse, quod Deitas. Non pecco igitur, si explico res ipsas, sicut realiter se habent, præsertim cum Augustinus quoque, & alij non dubitârint dicere, essentiam esse de essentia: pro, Filium de Patre, sicut Deum de Deo: lumen de lumine, & ambos esse vnam essentiam, vnum Deum, vnum lumen. Et Ignatius ad Magnes. dixit, οὐσία γεννηθεῖσα: eandem phrasim vsurpârunt Patres in concilio Niceno, vt refert Thе. histor. lib. 1. ca. 12. Et in libro de fide ad Petrum, qui liber Augustino inscribitur, legimus, naturam & diuinitatem Filij natam, & genitam esse de natura Patris, & de hac re ait, dubitandum non esse. Thomas verò Aquinas hasce locutiones, vt orthodoxas, admittit, essentia diuina est Pater, Filius, & Spiritus S. & contrà, Pater, Filius, & Spiritus S. sunt ipsa diuina essentia. Item de singulis personis, Pater est essentia diuina, Filius est essentia diuina, & contra: essentia diuina est Pater: essentia diuina est Filius. Ac proinde has locutiones, licèt improprias, quas Patres vsurpârunt, non posse simpliciter improbari, nempe essentiam genuisse essentiam, hoc est, Patrem, qui est essentia, genuisse Filium, qui eadem est essentia: nam si quis velit propriè loqui, dicendum potius fuerit, Pater, qui est essentia, genuit Filium, qui eadem est essentia, quàm essentiam genuisse essentiam. Ergò neque ego, si has velim locutiones vsurpare, explicandæ & illustrandæ veritatis de vnitate essentiæ, causa, damnari possum aut debeo.

VIII. Atque, vt liquidius appareat, me à veritate non aberrare, ita confirmo explicationem meam. Si quis dicat, Pater, quà Deus, est essentia æterna, & quà Pater, est ὑπόστασις, atque persona, nemo hominum piorum, hac offendetur oratione: neque itidem, si idem dicam de Filio, & de Spiritu sancto, nempe, Filius, quatenus Deus, est essentia illa æterna: quà Filius est altera ὑπόστασις, & persona, & ita de Spiritu sancto. Quid est autem illud, quo fit, vt iste, quem vocamus Patrem, sit, & dicatur Pater? Est ἀγεννησία: & verò etiam simul γέννησις actiuè accepta, hoc est, quia ingenitus ipse, generat alium è sua essentia, hoc est, quia ingenitus ipse, generat alium è sua essentia, id quod nihil aliud est, quàm totam suam essentiam, per actionem immanentem, quam generationem scripturæ vocant, communicando, alteram producere, hoc est, Filium procreare. Quid verò illud est, quo etiam fit, vt quem vocamus Filium, sit Filius? Altera proprietas, seu alter subsistendi modus, nempe γέννησις, passiuè accepta, hoc est, quia genitus est ex Patris substantia. Quid denique est illud, propter quod Spiritus, sit Spiritus sanctus? Tertia proprietas ἐκπόρευσις, quia neque generans, neque genitus à Patre, & à Filio ἐκπορεύεται. Istæ igitur proprietates, siue tres subsistendi modi, efficiunt, vt & Pater sit persona à Filio, & à Spiritu sancto distincta: & Filius persona à Patre, & à Spiritu sancto discreta, & ita de Spiritu sancto. Est autem manifestum personam realiter, & secundum rem (vt loquuntur Scholastici) seu, vt latinè loquar, reapse: idem esse, quod essentia est. Neque enim existimandum est, in illa simplicissima Deitate, perso-

nentem in effabilemque patris & Filij actionem, communicata: eoque persona est à Patre & à Filio, per omnem æternitatem procedens. Sunt hæ personarum descriptiones, ex iis quæ huc vsque dicta sunt, & perspicuæ & certæ. Illud tantum adhuc monitos velim Lectores, vt quum dicimus essentiam communicatam, nempe Filio & Spiritui sancto: ne existiment Filium aliquid diuersum esse ab hac essentia, quæ per generationem communicata est: quasi reipsa aliud sit res communicata ab eo, cui communicata esse dicitur: minimè verò. Sed essentia per generationem communicata, nil aliud est, quàm ipse Filius genitus. Sicut etiam essentiæ per generationem communicatio: nihil aliud est, quàm ipsa Filij generatio. Essentia ergo tunc dicitur Filio fuisse communicata: quum Filius ex ea genitus est, id quod ab omni fuit æternitate. Atque idem dicimus de Spiritu sancto. Nam etiam apud nos, tunc filiis nostris dicitur communicata fuisse humana natura, quum geniti fuerunt homines. Proinde simpliciter diximus, Filium esse ipsam essentiam, à patre, per generationem communicatam. Essentia enim in Deo, res est per se subsistens: neque à seipsa in vllo differt, nisi modis subsistendi diuersis, in Patre, in Filio, in Spiritu sancto. Explicaui, vt potui hoc mysterium. Qui melius id ex singulari Dei dono, efficere potest: istud vt faciat, rogo, & obsecro. Atque hæc satis, pro Theseos explicatione.

## CAPVT II.

### Theseos, de hac doctrina superiùs explicatæ, confirmatio ex tribus argumentis, ductis à principiis, per se notis.

CONfirmanda nunc est propositio, nempe hosce tres, vnum tantum esse οὐσίᾳ, & numero Iehouam. Ac primum quidem rationibus ex certis ac indubitatis principiis, hoc faciemus. Deinde apertis Scripturarum testimoniis ad id vtemur. Postremò Patrum, Iudæorum etiam & Gentilium auctoritatibus, quàm impia sint Tritheitarum commenta, ostendemus.

*Argumentum primum ab vnitate essentiæ.*

SI Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt vna & eadem, non autem multiplex essentia diuina: sunt etiam non multi Iehouæ, sed vnus duntaxat numero Deus Iehoua. Est hæc manifesta propositio: A definitione (vt loquuntur) ad definitum. Ostendimus enim Deum nil aliud esse, quàm diuinam, eamque æternam, simplicissimam, immensam, perfectissimamque essentiam. Et quidem hanc esse vnam duntaxat: tum quia in scripturis vnus tantùm est ὁ ὤν: & apud Philosophos vnum tantùm τὸ ὄν: tum: quia vnus tantùm Iehoua, vnde nomen essentiæ deriuatur: tum, quia vnam tantùm legimus in Scripturis Deitatem τῆς θεότητος: Col. 2. 9. tum, quia ipsa diuina essentia simplicissima est, eoque in partes secari nullomodo potest. Quod enim nullo modo compositum est, illud etiam nulla ratione diuidi potest: & vnaquæque res, catenus diuidua, & multiplex fit, quatenus ea composita est. Quare, cùm diuina essentia simplicissima sit, ea etiam vna tantùm sit necesse est. Atqui Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vna & eadem diuina essentia. Est enim Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, & quidem Deus Iehoua, vt ante demonstratum est luculentissimè. Quisq; igitur diuina est essentia: & ea non multiplex, aut diuersa, sed vna omnium, atque eadem. Est enim paulò antè demonstratum, diuinam essentiam, non posse nisi vnã esse: alioqui si diuidi, aut vlla ratione multiplex fieri possit: non fuerit hæc diuina illa essentia, quæ est Deus. Item dubium esse non potest, quin in Patre sit omnis plenitudo deitatis, hoc est diuinæ essentiæ. Eandem esse in Filio, docet Apostolus, Col. 2. 9. Quare non est cur negemus, eandem plenitudinem in ipso quoq; Spiritu sancto inesse: cùm etiã ipse non minùs sit Iehoua, quàm Pater & Filius, vt anteà demonstratum est. Quid autem est plenitudo deitatis, nisi tota diuina essentia? Tota igitur in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto, nec solùm tota, sed eadem planè: cùm vna tantùm sit Deitas (vt scripturæ docent,) & non plures. Quũ autem dicimus, diuinam essentiam esse in Patre, esse in Filio, esse in Spiritu sancto: non sic intelligenda sunt hæc verba, quasi Pater sit quædam per se subsistens substantia, ab essentia ipsa diuersa: cui substantiæ insit porrò ipsa diuina essentia. Forent. n. duæ substantiæ, simul vnitæ, & compositæ: quemadmodum est anima, in corpore, substantia scilicet in alia substantia. Sed intelligimus Patrẽ constare, essentia, & suo proprio subsistendi modo: qui est, esse ἀγέννητον. Quid autem hoc est aliud, quàm patrem, esse diuinam essentiam ἀγέννητον, vel ἀγεννήτως? Idem dico de Filio, & de Spiritu sancto. Quare cùm etiam dicimus, iuxta scripturas, Patrem, generando Filium, totam suam Filio substantiã communicasse: nihil aliud dicimus, quàm Patrem totam suam essentiam, γεννητῶς (vt loquitur Iustinus) communicasse, & hanc ita γεννητῶς communicatam vocari, & esse Filium Dei Patris. Neque dissimili sensu dicimus, Patrem, & Filium, totam suam essentiam, Spiritui sancto communicasse, hoc est, hanc essentiam ἐκπορευτῶς à Patre, & filio communicatam, esse Spiritum sanctum. Hinc liquidò apparet, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, esse vnam numero, atque eádem prorsus, diuinam essentiam, diuersis tantùm subsistendi modis à seipsa distinctam. Ad confirmationem huius assumtionis pertinent illa loca, vbi Pater, & Filius, & ex consequenti etiam Spiritus sanctus dicuntur esse vnum: *ego & Pater* (inquit Christus Ioh. 10 30.) *vnum sumus*. Item, *Et hi tres vnum sunt*, 1. Ioha. 5. 7. Quomodo vnum? nimirum essentia. Sic Tertull. contra Praxeam. pag. 425. Sic Augustinus, sic Iudæi intellexerunt: ideò voluerunt eum lapidare, vt blasphemum. In ipsis enim personis, Patre, Filio, Spiritu sancto, duo tantùm sunt, essentia, & modus subsistendi, vt anteà vidimus ex Iustino pulchrè explicatum. Nam siue potentiam, siue sapientiam, siue bonitatem, siue iustitiam, siue denique quidnis aliud in Deo considere s, & de Deo dicas, excepto subsistendi modo, quo certa determinatur persona, totum illud reliquum ad essentiam pertinet, & est ipsa diuina essentia. Ac proinde si dixeris esse vnum, potentia, vel consensu, vel alia re: vnum esse, essentia dixeris: cùm vnaquæque persona nulla alia re constet, quàm communi essentia, & proprio subsistendi modo. Non sunt autem Pater, Filius, & Spiritus S. vno subsistendi modo: cùm vnus sit ingenitus, alter genitus, tertius procedens. vnum igitur sint essentia vna necesse est. Esse autem vnum essentia vna, quid aliud est obsecro, quàm esse vnam & eandem essentiam? Si autem Pater, Filius, Spiritus sanctus vna sunt, eademque essentia, vt iam satis abundè demonstratum est, consequitur necessariò, Patrem, Filium, Spiritum sanctum esse vnum numero, eundemque omninò Deum Iehouam, & non plures. Huc facit etiam illud Ph. 2. 6. *qui cùm in forma Dei esset*, hoc est, in essentia diuina: Sicut posteà formam serui accepit, (id est, humanam naturam) *seruus*, hoc est homo, *factus*. Sic interpretatur Basilius contra Eunom. Lib. 1. p. 317.

*II. Arg. 2. ab vnione personarum essentiali.*

SI Pater, Filius, & Spiritus sanctus ita inter se sunt coniuncti, vt & vnus sit in alio τῇ οὐσίᾳ, & separari à se mutuò non possint: nullo modo possunt esse plures numero dij Iehouæ. Vt enim multi sunt reuera dij: necesse est, non solùm propriis subsistendi modis omnes inter se esse distinctos: verùm etiam, sua quenque substantia, ab alio esse disiunctum. Nomen enim Dei, non modum subsistendi significat: sed veram οὐσίαν, atque substantiam. Nomen autem personæ, seu patris, item filij, item Spiritus sancti vtrumque complectitur, nimirum substantiam simul, & modum subsistendi proprium. Ac proinde si non sunt à se inuicem substantia quisque sua disiuncti, non possunt esse multi, numero, & reapse, dij. Atqui totus Pater est in Filio: Filius in Patre: vterque in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus tam in Filio, quàm in Patre τῇ οὐσίᾳ: idque inseparabiliter. De Patre, & Filio: *Ego in Patre, & Pater in me*, ait Christus: Item: *Filius qui est in sinu Patris*: Item: *sicut tu in me, & ego in te*. Io. 14. 11. & 1. 18. & 17. 21. De Spiritu sancto in Patre, & Filio Apostolus ad Corint. *quis nouit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? ita nemo, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei* (Patris scilicet & Filij) nẽpe, qui in ipso est Deo. 1. Cor. 2. 11. Nam Spiritus Patris, & Spiritus Christi vocatur. Rom. 8. 9. Ac proinde Spiritus Patris, & Filij tam est in Patre, & in Filio, quàm Spiritus hominis, in homine. Quare non possunt esse plures essentia, & numero dij. Alioqui non tam essent inter se distincti, propriis subsistendi modis: quàm etiam sua quisque essentia, ab altero diuisus, quemadmodum nos quoque inter nos, non tam distincti, quàm etiam disiuncti sumus, sua quisque persona: eoque sua quisque substantia. Nam quomodo Filius est in Patre, & Pater in Filio: nisi vnione essentiali, vel potiùs ταυτότητι τῆς οὐσίας? Qui igitur contendunt Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres esse Spiritus, trésque Deos: ij apertam dant significationem, se non intelligere: quid sit Patrem esse in Filio, & Filium in Patre, & Spiritum sanctum Spiritũ esse Patris, & Filii, in Patre, & Filio manentem. Certum est enim quò minùs aliquid diuisibile est: illud eò magis vnum esse. Aduersus hoc ἀξίωμα, nulla valet sophistica. Est autem Filius, omninò inseparabilis, & indiuisibilis à Patre

Et Moses ait, *Prouocastis ad iram Iehouam.* Deut. 6.7.8.18.22. Et in Psal. *Tentauerunt* אל, *Deum, in solitudine.* Psal. 106. 14. Atqui iste non solùm fuit Pater, verùm etiam Filius, & Spiritus sanctus teste Apostolo. 1. Cor. 10. 9. Hebr. 3. 7. &c. De Spiritu sancto etiam Iesa. hoc testatur. Iesa. 63. 10.

*IV. Loc. 5 ex Deut. 9. v. 4. 5. & 13.*

QVis etiam ille est, qui se vnum iubet adorari sibique vni verum præstari cultum, inuocationis, fiduciæ, & iurisiurandi? Iehoua vnus, & verus. Primùm de hoc ait Moses: *Iehoua dij nostri, Iehoua vnus est.* Et mox ait: *Diliges igitur Dominum Deum tuum* (id est, hunc vnum Iehouam) *ex toto corde.* Et paulò pòst, de eodem vno Iehoua loquens, ait: *Iehoua Deū tuum timebis* (quo verbo complectitur omnem internum cultum) *& ipsum* (solum) *coles* (quo verbo intelligo externum cultum) vt Christus interpres docet, dicens: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis* (ecce verbum timebis) *& isti soli seruies* (ecce externum cultum.) Matth. 4. 10. Est igitur vnus tantùm Deus ille, quem Moses & Christus iubent coli, & adorari. Num verò solus Pater adorandus est, colendus, inuocandus? Imò etiam Filius, teste Apostolo. Hebr. 1. 6. Psalm. 97. 7. *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Quis autem est ille, de quo loquitur Dauid, dicens, *Adorate eum vos omnes Elohim,* id est, dij, seu Angeli, & Principes? Iehoua. Sic enim incipit Psal. 97 *Iehoua regnat, exultet terra.* Postea ait: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.* Et mox de hoc Iehoua verò Deo ait, *Adorate eum vos omnes Elohim.* Et tamen Apostolus hunc locum de Filio interpretatur. Bifariàm igitur ex hoc loco concluditur, Christum cum Patre esse illum Iehouam, qui solus adorandus à Mose proponitur. Primo, quia Apostolus docet Christum esse illum Iehouam, de quo Dauid. Scimus tamen locum de Patre cumprimis esse intelligendum. Deinde quia docet hunc Christum esse adorandum, nempe cum Patre. Ergo si vnus tantum est Deus Iehoua ille, qui à Mose primùm, deinde à Dauide, postremo à Christo iubetur solus adorari, & si is est non solus Pater, verùm etiam interprete ipso Apostolo, Filius: consequitur necessariò, Patrem & Filium vnum esse & eundem Iehouam. à quo neque Spiritus sanctus excluditur, cùm sit Spiritus Christi, & Patris: & in scripturis etiam adoretur & inuocetur, vt supra demonstratum est.

*V. Locus 6. ex Psal. 18. vers. 32.*

QVis est Deus (ait Dauid) *præter Iehouam? & quis fortis præter Deum nostrum?* Præter Iehouam. Negat igitur simpliciter, vllum esse Deum, præter Iehouam. Et tamen an non abundè docet Dauid, Filium esse Iehouam? Hoc à nobis demonstratum fuit satis superque, atque itidem de Spiritu sancto.

*Locus 7. ex Psal. 68. vers. 19.*

VNus tantùm est Deus ille, cui Dauid canit, *Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.* Atqui hic fuit non solùm Pater, sed etiam Filius, teste Apostolo ad Eph. 4. 8. Eoque & Spiritus sanctus, qui Spiritus est Patris & Christi. Ideò ipse distribuit dona hominibus. 1. Cor. 12. 11.

*Locus 8. ex Psalm. 146. vers. 2.*

LÆtetur Israel בעשיך *in factoribus suis.* Constat nihilominus creatorem rerum omnium, ac proindè factorem Israelis, esse vnum tantùm Deum Iehouam: vt suprà etiam abundè ostendimus. Ipsi etiam Israelitæ vnum tantùm agnoscebant Iehouam, pro factore suo, vt ipsemet Dauid ostendit hoc in loco: quum subiungit, *Et exultent Filij Sion in rege suo* במלכם. Quid igitur sibi vult ista vnius Iehouæ appellatio, in plurali numero, בעשיך & in eodem versu, numeri mutatio, nisi vnum tantùm esse Iehouam, in quo plures sint Elohim? Simile est illud, quod dixit Iehosua ad populum, cap. 24. vers. 19. *Non poteritis seruire Iehouæ, quoniam* אלהים ר קשים הוא *dij sancti ipse.* Vnum Iehouam, vocat deos sanctos.

*VI. Locus 9. ex Ies. 6. vers. 10.*

VNus tantùm est ille Iehoua, qui apparuit Iesaiæ, & dixit, *Vade, excaeca cor populi huius.* Atqui hic fuit non solus Pater, sed etiam Filius teste Iohan. 12. 39. & Spiritus sanctus teste Apostolo in Act. 28. 25.

*Locus 10. ex Ies. 8. vers. 13. & 14.*

VNus est Iehoua ille, de quo Iesaias dixit, *Iehouam exercituum sanctificabitis, & ipse erit in lapidem offensionis.* At hunc dixit Apostolus, fuisse Christum. Rom. 9. 33. De Patre nemo dubitat.

*Locus 11. ex Ies. 41. vers. 4. & 44. vers. 6.*

COnstat etiam vnum solummodo esse illum Iehouam: qui hæc loquitur, *Quis operatus est, & fecit, vocans generationes ab initio? Ego Iehoua primus, & nouissimus ego sum.* Item: *Ego sum primus, & ego sum nouissimus, & præter me non est Deus.* Quis est iste Deus Iehoua, primus, & nouissimus: præter quem non est Deus? num solus Pater? At si ita res haber, Christus foret blasphemus in Patrem, quod impiissimum est, & horrendum cogitare. Ipse enim de se ait: *Ego sum primus & nouissimus.* Apocal. 1. 17. Nomine igitur vnius Iehouæ, præter quem non est Deus: non solus Pater, sed etiam Filius, adde & Spiritus sanctus, qui Spiritus est Christi & Patris, ab vtroque inseparabilis, continetur.

*Locus 12. ex Ies. 44. vers. 1. & 54. vers. 5.*

CVm superioribus hæc etiam coniunge, & considera, an non pluralitas personarum his etiam locis significetur: *Et nunc audi Iacob, serue meus, & Israel, quem elegi: sic dicit Iehoua:* עשיך *factores tui.* Alludit ad illud *faciamus hominem.* Gen. 1. 26. Hic apertè vnus Iehoua, factores Israelis vocatur. Item, *Quoniam* בעליך עשיך, hoc est, *mariti tui factores tui. Iehoua Zebaoth nomen eius. Etiam redemtor tuus, Sanctus Israelis* אלהי *vniuersæ terræ vocabitur.* Quorsum obsecro ista numeri diuersitas: vt idem Iehoua mariti, & factores appelletur? Deindè verò contrà אלהי, pluralis numeri, vocetur, singulari numero, redemtor, & sanctus Israelis?

*VII. Locus 13. ex Ies. 45. vers. 5. & vers. 23.*

HÆc vero loca & similia: vbi ipse Iehoua per prophetas loquens, dicit se vnum esse Deum, & præter se non esse alium Deum: *vt, Ego Iehoua, & non amplius: præter me non Elohim:* totam eandem doctrinam penitus belle confirmant. Aut enim ibi loquitur solus Pater, aut cum Patre loquitur etiam Filius, & Spiritus sanctus. Si cum Patre loquitur etiam Filius, & Spiritus sanctus, vt reuera loquuntur (demonstrauimus enim suprà, tam Filium, & Spiritum sanctum loqui in prophetis, quàm patrem) cùm etiam Filius sit Iehoua, & Spiritus sanctus Iehoua, vt ostensum est antea: consequitur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum tantùm esse Iehouam, & præter patrem, Filium & Spiritum sanctum nullum esse Deum Iehouam. Nihil est clarius, quàm his locis, Patrem, Filium & Spiritum sanctum concludere, se solos esse vnum Deum Iehouam. Si verò contendant Tritheitæ, solum patrem loqui in huiusmodi locis: tum dico primùm, illa particula exceptiua, *Præter me,* Patrem scilicet, nihil eum, quod in se est, à Deitate excipere: sed omnia tantùm, quæ sunt extra se (hoc est, omnia, quæ sunt, non ex sua essentia, sed ex nihilo creata, vt erant dij Gentium, & idola Israelis) Dices ne enim excipere suam sapientiam, veritatem, bonitatem, deitatem? Minimè verò. Ait enim, *præter me,* (scilicet totum, & quicquid est in me, ad meamque essentiam pertinens) Atqui Filius, & Spiritus sanctus non sunt extra patrem, sed in patre, & ex patris essentia, alter genitus, alter procedens, atque adeò sunt ex patris essentia, vt sint cum Patre vna, & eadē essentia: vti est antea demonstratum. A Patris igitur Deitate, & à nomine Iehouæ, minimè excludendus est filius, aut Spiritus S. quum pater ait, *Ego Iehoua, & præter me non est alius.* Deinde dico, quum ait Pater: *Et præter me non est alius:* subintelligēdū esse, Iehoua. Filius verò non est alius à patre Deus, vel Iehoua. Fac solem dicere: Ego sum Sol, & præter me non est Sol. Si des cū Sole ipsum etiam radium sic loqui, res est plana, iis verbis concludi, corpus Solare, & radium vnum esse Solem, & præter corpus Solare & radium, nullum alium esse Solem. Si verò dicas, solum corpus Solare esse illum, qui sic de se loquatur: non poteris saltem dicere, radium Solis excipi, qui à Sole, & in Sole est, & ad Solis pertinet lucē: imò qui est eadem cum Sole lux. Quid igitur excipit? Omnia illa, quæ sūt extra Solem. Idem dico de Patre, Filio, & Spiritu sancto. Sed nihil est illustrius eo, quod sequitur. Hinc centies ferè Iehoua dicit, se vnum esse Iehouam, & præter se nullū esse Deū, seque solum esse Seruatorem. Atque is etiā de se ait, *Per me iurani curuabitur mihi omne genu.* Atqui is est nō sol' Pater, sed & Filius, teste Apostolo. Ro. 14. 10. 11. Phi. 2. 10. Nūquā aūt

excipi Spiritum sanctum, qui Spiritus est Patris, & in Patre & Spiritus Filij: & in Filio, manifestum est.

*VIII. Locus 14. ex Zach. 14. v. 9.*

ILlud verò prætereundum non est, quod de restitutione Ecclesiæ, veræque Dei cognitionis, & puræ religionis sub Christo futura, prædicit Zacharias. *Et erit* (inquit) *in die illa* (de tempore aduentus Christi, vsque ad finem loquitur) *Iehoua in regem super omnem terram. In die illa erit Iehoua vnus, & nomen eius vnum.* Scimus ante Christum, primùm quidem Gentes, non habuisse Deum pro suo rege: sub cuius imperio, & ex cuius legibus viuerent: sed cuique populo, suum proprium fuisse regem, à quo in omnibus & per omnia penderent. Ad Gentium autem imitationem, ipsi etiam Israelitæ, quum haberent Deum regem, illum reiecerunt, & à Samuele petierunt, vt regem super se constitueret: sicut etiam Gentes habebant. Testatus autem fuit Deus Samueli, se fuisse reiectum, ne super eos regnaret 1. Sam. 8. 5. *&c.* Dedit ergo Saulem, non ex sua, sed ex populi voluntate. Ita desiit regnare Deus. Etsi verò posteà dedit Dauidem, à se electum, & ex sua voluntate, eoque verum regem, super totum populum: hoc tamen potiùs fuit factum, vt esset typus rei futuræ: Messiæ scilicet, qui Iehoua cùm sit, ex Dauide carnem erat sumturus, & ita super totum populum suum regnaturus: quam vt vellet diu super eos regnare Dauidem. Cuius etiam tempore, fuit vnus tantùm Deus in Israel: vnaque ex Dei voluntate, religio. Quæ res typus quoque fuit eius, quod sub Christo futurum erat, & de quo hic vaticinatur Zach. nempe de vera vnius Dei cognitione, & religione. Itaque non ita multò post mortem Dauidis, scissum fuit regnum: turbata religio: neque ampliùs habuit ille populus vnum regem, neque vnum Deum: vt manifestum est. Et hæc confusio regni, & religionis durauit vsque ad Christum. Prædicit igitur Zacharias futurum, vt Iehoua sit rex, non tam super totum illum populum, quàm super vniuersam terram, hoc est, super omnes electos, tam ex Gentibus, quàm ex Israelitis, vbique terrarum. Hoc verò vaticinium tunc cœpit impleri, quum Christus constitutus est à Patre rex, super montem Sion, & datæ illi gentes in hæreditatem, & possessionem suam: effectúmque, vt omnia illi curuentur genua, regi regum, & Domino dominantium. Propagatur autem huius regnum, in finem vsque Mundi, magis ac magis, solusque est totius Ecclesiæ catholicæ, per totum orbem diffusæ, rex. En igitur Iehouam, regem denuò super populum suum in vniuersa terra regnantem. Quo ex loco verè colligitur, Christum verum esse Iehouam: de quo vaticinatus est Zacharias. Ex hoc sequitur alterum: *Erit etiam* (inquit) *in die illa, Iehoua vnus, & nomen eius vnum,* hoc est, post aduentum Iehouæ regis, in eius regno, non solùm non erit reipsa nisi vnus Deus, sed nec agnoscetur, nec coletur, nec inuocabitur, nisi vnus Deus Iehoua, & vnica erit huius cognoscendi, & colendi ratio; nempe, quæ in eius verbo præscripta est. Is enim docebit, vnum tantùm esse Deum, & nomen eius vnum, vnitamque eius cognoscendi, colendique rationem. Proinde concident tum omnes dij fictitij, & euanescet multitudo, memoriáque falsorum deorum. Id quod certè videmus vsu venisse, postquam Deus manifestatus est in carne, estque factus Rex noster.

IX. Est hic insignis locus, in regno Christi, quod per totam diffunditur terram, sicut vnus tantùm est rex, sic vnum tantùm agnosci debere, coli, inuocari, adorari Deum, ipsum scil. Iehouam. Quis autem obsecro is est? Is certe, in cuius etiam vnius nomen rex noster Christus, Deus Iehoua manifestatus in carne, baptizari iussit omnes, qui in suum recipi volunt regnum. Hunc Iehouam | vnicum Ecclesiæ Deum, sic describit ille, qui optimè nouit, nimirum Iesus Christus: nomine scil. Patris, Filij, & Spiritus S. Nam sicut olim populus Iehouæ, non poterat nisi in nomen Iehouæ circumcidi, & in illius vnius cultum, atque absolutam obedientiam iurare: sic neq; post aduentum regis nostri licuit, licet, aut vnquam licebit baptizari, nisi in nomen eiusdem Iehouæ. Cùm igitur Christus rex noster eoque Iehoua manifestatus in carne, iusserit, & iubeat omnes qui in suum recipi volunt fœdus & regnum, baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus S. annon manifestè docuit, non solùm Patrem esse Iehouam, & Filium Iehouam, & Spiritum S. Iehouam, sed omnes hosce tres simul, vnum duntaxat esse Iehouam? Proinde non dixit baptizandos esse populos in nomina horum trium, vel in nomen Patris, in nomen Filij, in nomen Spiritus sancti, quasi tres indicans deos, sicut & tria nomina: sed dixit, in nomen, scilicet vnum, docens, licet tres sint distinctè nominati (sicut etiam reuera ipsi inter se distincti sunt) non tres tamen esse Iehouas, sed vnū Iehouā.

X. Quum Propheta ait: *In die illa Iehoua erit in regem: & in die illa erit Iehoua vnus:* interrogo aduersarios, an ille Iehoua, qui dicebatur futurus rex, sit idem Iehoua cum illo, de quo ait: Et erit Iehoua vnus: an verò diuersus, aliusque Iehoua: Si diuersus: falsum ergo fuerit, quod ait Propheta, fore vnum tantùm Iehouam. Duo enim erunt diuersi: Iehoua rex, & Iehoua non rex. Constat. a. Christum esse Iehouam regem, Deumque in carne manifestatum. Quomodo igitur ait: *Erit Iehoua vnus?* Alludit certè ad illud Mosis, Deut. 6. v 4 *Iehoua Elohenu, Iehoua vnus est.* Neque est, vt veterem nobis occinant cantilenam: Christum esse Iehouam minorem non altissimum, non αὐτόθεον: Patrem esse illum Iehouam summum, altissimum, αὐτόθεον: & tunc esse illum Iehouam, de quo Moses, & Zacharias. Scriptura enim non agnoscit Iehouam vnum altissimum, alterum non altissimum: vnum αὐτόθεον, alterum non αὐτόθεον. Sed simpliciter ait, *Iehoua vnus est: & Iehoua vnus:* præter quem (vt alibi aiunt Prophetæ) non est Iehoua. Proinde, vt ostendat Propheta, fieri non posse, vt in Ecclesia plures sint Iehouæ, vnus magnus, alter minor, non contentus dixisse *Erit Iehoua vnus,* subiecit: *& nomen eius vnum:* quasi dicat, Ecclesia non feret vllo modo, vt plures nominentur Iehouæ: cùm neque Scriptura plures esse doceat. Quod vaticinium videmus hucusque impletū fuisse. Nunquam enim Ecclesia passa est, plures Deos nominari, aut coli, sed vnum duntaxat Iehouam, quem prædicat esse Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Fieri ergo nequit, vt Iehoua rex, alius sit, & diuersus ab eo, de quo ait Propheta: *Erit Iehoua vnus.* Est igitur idem Iehoua. Est autem extra controuersiam, Christum esse illum Ecclesiæ regem, de quo vaticinatus est Propheta dicens: *Erit Iehoua in regem.* Nemo etiam dubitat, quin Pater Christi sit Iehoua. Spiritus verò sanctus, Spiritus est & Christi, & Patris, eoque Iehoua. Manifestum igitur est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum, & eundem esse Iehouam, eundemque regem Ecclesiæ. Itaque licet solus Filius sit Iehoua manifestatus in carne, & ideò vnicus visibilis Ecclesiæ rex, quia tamen Filius est in Patre, Pater in Filio, & Spiritus sanctus iidem in vtroque: sicut etiam ab vtroque procedit & vtriusque Spiritus dicitur & est, ideircò omnes simul sunt vnus tantùm ille Iehoua: de quo Propheta loquutus est, dicens: *Erit Iehoua in regem super omnem terram, & in die illa, erit Iehoua vnus, & nomen eius vnum.* Si cui iste locus non satisfacit, roget Iehouam, vt se liberet tot, tantisque tenebris, quibus fit, vt splendidissimam lucem videre non possit.

XI. Omnes itaque Prophetæ, vnum tantùm prædicant Iehouam, & præter hunc nullum esse verum Deum Iehouam. Iidem tamen docent, & Filium, & Spiritum sanctum, verum esse Deum Iehouam, sicut anteà fusissimè demonstratum est. Quid igitur aliud concludunt, quàm Patrem. Filiū & Spiritum sanctum, vnum tantùm esse Deum Iehouam? Quare loca in scripturis de vno Deo, ad solum Patrem restringi nullo modo possunt: sed in nomine vnius Dei, & Iehouæ, ipse etiam Filius, & Spiritus S. contineantur, oportet. Atque ita tres personæ, vnus tantùm sunt Deus Iehoua. Non inficiamur, quin aliquando nomine Dei κατ' ἐξοχὴν intelligatur solus pater, præsertim in nouo Testamento, quum post nomen Dei subiicitur nomen Filii. Cæterùm excludi Filium & Spiritum sanctum, nunquam euinci poterit, cùm iam satis apertè demonstratum sit, non minùs Filium, & Spiritum sanctum, quàm Patrem, verum esse Deum Iehouam. Ac proinde confirmatum sit, hosce tres, non tres Deos, sed vnum duntaxat esse Deum Iehouam.

## CAPVT IV.

### Loca & argumenta, quæ ex nouo Testamento sunt collecta, pro doctrina de vnitate essentiæ, in tribus personis.

EAndem doctrinam, quę confirmata iam est ex veteri Testamento: libet paucis etiam ex nouo comprobare. Ita enim magis ac magis stabilietur veritas. Examinabimus itaque aliquot etiam ea de re, noui fœderis loca.

*Locus primus, ex Marc. 12. vers. 29. & 30.*

CHristus asserit, vnum tātùm esse Deum, citato ex Mose oraculo, & mandato, Deut. 6. 4. Interroganti enim Scribæ, quod esset primum mandatum in Lege, sic respondit *Primū omniū mandatorū est: Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus* (Iehoua) *vnus est. Diliges igitur Dominū Deū tuum, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mēte tua, & ex tota virtute*

*tute tua. Hoc est primum mandatum, & secundũ illi simile, Diliges proximum tuum, vt teipsum. Maius istis aliud mandatũ non est.* Hic igitur interrogo, an sit amandus Christus Filius Dei, & Spiritus sanctus, nec ne sint amandi? Quis neget vtrumq; amandum esse? *Si quis* (ait Apostolus) *non amat Dominum Iesum: sit anathema maranatha.* 1. Cor. 16. 22. Interrogo, quo amore? Nũ illo qui præscribitur in secundo præcepto: quo se. iubemur amare proximum, vt nos ipsos? Nõ credo, quempiam tam parum esse Christi, & Spiritus sancti amantem, vt intra metas amoris istius, quo iubemur diligere creaturas (hoc est, nostrum proximum) cõtineri velit Christum, & Spiritum sanctum; quasi verò & ipsi nomine nostri proximi significentur. Præsertim cũ Christus non semel indicârit, se velle à nobis amari, plusquam nostros liberos, parentes, & nos ipsos. Et iubeat nos propter se, odisse etiam Patrem, & matrem, & animas nostras. Matth. 10. 37. Luc. 14. 26. Quare amor, quo amandus est Christus, non continetur in secundo præcepto. Amore igitur amandus est, qui præscribitur primo præcepto, ex tota anima, &c. At hoc solus Deus ille, qui est vnicus Deus Israelis amãdus est. Ergo quis non videat Christum tacitè docuisse, se & Spiritum sanctũ vnum esse cum Patre Iehouam illum Israelis. de quo Moses: *Iehoua dij nostri, Iehoua vnus est.* Atque hoc argumentum cò magis confirmatur, si spectes illationem Mosis à Christo repetitam: *Ergo diliges*, &c. Postquam enim dixisset: *Iehoua dij nostri, Iehoua vnus est*; mox intulit, *Diliges ergo Dominum Deum tuum.* Deut. 6. 4. Adde verò huc, quòd Moses loquebatur de illo Iehoua, qui omnia condidit: qui eduxit populum ex Ægypto: qui sibi apparuerat in monte Sina; qui dederat Legem. Hunc autem ostendimus fuisse non Patrem solùm, sed ipsum etiam Christum Angelum Iehouæ, Iehouam.

### II. Loc. 2. ex Ioh. 1. v. 6.

*Fvit homo missus à Deo.* Fuitne vnus Deus, an multi, is, à quo missus dicitur Iohann. Baptista, ad testificandum de Christo, & ad præparandum illi populum? Vnus, ait Ioha. Euangelista. Hunc fuisse Patrem, docet Christus apud Matthæum. 11. 10. Fuisse autem etiam ipsum Christum, docet Malachias. 3. 1. Sic enim ait Iehoua: *Ecce mitto Angelum meum qui parabit viam, ante faciem meam.* Et apud Lucam, 1. 76. ab officio confirmatur. Item ipsemet Ioh. Baptista idem testatur. Ioh. 3. 28. Pater igitur, & Filius Messias, sunt vnus, atque idem Deus Iehoua: à quo non separatur Spiritus sanctus: Spiritus Patris, & Filij, Rom. 8. 9.

### Locus 3. ex Ioh. 5. vers. 18. & 19.

CHristus accusatur, quòd se faceret æqualẽ Deo. Neque hoc ipse inficiatur, sed confirmat ab operibus. Si est æqualis Patri Filius: non est igitur Pater, quà Deus est, maior Filio, quà itidem Deus est. Ac proinde etiam non est, cur loca. quæ sunt de vno Deo, intelligamus de patre, tanquam de supremo, & altissimo Deo, nõ autem etiam de Filio, & Spiritu sancto. Quare vbicunque prædicatur Deus vnus, inde concluditur, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse hunc vnum Deum.

### Locus 4. ex Ioh. 10. vers. 30.

EGo & Pater vnum sumus: nempe potestate (de hac enim ibi loquitur Christus) eoque natura: quare & deitate. Omnipotentia enim non est, nisi Dei. Proinde sequitur, Patrẽ, & Filium (si vnum sunt potestate, natura) vnam & eandem habere potestatẽ, & naturam. Si autem vna est eorũ natura, & deitas: necessariò efficitur, eos vnum esse Deũ. Sicut enim ab humanitate aliquis dicitur, & est homo: & ab vna humanitate, vnus homo, ita à Deitate, Deus: & ab vna Deitate, vnus Deus dicatur, & sit, necesse est. Quare si vna est Deitas Patris, & Filij: Pater & Filius vnus sint Deus oportet.

### III. Locus 5. ex Ioh. 15. vers. 26.

SPiritum sanctum mittit Filius, & Spiritus est Filij: inde cõclusimus, eum procedere à Filio. Idem Spiritus procedit etiam à Patre, vt ait Christus. Io. 15. 26. Si autem pater, & Filius non sunt vnus Deus: non potest Spiritus sanctus qui vnus est, ab vtroque procedere præsertim cùm procedere, sit ὅλην eandem totam, Patris, & Filij, communicatam accipere. Duas enim essentias, vnam Patris, alteram Filij acciperet: atque ita etiam non vnus, sed duo essent Spiritus: duabus numero essentiis constantes: quæ omnia absurdissima sunt. Sũt igitur Pater, & Filius, eoque & Spiritus sanctus vnus tantum essentia, & numero Deus.

### Locus 6. ex Ioh. 17. vers. 3.

CHristus Patrem alloquens, ait: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, te esse illum solum*, hoc est, vnicum, *verũ Deum* ἀληθινὸν θεὸν: de quo scilicet Moses & Prophetæ testificati sunt: *Deus tuus Deus vnus est & præter eũ non est alius.* Deut. 4. 35. His verbis docet Christus dilucidè, hæc duo primum, vnum tantùm esse ἀληθινὸν θεὸν, alterum, hunc ἀληθινὸν θεὸν esse suum Patrem. At D. Ioh. 1. 5. 20 docet, etiam Christum esse hunc ἀληθινὸν θεὸν: Imò docet, & vnum esse ἀληθινὸν θεὸν, & Patrem Christi esse hunc ἀληθινὸν θεὸν, & ipsum quoque Filium, esse hunc ἀληθινὸν θεὸν. Sic enim ait: *Scimus quod Filius Dei* (patris) *venit, & dedit nobis mentem, vt agnoscamus* τὸν ἀληθινὸν nempe θεὸν, Patrem quia in huius cognitione vitam esse antea docuerat Christus. Io. 17. 3. *Et sumus* ἐν τῷ ἀληθινῷ (θεῷ) appositiuè ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ, Ἰησοῦ Χριστῷ. Ac ne dubites Filium à Ioh. vocari ἀληθινὸν θεὸν, subiicit: οὗτος (υἱὸς) ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Ex his igitur testimoniis Christi, & Iohannis, liquidò apparet, Patrem, & Filium vnum tantùm esse ἀληθινὸν θεὸν.

### IIII. Locus 7. ex Roman. 3. vers. 30.

COncludit Apostolus, vnum & eundem Deum esse, Deum Iudæorum, & Gentium: quia vnus etiam est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. His verbis apertè docet Apostolus, primum quidem vnum tantùm esse Deum. Deinde solum hunc vnum Deum, esse illum qui iustificat per fidem non solùm Iudæos, sed etiam Gentes. Non potest autem hic locus de solo Patre intelligi. Nam etiam Filium fatetur Apostolus esse hunc Deum benedictum in secula, Rom. 9. 5. & Iesa. apertè scribit, 53. v. 11. Christum esse illum, qui scientia sui (hoc est, fide in se) iustificet multos, hoc est, omnes electos, nempe tam ex Gentibus, quàm ex Iudæis: & eorũ iniquitates portet. Si igitur vnus tantùm est Deus, qui iustificet omnes electos: & nõ solùm Pater est Deus, qui iustificet, verum etiam Filius est Deus qui iustificet: quis non videat, Patrem & Filium, à quibus non separatur Spiritus sanctus, vnum & eundem esse Deum?

### Locus 8. ex Rom. cap. 11. vers. 36.

DEum sic describit Apostolus, vt sit is, à quo omnia, per quem, omnia, & in quem omnia: hoc est, vt sit principium, & medium, & finis rerum omnium. Ac proinde hinc colligimus, illum, à quo, & illum per quem, & illum in quem: non esse tres Deos, sed vnum duntaxat Deum. Atqui alibi sæpe is, à quo, nominatur Pater: is per quem, Filius est: 1. Cor. 8. 6. Ioh. 1. 3. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. Pater igitur, & Filius vnus atque idem Deus. Ideirco Greg. Naz. εἷς ἐστιν ὁ θεός, ὁ πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ υἱός, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα ὅθεν γὰρ αἱ τρεῖς..., τῷ δὲ..., καὶ ἓν καὶ ἐν ᾧ οὐ ... μενοντων, ἀλλὰ τὰς τῆς φύσεως ... ἀσυγχύτου φύσεως ἰδιότητας χαρακτηριζουσι.

### V. Locus 9. ex 1. Cor. 2. vers. 11.

COmparat Spiritum sanctum qui est Spiritus patris, & Filij, Spiritui humano, hoc est, animo nostro: & tam illum esse in Deo Patre, & Filio, quàm nostrũ in nobis docet. *Nemo nouit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est. Sic nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*: qui scilicet est in Deo patre. Ergo sicut homo & animus eius, non sunt duo homines, sed vnus homo: ita Deus, & Spiritus Dei, non sunt duo dij, sed vnus tantùm Deus.

### Locus 10. ex 1. Cor. 1. vers. 24.

FIlius dicitur esse, & verè est sapientia Dei, & δύναμις etiam. Ipse quoque spiritus sanctus appellatur δύναμις Altissimi. Luc. 1. 35. Sicut autẽ homo, & eius sapientia, & virtus nõ efficiunt duos, aut tres homines: sed sunt vnus tãtum homo: ita Deus Pater, & eius sapientia, ac virtus hoc est. Filius, & Spiritus sanctus non duo, aut tres, sed vnus duntaxat sunt Deus. Imò nisi Filius, & Spiritus sanctus sint vnus cum Patre Deus: sequitur, Patrem non esse Deum. Non est enim Deus qui sapientiam, & potentiam suam non habeat intra se, à se minime separatam. Quòd si Pater in Filio, & Filius in Patre vt dicebat Christus: *Ego in te, & tu in me*: Io. 17. 21. & si itidem Spiritus in Patre, & in Filio: vnus tantùm Deus sint omnes, necesse est.

### Locus 11. ex 2. Cor. 12. vers. 8.

P*Ropter quod ter Dominum* (Iehouam) *rogaui.* Quis hîc intelligitur nomine Iehouæ? num solus Pater? nequa-

quã, quia sequitur Christum dixisse, *Sufficit tibi gratia mea, gloriabor igitur in meis infirmitatibus, vt inhabitet in me virtus Christi.* Sol' ne Christus? nõ: quia absolutè ait: *Rogaui Dominum.* Neque tum aliter rogauit Apostolus quàm præceptum sit in Lege: *Inuocabis me*, ait Iehoua Psal. 50. 15. Neque præterquam habeat promissio: *Quisquis inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Ioel. 2. 32. Act. 2. 21. Hoc autem modo, & in præcepto, & in promissione, Pater intelligitur, & quicquid est in Patre, Filius, Spiritusque sanctus. Argumentum igitur sic componitur.

Quem inuocare iubemur: aut etiam licet; & quem inuocârunt Sancti, is est vnus tantùm Deus Iehoua.

At licet inuocare, non solùm Patrem, sed etiam Filium & Spiritum sanctum, vt hîc habemus exemplum Pauli, & alibi aliorum: vt suprà ostensum est. Ergo, &c.

*VI. Locus. 12. ex Eph. 4. verf. 5.*

*à fide vna.*

Fides vna dicitur, aut respectu subiecti, hoc est, credentis: aut respectu obiecti, hoc est, in quem credimus. Respectu subiect. non potest esse vna: sed diuersæ, & multæ sunt, vnde illud: *Iustus fide sua viuet.* Hab. 2. 4. Item: *Fides tua te saluum fecit.* Mar. 10. 52. Neque de hac vnitate loquitur Apostolus, vt liquet. Si igitur respectu obiecti, oportet illud esse vnum. Sic etiam de Spe loquitur Apostolus: vna spes vocationis vestræ, id est, res sperata. Eph. 4. 4. Est autem fides nostra in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum sanctum. Pater igitur, Filius, & Spiritus sanctus vnus sunt Deus. Nam si Filius, & Spiritus sanctus non sunt vnus cum Patre Deus; non potest esse vna fides Christianorũ: sed multæ sint, in singulos deos singulę necesse est. Profitemur enim fidem, tam in Filium, & Spiritum sanctum, quàm in Patrem. Quare si sunt diuersi dij, diuersæ sunt fides. Est autem vna fides. Ergo vnus D us.

*Locus 13 ex Ephes. 4. v. 5. ab vno Baptismo.*

QVi in Baptismate, nobiscum fœdus nouum ferit, & hoc fœdere nos in suam recipit κοινωνίαν, inque suum populum. & ita hoc signo, nos sibi obsignat: vnus est duntaxat Deus Iehoua. Vnus enim Iehoua, hoc promisit se facturum. Ier. 31. 31. Nos autem recipi Baptismate in fœdus, & hoc obsignari Deo, manifestum est quia baptisma, est noui fœderis symbolum vt olim fœderis fuit circumcisio. Col. 2. 11. At in Baptismate, hoc facit non solum Pater, sed etiam Filius, & Spiritus sanctus. Nam in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizamur. Quorum item est vna & eadem plane vis diuina in nobis per Baptisma regenerandis, inque vnum corpus, cum toto D i populo, inserendis, horum est vna, & eadem deitas Neq; enim ea vis à deitate separatur. Et sic Christus probauit, se vnum esse cum Patre. & ei æqualem: quia quæcunque operatur Pater, eadem operatur & ipse, idque ὁμοίως Io. 5. 9. Est autem vis hæc, tam Filij, & Spiritus sancti, quàm Patris. In nomen enim baptizamur horũ trium, testificantes, horum trium ex æquo virtute, nos inseri in corpus Ecclesiæ & regenerari: & sic docet Apostolus 1. ad Corin. 12. 13. dicens, *Etenim per vnum Spiritum nos omnes sumus in vnum corpus baptizati.* Item is, in cuius doctrinam, fidẽ, cultum, religionem, obediẽtiam iuramus in Baptismate, vnus est Deus Iehoua. Neque enim licet nisi in vnius Dei religionem & cultum iurare: & huius rei symbolum fuit olim circumcisio. Gal. 5. 3. Ideò qui circumciditur, debitor fit totius legis seruandæ: legis scilicet Dei in cuius nomen circumciditur. Nos verò, quum baptizamur, hoc polliceri, nemini dubium est, qui fœderis conditiones intelligit. Atqui in baptismate iuramus in religionem Patris simul, & Filij, & Spiritus sancti.

*VII. Locus 14. ex 1. Ioh. 5. ver. 7. &c.*

TRes sunt, qui testimoniũ dant in cælo: *Pater, Λόγος & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Ii hoc ũ testimonium, Dei (vnius) testimonium appellat. Illa interpretatio, Nomine Patris, intelligi Deum: nomine Λόγε, doctrinam, seu Scripturam sanctam. Spiritus autem nomine, ipsa Christi miracula, quibus Pater Deus testificatus est de cœlo, hunc Iesum esse Christum: coacta est, nec cum Apostoli verbis cohæret. Principiò enim adducit tres è cœlo, & in cœlo testes: nõ autẽ vnũ teste, Deũ scilicet, qui diuersis testificetur rationibus; nempe testimoniis Scripturarum, & miraculis, vt noua ista fingit interpretatio. Deinde ordo horum trium, congruens cum aliis multis sacrarum literarum locis, de diuinis personis, Patre, Filio qui & Λόγος & Spiritu sancto, satis apertè innuit Iohannẽ nomine τȣ͂ Λόγου & nomine τȣ͂ πνεύματος ἁγίου, nõ intellexisse Scripturam sanctam, & miracula: sed Filium Dei, quem in Euãgelio, & initio huius Epistolæ, & in Apocalypsi vocauit τὸν λόγον: Et ipsum Spiritum sanctum, qui à Patre, & à Filio procedit: ac tanquam viuos, veros que testes cum Patre coniunxisse. Huc accedit, quòd scriptura sancta, & miracula à Christo edita, etsi à cœlo sunt: nõ sunt tamẽ testes in cœlo, sed in terris. Adde quòd apertũ discrimẽ facit Apostol' inter τὸ πνεῦμα ἅγιον, ver. 7. & inter simpliciter, πνεῦμα, vers. 8. Per hoc autẽ πνεῦμα, apertè indicauit vim, qua miracula per Christũ edita fuerunt, & qua tanquã rex expugnauit Sathanã, hostesq; omnes. In priori igitur versu, nomine Spiritus sancti, aliud intellexit, quàm miracula. Nomine etiam aquæ in posteriori versu, vero simile est significatam fuisse doctrinam, vt initio huius Tractationis ostendimus. Non igitur (si nostra admittatur interpretatio) eandem indicare voluit in priori versu, nomine τȣ͂ λόγου. Postremò, quod ait: *Hi tres*: & , *Vnum sunt*: non autem εἰς τὸ ἕν: magis nostram confirmat interpretationem, de tribus personis, quæ vnum verè sint, non tam consensione testimonij, quàm essentia. Neque enim ita congruit vt Deus, Scriptura sacra, & miracula, vnum esse dicatur: quàm vsitatum est, vt Pater, & Filius, à quibus nũquam separatur Spiritus sanctus, vnum esse prædicentur. Quare quod postea etiam subdit, & testimonium horum trium, vocat testimonium D i, pulchrè consentit cum iis quæ diximus, & confirmat, Patrem Filium & Spiritum sanctum vnum esse duntaxat Deum Iehouam. Atq; hæc sunt, quæ ex Scripturis, tam veteris, quàm noui fœderis colligimus, loca, & argumenta, ad confirmandam doctrinam de vnitate essentiæ diuinæ, in tribus personis. Non dubitamus, quin possint multò plura occurrere, sacras literas diligenter scrutantibus. Sed quia & hæc sunt præcipua, & alia fuerunt ab aliis examinata, pro veritate defendenda, pluribus non est opus. Iam aliquot Patrum testimoniis eadem doctrina comprobanda est.

## CAPVT V.

Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum tãtùm esse Deum Iehouam, testimonia ex vetustissimis Patribus, antiquissimis Iudæis, & sapientissimis gentibus.

QVia blasphemi Tritheitæ contendunt, vetustissimos quoque Patres, Ignatium, Iustinum, Martyrem, Tertullianum, Irenæum, Lactantium, quin & Concilium Nicenum, eiusdem, quam ipsi conantur defendere, fuisse sententiæ, qua in re maximam Patribus illis faciunt iniuriam: idcircò operæpretium fuerit, contrarium ex Patribus ipsis demonstrare: vt quanta sit horum hominum, tum ignorantia, tum impudentia, nemini non fiat perspicuum. Ad loca postmodum quæ ex istis Patribus ad suum somnium persuadendum torquent, suo respondebimus loco, idque paucis. Nunc satis fuerit horum quoque testimoniis veritatem confirmasse.

Ac primùm quidem, quòd ad Ignatium attinet, tametsi non omnes, quæ illi adscribuntur Epistolæ, ipsius esse Ignatij Epistolas, manifestum est, ex Eusebio & Hieronymo: interim tamen cuiuscunque sint Epistolæ, harum testimonia non simpliciter reiicimus: modo liceat dexterè, & iuxta analogiam fidei illas interpretari. Quæ fuerit sententia huius Ignatij de Deo, facile est colligere: In Epistola ad Trallianos, quæ est secunda, apertissimè docet Iesum Christum verum esse Deum. Idem facit in Epistola ad Magnesios quæ est tertia, vbi eum vocat λόγον ἀΐδιον: ... Deinde illud etiam constat ex Epistolis, Ignatium hunc damnasse multitudinem deorum, & perpetuò vnum tantùm inculcasse Deum. Legatur Epistola ad Antiochenos, quæ est nona: præter alia ibi habet hæc verba: Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς ἐγὼ ὁ δέσμιος ἐν κυρίῳ, ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως, ἧς ἐκλήθητε. Φυλάττεσθαι τὰς εἰς κακοδοξίας ἀρπάσαι τὸ ποίμνιον, ... ἐν ἀπάσῃ ἡ ἀπουσία ... Observent hoc postremum verbum Aduersarij nostri: qui ... θεοῦ, negant Christum verum esse Deum. Sic igitur ex Ignatio argumentari liceat.

Multitudo deorũ admittẽda nõ est, sed vnus tãtùm Deus.

Atqui non solùm Pater, sed etiam Filius, Deus est verus, & Iehoua: vt ibidem docet Ignatius:

Non est igitur admittendum, Patrem, & Filium duos esse Deos, sed fatendum, vnum tantùm esse Deum: ideò subiicit conclusionem, dicens: πᾶς οὖν ὅστις ἕνα καὶ μόνον θεὸν καταγγέλλει, ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος ... *Quicunque igitur vnum ac solum Deum annunciat, ita vt tollat* (scilic. ab hoc vno Deo) *Christi Deitatem,*

*rem: Diabolus est, &c.* Quid clariùs dici potuit? Ab hoc igitur vno Deo, quem prædicauit Moses, & Prophetæ, non vult Ignatius separari Christi deitatem sed coniungi: ac proinde docet Christum cum Patre esse vnum illum Deum, quem prædicant Scripturæ.

II. Quàm verò apertus sit, & constans Iustinus Martyr in asserendo vno duntaxat Deo, qui sese in tribus patefecit personis: in Patre, in Filio, in Spiritu sancto: liquet non solùm ex suo ad gentes παραινετικῷ λόγῳ, & ex libro περὶ θεοῦ μοναρχίας, & verò etiam Dialogo cum Tryphone: sed maximè ex libro περὶ τῆς ἁγίας τριάδος. Initiò sic concludit: [illegible]. Eadem postea fusius explicat toto hoc libro: & in summa cõcludit Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum eiusdem esse essentiæ: seu in eadem essentia inseparabiliter coniũctos esse: eóque omnes vnum tantùm esse numen seu Deum, idque ex iis locis præter alia concludit: primò ex eo, quòd talis doctrina de tribus personis in vnitate essentiæ per totum orbem prędicata est: deinde ex forma Baptismi, vbi in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti baptizamur: tertiò, quòd coniunctim semper in scripturis commemorãtur hæ tres personæ: quartò, quòd omnes ad creandum mundum simul conuenerint; qui tamen mundus ab vno Deo creatus dicitur in Scripturis: quintò ex eo, quòd æqualis sit omnium potestas. Hæc summa legatur pagin. 175. Græcè. Postea concludit pag. 176. circa medium, in hæc verba: [illegible]. Idem Iustinus eandem confirmat & explicat doctrinam, in responsionibus ad orthodoxos, responsione 17. Sic enim concludit: [illegible]. Ad ea verò loca quæ ex dialogo cum Tryphone Iudæo aduersus nos adferuntur: suo respondebimus loco.

III. Irenæus quoque eandem secutus est fidem: Patrem & Filium vnum tantùm esse Deũ, libr. 2. in prologo præfatur se ostensurũ vnũ tantùm esse Deum: & quod nec supra eũ, nec post eum est aliquid. Cap. 1. id docet. vnum tantùm esse Deum omnium cõditorem, nec alium esse præter eum posse Deum, contra Marcionem. Cap. 2. probat solum Deum Patrem omnium, fabricatorem esse mundi, per suum verbũ, quod est Christus. Cap. 5. probat mundum à nullo alio, præter verbum Dei esse factum. Capite verò sexto ait, Deum, mundi fabricatorem, à semetipso fecisse hæc omnia. An non iis verbis apertè docet, Patrem & verbum eius, idem essentialiter esse, quum dicit, Patrem fabricasse mundum, modò per semetipsum? modò per verbum? Verbum igitur est idem (nempe essentialiter) cum Patre. Cap. 47. præter alia dicit Deum esse, totum mentem, totum λόγον, totum Spiritum operantem, totum lucem, & semper eũdem existere. Ergo indiuisus est Deus: quare vnus tantùm. Est autem Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, ipsi quoque Irænæo. Pater igitur, Filius, Spiritus sanctus, vnus Deus fuit sancto illi viro, & toti tunc temporis Ecclesiæ. Sed nihil clarius loco qui est libro 2. cap. 56. *Solus hic Deus inuenitur, qui omnia fecit: solus omnipotens, & solus Pater omnia condens, & faciens omnia: & omnia aptauit, & disposuit sua sapientia* (id est Filio, vt in fine capitis explicat.) Et paulò post: *sed solus vnus Deus fabricator. Hic est, qui supra omnem principalitatem, & dominationem, & virtutem: Hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, hic fabricator, qui fecit ea per semetipsum, hoc est, per verbum, & sapientiam suam, cælum & terram.* Hæc omnia Irenæi. Hic apertissimè demonstrat Patrem, quem conditorem omnium vocat: & Filium, quem nominat verbum & sapientiam Dei: vnum atque eundem esse Deum. Nam primò ait, solum vnum Deum inueniri, qui omnia fecit: & præter hunc, nullum alium Deum reperiri. Deinde ait, hunc Deum Patrem omnia condidisse per semetipsum, hoc est (vt ipse exponit) per verbum & sapientiam suam: quod verbum & sapientiam in fine cap. ait esse Dominum nostrum Iesum Christum. Si igitur vnus tantùm est Deus, & hic Deus omnia condidit per semetipsum: & hoc per semetipsum exponit per suam sapientiam, id est, per suum Filium, quis non videat Filium Irenæo idem esse, quod Pater est, hoc est, eiusdem essentiæ: imò eandem essentiam: ac proinde vnum Deum? Et lib. 3. cap. 6. præter alia docet vnum tantùm esse Patrem, & verbum eius, hoc est, Filium, qui est in Patre: & habet in se Patrem. Libr. 4. cap. 11. ex dicto Christi: *Non est autem Deus mortuorum, sed viuorum: Mat. 22. 32* sic ait: *Quis est enim viuorum Deus, nisi qui est super omnia Deus? Rom. 9. 5. & supra quem alius non est Deus? Ies. 45. 5. quem etiam Daniel Propheta annuntiauit, dicens: Quoniam non colo idola, sed Deum viuum*, & iterum: *Dominum Deum meum adorabo, quoniam hic est Deus viuus.*

Qui igitur à Prophetis credebatur Deus viuus, hic est viuorum Deus: & λόγος eius, qui & locutus est Mosi, & Sadducæos redarguit (hic est Christus) qui & resurrectionem, & Dominum ostendit. Ipse igitur Christus cũ Patre, viuorum est Deus & qui locutus est Mosi, & Prophetis manifestatus est. Quid clarius? Vnus tantùm Deus, qui est Deus viuorũ. Christus autem cum Patre, est iste Deus viuorum. Ergo Pater & Filius, vnus sunt Deus.

IV. Neque aliter sensit, aut docuit Tertullianus. Praxeas, quia vna ex parte didicerat ex Scripturis, vnum tantùm esse Deum: ex altera autem legebat nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti: ideircò cùm nesciret distinguere inter personas & essentiam, dicebat vnam tantùm esse personam; quæ vocetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Tertullianus igitur aduersus hunc scripsit librum pulcherrimum, simul, & acutissimum: in quo ostendit non pugnare cum vnitate Dei, has tres personas vnum esse Deum essentia: & tres personas οἰκονομίᾳ. οἰκονομίαν autem intellexit Tertullianus, id quod Iustinus vocauit τρόπος ὑπάρξεως. οἰκονομίαν igitur vocauit illam trium personarum dispositionem & distinctionem. Argumentum autem quo demonstrat hos tres, esse vnum tantum Deum: sumebat ab vnitate οὐσίας: hoc modo: ὁμοούσιοι sunt, hoc est, vniti in substantia. Vnus igitur sunt Deus. Duo tantùm aut tria citabo loca, consulo enim vt totus legatur libellus, pag. 405. *Nos verò & semper & nunc magis vnicũ quidem Deũ credimus: sub hac tamẽ dispositione, quam οἰκονομίαν dicimus, vt vnici Dei sit & Filius ipsius qui ex ipso processerit. &c. qui exinde à dextera Patris miserit secundum promissionem suam à Patre Spiritum sanctum &c. Sanctificatorẽ fidei eorũ, qui credũt. Praxeæ peruersitas existimat, se meram veritatẽ possidere, dum vnicum Deum, non alias putat credendum, quàm si ipsum eundémque & Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicat. Quasi nõ sic quoque vnus sit omnia. dum ex vno omnia per substantiæ scilicet vnitatem: & nihilominus custodiatur οἰκονομίας sacramentum, quæ vnitatem in trinitate disponit. tres dirigens. Patrem & Filium, & Spiritum S. tres autem non statu sed gradu nec substantia. sed forma: nec potestate sed specie. Vnius autem substantiæ, & vnius status. & vnius potestatis: quia vnus Deus, ex quo & gradus isti, & forma, & species in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. deputantur.* Et pag. 413. & 414. *Duos tamen*, inquit, *Deos, & duos Dominos nunquã ex ore nostro proferimus, non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus S. Deus, & Deus vnusquisque. sed quoniã retro* (id est ante aduentũ Christi) *& duo Dei, & duo Domini prædicabãtur: vt vbi venisset Christus, & Deus agnosceretur, & Dominus vocaretur. quia Filius Dei, & Domini.* Legãtur reliqua: concludit enim, & Patrẽ, & Filium, & Spiritum sanctum, esse vnum tãtùm Deum, per quem etiam iurant Christiani, nũquam autem per Deos.

Pag. 430. Concludit librũ in hæc verba: *Cæterùm Iudaicæ fidei ista res: Sic vnum Deum credere, vt Filium annumerare ei nolis: & post Filium, Spiritum. Quid enim erit inter nos, & illos, nisi differentia ista? Quod opus Euãgelij, quæ est substantia noui Testamenti statuens legẽ, & prophetas vsq; ad Iohannem si non exinde Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres crediti, vnum Deum sistant? Sic Deus voluit nouare sacramentũ, vt nouè vnus crederetur per Filiũ & Spiritum: vt coram iam Deus in suis propriis nominibus & personis cognosceretur: qui & retro per Filiũ, & Spiritum prædicatus nõ intelligebatur.* Libro enim de Trinitate, posteaquã probasset multis Scripturarũ testimoniis, nõ solùm Patrẽ, sed etiam Filium, & Spiritum sanctum esse Deum: tandem docet etiam, non tres esse Deos, sed vnũ tantùm Deum: idque propter substantiæ communionem. Legatur à pag. 632. vsque ad finem libri.

V. Prodeat nunc Clemens ille Alexandrinus, qui & ipse floruit in Ecclesia Christi, circiter Annum Domini 195. Pantæni Martyris discipulus: & Origenis præceptor. Primùm quidem in suo προτρεπτικῷ λόγῳ demonstrat aduersus Gentes, vnum tantùm esse Deum, rerum omnium conditorem. Deinde in eodem sermone docet Christum genitum esse ex Patre ante mundi constitutionem: & eum Christum, non semel vocat, & docet esse verũ Deũ. Indicabo loca nonnulla. Pag. 7. [illegible] (scil. [illegible]) [illegible]. Dubium igitur non est quin senserit, & docuerit Clemens, Deũ Patrem, & Deum Filium vnum duntaxat esse Deum: præsertim quia sæpe scribit τὸν λόγον Christũ esse in Deo Patre. Sed alibi quoq; perspicuè docetur quę fuerit Clemẽtis sententia. In Pędagogo (hoc nomine intelli-

git Christum Deum æternum, qui semper Electos, iam inde à mundi constitutione (docuit) lib.1.cap.8. præter alia hæc habet de Patre Deo, déque eius λόγῳ id est, Christo: concludens Deum & pędagogũ Christum nihil odisse, imò omnia amare, atq; in primis homines: ita scribit, οὐδὲ ἄρα μισεῖται ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἀλλ' οὐδὲ ὑπὸ τοῦ λόγου, ἓν γὰρ ἄμφω, ὁ θεός, ὅτι εἴρηται ἐν ἀρχῇ ὁ λόγος ἦν ἐν τῷ θεῷ, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Videmus hic rationem, cur vnum prædicet Deum, Patrem, & Filium: quia Filius, Deus est in Deo Patre. Idem concludit in eodem cap 10. ad medium: συνεστάναι τοίνυν, ἵνα καὶ τὸν αὐτὸν εἶναι θεὸν συλλογιζώμεθα, ᾧ φησι: ὅτι ὄψομαι τοὺς οὐρανοὺς ἔργα δακτύλων σου, καὶ ὁ κτίσας τοὺς οὐρανούς, ἐν τοῖς οὐρανοῖς κατοικεῖ, καὶ ὁ οὐρανός θρόνος σου. τὸ ἅγιον πνεῦμα ψάλλει. Hæc de Christo, quibus ostendit eum esse Deum: quia omnium creator, & in cœlis habitat. De Patre subdit: ὁ δὲ κύριος φησὶν ἐν τῷ παντοκράτορι πατὴρ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. οὐρανοῦ δὲ, κτίσαντι τὸν κόσμον ἐστί. Altera hic ratione concludit, Patrem & Filium vnum esse Deum: nempe à creatione mundi. Est enim vnus tantùm conditor cœli & terræ. Atqui & Filius cõdidit, & Pater cõdidit: vterque igitur vnus Deus. Et in Stromatis, lib 3.p.184. initio, dicit, eum qui per legem & qui per Prophetas prædicauit (nempe Christum) & eum, qui per ipsum Christum prædicatus est, Patrem: esse vnum Deum. Verb: Clementis hæc sunt: καὶ δὴ ἐνταῦθα γενόμενος δῆλός μοι, μὴ παραλείψειν αὐτοπροσώπως. ὅτι τὸν αὐτὸν θεὸν διὰ νόμου, καὶ προφητῶν, καὶ εὐαγγελίου ἀπόστολος κηρύσσει. & mox: ἵνα εἰδῇς (Apostolus) τὸν διὰ νόμου, καὶ προφητῶν κηρύξαντα (hic est Christus) καὶ τὸν δι' αὐτοῦ εὐαγγελισθέντα πατέρα. Nihil est certius, quàm Patrem, & Filium, vnum fuisse Clementi, & toti eius scholæ, Deum.

VI. Quæ fuerit fides Origenis, legatur ipse Origenes, περὶ ἀρχῶν lib.1. in Procœmio: item cap. 2. Cypriani fides eadem, quæ & aliorum ante se Patrum, fuit: vt ex eius libris constat. Extat etiam commentarius in symbolum Apostolorum qui Cypriano inscribitur. Quid de Lactantio Firmiano: qui scripsit ad Constantinum primum Imperatorem, pro asserenda religione Christiana? Hũc agnouisse Filium Dei, Christum pro vero Deo, nihil certius: adductis ad huius fidei cõfirmationem testimoniis, non tantum Prophetarũ & Apostolorũ, sed etiam Poetarum, & Sibyllarum. Legatur præter alia lib.4.cap 6. vbi ex testimonio Trismegisti Christum vocat δημιουργὸν καὶ κύριον θεοῦ. Esse verò vnà cum Patre vnum Deum; legatur eiusdem lib.4.cap.29. Quod verò conclusum est de Patre, & Filio: idẽ de ipso quoque Spiritu conclusum esse debet. Si enim absurdum non est, Patrem & Filium non duos, sed vnum dũtaxat esse Deum: quid absurdi hic fuerit, vbi dicimus Patrem Deum, Filium Deum, & Spiritum sanctum Deum, non tres, sed vnum tantùm esse Deum. Atque hæc de Patrum antiquissimorum ante Concilium Nicenum testimoniis satis sunto.

VII. Quæ verò fuerit Niceni Concilij fides, liquet tum ex ipso symbolo, quod sic legitur, *Credimus in vnũ Deũ*: (deinde singulas explicat personas) tũ maximè ex symbolo Athanasij quod symbolum, explicatio quędam est fidei Nicenæ. Quis enim meliùs potuit & fideliùs explicare Niceni Concilij fidem, Athanasio? Is enim non postremas egit partes in refutandis hæreticis, in ipso Concilio Niceno. Legatur quæ de ipso scribit Ruffinus Ecclesi.hist.lib.1.cap.14. Cùm itaque post Concilium Nicenum, Arius verba Concilij, in suam torqueret sententiam: Athanasius Niceni Concilij sententiam explicare coactus, suum edidit symbolum. Ibi præter alia ait, *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus & tamen non tres Dij, sed vnus est Deus.* Idem Athanasius in oratione cõtra Idola, pag.27. pulcherrimis similibus atque rationibus, vnum tãtum esse Deum: & quisnam ille sit Deus, nimirum Pater cum suo λόγῳ & Spiritu demonstrat. Idem in li. de communi essentia Patris, Filij, & Spiritus S. pag.609. hanc docet esse causam, cur non plures Dij vocati possint Pater, Filius, Spiritus sanctus, quia scilicet vna est omnium essentia. Sic enim Deus omnes homines vnum vocauit hominẽ, propter cõmunem omniũ naturã, quũ dixit, *non permanebit Spiritus meus in homine*: Ge. 6.3. & alibi sæpe: & quũ ait Dauid: *quid est homo, quod memor es eius*? Psal.8.5. quãto magis Pater, Filius & Spiritus sanctus vnus tantum sunt, & appellari debent Deus: cum horum vna & eadem omnino sit, non tam natura quàm essentia?

VIII. Quid, quod ipsi quoque inter Iudæos doctissimi, & antiquissimi Rabbini eandem è scripturis agnouerunt veritatem, & suis libris ad posteros propagàrunt: Deum scilicet vnum esse, eumque in patre, Filio, & Spiritu sancto Patribus & sanctis Prophetis patefactum fuisse? Reperiuntur nonnulli adhuc horum libri: multa etiam à doctissimis viris qui eorum legerunt commentarios, citantur testimonia. Præter alios non malam nauauit operam in his colligendis & interpretandis, Petrus Galatinus: legatur liber secundus.

Cap. 7. lib. 2. citat ex commentariis R. Isahac Benfohola in Psalmos, dictum prolixum, vbi in summa hæc continentur. In Deo esse Patrem, quem principium vocat. Filium, quem appellat sapientiam. Et Spiritum sanctum, quem nominat timorem Dei, nempe ab effectu, quòd inferat timorem Dei cordibus fidelium. Deinde hos tres, tres esse facies, sicut & Græci πρόσωπα vocant. Tertio has tres personas, vnam in alia inuicem contineri: & omnes has vocat etiam coronas, & ait vnam esse coronam.

Cap.8.9. ostendit ex multis Rabbinis, nomine אלהים plures significare, nempe מדות proprietates, quas nos vocamus, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, & omnino pluralis esse numeri, & significare Deos: verbo autem singulari, ברא creauit, vnitatem substantiæ seu essentiæ.

Idem ex Iosuæ cap postremo, vbi ait populo Iosua. *Non poteritis seruire Iehoua, quoniam* אלהים קדושים הוא איא: hoc est, quoniã Dij sancti ipse, ex nomine אלהים & altero, קדשים, pluralitatem personarum: ex singularibus autem, יהוה, & הוא, vnitatem essentiæ colligit. Cap. 10. tum ex Rabbenu Haccados, ad Antonium consulem responsione, tum ex aliis ostendit, nomen Iehoua, esse nomen Dei essentiale, & essentiam Dei significare. Deinde hoc nomine tres indicari personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, sicut constat tribus literis י, ו, ה: ac proinde eodem nomine significari, & vnitatem essentiæ, & trinitatem personarum. Multa alia ex Rabbinis refert in hanc sententiam, Quæ idcirco non recito, quod neque omnia sunt solida, neque vtile est, ea omnibus proponere. Legant, qui volent. Neque etiam hæc pauca retuli in hunc librum, vt iis probem nostram de Deo Patre, Deo Filio, Deo spiritu sancto, vno eodémque Iehoua fidem: Satis enim confirmata est apertis sacræ scripturæ testimoniis. Sed in hunc tantùm finem ea retuli, vt ostẽderem, antiquissimis etiam Hebræis, paulo post Christum, haud ignotum fuisse hoc Trinitatis mysterium.

IX. Huc etiam spectant illa, quæ non solùm ex Sibyllis, sed etiam ex Philosophis & Poetis citantur, ab Ignatio, Clemente, Lactantio, aliisque scriptoribus Ecclesiasticis: de tribus hypostasibus & vno tantùm Deo. Permulta enim & lectu admiranda apud hos quoque legũtur de hisce rebus diuinis Nam Patrem nomine νοῦ, Filiũ nomine λόγου, & Spiritum sanctum nomine πνεύματος significàrunt, quos tamen vnum atque eũdem Deum prædicant. Si quis velit compendium horum testimoniorum, diligenter collectum, & pulchro ordine dispositum, legat Augustin. Stenchi, Eugubini episcopi libros de pẽrenni philosophia. Atque etiam hæc omnia eò pertinent, vt appareat à Gentibus quoq, meliùs intellecta fuisse Prophetarum oracula, quàm à nostris hæreticis. Affirmat enim Iust. Philosophus & Martyr, Platonem, & alios, quæcunque scripserunt de Deo, vera; ea illos accepisse ex libris Mosis.

## CAPVT VI.

### Similia, quibus doctrina de Trinitate explicatur à Patribus: & legitimus ipsorum vsus.

HVcvsque doctrina vera, orthodoxa de Deo vno in tribus hypostasibus, seu personis patefacto, abunde fuit nobis explicata & cõfirmata apertis Scripturarum testimoniis, & Patrum antiquissimorum consensu. Id quod satis esse debet cuique pio, & Christiano vero Nam inuestigare, quonam modo hæc se habeãt, Christiani hominis non est, cùm Deus noluerit hæc patefieri in præsenti sæculo. Quare neq; illi probari nobis possunt, qui similibus à natura petitis, volũt explicare, quanam ratione tres sint personæ, & interim tamen vnus tantùm Deus: aduersus quos est illud Salomonis, *Scrutator maiestatis, opprimetur à gloria* Prou.25.27. Non dãnamus similia; modò ad verũ adhibeantur vsũ, & grauia sint atq; honesta. Quis autẽ verus horũ est vsus? Non vt modum exprimant, quo Pater, Filius, Spiritus sanctus tres cùm sint, vnus etiam sint tãtùm Deus Modum enim hunc non vult Deus à nobis in hac vita intelligi. Sed legitimus vsus similium est, vt ostendamus non debere nobis videri absurdũ, quod scriptura tradit, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres esse inter se distinctos, quorũ quisque Deus est: & tamẽ eosdem simul, non esse tres Deos, sed vnum tantùm Deũ: quando etiã in natura, non pauca nobis suppeditantur exẽpla, in quibus videmus, multa esse vnũ, & vnũ multa: sed diuersis respectibus. Quid igitur mirum, si id asserat Deus de seipso in scripturis? Hic est vsus omnium similiũ, quibus vsi sunt Patres in mysterio hoc tractãdo. Horũ itaque similiũ breuẽ hãc trado summã.

I Primum, ac meo iudicio præcipuum & omnium accommoda-

modatissimum simile: sumptum est à sole & eius radio, quorum tamen vna est, & eadem lux. Hoc simili vsus est Iustin. Martyr. in expositione fidei de Trinit. Tertullian. cont. Praxeam, pag. 409. Cyprian. in expositione symboli Apostolorum, p. 359. Lactan. Firm. lib. ca. 29 Hoc simile fuit sæpe à nobis explicatum: non est igitur opus prolixiore explicatione. Hoc simile, dixi esse omnium accommodatissimum: propterea quod Deus quoque in scripturis, quàm sæpissime sese vocat lucem, & solem: vt Ioh. ait *Deus lux est*.

Secundum simile fingitur à Gregorio Nazian. in lib. de vnitate Dei. Sunto tres Soles, qui sese mutuò complectantur, ita vt vnus non sit ab alio seiunctus, sed tantùm distinctus. Tres erũt, vna tamen omnium eadémque lux, minimè diuisa. Ita in tribus personis sese mutuò inseparabiliter complexis, vna est eadémque deitas.

Tertium est à fonte, fluuio, & riuo. Hoc etiam vsi sunt Patres: Tertul. conr. Praxeam. Cypria. & Lactant. locis suprà citatis. Esto fons, vnde scaturiat flumen: & ex vtroque fluat, riuus: tres certè erũt inter se distincti: vna tamen in omnibus aqua. Ista etiam sunt tria & vnum.

Quartum à radice & frutice. Hoc vtitur speciatim Tertullianus conr. Praxeam. Vna eadémque arbor constat radice, trunco, & frutice, seu ramo: tres sunt, & tamen etiam vnũ. Radix à nullo pendet: truncus pendet à radice: ramus à radice & trunco simul.

II. Quintum ab homine, sed diuersa ratione. Quidam sic: esto mens, quæ aliquid cogitet, & memoriam excitet per cogitationem. Primò mens est, quæ cogitat, & quasi generat verbum; deinde cõceptus, res cogitata, seu verbum & λόγος à mente genitus: tertiò spiritus memoriæ. Vna tantùm anima, vel vnus tantùm homo est. Hoc vtitur Tertul. contr. Prax. pag. 407. & Cyprian. in symbolum August. aliter: in homine tria sunt inter se distincta: intellectus, voluntas, memoria. Tres sunt inter se potentiæ distinctæ: vna tantùm anima, vnúsq; homo. Alij aliter: vna est anima in homine: tres tamẽ diuersæ facultates: λογικὴ, θυμικὴ, ἐπιθυμητική. Alij alio etiam modo explicãt: Anima hominis vna est essentia: diuersæ tamen potentiæ sunt, essentiales animę partes: potentia & vis, qua intelligimus: vis, qua sentimus: vis, qua mouemur & mouemus.

III. Sextum non tam simile quàm argumentum, quo ostenditur non debere videri absurdum, quod Scriptura docet, in tribus personis, vnam esse eandémque essentiam: eóque vnum tantùm esse Deum. Deus vbique est. Ier. 23. vers. 24. *Cælum & terram ego impleo*. Non est autem vbique secundum diuersas sui partes, sicut anima in corpore, aut sicut aer in mundo. Est enim Deus simplicissimus, omni partium compositione carens: neque est vbique successione. Non enim est secundùm locum, aut vlla alia ratione mutabilis. Ac proinde est vbique tota sua & eadem essentia. Quid igitur mirum, quòd dicimus, totam diuinam essentiam, esse in tribus personis: totam, & eandem in Patre: totam & eandem in Filio: totam & eandem in Spiritu sancto? Annon totus, & idem Spiritus Christi, sua essentia est in singulis electis, infinitis nimirum personis? est. Quidni igitur fatendum, vnam & eandem diuinam οὐσίαν in tribus esse personis? Quid hoc autem aliud est, quàm Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum esse essentia, & numero Deum? His potissimùm Patres vsi sunt similibus, non ad explicandum modum, quo Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres cùm sint, vnus tamen sint essentia Deus: sed tantùm ad ostendendum, minimè videri absurdum, quod Scriptura tradit de vno Deo, in tribus distinctis personis manifestato: quando similia etiam in natura ipsa perspicimus.

IV. Cæterùm Patres noluisse his similibus explicare rem ipsam, manifestũ est: cùm vbiq; fateantur percipi à nobis non posse, quomodo tres sint inter se distincti, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & tamen vnus tantùm Deus. Idcircò Cyprianus in symbolum Apostolorum, posteaquam vsus est aliquot similibus, duo obseruatu dignissima subiicit. Primum, quum proferuntur exempla, non per omnia similitudinem seruare possunt rei illius, cui præbere putantur exemplum; sed vnius alicuius partis, pro qua videntur assumta, similitudinem tenent. vt quum in Euangelio dicitur: *Simile est regnum cælorum fermento, quod abscondit mulier in farina mensuris tribus*. Nunquid putamus regnum cœlorum, sic per omnia simile esse fermento, vt & substantia illa palpabilis sit, ac fragilis: & acida fieri possit, & corrupta? An ad hoc solum exemplum istud videtur assumptum; vt ostenderetur ex pura prædicatione verbi Dei, humanam mentem, fidei fermento posse coalescere? Concludit hoc primùm, nẽpe exempla non in omnibus iis, quorũ sunt exẽpla, esse similia. *Deinde illud etiã* (inquit) *dicendũ est: quod nulla creatura talis esse potest, qualis creator eius: & ideò sicut sine exemplo est diuina essentia, ita etiam sine exemplo est diuina maiestas.* Docet his verbis, non posse vllis similibus explicari, quomodo sese habeat illa personarum trinitas, essentiæque vnitas. Quare similia allata à Patribus, huc tantum spectare, vt ostendatur, non esse, cur homines iudicent rem esse impossibilem, & absurdam: vt tres sint personæ, quarum quæque Deus est. & tamen non sint tres Dij, sed vnus tantùm essentia Deus.

V. Ea de causa, neque simile, quod iam ego adferam, in alium finem debet accipi, quàm in eum, qui iam explicatus est. Ego simile sumo à Christo ipso In ipso enim clariùs, quã vlla alia in re manifestatur Deus: non solùm voluntas Dei, sapientia, potentia, misericordia, bonitas: sed ipsa etiam Dei essentia, tribus subsistendi modis, in tres distincta personas. In vna persona, quæ est Christus, tres spectantur distinctæ substantiæ. Sed vna & eadem persona tribus constat distinctis, & differentibus substantiis. Quarum prima est deitas: altera est anima, substantia incorporea, sed creata: tertia est corpus, substantia corporea. Sunt illæ ita inter se distinctæ: vt deitas, naturáque diuina non sit anima, nec corpus: neq; itẽ anima, sit corpus vel deitas: neque vicissim corpus, illæ. Ita tamen vnitæ sunt simul ἀσυγχύτως omnes hæ tres substantiæ: vt vnus tantùm sit Christus, vnáque persona. Si igitur vnam, & eandem personam videmus constare tribus diuersis admodum substantiis: atque ita constare, vt non duo tamen, aut tres sint Christi: sed vnus duntaxat Christus: Quid mirum est, viderive debet, quod iuxta scripturas dicimus, vnam & eandem essentiam, in tribus esse personis: seu tres personas vna & eadem constare essentia: ita vt non sint tres Dij, sed vnus Deus?

VI. Atque hoc simile eò magis mihi placet, quòd non solùm ostẽdit vnitatem essentiæ, & personarum trinitatem, nihil inter se pugnare: verùm etiam duo alia non parui momenti, vtcunque declarat: quorum vnum hoc est. Diuina substantia, hoc est, deitas in Christo, non est aut pendet ab anima, aut à corpore: sed contrà ipsa est fons, & origo, vnde anima & corpus. Ideò enim anima & corpus sũt in Christo; quia diuina eius natura illam, & istud creauit, atque assumpsit. Anima quoq; non pendet à corpore: sed corpus ab anima, & à deitate simul: corpus enim per animam viuificatur. non contrà. Deitas igitur in Christo vtcunque repræsentat Patrem: anima Filium: corpus Spiritum sanctum, quod ad has attinet proprietates quæ sunt: ingenitum esse, genitum esse, & procedere. Alterum etiam, hoc simili declaratur: Etsi in Christo sunt hæ tres distinctæ substantiæ, ita vnitæ, vt non multos efficiant Christos, sed omnes simul vnus sint Christus; tamen diuersæ ipsarum operationes in eodem Christo discernuntur. Deitas ipsa erat, quæ per se remittebat peccata, quæ miracula edebat: non anima aut corpus: nisi quatenus instrumenta erant deitatis. Anima verò erat illa, quæ propriè tristitia afficiebatur, Mat. 26. v. 38. *Tristis est*, inquit, *anima mea vsque ad mortem*: non autem vel deitas, vel corpus. Passiones enim propriæ sunt animæ: tristitia & lætitia. Quum autem colaphis cædebatur, conspuebatur, crucifigebatur, moriebatur, nunquid aut deitas hæc patiebatur, aut anima hæc propriè sustinebat? minimè verò, sed corpus. Corpus enim erat illud ipsum, quod propriè cædebatur, flagellabatur, cruci affigebatur. Interim tamen dicimus, & verissimè dicimus, Christum esse crucifixum, mortuum, &c. Cùm solum tamen corpus, propriè crucifixum, & mortuum fuerit. Sic etiam, etsi inseparabiliter coniuncti sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ita vt vnus sit Deus: tamen diuersas quasdam, & proprias singularum personarum operationes, in hoc vno, & eodem Deo spectamus. Qui supra Christum dixit, Matth. 3. v. 16. & 17. *Hic est Filius meus dilectus*: Pater fuit, non Spiritus, aut Filius, propria igitur vox Patris. Qui verò in columbæ specie supra eundem Christum apparuit: Spiritus fuit, non Pater, aut Filius. Qui autem incarnatus primùm, deinde baptizatus, passus, crucifixus est: non certè fuit vel Pater, vel Spiritus sanctus: sed Filius. In persona igitur Christi tanquam in speculo quasi contemplamur, & tres personas, & vnam personarum essentiam, & personarum proprietates, propriásque operationes. Non me tamen latet, longiùs distare simile hoc ab illo mysterio, vnius essentiæ, triumque personarum, quàm cœlum à terra. Neque enim eiusdem naturæ sunt, deitas, anima, corpus, multò minus vna est, & eadem omnium οὐσία. Proinde dixi, non ideò adferri hæc similia; quasi iis explicari possit mysterium, sed tantum vt aliquo indicetur modo, non esse rem aut absurdam, aut impossibilem, tria esse vnum, & vnum tria, sed diuersis respectibus.

## CAPVT VII.

Summa doctrinæ de vno Deo Iehoua, in tres

Elohim distincto: quæ explicata, & confirmata hactenus fuit: & firmiter ab vniuersis & singulis Christianis retinenda est.

CÆTERVM nobis retinenda est fide, & lingua etiam liberè profitenda, summa doctrinæ de Trinitate: siue similibus explicetur, siue non etiam explicetur: siue quomodo se res habeat, percipiatur, siue non percipiatur. Nunc enim videmus per speculum verbi Dei, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. 1. Cor. 13. 12. Quare contenti esse debemus certitudine doctrinæ: quam tradunt sacræ literæ. Nihil autem certius, quàm hæc quinque capita.

Primùm quidem, vnum tantùm esse Deum æternum, immẽsum, immutabilem, perfectissimum, rerum omnium creatorem & conseruatorem. Hoc enim & verbum Dei, tam in nouo, quàm in veteri Testamento, passim & perspicuè docet: & verò etiam infinitis à natura ductis, firmísque rationibus confirmatur, quemadmodum in profanis quoque auctoribus facilè est videre. Deinde non minùs quoque certum est, hunc vnicum Deum, cuius cognitio à natura nobis insita, obscura, & confusa est: sese clarius & distinctius per suum verbum patefecisse, sub nominibus tum Iehouæ, suæ sapientiæ, & sui Spiritus, atque etiam Elohim, vt in veteri Testamento Patribus: tum etiam & id quidem luculentius, sub nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt nobis in nouo Testamento. Matt. 28. 19. 2. Cor. 13. 13. 1. Io. 5. 7. Neque etiam hoc obscurum est, iis nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti significatas nobis fuisse, non nudas aliquas Dei proprietates: sed tres substantias, æternas, inter se distinctas, intellectu, & libera voluntate præditas, viuentes & agentes. Scriptura enim apertè & abũdè verbis docet, & ab effectis demonstrat, Patrem misisse Filium ex amore, quo nos ante mundi constitutionem complexus est: Filium è cœlo à Patre ad nos venisse, factum hominem, passum & mortuum pro nobis, non autem Patrem. Iohan. 3. 16. Deinde post resurrectionem, cùm ascendisset in cœlum, misisse à Patre Spiritum sanctum. Hunc autẽ Spiritũ in electis habitãdo, loquendo, præcipiendo, varia dona distribuendo, mira opera faciendo, fideles viuificando, hypocritas, & mendaces, Ananiã, & eius vxorem solo verbo examinando, & alia innumera præstando, declarasse se substantiam esse liberam, viuentem, intelligentem, agentem à Patre & à Filio distinctam, Actorum liber præter alios, quis & quid sit iste Spiritus, luculenter declarat. Nihil etiam certius est in scripturis, quàm Patrem verum esse Iehouam, & Filium verum Deum Iehouam, & Spiritum sanctum verum Deum Iehouã. Nã & iis nominibus appellantur, vt anteà vidimus. Et quæ propria sunt Dei, essentia, attributa, opera, illis ex æquo attribuuntur. Et qui soli debetur Deo honos, & cultus, hoc singuli ipsorum in Scripturis afficiuntur. Hæc omnia legimus passim in scripturis, idque perspicuè, vt de veritate historiæ dubitare fas non sit. Quomodo autem ex iis non efficitur, si vnus tantùm est Deus, & horum trium quisque Deus est: hos tres non esse tres Deos, sed vnum tantùm Deum, præsertim cùm præter hanc necessariam illationem, omnes etiam simul vno & eodem Dei vnius nomine disertè appellentur, vt à nobis fusè demonstratum est? 1. Ioh. 5. 7.

II. Quare tota hac doctrina, iis quinque capitibus comprehensa, nihil certiùs esse potest. Accedit deinde consensus totius Ecclesiæ Christianæ, iam inde ab Apostolis. Denique quicunque habet in se Patrem, Filium, & Spiritum sanctum inhabitantem: is testimonium habet in seipso, quo totam hanc obsignat doctrinam. Reipsa enim sentit se immediatè regi à Spiritu sancto, & eius audit testimonium, se nimirum esse Filium Dei. Hinc sentit, se ideò Filium esse Dei, quòd Filius vnigenitus suam illi communicarit filiationem, & per hunc se habere accessum ad Patrem. Ac proinde huic Deo Patri, Filio, ac Spiritui sancto seruit ex animo, omnem dat gloriam, hunc vnum adorat, colit, amat, timet. Qui verò Spiritum Dei non habet, sed animalis tantùm homo est, sicut non percipit, quæ sunt Dei, multò minùs Deum ipsum: omnia enim sunt illi stultitia. Spiritualis autem omnia diiudicat, & Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Huic igitur Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui sancto, vni soli atque æterno Deo, omnis honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

# HIERONYMI ZANCHII,

# DE TRIBVS ELOHIM,

## AETERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, VNO EODEMQVE IEHOVA,

## Tomi Primi

# PARS ALTERA,

## AD FRANCISCVM, COMITEM BEDFORDIENSEM, ILLVSTRISSIMVM, SVMMÍQVE IN ANGLIA, REGII CONSILIJ, Virum Ornatissimum.

*In qua continentur refutationes, tam exceptionum, quàm sophismatum: quæ aduersus doctrinam, superiùs confirmatam, fieri ab Antichristis solent.*

1. Corinth. 10. vers. 22.

*Num prouocámus ad iram Dominum? num fortiores eo sumus?*

Q

# FRANCISCO, COMITI BEDFORDIENSI ILLVSTRISS. ET SVMMI IN ANGLIA REGII CONSILII, VIRO ORNATISSIMO: HIERONYMVS ZANCHIVS, Gratiam & Pacem à Deo Opt. Maximo P.

VT QVI domum, aut vrbem ædificaturus est, huic danda est inprimis opera, vt bonum firmúmque iaciat fundamentum: ita qui tali exædificatæ domui, aut vrbi custodiendæ pręficitur, is curare ante omnia debet, vt eius integrum firmúmque retineat fundamentum ac seruet. Si enim illud permittat, sibi ab hostibus, vel per cuniculos subrui, vel vi aperta quatefieri: totum ædificium citò corruat necesse est. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma vrbs est, quæ labefactato fundamento consistere diu possit? Ego verò non video, quale sit Ecclesiæ fundamentum Christus, si Deus natura æternus, immensus, atque incommutabilis non sit: sed nudus homo, vt Ebion, & Samosatenus: vel creatus spiritus, vt Ariani dicebant. Omne enim creatum, finitum est, finitæque virtutis: & tempori sua naturâ mutationíque obnoxium. Quomodo igitur Ecclesia super tale fundamentum, aut ædificari potuit: aut ædificata, stabilis permanere queat, & sempiterna? Nam neque peccata ipsa, quæ causa sunt mortis, expiari reapse Christi morte potuissent, atque ita nos à morte redimi, & æterna vita donari: nisi sanguis, quo pianda erant, virtutis fuisset infinitæ, eóque illius, qui, sicut verus est homo, ita verus esset Deus. Neque mens humana persuaderi de certa criminum suorum purgatione, déque æterna salute potest: nisi etiam eum, cuius morte purgata esse ipsi sua prædicantur scelera, & verum esse hominem, qui mori: & verum esse Deum, qui abolere peccata, sua morte potuerit, persuasum habeat. Ac proinde certam salutis fiduciam collocare, & æternæ spem vitæ firmare in alio nemo potest, & acquiescere: nisi in tali Deo, qui tam potuerit, quàm etiam voluerit, expiationem peccatorem facere, & perficere redemptionem. Atque hæc duo capita, in quibus ratio fundamenti, firmæque ędificationis Ecclesię consistit: præterquam quòd sole ipso illustriora, & clariora sunt, in sacris literis, & omnium Patrum consensu approbata: quisque etiam verè pius, si in seipsum descendat, & suam penitiùs examinare conscientiam velit, certissima esse deprehendet. Ad quam rem hæc nobis axiomata præmittenda sunt. Etsi Deus clementissimus est: nullum tamen peccatum condonare eum velle, nisi suę iustitiæ plenè reipsa satisfiat, est enim iustissimus. Nullam porrò nudam creaturam satisfacere pro peccatis, eáque luere posse: cùm sit virtutis finitæ: peccatum autem debitum infinitum. Nec denique Deum (vt ita loquar) nudum, in sua nimirum maiestate existentem, posse per sese expiare peccata: cùm careat sanguine: sine sanguinis autem effusione nolit, vt fiat remissio. Nunc igitur animo te siste in illo mortis agone, qui omnibus nobis semel subeundus est: & fac, vt vna ex parte tibi tua occurrant malefacta: & ex altera, iudicium tibi proponatur Dei, vlciscentis scelera, idque supplicio æterno: vbi, obsecro, conquiesces, quáve in re inuenies requiem, ita vt verè sentias, te, tuámque salutem supra firmum fundamentum esse fundatam, fixam, & constabilitam, eóque certam? Non dices scio, in vlla re creata, quę infra Christum sit. Non est enim nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, &c. Sunt autem omnes, ipsi etiam Angeli, & Seraphini infra Christum. Num in Deo simplici, atque ab omni sanguine nudo? At occurret eius ira aduersus peccata tua: quæ peccata, licèt ille clemēs & misericors sit, condonare tamen nullo modo vult, nisi, vt dictum est, per veram expiationem, perfectè suæ satisfiat iustitiæ. Sine autem sanguinis effusione, nullam fieri posse, ex firma Dei voluntate, purgationem ac remissionem: manifestum est. Ac proinde Deus in sua simplici existens maiestate, cùm sanguine careat, peccata nostra per sese luere non potest, nisi fortè decretum Dei mutari velis: quod fieri omninò nequit: cùm illud immutabile esse pronunciarit. Quare, sicut in nulla pura creatura: sic nec in nudo Deo, quemadmodum cuiusque conscientia experitur, niti humana mens, peccati conscia, potest. Vbi igitur tua acquiescet conscientia? quóve fundamento nitetur salus, vel tua, vel totius Ecclesiæ? Relinquitur ergo Christus Mediator, in quo, tanquam in illo, cuius solius sanguine abolita sunt peccata; satisfactum iustitiæ Dei, itaque eius extincta est: Ac proinde in quo, tanquam in vnico ac vero fundamento salutis nostræ, mens, conscientiáque nostra conquiescat, & per eum etiam, ac propter eum, in ipso Deo, vacuo à corpore, & simplicissimo. Sed neque hoc fieri potest, si Christus purus sit homo, ac non etiam Deus. Neque enim ius sanguis infinitæ dignitatis pretium fuerit: quod tamen ad expiationem peccati, necessarium esse diximus. Ita nisi Deus sit & homo Christus, is verum, firmúmve fundamentum, super quod ædifice-

tur Ecclesia, & quo Electorum salus nitatur: esse non potest. Verùm enimuerò quidam ad hoc in hunc excipiunt modum. Etsi inquiunt, sanguis Christi, vt pote puri hominis, vim infinitam habere non potest: pro tali tamen illum habet & accipit Pater. Itaque propter hanc Patris acceptationem: verùm salutis fundamentum est Christus. At hoc modo verè satisfactum non fuerit pro peccatis: sed tantùm Dicis causa: hoc est, propter Patris acceptationem, perinde fuerit, atque si non fuerit reipsa satisfactum. Id quod certè pugnat cum axiomate antè posito, & cum omnibus Scripturis: quæ docent, vi sanguinis Christi, verè reipsa expiata esse peccata: & nos reuera, eius morte esse redemptos, & eiusdem obedientia iustificatos. Deinde si ita se res haberet, vt dicunt, potuissent sanè Pater propter sanguinem cuiusvis alius creaturæ, bonum etiam, atque hircorum, peccata nostra, tanquam expiata, licet reuera expiata non essent, condonare. Quod certè pugnat cum sacris literis, quæ docent mortem, & sanguinem Christi, fuisse ad remissionem peccatorum, necessarium. Alij itaque aiunt, sanguinem Christi virtutis esse verè infinitæ, eóque per eum reipsa punita, purgatáque esse peccata: non quòd ipse sit verus Deus: sed quia in ipso inhabitat plenitudo Deitatis corporaliter: hoc est, vt ipsi interpretantur, Pater ipse: qui vim dat omnibus Christi actionibus, passioni, sanguini, morti, infinitam. Verùm Scriptura nusquam ait, Patrem factum esse hominem, aut semen Abrahæ sumsisse: aut venisse in carne, aut se exinaniuisse, formaque serui sumta, factum esse alteri obedientem, passum in carne, & mortuum: sed tantùm hæc de λόγῳ, Filio Dei prædicantur. Deinde illud extra controuersiam est, ex assumente carnem, & ex carne assumta, éxque inhabitante plenitudine Deitatis, & ex humana natura inhabitata, vnum tantùm constare ὑφιςάμενον, quod Christus appellatur. Si enim duo fingas, vnum inhabitans, & alterum inhabitatum: Nestorij hæresim ab inferis reuocaueris. Hoc cùm ita se habeat, si assumens atque inhabitans est Pater, & res assumta atque inhabitata est Filius: vna & eadem persona fuerit, & Pater & Filius. Hominem enim conceptum & natum ex virgine, Filium esse Dei Patris nemo dubitat: dicente Angelo, ideóque & quòd nascetur ex te sanctum, vocabitur Altissimi Filius. Cùm verò illud consequens impium sit, atque absurdissimum, & cum sacris literis, principiisque fidei Christianæ, ex diametro pugnans: fieri nequit, vt Pater caro sit factus: & ita nomine plenitudinis Deitatis, corporaliter in Christo homine inhabitantis, Pater intelligatur. Ac constat in baptismo Christi, aliud ὑφιςάμενον, fuisse illum, qui dixit, hic est Filius meus: & aliud eum, de quo hoc fuit dictum. Neque verò de sola carne inhabitata dixit Pater, hic est Filius meus: sed de toto ὑφιςαμένῳ, eóque etiam de plenitudine Deitatis inhabitante: cùm totum etiam id, quod natum est ex virgine, Filium Altissimi appellauerit Angelus. Pater igitur non est illa plenitudo Deitatis, corporaliter in Christo homine inhabitans: quæ vim infinitam sanguini Christi ad expianda peccata dederit. Neque verò etiam dici potest, Spiritum S. virtutem, inquam, Dei, quam nos ὑφιςαμένην, Deúmque verum confitemur, eam esse Deitatis plenitudinem, quæ in Christo homine inhabitans effecerit, vt eius mors & sanguis infinitæ fuerit virtutis, eóque ad expurganda peccata efficacissimus. Iisdem enim rationibus facilè hoc refellitur somnium, quibus & alterum superius commentum. Nam neque vsquam legitur Spiritum Dei factum esse carnem, & quæ antè dicta sunt: neque idem sunt ὑφιςάμενοι, Filius, super quem descendit Spiritus, quique dixit, se missurum Spiritum sanctum: & ipse Spiritus, qui descendit, quíque missus fuit à Filio: sed planè distincta. Forent autem idem, si plenitudo Deitatis inhabitans, esset Spiritus Dei: & homo duntaxat inhabitatus, esset ipse Filius. Ex plenitudine enim deitatis inhabitante, & ex homine inhabitato vnum tantùm constabat, vt dictum est, & constat semper ὑφιςάμενον. Si quis verò hanc inhabitantem plenitudinem, nihil aliud fuisse contendat, quàm plenitudinem donorum Dei, à quibus homo Christus inhabitatus, eiúsque sanguis vim acceperit infinitam, ad faciendam peccatorum expiationem, salutémque nobis parandam: is nulla difficultate refellitur. Hæc enim dona talem vim habere non possunt: cùm nihil aliud esse queant, quàm res & qualitates in anima creatæ: nulla autem res creata finita cùm sit, infinitæ esse virtutis potest. Quare neque vis expiandi in Christo peccata, à donis Spiritus Dei, quibus erat repletus, esse potuit. Aut igitur nulla vis in Christo fuit expiandi peccata, & ita fundamentum esse non potest salutis nostræ, in quo nostræ mentes, ac conscientiæ acquiescere possint, aut fateamur necesse est, Christum verum esse Deum: illámque plenitudinem Deitatis in Christo, nil aliud esse, quàm τὸν λόγον æternum, Filium Dei Patris, Deúmque ipsum, qui humanam naturam sibi ὑποςατικῶς, hoc est, in vnitatem personæ, assumpserit: ex quibus duabus rebus vnus constet Christus, Deus & homo: & ideò verus, efficáxque Mediator inter Deum patrem, & nos. Si autem Christus (vt iam ostensum est) verum, firmúmque fundamentum Ecclesię esse non potest, si nudus homo sit, & non etiam Deus: & nullum aliud fundamentum esse potest, vt docet Apostolus, quàm Christus: manifestè apparet, eos qui Christum vera & ęterna spoliant Deitate, purúmque hominem, aut creatum spiritum prędicant, fundamentum Ecclesię penitus reipsa conuellere: nihilque nobis relinquere, in quo animæ nostrę conquiescere, salutémque nostram firmare possimus: quando neque (vt demonstratum est) in nuda vlla creatura, neque in nudo Deo, niti possit humana conscientia: sed opus habeat Mediatore, qui neque pura creatura, neque nudus Deus, sed sicut verus homo, sic etiam verus sit Deus æternus. Nunc facilè videre possunt Principes omnes Christiani, & quicunque ad Ecclesię gubernationem ac conseruationem vocati sunt: quid sui sit officij aduersus hoc hostium genus, qui negantes Christum, verum esse, ęternúmque Deum, simul etiam efficacitatem officij ipsius reipsa tollunt: eóque fundamentum Ecclesię ab imis quasi radicibus eruunt atque euertunt: quo euerso, quid aliud sperari, aut consequi potest, quàm totius Ecclesię ruina? Hęc princeps ac pręcipua causa est, Illustrissime Comes, cur post confirmatum, constabilitúmque Ecclesię fundamentum, in primo Tomo, ad Grindallum, optimum virum, verúmque Archiepiscopum: volui hunc alterum Tomum, in quo hostium Christi, & eius Ecclesię, dolosa instrumenta, fraudulentáque arma, quibus fundamentum ciuitatis Hierosolymę suffodere, labefactare, & si possint, funditus euertere conantur, patefacio, & pro mea virili sceleratos ipsorum conatus impedio; Tibi Magnifico, Generoso, & non minùs virtute ac pietate, quàm sanguine, illustrissimo viro, ad perpetuam tum pietatis, virtutísque tuę memoriam; tum obseruantię erga te meę testificationem

cationem, consecrare, nempe, vt & videas, qualia sint hostium nostrorum arma, quídve iis moliantur: & pro tuo prudenti iudicio, consideres, an rectè, nec pugnem, armáque & tela hostium depellam: & denique, vt quæ apud Serenissimam, Potentissimam, veréque piam, omníque virtutum genere ornatissimam, vestram reginam ELIZABETHAM, inque toto isto regno, auctoritas est tua: diligenter des operam, efficiásque, vt hoc, quod defendimus, quódque vnicum est Ecclesiæ fundamentum, quàm diligentissimè conseruetur. Ac proinde si qui ex hoc maximè hostium, aduersus quos scribimus, genere, in illud Christianissimum regnum sese insinuent: obseruentur, expugnentur, profligentur. Euerso enim aut etiam labefactato, vt dictum est, fundamento: quid aliud expectari potest, quàm totius ædificij ruina? Exemplo vobis imò toti Christiano orbi, sunto Ecclesiæ orientales: quas omnes (proh dolor) iam tot secula funditus euersas, & in potestatem Turcicam, cum tot millium hominum æterno exitio, nostris oculis, redactas videmus. Vndenam quæso tanta ruina? Inde sanè, quòd fundamentum hoc, diu per Ebiones, & Samosatenos: deinde per Arianos concussum: tandem per Mahumetem, eadem hæresi ab inferis reuocata, Episcopis verò & Principibus suum negligentibus officium, radicitus conuulsum est. Contrà in Occidente, tametsi Ecclesiæ, multis ictibus à Sathana, per varios hæreticos & antichristos quassatæ, multas in superioribus ædificij partibus ruinas passæ sunt: quia tamen Dei beneficio, integrum retinuerunt fundamentum, euersæ penitus non sunt: sed indies magis ac magis, quæ antè collapsa fuerunt, ea per Dei gratiam, multis in locis reædificantur. Facilè enim domus instauratur: cuius adhuc firmum & integrum manet fundamentum. Ergo quanta vobis quoque vigilantia opus sit, si Ecclesiam in isto vestro amplissimo, & felicissimo regno, conseruatam cupitis: facilè videtis. Principiis obstandum est: neque serpentes alendi sunt in sinu. Neque verò sine causa Deus, inter cæteros, te quoque Magnifice Comes, Illustri natum sanguine voluit singulari prudentia, magna auctoritate, multiplici virtute, eximia pietate, & splendidis veræ tuæ fidei insignibus, ornare: & ita ornatum in secretum, vt vocant, summúmque Serenissi. Reginæ consilium, vocare & cooptare: eóque ad gubernacula Regni cum aliis illustribus Magnísque viris adhibere: non sine, inquam, causa, te huc euexit Deus, sed vt omnibus istis Dei donis ac beneficiis vtaris, ad tuendum inprimis hoc, quo de loquuti sumus, totius regni Dei fundamentum, instaurandámque, & conseruandam Ecclesiam. Id quod facilè, feliciterque fieri potuit, si tu quoque pro tua auctoritate, atque virili parte curaueris, vt puritas totius doctrinæ Christianæ & sinceritas diuini cultus, firma retineatur: hæresibus, si quæ suboriantur (quod Deus auertat) & superstitionibus, citò tollendis, falsis doctoribus abigendis, veris autem & fidelibus liberaliter fouendis, Scholis diligenter instaurandis, ac studiosis piè educandis. Scholæ enim benè constitutæ, vera sunt Ecclesiæ armamentaria: vnde ad propellendos hostes, domúmque Dei tuendam arma sumuntur, & colliguntur milites. Neque verò hoc præterire silentio possum, quòd non potui hanc tibi non dedicare librorum meorum partem, quum in mentem mihi veniret amoris erga me tui: quo me semel complexus Argentinæ, deinceps semper in hoc vsque tempus, (nisi me amicorum literæ, & tua in me collata beneficia fallant, vt non fallunt) prosecutus es. Non sunt enim vsque adeò ac rusticè educatus, aut in bonis literis, Christianáque pietate parum exercitatus: vt cuiuspiam erga me beneuolentiæ, & beneficentiæ, multò verò minùs talium, tantorúmque virorum, qualis tu inter alios amicos es meos, velim immemor esse, aut etiam possim. Noui enim & Christianè, & politicè, vt nullum genus hominum magis odiosum est, quàm qui beneficia exprobrant: ita nihil per se turpius, nihílve homine indignius, ipso ingrati animi crimine, inueniri posse. Proinde aduersus vtrumque morbum, illa mihi semper visa est optima, breuísque medicina, χάριν λαβὼν, μέμνησο: καὶ δοὺς, ἐπιλάθου. Ne igitur incidam in alterum morbum, mitto tibi hanc meam lucubrationem, vt eam per otium legas, & tanquam monumentum grati animi mei tibi serues. Quam si tibi intellexero, neque displicuisse, neque ingratam fuisse: non dubitabo me rem fecisse Ecclesiæ vtilem, doctísque & piis omnibus gratam. Sin minùs: illud saltem consequar, vt tu, & omnes intelligant, me & gloriæ Christi amantem, & tibi addictum esse: tui, tuorúmque beneficiorum memorem.

Dominus Iesus Opt. Max. Deus, & homo, ad omnes omnium seculorum ætates puram, syncerámque Euangelij doctrinam in isto conseruet regno: adeóque suam gloriam, & Electorum salutem magis ac magis vbique promoueat. Heidelbergæ: Calendis Septembris M. D. LXXII.

hæc tam certa, tamque perspicua de Deo in scripturis doctrina, à tam multis hominibus non solùm non intelligatur, nec admittatur: verùm etiam acriter oppugnetur: nimirum quia huiuscemodi homines destituti lumine Spiritus sancti suis cæcis oculis, hoc est, suis naturalibus tenebris in tantam lucem diuinam intueri non possunt: sed peruerso potiùs decepti iudicio, tenebras dicunt lucem, & lucem tenebras, & verum habent pro falso, & mendacium pro veritate, non secus atque illi, qui cùm omnia conspicillis viridibus inspiciant, colores omnes virides esse & iudicant, & contendunt. Naturalis igitur humani ingenij cæcitas, cum deprauatione iudicij coniuncta, causa prima est, qua fit, vt homines animales veram scripturarum intelligentiam, eóque rectam de Deo cognitionē assequi nequeāt: imò, vt eam tanquam falsam atque impiā, pertinaciter oppugnent. His addo, quòd humana mens, & finita est, & in corpore, eóque in ipso corpore ratiocinatur, & intelligit. Hinc enim fit, vt primò quidem nihil possimus concipere, nisi vt finitum; & sub ratione finiti, etiam si id, de quo cogitamus, per se, & sua natura, sit infinitum. Deinde etiam fit, vt res per se spirituales, non possimus nisi sub specie quadam corporea, nobis examinandas, & cognoscendas, proponere, vtut conemur spiritualissime de aliqua spirituali re, veluti de Deo, cogitare. Nemo est, qui hoc in seipso non experiatur præterquàm quod ratio id etiam confirmat. Est enim certissima regula: Vnumquodque recipi per modum, hoc est, pro captu, & natura recipientis. Intellectus autem, dum aliquid intelligit, illud recipit, vnde etiam mente percipere dicimur, quæ intelligimus, ergo pro sua natura, & captu percipit. Si quis igitur, non acquiescens simpliciter in iis, quæ de vno vero Deo, æterno Patre, Filio, & Spiritu sancto tradunt sacræ literæ, velit ingenij sui acumine in cœleste illud & inaccessibile adytum penetrare, & quomodo sese Deus habeat, perscrutari; quomodo scilicet sit vna essentia, & tres distinctæ personæ, ita vt Pater, qui genuit, alius sit à Filio, qui genitus est, atque ita de Spiritu sancto: is in profundissimam diuersorum errorum abyssum præcipitetur necesse est. Essentiam enim illam simplicissimam, animo suo finito, & in corpore posito, concipere non poterit, nisi ita, vt ea sibi esse videatur instar immensi cuiusdam aëris, in quo inclusæ sunt hæ tres personæ, & Patrem quidem, vt hominem quendam, imaginabitur, qui cùm priùs esset, posteà genuit Filium, à se seiunctum, & vtrumque etiam tam generantem, quàm genitum, sibi finitum esse finget. Atque ita etiam de Spiritu S. Quid autem ab essentia illa simplicissima, & tribus inter se distinctis, coæternísque אלהים, Patre, Filio, Spiritu sancto, alienius, quàm hæ crassæ, carnalésque cogitationes? Sic enim etiam videmus, quod vnum eū simplicissimū in Deo, nempe, diuina essentia, qua vna iustus, sapiens, bonus est Deus, illud non posse à nobis percipi, nisi sub diuersis diuersarum virtutum conceptibus, quos gignunt nomina iustitiæ, misericordiæ, bonitatis: ea est intellectus nostri imbecillitas ac naturalis infirmitas. Quid mirum igitur, si neque tres personas illas concipere animo possumus, vti se habent, in vna & eadem essentia subsistentes: sed ita distinctas imaginamur, vt etiam diuisæ nobis esse videantur? Ergo nil nobis satius, nihilque salutarius, quàm vt valere iussis humanis de Deo phantasiis, & ratiocinationibus, cum timore & reuerentia tanti numinis, in solo Dei verbo acquiescamus, rogantes eundem Deum, vt suo Spiritu eatenus nos ad huiusce imperuestigabilis mysterij intelligentiam illuminet, quatenus satis nobis sit ad salutem. Hæc enim duo omnino agenda nobis sunt, nisi velimus cum aliis curiosis hominibus in varios, perniciosósque errores turpiter prolabi. Principiò in rebus diuinis humanum iudicium minime nobis audiendum est: sed solus Deus in scripturis loquens, & sese verbo suo patefaciens. Etenim *Deum nemo vidit vnquam, Filius, qui est in sinu Patris, ipse* (solus) *narrauit nobis.* Ioh. 1. 18. Deinde rogandus idem nobis est Deus Pater, vt suo nos Spiritu per Christum ad veram scripturarum cognitionem assequendam illuminet: Nam per solum Spiritum sanctum veram & genuinam Dei, eiúsque verbi intelligentiam, assequi possumus, vt Apostolus docet, 1. Cor. 2. 11.

V. Altera huiusce præsentis hæreseos causa est naturalis nostra in Deum Patrem iniquitas, qua naturalem illius omnipotentiam verbis quidem confitemur, sed re ipsa tamen negamus. Quid est enim obsecro, cur isti Antichristi nolint admittere, Deum Patrem, natura sibi ab æterno, de sua substantia genuisse filium, per quem fecit vniuersa: ac proinde hunc Filium verum esse, & vnum cum Patre Deū? Num quia scripturæ hæc aut minime aut obscurè tradant? at nihil hac doctrina in scripturis certius, nihil clarius. Filium enim Dei, Deum Iehouam vocant, & multos damnant Deos, vnumque tantùm esse Iehouam inculcant. At (inquies) Aduersarij aliter talia scripturæ testimonia, quàm de vera Filij deitate, aut de vera cum Patre ὁμοουσίᾳ, interpretantur. Cedo ergo quæ sit causa, cur tam multa, tamque præclara testimonia eludere malint, quàm fateri, Filium verum & æternum esse Deum, eúmque ita ὁμοούσιον esse Patri, vt sit vnus cum Patre Deus? Si diligenter omnia eorum argumenta examines, hanc reperies esse primariam, ossibusq; tenacissime inhærentem causam, nimirum quòd censeant, fieri hæc minime posse. Cur enim Arius contendebat, Filium non esse de substantia Patris genitum, sed è nihilo creatum, ac proinde nullo modo verum esse, ac natura Deum? Quia videlicet dicebat fieri non posse, vt generatio fiat sine aliqua alteratione: & quin gignens prior sit genito. Negabat igitur, Patrem natura potuisse Filium ità sibi generare, & totam ei, eandémque suam communicare substantiam, & quidem ab æterno, vt Filius sibi esset & coæternus, & consubstantialis, ideóque vnus secum Deus. Cur etiam Sabellius negauit, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tria esse ὑφιστάμενα seu personas, sed contendit, vnum & eundem esse, non tantùm οὐσίᾳ, sed etiam persona, qui iis tribus nominibus, iuxta varias dispensationes, nominaretur? Num quòd scripturæ hoc taceant? Nihil ominus: sed ideò, quia putabat omninò fieri non posse, vt Pater genuerit Filium à se distinctum, & vterque produxerint Spiritum sanctum, tres per se subsistentes, quin tres sint dij. Quòd cùm Scriptura apertè damnet, idcircò negabat Patrem potuisse talem Filium genuisse, & vnà cum Filio talem Spiritum produxisse, qui & vera essent ὑφιστάμενα, à Patre, & à se inuicem verè distincta: & interim tamen vnus essent cum Patre Deus, coæterni simul & ὁμοούσιοι. Eadem est causa, cur etiam Tritheitæ, qui veram cuiusque personæ non tam distinctionem, quam etiam deitatem verbis saltem confitentur: negent tamen omnes tres simul vnum tantùm esse Deum, quia nimirū negant fieri posse, vt Pater, qui est Deus Israelis, è sua substantia genuerit Filium, à se verè distinctum, & vnà cum Filio produxerit Spiritum sanctum, vt interim tamen Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint vnus & idem Deus Israelis. Item, quia negant, Filium posse esse & eundem cum Patre Deum, & etiam Mediatorem, per quem Israelitæ inuocauerint Deum Israelis: Item quia inficiantur potuisse solum Filium fieri hominem, & non Patrem simul ac Spiritum sanctum, si Pater, & Filius ac Spiritus sanctus sint vnus & idem Deus. Viden' omnes horum errores ex eodem fonte profluxisse, hoc est, ex ista impietate, qua reuera negant Dei Patris omnipotentiam? Qualis enim est Patris Dei potentia, si non potuit filium è sua substantia ab omni æternitate, sibi generare: ita à se distinctum, vt tamen totam, & eandem prorsus οὐσίαν cum Patre habeat, ac proinde vnus sit cum Patre Deus: atque itidem de Spiritu sancto? Quasi verò etiam filius non possit esse & idem Deus cum Patre, qui à fidelibus inuocetur: & solus mediator, per quem inuocetur. Aut quasi etiam non potuerit solus incarnari: vt interim tamen vnus maneat cum Patre & Spiritu sancto Deus: Cùm hæc omnia disertè tradat Scriptura: nimirum, Patrem, Filium, Spiritum sanctum tres esse inter se distinctos: item horum quenque verum esse Deum & Iehouam. Item: vnum tamen omnes duntaxat esse Deum: denique solum Filium esse mediatorem, & solum carnem sumsisse, qui scripturam agnoscunt pro certissimo verbo Dei, ij profectò nunquam ausi fuissent ista, quæ tam commemorauimus, inficiari; nisi prauam & iniquam de Dei Patris potentia opinionem, priùs in animo concepissent, vel potiùs naturaliter innatam aluissent.

Dicant quicquid velint Ariani, Sabelliani, Seruetiani, Tritheitæ: dissimulari nequit, quòd apertissimū est in ipsorum libris: nimirum ideò dogmata hæc de Deo Patre, Deo Filio, Deo Spiritu sancto, vno eodémque Iehoua: ab illis negata & impugnata fuisse, non quòd non sint aperta in sacris literis, sed quòd iudicárunt omninò esse ἀδύνατα. An non autem hac ratione potentiam Dei negant apertissimè? Eant igitur & dicant: vt gloriam Patris tueantur, hæc quæ nos è Scripturis prædicamus, admittere se non posse. Naturalis itaque impietas in Deum, & in eius omnipotentiam, non postrema est causa, vnde hæreses contra Filium Dei, & eius Spiritum, eóque & in Patrem profluxerunt. Quare hinc nos discamus, tenendum esse firmum hoc fundamentum: Deum verè esse omnipotentem, & veracem: ac proinde quæcunque in Scripturis traduntur cùm aliis de rebus, tum maxime de Deo Patre, déque eius Filio & Spiritu S. ea verissima & certissima esse: nilque eorum, quæ tradunt sacræ literæ, impossibile esse apud Deum. Luc. 1. 37.

VI. Tertia causa, est execrabile nostrum in Filium Dei redemptorem ingrati animi crimen. Is cùm in forma Dei esset, h.e. verus Deus, nostra causa noluit in ea maiestate, in qua erat Patri æqualis, permanere: sed seipsum exinaniuit, forma serui assumta: & in omnibus, excepto peccato, sese ad humanas infirmitates accommodans, factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Phil.2.6. Propter hanc causam atque humilitatem Pater illum exaltauit: & dando, vt omne illi genu humilietur, ipsius etiam maiestatem ac deitatem toti orbi declarauit. At isti Antichristi contrà, hac Christi humilitate, ad quam sese nostra tantùm de causa deiecit, offensi: & in tantum benefactorem ingrati: non eum super omnia exaltant, sed è suo solio detrudunt, negantes eum verum esse & naturalem Dei Filium, eóque verum & vnum cum Patre Deum: ac proinde necesse inuocandum, nec pro Deo Israelis agnoscendum. Hæc est eorum, qui se Christianos profitentur, in Iesum Christum gratitudo. Quum apparebat in nube, in columna ignis, in variis aliis formis pop. Israelitico agnoscebatur pro Deo Israelis: Quis.n. tum apparebat, nisi Filius Dei? At nunc, quia immensum suum erga nos amorem ostensurus, sese ad vilissimam vsque deiecit conditionem, sumta & vnita sibi ὑποστατικῶς nostra carne, factúsque homo, nostri in omnibus infirmitatibus similis: idcircò à Iudæis primum, deinde à nobis contemtus non agnoscitur pro vero nostro Deo, & conditore, ac gubernatore, non secùs atque si illustrissimum aliquem principem idcircò nolumus agnoscere pro principe, quod pro sua clementia nimirum sese nostra causa deiiciat, ac nimis familiarem sese nobis exhibeat. Egregiam verò rependimus gratiam. Imò quia sese deiecit, & factus homo pro nobis mortuus est Christus, debet à nobis pro vero Deo, sicut pro vero seruatore agnosci. Quis enim promisit millies per Prophetas, se futurum nostrum seruatorem? Ille nimirum, qui etiam dicebat, se illum esse Iehouam, præter quem non est alius. Et quis suscepturus erat nostram carnem: peccata etiam in se nostra suscepturus: suo sanguine purgaturus: mortem destructurus: in altum ascensurus: captiuam ducturus captiuitatem: Spiritum S. super nos, & super omnem carnem effusurus: regnum suum per totum terrarum orbem ampliaturus; denique ad iudicandum mundum venturus? Ipse Iehoua, vt liquet in Prophetis. An non hic est Christus Iesus? Maximè: vt à nobis è scripturis demonstratum est. Itane igitur negandus est esse Filius Dei Deus, quia factus est homo, & mortuus est pro nobis? ô incredibilem hominum, non tantùm ingratitudinem, sed etiam cæcitatem. Ita se tamen habet res: nimirum quòd Christi humilitas atque benignitas occasio est reprobis eum pro Deo non agnoscendi, vt docet Paulus, 1.Cor.1.23. sed vera huius rei causa, est nobis innata in verum Seruatorem ingratitudo. Nos igitur contrà quàm faciant ingrati homines, exemplo Patris cœlestis, quò magis videmus Christum sese propter nostram salutem humiliasse, eò magis illum exaltare, & sicut verum Seruatorem: sic etiam verum Deum Iehouam esse confiteri debemus, Phil.2.9. quandoquidem fieri nequit, vt sit verus ille Seruator, qui apud Prophetas dicebat, se vnicum esse nostrum Seruatorem, quin etiam sit verus Iehoua. Quò spectat id, quod de Iehoua ait Dauid: Psal.130.8 *Et ipse redimet Israel ex omnib. iniquitatibus eius*: collatum cum illo, quod Apostolus de Christo scribit, eum sese dedisse pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, Tit.2.14.

VII. Quarta verò causa est contemtus Ecclesiæ Christi, è magna animi superbia, & ex nimia de nobis ipsis existimatione profectus. Facit.n. hæc superbia, vt instar gigantum nô vereamur bellum cum tota Ecclesia, Patribusque omnibus, quasi cum diis cœlestibus suscipere. Nam dogma quod nos aduersus Hæreticos defendimus, dogma est iam inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesia Christi, vno omnium fidelium consensu receptum à Patribus, magnis & longis côcertationibus aduersus Hæreticos defensum, in celeberrimis & probatissimis Conciliis confirmatum, apertisque & multis scripturarum testimoniis constabilitum per omnia secula, piis & doctissimis quibusque sine dubitatione comprobatum, denique nostris etiam temporibus, quibus doctrina omnis de religione, ad regulam verbi Dei diligenter fuit examinata, pro verissimo, certissimo, Christianóque dogmate ab omnibus eruditis & piis doctoribus agnitum atque receptum.

Quòd autem quis audeat, tam antiquo in Ecclesia, & per omnia secula constanti, semperque Scripturis aduersus hæreticos confirmato, ac proinde verè catholico dogmati bellum facere, an non apertissimum est superbi & gigantæi animi testimonium? Modestus certè spiritus nunquam bellum cum tota Ecclesia suscipere, & sese omnium piorum consensioni obiicere audebit. At (inquies) quid si plerique omnes in ipsa etiam errent Ecclesia? an non tum fuerit heroici potiùs viri, quàm superbi & arrogantis hominis, verbum Dei contra vniuersum mundum, etiam contra omnes Angelos tueri atque defendere? Quid ni? Sed quis adhuc probauit, totam fere Ecclesiam hanc in parte errasse? Testimonia certè multa & luculentissima scripturarum, quæ huc vsque ab orthodoxis Patribus, pro Deo, personis trino, & οὐσίᾳ vno, in medium contra hæreticos allata fuerunt: & adhuc etiam plura, diligentibúsque, quàm vnquam ante examinata, proferuntur: longe aliud testificantur, quàm Ecclesiam totam (vt quidam impudenter mentiuntur) in hac errasse doctrina, quàm immeritò etiam doctrinam vocant Antichristi. Imò contra, præter apertas Scripturas, & constantem Ecclesiæ consensionem, ipsa quoque mirabilia Dei iudicia in huiusce doctrinæ Ecclesiasticæ hostes, singulis temporib. patefacta, luce clariùs declarant, vtri in hac errent doctrina, ipsine, an nos. Vnde verò hæc istorum hominum audacia, qua contra antiquam Ecclesiæ doctrinam conantur conuulsos millies veterum hæreticorum errores denuò in mundum quasi postliminio reuocare: vnde (inquam) obsecro isthæc audacia, nisi à Spiritu Sathanæ tumido atque inflato, & aperto ac sempiterno Christi hoste? Nos igitur hinc discamus, non facile illi doctrinæ, in qua omnes Ecclesiæ, iam inde à primis temporibus constanter acquieuerunt, tanquam in illa doctrina, quæ aperta habeat in sacris literis testimonia, contradicendum esse, quòd hoc fieri non possit, nisi ab eo, qui præ se reliquos omnes, totamque Ecclesiam floccifaciat. Quid est autem contemnere Ecclesiam, nisi Christum? Est enim hic illius caput, Eph. 5.23. ita vt Ecclesia ipsa vocetur ab Apostolo Christus. 1.Cor.12.12. Ac proinde dixit Christus Apostolis: *Qui vos spernit, me spernit*. Luc.10.16.

VIII. Neque verò (vt ad quintam accedamus causam) paucis occasio fuit, atque est à veritate deficiendi, veræ ac solidæ Philosophiæ, bonarúmque & liberalium artium ignoratio, & contemtio. Etsi enim harum cognitio minimè ad viam salutis agnoscendam, & multò minus ad salutem consequendam, necessaria est: earundem tamen ignoratio non paruam præbere multis solet occasionem, in non minùs crassos, quàm perniciosos prolabendi errores.

Vnde enim in libris Hæreticorum tot sophismata & paralogismi, tot παράδοξα ἀσύστατα φλυαρίαι, pugnantia, contradictoria, nisi ex veræ Philosophiæ & Dialecticæ imperitia? Certe si periti essent Philosophia Seruetiani, non scriberent, λόγον & Spiritum sanctum, in Deo semper fuisse, non tanquam substantias seu personas, sed virtutes, & ἐνεργείας, quibus vsus est Deus tanquam manibus, in omnium rerum creatione: quum enim negent esse substantias, & dicant esse virtutes ac potentias, & ἐνεργείας Dei: quid aliud sibi volunt esse λόγον, ac Spiritum sanctum, quàm accidentia in Deo? Hoc verò quid sibi vult aliud, quàm Deum non esse Deum? Vera enim Philosophia docet, accidentia in Deo esse non posse, sed eum simplicissimam ac perfectissimam esse substantiam: sicut etiam in scripturis ipse sese vocauit ὁ ὢν & ὁ Iehouam. Exod.3.14 Ies.45.3. Aut igitur negandum est prorsus, esse in Deo λόγον, & Spiritum S. aut fatendum, vtrumque in Deo, eandem esse οὐσίαν, eoque verum esse Deum. Quid etiam absurdius dogmate Tritheitarum, Patrem, & Filium, Spiritum sanctum, tres esse distinctos, adeoque disiunctos à se inuicem Deos? Certe Philosophia nullo modo fert plures vno esse Deos, quòd plura nequeant esse vno principia: vnde reliqua sunt omnia, quæ cœli terræque ambitu continentur. Neque minùs ineptum est, quod horum quidam scribunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum, non vnitate essentiæ, sed indifferenti natura, non secùs atque gignens homo & genitus homo; vnum sunt natura & specie: duo autem essentia, quòd sua quisque subsistat essentia, sed eadem communicet natura: quasi verò sicut inter homines, sic etiam in Deo, diuina natura atque essentia, hoc est, deitas ipsa, realiter in plures sit diuisa: Logica autem ratione eadem sit in omnibus. Pugnat cum principiis Philosophiæ: Primæ causæ, hoc est, Dei naturam in plures diuidi posse, cùm sit simplicissima & perfectissima.

Neque certè Arius, si verus fuisset Philosophus, idcircò, negasset, τὸν λόγον genitum esse ex substantia Dei Patris, proptereà quòd quibus modis aliqua apud nos fit generatio seu productio, horum nullus in Deum cadere possit. Quasi verò legibus naturæ à se conditæ obnoxius sit Deus, & non alia, præter illos modos, quos in natura enumerabat Arius, ratione potuerit Deus Pater Filium e sua substantia generare. Imò cùm Deus extra suam essentiam e nihilo cuncta creârit, idque ratione nobis prorsus imperscrutabili:

tabili: Verus Philosophus euincit, multò magis eum potuisse in tra se e sua substantia, eam totam scilicet communicando, Filium sibi per omnia æqualē procreare, seu producere, ita vt propter vnitatem eiusdem indiuiduæ essentiæ vnus sit Filius cum Patre Deus. Nam si homo in tempore e sua substantia. Filium extra se gignit, partem suæ essentiæ illi communicando ota vi similitudine naturæ tam Filius, quam Pater sit homo, & ambo vnum sint specie: quid prohibet quin dicamus, Deum Patrem potuisse ab æterno e sua substantia totam eam communicando, Filium sibi intra se generare, qui propter vnitatem eiusdem plane essentiæ non alius esse possit à Patre Deus.

Ac certè dubitari non potest, ne à veris quidem Philosophis, quin Deus vestigia suæ Essentiæ, Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis in iis, quæ condidit, impresserit: præsertim verò in homine, quem Scripturæ ad imaginem Dei conditum scribunt. Gen.1.27. In hominib. autem duas spectamus productionum species: Vnam, quæ artis est, vt quum ex aliena materia aliquid per artem efformamus. Alteram, quam naturalem vocamus, vt quum è nostra substantia filios gignimus. Quid ni igitur possit inde effici vtramque etiam in Deo esse admittendam: sed longè præstantiorem, quàm sit in hominibus? præsertim quum artificialis productio, qua omnia e nihilo, vt artifex condidit Deus, quanta & qualis illa sit, videamus.

Est igitur rationi naturali consentaneum, productionem etiam naturalem, sed longè præstantissimam locum habere in Deo, qua nimirum Filium è sua essentia, non partem, sed totam eam communicando & eandem tamen totā sibi retinendo, naturaliter genuerit. An non Sol totam suam lucem naturaliter cum radio communicat, & tamen totam sibi etiam ipsè retinet? Imò certè ita totam eandémque cum radio communicat, & sibi retinet Sol, vt propter hanc vnitatem, imò ταυτότητα lucis, Sol & radius, non duo sint Soles, sed vnus Sol.

Addam & hoc e Philosophia ipsa desumtum, illúdque luculentissimum argumentum. Propositio est apud Philosophos certissima: Bonum sui ipsius [vt loquuntur] communicatum esse. Et videmus reipsa in natura, quò aliqua res est melior & perfectior, eò etiam illam liberaliùs & largiùs, se suámque virtutē & bonitatem communicare: Sicut etiam inter homines, quò quis excellentior est, potentior, nobilior, & melior, eò etiam est liberalior. Sic terra, sic arbores, sic aqua, sic ignis, sic animalia, sic cœli, sic astra, sic denique res omnes sese suasque vires semper communicant. Et quo res illæ sunt perfectiores, eò etiam liberaliùs, & se, & sua proferunt.

Est autem Deus summum & perfectum bonum, quo nil perfectiùs esse aut excogitari potest. Quidni igitur fateamur, perfectissimo etiam modo sese communicasse, & communicare? præsertim cùm hæc virtus sese communicandi, à Deo ipso insita sit rebus à se conditis?

Atqui perfectissima omnium communicatio est illa, qua quis totum seipsum, quantus quantus est, hoc est, totam suam, non partem, & eandem, non aliam essentiam, communicat. Nihil enim superest, quod possit communicari, si tota communicetur essentia. Ipsa igitur Philosophia, quæ à diligenti rerum naturalium, & earum principiorum ac causarum consideratione desumta est, apertè confirmat, quod Scriptura tradit, Deum Patrem è sua substantia Filii genuisse, totam nimirum & eandem suam essentiam, illi communicando.

Hæc si considerassent Ariani, non in tam fœdum errorem fuissent prolapsi, vt negarent Filium genitum esse ex Dei Patris substantia, ἐκ τῆς verò μὴ ὄντων eum esse contenderent. Neque illud tam ineptum effatuissent, fuisse, quando non erat λόγος, hoc est, Filium ideò posteriorem esse Patre, propterea quòd omne genitum, & omne factum, posterius est suo genitore, & factore. An non etiam hîc error ex ignorantia veræ Philosophię profectus est? Quasi verò Philosophia non doceat omnem quidem causam priorem esse suo effectu: sed aut tempore, aut natura, non autem semper tempore, sed semper natura, origine, ordine. An non radius e Sole genitus est? Num igitur Sol tempore prior fuit radio? Minimè verò.

Eadem Philosophia docet contra Sabellium, hoc minime pugnare cum vnitate Essentiæ, nempe tres distinctas inter se realiter personas, in vna subsistere Essentia. An non enim tres δυνάμεις ψυχικαὶ in vna subsistunt anima: vis intellectiua, motiua, & vegetatiua atque hæ quidem inter se realiter distinctæ? Neque tamen hinc consequi id, quod ab Hæreticis Tritheitis obiicitur, nimirum nos constituere quatuor Deos: vnum, ipsam Essentiam, in qua subsistunt personæ: & tres ipsas personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, eadem docet Philosophia. Neque enim anima Essentia quædam est à tribus suis essentialibus δυνάμεσι, differens: sed hæ facultates sunt ipsa anima, & ipsa anima nil aliud est, quàm suæ hæ facultates. Quid est enim nisi substantia vna spiritualis, qua homo viuit, sentit, intelligit?

Videmus etiam quàm absurda, ἀσύστατα, imò contradictoria idem scribant Tritheitæ, ex ignoratione Dialecticæ. Aiunt enim ex vna parte, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, esse tres Deos, & quidem tres Iehouas. Nam illud etiam citant ex Genesi 19. versicul. 24. *Pluit Iehoua à Iehoua*, hoc est, (vt interpretantur) Iehoua filius, à Iehoua Patre.

Altera tamen ex parte contendunt, omnia loca, tam veteris quàm noui Testamenti, vbi statuitur vnus tantum Deus & Iehoua, præter quem non sit alius, ea de solo Patre intelligenda esse, vt quum dicit, *Ego Iehoua, & præter me non est alius*. Ies.45.6. An non apertè scribūt contradictoria? Nam iuxta priorem propositionem: Filius est Iehoua, si tres sunt Iehouæ. Iuxta alteram propositionem: Filius non est Iehoua, si solus Pater est ille vnus Iehoua, præter quem Patrem non est alius Iehoua.

Neque valet exceptio: Pater est Iehoua, qui est αὐτόθεος, & de hoc intelliguntur Scripturæ de vno Iehoua. Et Filius est Iehoua, sed non αὐτόθεος: non valet, inquam, hæc exceptio, quia ille Iehoua, qui in Scripturis ait: *Ego Iehoua, & præter me non est alius*. Ies.45. 6. simpliciter excludit omnem alium Iehouam, præter se: non enim ait: Ego sum Iehoua αὐτόθεος, & præter me non est alius Iehoua αὐτόθεος: quasi verò innuat, præter se esse alium, aut alios Iehouas sed non αὐτόθεος.

Quare euadere non possunt, quin contradictoria scribant. Vnde verò hic tam crassus error? non solùm ex ignoratione Theologiæ & Scripturarum, sed etiam Dialecticæ.

Alios quoque penè innumeros errores in horum libris deprehendo, ex iisdem fontibus ortos: Nam certè ignoratio veræ Philosophiæ & liberalium artium, atque inprimis Dialecticæ, multis causa est multorum errorum, in iis etiam, quæ ad religionem pertinent, quemadmodum ipsa docet experientia.

Alioquin minimè dicimus, aut Philosophiam firma habere argumenta ad demonstranda illa, quæ nobis Scriptura credenda proponit: aut eius ignorationem impedimento cuipiam esse posse, quò minùs veram consequatur Theologiam, & in ea constanter perseueret. Hinc tamen nos discimus, studium Philosophiæ & Dialecticæ, reliquarumque artium liberalium, minimè esse contemnendum. Certe Apostolus de hoc Philosophiæ studio loquebatur, quum dixit, Rom.1.v. 20. *Inuisibilia per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus ac diuinitas.*

IX. Sexta causa maioris est momenti, quàm ignoratio Philosophiæ. Hæc autem est ignoratio Sanctarum Scripturarum, vnde postea sequitur earundem abusus. Hanc adfert Christus apud Matt. 22. v. 29. *Erratis nescientes Scripturas*, hoc est, quia nescitis Scripturas. Vnde verò hæc ignoratio? Multæ quidem sunt huius rei causæ, sed hæ, quæ ad propositum faciunt, sunt præcipuæ, nimirum, quòd non solùm plerique omnes, eas negligant legere, sed etiam quòd, qui ad earum accedunt lectionem, trifariam grauiter peccent.

Primo, quia in ipso ingressu non adferunt animum humilem, qui à Deo petat sapientiam, vt iubet Iacobus.1.5. neque docilem, qui nil aliud quærat, quàm à Deo doceri, sed adferunt animum superbum, & præiudiciis corruptum, hoc est, legunt Scripturas, non vt discant, sed vt opiniones aut à se conceptas, aut ab aliis acceptas, abusu sacrarum literarum, quo iure, quáve iniuria, mordicùs defendant.

Secundò, quia in ipso progressu, dum scilicet legunt Scripturas, non conferunt Scripturas cum Scripturis, obscuriores cum clarioribus, pauciores cum pluribus, neque eas etiam ad analogiam fidei, tāquam ad lapidem Lydium, hoc est, iuxta prima fidei principia, quæ in Apostolico symbolo continentur, examinant, aut interpretantur: sed potiùs quascunque possunt, eas ad sua commenta stabilienda contorquent.

Tertiò, grauissimè omnium peccant, quia etsi scopus omnium Scripturarum est Christus, ipsi tamen quiduis aliud quærunt in Scripturis, quàm Christum, & eius gloriam: Io.5.39 Rom.10.4. imò quærunt, vt Christum sua spolient maiestate & gloria dum alii (vt Sabellius, Samosatenus, Seruetus) negant eum fuisse quiddam subsistēs apud Patrem, sed meram fingunt fuisse ideam: alii (vt Arius) concedunt quidem λόγον fuisse rem subsistentem, sed Spiritum

quendam creatum esse contendunt, alij denique (vt Tritheitæ) concedunt quidem verbis Christum esse Deum: sed re vera Deum esse negant, dum eum negant illum esse vnicum Deum, qui in Scripturis sese solum adorari iussit, dum disiungunt à Patre, dum minorem esse Patre disputãt: denique dum inficiantur esse rerum omnium creatorem, & Deũ Israelis. Ita videmus omnes hæreses esse contra Christũ, nẽpe, aut contra eius deitatem, vt hæc de quibus iã loquimur: aut contra eius humanitatẽ, vt Manichæorũ, Apollinaris, & aliorũ: aut contra eius officium, vt Pelagianorum, & omniũ, qui alibi quàm in Christo salutem quærunt. Qui autem non quærit in Scripturis Christum, qui finis & scopus est Scripturarum omnium: sed potiùs ex ipsius verbo quærit, quò illius obscuret gloriam, qui potest scripturas intelligere? Idcircò docet Apostolus, ideò Iudæos non intelligere vetus Testamentum, sed habere cor obcæcatum, quia Christum nõ agnoscunt, nec quærunt, 2. Cor. 3. 13. &c. Vbi autem conuersum fuerit illorum cor ad Deum, hoc est, ad Christũ, tunc ablatum iri velamẽ, vt Scripturas intelligant. Et Christus ipse, *Scrutamini*, inquit, *Scripturas quia illæ testimoniũ perhibẽt de me.* Ioh. 5. 39. Itẽ; *Si crederetis Mosi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit.* Io. 5. 46. Lucas verò ait: *Incipiens à Mose & Prophetis interpretabatur illis Scripturas*, Lu. 24. 27. quibus scil. ostendebat se esse illũ, de quo Scripturæ omnes locutæ sint. In summa, qui in Scripturis non quærit Christũ, eiusque gloriã ac deitatem, is Scripturas intelligere nõ potest. Quid verò de illis, qui etiam in Scripturis venantur, si quid sit, quo possint Christum oppugnare, deitatẽ negare, officium extenuare? Hi certe non possunt non nisi in dies magis ac magis excæcari, & grauioribus implicari erroribus: Deo hanc iniuriam, suarumque Scripturarum abusum vlciscente. Ergo ex iis trib. præcipuis fontib. ignoratio Scripturarum proficiscitur. Sunt enim hæc tria ad veram Scripturarum intelligentiam consequendam pernecessaria.

Primò, Animus humilis atque docilis, hoc est, vt in hanc Scholam Spiritus S. ingrediamur, animo ab omni superbia, suiq; fiducia, atque ab omnibus præiudiciis vacuo: Et vt quę Spiritus S. docet, discamus, non autem, vt dictis aliquot ipsi ꝓ præceptoris ad nostra abutamur somnia.

Deinde diligens Scripturarum inter se collatio, & ad regulam fidei examinatio. Sunt enim Scripturæ per Scripturas interpretandæ, ita vt nullum admittamus sensum: qui cum aliis Scripturis, & cum principiis fidei non sit consentaneus.

Postremò, in Scripturis semper quæramus Christum, eiúsque gloriam, tanquam scopum & finem Scripturarum omnium. Qui enim habet Filium, habet & Patrẽ, & vtriusq; Spiritum. Et qui honorat Filium, honorat Patrem. 1. Ioa. 2. 23. Io. 5. 23. Qui secus fecerit, is in multos labatur errores necesse est, quia nunquam intelliget Scripturas. Et sic videmus vsu venisse hæreticis omnibus. Vnde enim tanta Scripturarum ignoratio, & deinde tot errores & blasphemiæ in mundo, quàm ex hoc fonte & orti sunt & aucti in immensum, nempe, quòd aut Scripturas non legerint: aut si legant primò non adferunt animum docilem, nec conferũt Scripturas cum Scripturis, nec denique in ærũt Christum? An non ex eodem fonte profluxit, & deinde mirifice excreuit Arij error: Christum, qui & sapientia & λόγος Patris appellatur, non esse Deum verum, sed Spiritum creatũ: Homo enim ambitiosus, posteaquam semel hanc in suo capite blasphemiam, colore disputationis accẽsus cõcepisset, & impudenter coram Alexandro Episcopo effutiuisset, cœpit porrò Scripturas euoluere, non animo certè, vt apparet ab effectis, cognoscendæ veritatis, sed sui erroris defendendi: neque quærebat Christum & eius gloriam, sed arma potiùs contra Christum. Idcircò non conferebat inter se Scripturas, sed quicquid occurrebat, quòd in suam torquere posset sententiam, illud ad suam blasphemiam stabiliendam pertrahebat. Legerat in libro Ecclesiast. & Prouerbiorum: Sapientiam, quæ est Christus, dixisse, se esse creatam ab initio. Eccl. 24. 14. Prouerb 8. 22. En igitur (inquiebat) Christum creaturam. Sed duo loca illa neque diligenter perpendit, neque cum aliis permultis & clarioribus contulit, in quibus luce clariùs Christus prædicatur genitus ex Patre, non autem factus; & verus esse Deus, non autem creatus Spiritus, & per hunc omnia esse facta, ita vt nihil sit factum, quod per ipsum non sit factum Io. 1. 3. Si hoc fecisset Arius, intellexisset τὸν λόγον seu sapientiam Dei Patris minime creatam fuisse, sed genitam ex Patris substantia. Legerat itidem Christũ dixisse, Patrem se esse maiorem Io. 14. 28. Non est igitur inferebat Christus Patri æqualis. Quare Deus non est. Sed debuisset locum hunc cum aliis conferre, vbi apertè sese æqualem asserit Patri, se & Patrem vnum esse, eiusdem potẽtiæ ac deitatis, quicquid habet Pater suum esse, Iohã. 5. 17. & 10. 30. & 16. 15. & quæ iis similia scripserunt Apostoli, vt cum esset in forma Dei, hoc est verus Deus, cum non cogitasse hanc rapinam, vt scilicet maneret in ea æqualitate cum Patre: sed (ad tempus) sese exinaniuisse, hoc est (illam suam maiestatem in qua æqualis erat Patri) ad tẽpus quasi deposuisse Phil. 2. 6. Quomodo? Forma scilicet serui sumta, hoc est, factum hominem sub lege, factúmque obedientem vsque ad mortem. Tum certe intellexisset Arius verum quoque sensum illorum verborum, Ascendo ad Patrem, quia Pater maior me est: Patrem scilicet non esse maiorem Filio, deitate, quæ vna atque eadem est vtriusque, sed aliis rationibus, vt postea à Patribus agnitum, explicatúmque fuit, & nos paulò post referemus. Quia igitur neque legit scripturas animo docili, & cognoscendæ veritatis causa, neque illas inter se contulit, neque ad principia fidei, quæ in Apostolico Symbolo continentur, examinauit, in tam blasphemum pertit errore. Idem accidit Sabellio & iis, qui eum sequuti sunt. Si enim loca, vbi vnus tantùm Deus prædicatur, diligenter & accurate contulissent, cũ illis, vbi disertissimè scribitur, Patrem, Filium, & Spiritum S. esse tres, & Filium esse à Patre genitũ, húncque à Patre missum, factúmq; hominem, non autem Patrem: & Spiritum sanctum à Patre & à Filio procedere, & per Filium à Patre missum, & alia id genus loca, non certè propter vnitatem deitatis & essentiæ negàsset personarum distinctionem. Contrà Tritheitæ non negarent, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum tantùm esse Deum, si loca de distinctione personarum conferrẽt cum locis de vno Deo solo adorand , colendo, inuocando. Intelligerent Christũ aut nõ esse Deũ adorandũ, inuocãdum, colendum, quod cum scripturis aperte pugnare & blasphemum esse norunt: aut, esse vnum cum Patre Deum, propter eandem simplicissimam & impartibilem in vtroque & in Spiritu sancto deitatem. Ergo quia homines isti aut non legunt scripturas, aut si ad earum lectionem se conferunt, neque sese humiliant Deo, vt ab eo petant sapientiã. Iac. 1. 5. neque animum adferunt docilem & præiudiciis vacuum neque scripturas cum scripturis conferunt, & iuxta analogiam fidei interpretantur: nec denique in scripturis quærunt Christum, & gloriam Christi, sed potiùs scripturis abutuntur contra Christum: idcircò fit, vt ignorantes scripturas in multos, eósq; fœdissimos & blasphemos prolabantur errores, inque illis pereant pertinaces. Nobis igitur danda est opera, vt contrà, quàm isti faciunt, nos geramus in legendis sacris literis, atque inprimis vt adferamus animum humilem, docilem, Christi amãtem, gloriæ illius cupidum; & veritatis sitientem.

X. Septima tantorum errorum malorumque causa reiectio est bonæ conscientiæ, cum hypocrisi tamen plerumque coniuncta. Hanc adfert Apostolus ad Timoth. I. 1. 19. scribens, *Retine fidem*, (id est, sanam fidei doctrinam) *& bonam conscientiam.* Cõiungit verámque, quia nec bonam conscientiam habere possumus sine sana fidei doctrina, neque doctrinam sanã retinere sine bona cõscientia: ideò subiicit: *qua* (bona conscientia) *repulsa, quidam naufragium fidei fecerunt.* Est enim doctrina cœlestis, diuinus, & pretiosissimus thesaurus. Hunc igitur vult seruari Deus in loco mũdo, hoc est, in bona conscientia. Quare si quis, repulsa bona cõsciẽtia, malam assumat, & immundum gestet animum, superbiæ, odij, auaritiæ, scelerúmque plenum, tametsi externe aliquam simulet sanctitatem, interim tamen Deus nõ feret, vt tam pretiosus Thesaurus in tam turpi seruetur conscientia. Solet enim Deus hosce hypocritas, qui bonam non curant conscientiam, cumprimis hoc spirituali flagello punire, nimirum, Spiritu vertiginis, mendacij, erroris, in varias hæreses, opera Sathanæ, illos præcipites dando, idque vt pij inde cognoscant, huiuscemodi homines, meros fuisse hypocritas, sine conscientia & sine timore Dei. Non enim facturos fuisse naufragium fidei & sanæ doctrinæ, si bonam habuissent & retinuissent conscientiam: manifestum est inde, quia Deus cum bona cõscientia, vt Apostolus docet, Fidem etiã in suis seruat Electis. Quare dubitare non possumus, quin omnes hi blasphemi Hæretici pessimam secum ferant conscientiam, & bonam longè etiam ante, quàm apertum fecissent naufragium Fidei, repulerint. Exempla aliquot adferre possem in medium, & ea quidem non ex veterib. Historiis, sed quæ nostris cõtigerunt temporibus. Verùm multis qui, cùm adhuc viuant, & resipiscere possint, parcere volo. Danda verò nobis opera est, vt iuxta præceptum Apostoli seruemus bonam conscientiam, si velimus etiam in fide seruari.

XI. Octaua ac postrema est, quia tanquam reprobi, & ad interitum destinati, Sathanæ hostis Christi, & Patris mendacij, Spiritu ducuntur: Electi enim aguntur à Spiritu Dei, qui eos non sinit in perpetuum seduci. Rom. 8. 14.

Repro-

Reprobis autem Euangelium est velatum: iis (inquit Apostolus) qui pereunt, 2. Cor. 4.3. Et quia dilectionem veritatis non receperunt, Deus immittit Spiritum erroris vt credant mendacio, 2. Thess. 2. 10. Sicut igitur Electi reguntur à Spiritu Dei, sic reprobi aguntur à Spiritu Diaboli, cuius sunt mancipia. Ac proinde, sicut Diabolus non stetit in veritate, sed factus est pater mendacij: sic eius mancipia, reprobi, non possunt non odisse veritatem; & tueri mendacia. Et sicut Sathan ab initio insidiatur Christo: sic eius membra hæretici contra Christum semper pugnant, & eius Spiritum. Et sicut Diabolus abusus est scripturis in deserto contra Christum, idem etiam non possunt non facere Antichristi, Sathanæ membra. Spiritus igitur Sathanæ in suis reprobis causa est, cur ij à veritate ad hæreses deficiant. Debemus igitur nos rogare Deum Patrem, vt posteaquam elegit & vocauit nos εἰς τὴν κοινωνίαν Filij sui, suo etiam Spiritu sancto regat, nec sinat nostras mentes à Spiritu Sathanæ occupari, quo possimus constanter in finem vsque in sana doctrina perseuerare. Deinde debemus confidere, Deum hoc in nobis facturũ, quippe qui promisit se exauditurum electos, nec permissurum vt seducantur, & pereant. Postremò tamen non debemus otiari, sed freti ope Iesu Christi, dare operam, vt veritatem ad finem vsq; contra omnes Diabolos tueamur. Atque hæc de causis hæreticis satis. Harum autem cognitio triplicem nobis adfert vtilitatem. Primùm, hoc facit, vt agnoscamus quanta sit Dei prouidentia, qui ipsas quoque hæreses opera Sathanæ excitatas, iam inde ab æterno præordinauit & disposuit ad sui gloriam, ad maiorem veritatis confirmationem, ad probationem Electorum, ad discretionem reproborum, denique ad salutem nostrã. Deinde huc spectat, vt cognitas has causas, quæ in hominibus resident, euitemus, & iis euitatis, in ipsas hæreses non prolabamur. Scimus enim, sublatis causis, tolli etiam effecta, & impeditis illis, impediri etiam hæc. Postremò vtile est ad agnoscẽdum, quales sint Hæretici: tales præsertim, qui fundamentum ipsum Ecclesiæ & salutis, quod est Christus cum suo Spiritu, conuellere conantur: nempe, reprobos esse, à Spiritu Sathanæ agitatos, hostes Christi, ad iudicium & interitum præordinatos, ac proinde fugiendos esse, vt docet Spiritus S. per Prophetas atque Apostolos: Nam qui tangit picem, inquinabitur ab ea, Eccle. 31.

## CAPVT II.

### De Paralogismis, quos ferè admittunt Hæretici, quum aduersus hanc de Trinitate doctrinam disserunt.

NVNC quibus potissimùm vtantur Paralogismis hæretici, in hac contra sanam doctrinam de Trinitate, pugna: Breuiter indicandum est, vt inde etiam nos, quibus vtendum sit armis ad depellenda & retorquenda illorum tela, faciliùs intelligamus. Dimidia enim pars victoriæ est, non tam singula sophismata, quàm sedes sophismatum omnium, quibus vtuntur Aduersarij, nouisse. Ad quam rem vtilissimam nobis præbuit operam Aristoteles: imò Deus per Aristotelem, in libris, de Sophisticis Elenchis. Hæc igitur summa retinenda est semper ante oculos, quum sumus cum hostibus congressuri. Primùm obseruanda est argumenti forma: deinde eiusdem materia, si quid in eis insit fallaciæ aut erroris: omnis enim Paralogismus, seu fallacia Syllogismi, aut admittitur in forma, aut in materia. In forma, cùm argumentum ita formatur, vt ex præmissis non sequatur conclusio. Agnoscitur autem hoc vitium ab illis, qui regulas, quib. formanda sint argumenta, à Philosophis traditas, norunt. Vt quum, exempli causa, argumentum ex solis componitur negatiuis. Debet enim semper aliqua præmissarum esse affirmatiua, aut quum ex solis constat particularibus. Debet enim semper altera saltem præmissarum esse vniuersalis: aut si ex pluribus conflatum fit, quàm ex tribus terminis argumentum. Tres enim tantùm termini debent esse in syllogismo: aut quum ex præmissa particulari, colligitur conclusio vniuersalis, id quod vocant à non distributo ad distributum. Debet enim conclusio semper esse particularis, si altera præmissarum est particularis: aut negatiua, si altera propositionum sit negatiua, quia conclusio semper sequitur debiliorem partem præmissarum: aut quum à genere ad speciem argumentantur affirmando: aut contra quum à specie ad genus negando. Denique quũ ita contra regulas à Dialecticis traditas formatur argumentum, vt conclusio, ἀνάγκην non habeat ex præmissis: Ideò hanc fallaciam vocant τὸν παρὰ τὴν ἄγνοιαν ἔλεγχον: alij, fallaciam ex ignoratione Elenchi. In hac parte non parum, & non vno modo peccant Aduersarij, vel vt imperiti Dialecticæ, vel etiam fortè ex malitia, vt imponant. Hoc videbimus in ipsorum argumentorum refutationibus. Sunt autem talia argumenta refutanda negatione consequentiæ, & cur ea non consequatur, ostendendum. Materiam vocant ipsas propositiones, quibus constat syllogismus. In ipsis autem propositionibus duo spectanda sunt: Primùm, voces & loquutiones. Secundò, res ipsæ per propositiones significatæ, tam subiecta & prædicata, quàm ipsorum subiectorum & prædicatorum connexiones. Propter voces & loquutiones possunt propositiones esse ambiguæ: ideò tunc vtendum est distinctione. Propter res ipsas possunt propositiones esse falsæ, aut absurdæ, vt res significata per prædicatum, non conueniat subiecto, & si definitio sit falsa, partitio vitiosa, aut causa impropria pro propria vsurpetur, aut opposita non apte conferantur. Tunc igitur vtendum est negatione. Ideò Aristoteles duos constituit modos Sophisticorum Elenchorum: alios vocat παρὰ τὴν λέξιν, in ipsa dictione, hoc est, in verbis & loquutionibus. Alios ἔξω τῆς λέξεως, extra dictionem, nempe in rebus ipsis. Et in dictione quidẽ collocat sex paralogismorum species: ὁμωνυμίαν, ἀμφιβολίαν, σύνθεσιν, διαίρεσιν, προσῳδίαν, & ignorationem figuræ dictionis: quem paralogismum vocat Aristoteles, ὅταν τὸ μὴ ταὐτὸ ὡσαύτως ἑρμηνεύηται; oritur enim ex ignoratione linguarum, hebraismorum, ἑλληνισμῶν, & latinitatis. Extra dictionem septem enumerat, nempe, fallaciam accidentis, vt quum, exempli gratia, vna propositio κατηγορίαν habet οὐσίας: altera verò accidentalem, & tamen in conclusione, quod accidentis erat, de substantia prædicatur. 2. A dicto secundum quid ad dictum simpliciter, quam Aristoteles vocat ὁ παρὰ τὸ ἁπλῶς τόδε, ἢ πῇ, καὶ μὴ κυρίως. 3. A non causa ad causam. Aristoteles, παρὰ τὸ μὴ αἴτιον, ὡς αἴτιον vocat. 4. Petitionẽ principij, siue nugationem. 5. Plures interrogationes vt vnam. 6. Fall. vitiosi consequẽtis. Et 7. ignorationem Elenchi: quanquam ij duo postremi potiùs pertinent ad formam, quàm ad materiam syllogismi. Hæc summa Elenchorum sophisticorum retinenda est studiosis, quum disputandum est, & iis regulis videndum, quibusnam in rebus paralogizent aduersarij: in formáne, an in materia. Et si in materia, an in dictione, hoc est, tam in singulis vocibus, quàm in tota propositione; an verò extra dictionẽ in rebus ipsis, iuxta illas fallaciarum species, quas ex Aristotele enumerauimus. Hæc pauca ex Aristotele delibasse operę pretium duxi, vt iam faciliùs videamus, quinam ex istis potissimùm paralogismi admittantur ab Aduersariis, in argumentationibus contra doctrinam de Trinitate. Omnia enim illorum argumenta esse paralogismos, seu sophismata, dubitari non potest, cùm falsum concludant.

II. Vt igitur ad rem veniamus, hi cumprimis paralogismi in hæreticorum argumentationibus obseruantur, tum in dictione, tum extra dictionem. Eorum qui fiunt in dictione, primus ac frequentissimus est ὁμωνυμία. Nomina enim quæ in hac vsurpantur controuersia, non vnius sunt significationis, ὑφιστάμενον, persona, substãtia, essentia, Deus, Pater, Filius, Spiritus, vnus & vnum, Trinus & tres, solus, ὁμοούσιος, gignere, ἀγέννητος seu ἀγένητον εἶναι, αἴτιον εἶναι, principium, & alia nonnulla, vt videbimus suo loco. Exempli causa: Seruetus negat, τὸν λόγον, & Spiritum S. esse personas, ac proinde fingit, τὸν λόγον esse ideam; Spiritum, Dei virtutem & ἐνέργειαν; Ratio, quoniam, (inquit) persona significat qualitatem & officium; in Deo autem non sunt fingendæ tales personarum qualitates. Sed non intellexit nebulo personæ nomine significari etiam substantiam ratione præditam. Sabellius quoque eundem admisit paralogismum, quum ideò negauit esse tres personas, quia persona significat substantiam ratione preditam, indiuiduam, & ab alia separatam, vt apud nos; Deus autem simplex est & vna substantia seu οὐσία. Sed neq; is nouit, personæ nomen, quatenus substãtiam significat, bifariam accipi; Primùm pro substantia vna, ab alia non tam distincta, quàm etiam seiuncta, vt sunt homines inter se; deinde pro substantia vna, ab alia quidem quoad subsistendi modum distincta, sed nequaquam quoad essentiam diuisa atque diuersa, & tales dicimus esse personas in Deo, vti etiam sunt essentiales animæ facultates in anima. Alia non affero exempla breuitatis causa, sed suo quæque loco videbimus.

Secundus, isque etiam frequentissimus est ἀμφιβολία, quum scilicet argumentantur ex scripturarum locis, qui multiplicem possunt habere sensum, ipsi verò hæretici illum arripiunt, qui neque cum aliis scripturis, neque cum analogia fidei est consentaneus. Vt verbi gratia, quum probant solum Patrem ideò esse illum vnum Deum, quem prædicant scri-

pturæ,&extra quem non est alius Deus,quia dixit Christus. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum*, Io. 17. 3. Ἀμφιβολία est in his verbis.Potest enim illud τὸν μόνον referri ad subiectum,id est, ad Patrem, vt sit sensus: Patrem esse verum Deum, vel ad prædicatum; vt sit sensus: Patrem esse illum Deum verum,qui solus & vnus est. Hic alter sensus,& meliùs conuenit cum structura verborum, & consentaneus est cum aliis sacris lit s.Neque enim propterea negatur filius esse verus illeDeus,qui solus &vnus est,quia hoc ibi affirmatur de Patre; id quod etiam Thomas Aquinas obseruauit contra gentil.lib.4.c.8. Deinde etiamsi admittatur prima lectio, potest tamen bifariam intelligi, nempe, aut solum Patrem ita esse verum Deum,vt excludatur Filius & Spiritus sanctus:Sed hic sensus cum aliis scripturis non congruit. Aut, vt alia tantùm omnia quæ non sunt eiusdem cum Patre essentiæ,negentur esse Deus. Atque hic sensus cum aliis scripturis pulchrè conuenit. In huiusmodi igitur argumentis, quæ ex locis scripturarum aliquo modo ambiguis, contra alios scripturarum apertos locos concludunt,videmus inesse fallaciam ἀμφιβολίας.

Tertius est, Compositionis, quum scilicet coniungunt in oratione, quæ sunt distinguenda, vt verbi gratia, quum probant,ideò solum Patrem esse Deum verum,quia in Symbolo legimus. Credo in vnum Deum Patrem. Hic enim coniungunt nomen Patris cum nomine Dei, nullámque interponunt distinctionem inter Dei, & Patris nomen,cùm tamen distinctè ita legendum esse videatur, vt primò dicatur in genere:*Credo in Deum*,posteà verò per personas,quasi per partes explicetur, quis sit iste Deus,nempe,Pater,Filius & Spiritus S.Hi enim tres Elohim sunt ceu partes non totales,sed essentiales,τοῦ Iehouæ.

Quartus Diuisionis,quum diuiungunt quæ sunt coniungenda: vt quum eludunt locum,quo probamus, Christum esse Deum magnum,in epist.adTitum,τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν χριστοῦ: commate tantùm posito inter θεοῦ, & , καὶ σωτῆρος, & vtrunque prædicatum coniungentes cum eodem subiecto, ἰησοῦ χριστοῦ. Tit.2.13. Illi verò colon interponunt, & nomine Dei intelligunt Patrem:de Christo autem nomen tantum σωτῆρος prædicari volunt. Hic certè diuidunt, quæ diuidi non possunt, nec phrasis græca ferre potest hanc diuisionem, quum non sequatur articulus, καὶ τοῦ σωτῆρος ἰησοῦ χριστοῦ.Est etiam nonnunquam videre in horũ argumentis paralogismum, qui oritur ex ignoratione figuræ dictionis,hoc est, ex ignorantia hebraismorum scripturæ sanctæ, vt verbi gratia, quum probant Tritheitæ, ideò Patrem & Filium esse duos Iehouas, quia scriptum est in Gen. *Pluit Iehoua à Iehoua*,Gen.19.24. Paralogismus hic oritur inde, quòd non intelligunt hoc hebraismo significari Deum immediatè per se ipsum extra ordinem naturæ, exerto è cœlis brachio sulphur & ignem supra illas ciuitates copiosè misisse:quasi dicat Moses, Iehoua à seipso per seipsum. Deinde etiamsi daremus cum Patribus,Iehouã, id est, Filium pluisse à Iehoua, id est,à Patre: tamen inde non sequeretur,esse igitur duos Iehouas. Est enim consuetudo sacrarum literarum, vt Iehouam à Iehoua vocent personam,quæ est Iehoua, ab alia persona distincta, quæ etiam est Iehoua. Itaque erit etiam fallacia ex ignoratione figuræ dictionis. Idem contingit in aliis non paucis scripturæ locis, vbi hebraismi ab aduersariis non intelliguntur,ac proinde malè ex locis perperam intellectis, ratiocinantur. Hi sunt paralogismi in dictione positi, & quidem frequentissimi,in hac disputatione de Trinitate.

III. Extra dictionem quoque hos maximè vsurpant paralogismos: Primus est, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, vt quum ex eo, quòd Pater aliquando solus nominatur & dicitur Deus, præsertim vbi fit mentio Filij,& Filius ipse nõ appellatur Deus:inde inferunt, solum Patrem esse verum Deum, vt quum ex loco Apostoli, *Nobis vnus est Deus,qui est Pater*, 1.Cor.8.6. inferunt, non igitur filius est Deus.Præter alios paralogismos,est etiam hic, & in aliis similibus locis, paralogismus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Damus enim Patrem sæpe solùm appellari Deum, verùm non simpliciter, sed secundum quid, hoc est, κατ' ἀρχὴν & principaliter, quia is solus est talis Deus, qui etiam sit principium totius deitatis in Filio, & Spiritu S. Deus enim simpliciter non est Pater solus, sed Pater & Filius simul, ac Spiritus sanctus, inseparabiles à se inuicem, quando omnes simul vna sunt, & eadem essentia. Sic in argumento inde deducto, quòd Christus vocatur Filius Dei, vnquam aiunt: Si Deus nil aliud est quàm vna & æterna οὐσία, & hæc οὐσία nil aliud est, quàm ipse Pater,Filius, & Spiritus sanctus. Ergo si Christus est Filius Dei,consequitur eum esse Filium non solùm Patris,sed etiam sui ipsius & Spiritus sancti. Hic præter alias fallacias, est etiam paralogismus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim Christus Filius est Dei,ita simpliciter appellati: sed Filius est Dei secundum quid dicti,hoc est, Patris. Qui enim simpliciter Deus dicitur, est Pater,Filius,Spiritus sanctus,vna & eadem essentia. Christus autem dicitur, & est Filius Dei, respectu tantùm Patris.

Secundus Paralogismus quoque, qui dicitur non causa vt causa, non raro inuenitur in argumentationibus aduersariorum.Vt in argumentis ductis à proprietatibus personarum ad essentiam, quale hoc est: Solus Pater est ἀγέννητος. Ergo solus est verus Deus. Hic præterquam quod admittitur paralogismus ὁμωνυμίας, in dictione ἀγέννητος, vt paulò pòst videbimus; est etiam fallacia non causæ vt causæ. Causa etiam cur Pater sit Deus, non est proprietas ipsa personalis ἀγεννησία,sed essentia diuina. Proprietas enim constituit personarum distinctionem, vt ἀγεννησία Patrem, γέννησις Filium, ἐκπόρευσις Spiritum sanctum. Sed ipsa essentia constituit(vt ita loquar) Deum. Ac proinde si quis velit probare, solum Patrem esse Deum, probandum illi primò fuerit, in solo Patre esse diuinam οὐσίαν. Idem dico de ἀρχῇ & αἰτίᾳ. Item omnibus in locis, in quibus Scripturæ mentionem faciunt Patris & Filij, & Patrem solum vocant Deum,Filium verò non ita, sed Dominum aut Christum,vt 1.Corinth.6.8.Iohan.3.17.Si quis inde inferat, vt Ariani: Christum igitur, aut Apostolum voluisse concludere, solum Patrem esse Deum, fallaciam admittit non causæ vt causæ. Causa enim, cur sic loquuti sint Dominus Iesus & Apostolus, in locis suprà citatis non fuit, vt significarent solum Patrem, excluso Filio,esse Deum: sicut etiam causa, cu ibidem Filium solum vocent Dominum, non fuit vt ab hac dominatione excluderent Patrem, sed causa fuit, vt ostenderent nullum eorum, qui à Gentib. habentur pro Diis & Dominis,esse Deum aut Dominum: sed Patrem, qui est omnium auctor creaturarum,esse Deum, à quo non separatur Filius, & Spiritus S. qui vnà cum Patre omnia condiderunt. Et vnum tantùm esse Dominum Iesum Christum, à quo non excluditur Pater, nec Spiritus, vnumque tantùm esse Mediatorem, qui est Christus. Haud infrequens est hic paralogismus in argumentationibus Hæreticorum.

Tertius est paralogismus, qui ducitur ex ignoratione Elenchi,nempe quum ipsa conclusio non habet ex præmissis necessariam ἀκολουθίαν. Atque hic frequentissimus est & longe ac latè patet. Ad hunc enim referuntur omnes alij paralogismi,tàm quando peccatur in forma, quàm quando peccatur in materia: & tàm illi qui in dictione, quàm qui extra dictionem admittuntur. Si enim vitium aliquod fit in præmissis, conclusio semper est ἀσυλλόγιστος, quia non habet necessariam ex illis sequelam. Omnis autem vitiosa & infirma argumentatio,ignoratio est Elenchi, nam Elenchus firmam significat probationem. Proinde ignoratio Elenchi est,ceu locus communis, ad quem omnes fallaciæ reuocari possunt. Et sic Aristoteles scriptum reliquit,omnes superiores fallaciarum modos ad hoc caput referri posse. Speciatim verò ad hanc fallaciam refert Aristoteles vitiosas & ambiguas oppositiones. Vitiosæ autem oppositiones sunt, quum pugnantia non conferuntur ad idem, secundum idẽ, similiter,& secundum idem tempus: ac proinde quæ videntur pugnantia esse,sed non sunt propter diuersos respectus, quibus possunt considerari. Omnis enim contradictio fit respectu eiusdem,& eodem tempore.

Exempla adfero huius paralogismi in argumentationibus nostrorum aduersariorum in hac doctrina de Trinitate.

Si Christus(inquiunt)est vnus cum Patre Deus, non est minor Patre,nec Pater maior Filio. Non enim potest idem Deus esse minor seipso aut maior.

At Christus minor est Patre,ait enim, *Ascendo ad Patrem meum,quia Pater maior me est*,Io.14.28.

Ergo Christus non est vnus cum Patre Deus,quia hæc inter se sunt pugnantia, Christum esse minorem & non minorem Patre.

Fallacia hæc est ex ignoratione Elenchi. Non enim verè inter se pugnant,Christum esse minorem, & non minorem Patre, si diuersi considerentur respectus, & diuersæ naturæ in Christo. Quà homo, certè minor est Patre: item quà Mediator: sed quà Deus, non est Patre minor. Si eodem respectu, & secundùm eandem naturam diceretur minor & non minor,verè de eodem pugnantia, & contradictoria affirmarentur,quia omnis contradictio fit respectu eiusdem, & eodem tempore. Sed cùm ista pugnantia non dicantur de Christo secundum idem: idcircò non sunt verè pugnantia: proinde fallacia admittitur, quæ ignoratio Elen-

tio Elenchi dicitur. Item: si Deus est vnus (inquiunt) non est igitur Trinus, seu, non sunt tres, Pater, Filius, Spiritus s. & non vnus Deus, quæ aperta est contradictio. Neque hic vlla est contradictio, quia hæc non dicuntur secundum idem, & eodem respectu. Essentia enim vnus tantùm est Deus, & hic est Pater, Filius, Spiritus sanctus: personis autem seu secundum diuersos subsistendi modos, qui sunt ἀσυγχύτως esse, esse ἀτρέπτως, & ἀδιαιρέτως: tres sunt Pater, Filius, Spiritus sanctus. Ergo hæc fallacia frequentissima & in argumentationibus hæreticorum, & tùc maxime admittitur, quum sibi videntur nos deduxisse ad absurda & contradictoria, seu quouis modo pugnantia, quum reuera non sit pugnantia. Atque huc speciatim pertinent omnia argumenta, quæ extra verbum Dei à solis Philosophiæ, aut aliarum artium principiis ducuntur, qualia multa erant Arij, & Eunomij sophismata, vt apud Patres videre est. Et qualia sũt omnia Turcarum, & aliorum infidelium argumenta: Nam ex multis quidem naturæ principiis confirmari possunt ea, quæ scripturæ de Deo tradunt: sed ex illis solis nulla est firma probatio, aduersus ea quæ in sacris literis reuelantur. Quare in hujusmodi argumentis omnibus semper admittitur paralogismus hic, qui ex ignoratione Elenchi ducitur.

IIII. Nunc tenemus alterum caput horum προλεγομένων, nempe ad qualnam sedes omnes aduersariorum paralogismi aduersus sanam doctrinam de Trinitate, referri possint ac debeant. Hoc autem nosse est multò vtilius, & magis necessarium, quàm multis forte prima fronte videatur. Hac enim ratione: Primò citius & facilius possumus videre aduersariorum fallacias, dum tenemus, ad aliquam harum sedum omnes esse referendas. Deinde non cogimur mente huc atque illuc, inuestigandarum responsionum gratia, euagari, sed ex ipsis fallaciarum sedibus quodammodo responsiones nobis suppeditantur, præsertim si teneamus regulas, quibus in vnaquaque fallaciarum sede vtendum est. Si enim verbi gratia, teneamus varias & multiplices significationes earum vocum, nominum & verborum, quæ in hoc genere doctrinæ, de qua disputatur, vsurpari solẽt, habebimus quid mox respondendum sit ad sophismata, quæ ad ὁμωνυμίας pertinent. Atque ita de reliquis. Nunc igitur ad tertium caput horum προλεγομένων veniendum est, in quo explicãdæ nobis sunt præcipuæ & generales aliquot regulæ, quibus vtendũ nobis est in fallaciis cùm dignoscendis, tum refellendis.

## CAPVT III.

### Aduersus fallaciam ὁμωνυμίας diuersorũ nominum, & verborum ambiguorum explicatio.

ADVERSVS ὁμωνυμίας tenenda sunt multiplicia horum nominum & verborum, quæ sequuntur, significata. Diximus enim, si in præmissis sit ambiguitas, sicut semper est in ὁμωνυμίᾳ, diluenda esse argumenta distinctionibus. Primum autem nomen, quod vsurpatur in hac disputatione, est nomen Dei & Iehouæ. Nobis igitur huius nominis significata, quantùm scilicet ad hanc pertinet disputationem, cognoscenda sunt.

Nomen Deus, aliquando ponitur indefinitè, & ita accipitur ἀπολύτως, seu (vt alij) simpliciter, hoc est, pro essentia diuina, quæ est numen, à quo, per quem, in quo, seu, quæ est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Atque ita accipitur in omnibus illis locis, vbi non contrahitur & definitur hoc nomẽ, vel per expressum nomen Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti, vel per aliquã illius loci circumstantiam. Hoc verò frequentissimum est in sacris literis: tam veteris quàm noui Testamenti, vt apud Matthæum, *Dominum Deum tuum adorabis*, Mat. 4. 10. Multò verò magis, cùm tales adeuntur circumstantiæ, quibus ipsæ quoque personæ indicantur, vt ad Romanos 13. ver. 14 *Quis cognouit mentem Domini*? id est, Dei: *Nam ex eo, & per eum & in ipsum sunt omnia.*

His enim particulis nomẽ Dei essentialiter accipi pro tota diuina essentia, quæ est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, apertè indicat Apostolus. Ita Iohannes postquã dixisset, *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, ὁ λόγος, & Spiritus sanctus*: 1. Ioh. 5 7. Postea dixit. *Testimoniũ Dei maius est*. Hic certè non potest accipi nomen Dei, nisi essentialiter pro ipsa diuina essentia, quæ est Pater λόγος, & Spiritus sanctus. Hoc est primum ac principale significatum.

Alterum significatum quũ ponitur definitè, capitur personaliter, seu, vt alij loquũtur, secundum quid, hoc est, secũdum certam proprietatem, qua certa indicatur persona, quæ est Deus, vt modò persona Patris tantùm, modò persona tantùm Filij, modò persona tantùm Spiritus sancti. Et hoc vbicunque nomen Dei ad certam aliquam Personam, vel expresso, vel per περιφραστικῶς indicato nomine, aut Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti contrahitur, vt *Λόγος erat apud Deum*, hoc est, apud Patrem Deũ. Ioha. 1. 1. Personaliter enim & definitè pro persona Patris vt accipiatur, cogit loci circũstantia, quia distinguit τὸν λόγον à nomine Dei, apud quem erat: Non distinguitur autẽ ab essentia diuina, quæ est Deus simpliciter, & indefinitè. Ac proinde mox subdit, *& ille Λόγος erat Deus*, nempe non minùs quàm Pater, apud quem erat, & est. Significare enim voluit Iohannes, tam Λόγον quàm Patrem verum esse Deum, vt postea in Epistola explicauit, 1. Ioh. 5. 7.

Tertium significatum est, quum principaliter, & κατ' ἐξοχὴν, de Patris persona prædicatur. Etsi enim hoc nomen DEVS, ex æquo de Patre, de Filio, & de Spiritu sancto prædicatur, quia ex æquo illorum quisque est Deus, tamen principaliter, κατ' ἐξοχὴν, hoc nomine sæpe significatur Pater, nempe quatenus ipse prima persona ordine, à nullo originem trahens. Ipse autem origo existens & Filij & Spiritus sancti, fonsque & principium totius deitatis, imò rerum omnium. Etenim hoc est illud ipsũ, quod principaliter significat nomẽ Iehouæ & Dei. Significat enim illum, qui à nullo sit, & à quo sint omnia, ac proinde qui principatum inter omnia teneat. Hic autem est Pater, quia ab ipso primùm sunt, Filius, & Spiritus sanctus, duo coæterna principia: deinde ab hoc eodem Patre per Filium & Spiritum sanctum creata sunt, & conseruantur omnia. Postremò Pater est ille, qui per Filium, & per Spiritum sanctum Ecclesiam colligit, vocat, iustificat, sanctificat, regit, exaudit, & tandem glorificabit: denique est ille, qui principaliter omnia agit, licet per Filium, & per Spiritum sanctũ, tanquam per duo principia à se producta ὁμοούσια καὶ ὁμοαίωνα. Hoc idem apparet ex locis Scripturarum, vbi κατ' ἐξοχὴν quandam Pater præ Filio & Spiritu sancto appellatur Deus, imò Deus Christi nominatur: *Ascendo ad Deum meũ & Deũ vestrum*. Io. 20. 17 Ephe. 1. v 3. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi ὁ θεὸς καὶ πατὴρ*. Ita 2. Cor. 1. v. 5 *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*. Et Christus ipse ait, Patrem suũ esse illum Deum, qui est vnicus & verus. Io. 17 3. Ex iis omnibus locis apertè colligitur, Patrem κατ' ἐξοχὴν, eoque principaliter præ Filio, & Spiritu sancto appellari Deum, idque quia à nullo est, & ipse est fõs atque origo omnium, tam Filij & Spiritus sancti, quàm rerum conditarum. Et sic exponi potest Symbolum; *Credo in Deum Patrem creatorem, &c.* Quia is κατ' ἐξοχὴν est Deus & creator: Nam licet, vt dixi ex æquo hoc nomen Dei & Iehouæ prædicetur de singulis personis, quia vna est eademque omnium deitas, atque essentia: tamen quia Pater à nullo est & ab ipso tanquam omnium fonte & origine est Filius: deinde à Patre simul & à Filio Spiritus sãct. Idcircò iuxta ordinem quem indicat Scriptura, nempe originis, nomẽ hoc prædicatur priùs de Patre: deinde Filio, & demùm de Spiritu sancto. Atque hæc mihi videtur esse causa, cur, quum mentio fit Patris & Filij, ibi solet Pater nominari Deus, non autem Filius, quanquam Filius à deitate nunquam excluditur. Ratio est quia hoc nomen Deus, priùs de Patre prædicatur, quàm de filio. Sicut etiam, quum de corpore solari & radio simul, loquimur, soliti sumus nomine Solis appellare ipsum corpus solare, non autem radium, cùm tamen etiam radium seorsim vocemus Solem; prius enim & principaliter de corpore solari prædicatur Solis nomen: posteriùs autem & secundariò de ipso radio. Et hæc eadẽ est causa cur in Scripturis Pater sæpiùs, quàm Filius, vocatur Deus, & sæpiùs Filius, quàm Spiritus sanctus. Ex iis tribus porrò significatis suppeditatur nobis copiosa materia ad varia sophismata respõdendi, & multas quæstiones explicandi, vt ad omnia argumenta Sabellij, quibus conatur concludere vnam tantùm esse personam & Deum, & negat alias duas personas, quòd scilicet sequeretur, esse tres Deos: ὁμωνυμία admittitur in nomine Dei. Iuxta primam significationem docemus etiam nos, vnum esse Deum, nempe essentialiter & simpliciter: sed hunc dicimus esse Patrem, Filium, Spiritum sanctum. At iuxta secundam significationem non sic docemus. Sic ad omnia argumenta Tritheitarum, nempe esse tres Deos, non vnum tantùm: ex hac distinctione suppeditatur nobis responsio. Tres ergò sunt iuxta alteram significationem, nempe ὑποστατικῶς, & personaliter non autem iuxta primam. Et sic Patres dixêre, Deum de Deo, nimirum ὑποστατικῶς nomen Dei accipiẽtes. Sic ad argumenta Arij, solum Patrem esse verum Deum, ex hac eadem distinctione respondemus. Damus iuxta tertiam significationem, hoc est, principaliter & κατ' ἐξοχὴν quandam, quod dicit. Pater enim solus est principaliter Deus, quia fons est totius deitatis, & rerum omnium. Atque hinc

Patet responsio ad quæstionem, cur Christus omnia referre ad Patrem, & hunc solum semper appellare soleret Deum? Quia hunc nouerat esse solum Deum principaliter, hoc est, fontem & originem omnium, totiúsque Deitatis. Item hinc patet responsio ad alteram quæstionem, quænam differentia sit inter has locutiones Scripturę, Deus est Pater, & Pater est Deus. Itē Deus est Filius, & Filius est Deus. In prima vbi Deus est subiectū, essentialiter capitur, & est sensus: Essētia diuina est Pater ipse, & Filius ipse: & Spiritus sanctus ipse. In altera, vbi Deus est prædicatū, personaliter capitur, & quidem secundum prius & posterius originis. Et sensus est: Pater est Deus non simpliciter, sed ingenitus, & principaliter: Filius est Deus, non simpliciter, sed Deus genitus. Atque hæc tria significata propria sunt nominis Dei & Iehouæ significata: Primò quando indefinite ponitur, pro essentia capitur. Secundò, quando definitè de aliqua prędicatur persona. Tertiò quando accipitur κατ' ἐξοχὴν & principaliter pro Patre. Et ista propriè spectant ad præsentem disputationem. Aliquando verò hoc nomen, Deus & Iehoua, transfertur ad creaturas, ad Angelos, ad homines, ad res etiam inanimas, vt ad Arcam, ad vrbem Hierosolymorum, idque impropriè, & non vnam ob causam, sed aut propter [illegible] quod sunt Dei, vt Iudices & Reges, aut [illegible] ...ola sint prę[sen]tiæ Dei, vt Arca. Hæc est prima regula de ὁμωνυμίᾳ nominis Dei.

II. Secūdo loco vsurpātur hęc nomina, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Sunt autem & hæc ὁμώνυμα. Pater ergo cùm de Deo dicitur, trifariā accipitur. Primò, pro Patre Christi, seu τοῦ λόγου. Hoc sensu prima dūtaxat persona est Pater. Ita quū Christus suū nominat Patrem, hunc intelligit. Secundò pro Patre omnium electorum, hoc est, omniū eorum, quos sibi delegit & adoptauit in filios, vere etiam regenuit. Hoc sensu, tam Filius ac Spiritus sanctus, quàm Pater Christi, Pater noster est. Opus enim electionis & regenerationis nō est solius patris Christi, sed [&] Filij & Spiritus sancti. Scriptura enim docet indefinite, Deum nos elegisse & regenerasse. Quāquam principaliter pater Christi, noster quoque est pater. Quia nos ipse per Filium & Spiritum sanctū elegit & regenerauit, & ab ipso est omnis paternitas. Ideò Filius, Pater æternitatis, id est, æternus, appellatur. Iesa.9.6. Et sic intelligo illud ad Ephe.4.6. *Vnus est Deus, & Pater omniū*, scilicet electorum & regeneratorū. Quare quum etiam inuocamus Deum, dicentes: *Pater noster qui es in cælis*: immediate quidem, & principaliter patrem Christi, qui etiam est noster pater, inuocamus, sed cum hoc ipsum quoque Filium & Spiritum sanctum inuocamus & nomine Patris significamus.

Tertiò pro patre omnium creaturarum accipitur in Scripturis. Hoc sensu tam Filius & Spiritus sanctus, quàm Christi pater, Pater sunt noster, & omnium rerum conditarum: significat enim Pater, auctorem. Vnde apud Iobū legimus: *Quis est pluuiæ pater? de cuius vtero egressa est glacies?* Iob.38.28. Auctor autem rerum omnium non tam pater Christi est, quàm & Filius, & Spiritus sanctus, vt antea ostēdimus, quanquā pater Christi principaliter & κατ' ἐξοχὴν. Pater & creator omnium dicitur. Sic Iesa. accepit: *Nunc tu Domine es Pater noster, nos lutum tuum, tu figulus noster, nos omnes sumus opus manuum tuarū*. Iesa.64.8. Et ad Hebr.12.6. Deus in genere vocatur pater Spirituū, id est, animarū. Sic apud Iesa.57.16. *Animam ego feci.* Deinde quatenus hoc nomen Patris accipitur pro patre ipsius Christi, bifariam capitur. Primò, vt est pater τοῦ λόγου æterni. Ita est Filius patri coæternus & ὁμοούσιος, vt apud Ioh. *Deus misit Filium suum in mundum*: & ita Filius vnigenitus patris Filius vocatur. Io.3.16. Secundo capitur vt est pater Christi, quatenus Christus vt homo cōceptus è Spiritu sancto, Filius Dei Patris appellatur, vt apud Lucam, *Filius Altissimi vocabitur, id quod nascetur ex te.* Luc.1.35. Hac nominis huius distinctione ad multas fallacias, quę ex ὁμωνυμίᾳ nascuntur, responderi facilè potest, vt, *Vnus est Deus, qui est Pater omniū* Eph.4.6. Solus igitur Pater est Deus. Primū hîc ὁμωνυμία est. Non enim dicit, pater Christi, sed pater omnium, Pater autem omnium est nō solùm persona Patris, sed etiam Filius & Spiritus sanctus. Deinde etiamsi personā patris intelligas, tamen est alia ὁμωνυμία. Est enim pater Christi, pater etiam omnium nempe principaliter.

Nomen FILII significat primò filium naturalem, deinde adoptiuum. Filius autem naturalis duplex est. Vnus, qui ita ex patris natura & substantia nascitur, vt partem substantiæ illius, non autem totam accipiat. Tales nos sumus ex nostris parentibus nati. Alter, qui ita ex patris est substantia, vt eandem & totam in se habet. Talis est Christus, quà λόγος est. Hoc enim Filij naturalis nomen, quatenus de Christo dicitur, trifariam accipi solet. Primò quatenus Christus est ex substantia patris genitus: sic Filius est patri ὁμοούσιος tanquam ὁ λόγος, & vnigenitus. Secundò, quatenus ex substantia quidē matris vt homo conceptus est, sed hoc virtute Altissimi, h.e. Patris. Et postremò propter gratiā vnitionis, vt vocāt, qua factū est, vt cū diuino λόγῳ vnita sit ὑποστατικῶς humana natura. Ita Christus nō est ὁμοούσιος patri, imò ita minor est patre, ita ascendit ad patrē, ita vocat patrē, nēpe, vt homo, vt mediator, vt Filius Dei Patris per gratiā Hypostaticæ vnitionis. Λόγου itē & σοφίας nomē bifariā capitur. Primò, pro re creata & dono Dei in hominibus. Sic Iac.1.v.5. Secūdò, pro re substātiali & persona. Sic Prou.8 v.22. Ioh.1.v.1. Is enim λόγος factus est homo, id est, carnem assumsit. Spiritus itē sanctus bifariā accipitur: Primo, pro virtute Dei, dono scilicet, actione ἐνεργείᾳ que Dei. Sic nō est in Deo, vt somniāt Seruetiani. Esset enim accidens in Deo, quod est impiissimū cogitare, sed est in piis hominibus, in quibus operatur Deus. Secundo, pro virtute substātiali, iudicio & volūtate prędita, hoc est, pro tertia persona. Sic dicimus Spiritum sanctū esse in cœlo, esse in Deo, eoq; Deum verum in Deo vero. Io.3.7.1. Cor.2.12. Ergo quū Aduersarij contendunt Spiritum sanctum nō esse verū Deū, quia est virtus Dei in electis operans, peccant ὁμωνυμίᾳ. Spiritus enim sanctus significat etiam personam subsistentem.

III. Tertio loco occurrunt duo nomina maximi momenti VNVS & TRES, quæ & ipsa sunt ὁμώνυμα. Maximæ enim fallaciæ admittuntur in iis duobus nominibus, VNVM & MVLTA. Vt quum dicimus vnum esse Deum, tribus personis distinctum, & tres personas esse vnum Deum. Videndū igitur quot modis aliquid dicatur, & sit vnum: deinde quot modis vnum possit esse multa. Principiò autem illud statuēdum est, quum in Scripturis Deus dicitur esse vnus, hoc intelligendum esse modo omniū perfectissimo. Quis autem sit modus perfectissimus, quo aliquid possit dici vnum, inuestigandum est in ipsa natura. Et dum hoc facimus, non facimus præter verbum Dei. Nam Apostolus non improbat hāc rationem, quum ait, Rom.1.20. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Vtar autem in hac inquisitione Aristotelis opera atque iudicio. Magnum enim certè fuit ingenium Aristotelis, & ipse diligentissimus fuit rerum naturalium perscrutator. Is itaque Metaphys. lib.4.ca.6. inquirit ποσαχῶς ἓν λέγεται. Ac quum ostendisset, alia esse, & dici, vnum per accidens, alia per se: postea eorum, qui dicuntur vnum per se, tradit in summa modos sex, quorum vnus perfectior est altero.

1. Vnum κατὰ τὸ συνεχὲς, id est, continuo.
2. Vnum κατὰ τὸ ὑποκείμενον, id est, subiecto.
3. Vnum κατὰ τὸ γένος, id est, genere.
4. Vnum κατὰ τὸ εἶδος, id est, specie.
5. κατὰ τὸν λόγον, τὸν τί ἦν εἶναι λέγοντα: hoc est, definitione, quæ explicat quod quid est. Atque hi quinque modi imperfecti sunt, perfectissimus est sextus: nempe ille, quo aliquid simplici & indiuisibili essentia vnum est. Hoc enim assumit principiū, quod est vera VNIVS definitio. Eatenus aliquid est vnū, quatenus est indiuisibile. Proinde quantò minùs aliquid est diuisibile, eò etiam magis est vnum. Exempla. In quātitate continua punctus est vnum, quia indiuisibilis. In quantitate discreta: vnitas. Quid enim indiuisibilius vnitate? In genere substātiæ: substantia immaterialis, vt est anima. Hęc.n. diuidi non potest, sicut substantia corporea, & materialis. Hic igitur est modus perfectissimus in natura, quo aliquid est vere verū: nempe illo quo aliquid est omnino ἀδιαίρετον. Si igitur sit aliquid, quod sua essentia seu substātia nullo prorsus modo diuidi possit, illud erit omninò ἀδιαίρετον: illud fuerit verè & perfectissimè vnū. Talis autem Deus: vnus est: quia simplicissimus, & immensus. Verè igitur Deus vnus est οὐσίᾳ. Quare non potest Deus esse, & dici vnus, aliquo illorum superiorum modorum, qui sunt imperfecti, sed hoc tantùm postremo, qui perfectissimus est, nempe, quo ita est vnus essentia sua simplicissima: vt nullo modo possint esse plures essentia Dij. Atq; hic est modus, quo ipsemet Deus in Scripturis docet, se vnū esse. Quod enim per Mosen dixit: *Audi Israel, Iehoua Deus noster, Iehoua, vnus est*: Deut.6.4. illud explicat per Iesaiam, quonam modo sit vnus: nempe, vnica, æterna & indiuisibili essentia. Et hoc facit, quum ait, *Ante me non est Iehoua, & post me nō erit.* Item, *Ego primus & ego nouissimus: & præter me non est Iehoua.* Ies.43.10. & 44.6. Iehoua enim essentiam significat. Has autem particulis exclusiuis, præter me, & extra me, excludit omnem aliam, à se vno, essentiam. Docet igitur, se ita esse vnum essentia, seu vnam essentiam, vt non possint esse plures essentia, pluresve essentiæ. Quū igitur nomē *vnum* sit ὁμώνυμον & hoc abutantur Hæretici aduersus sanā doctrinam de vera Dei vnitate, tenenda sunt hęc varia VNIVS significata, quibus illorum sophismata & ὁμωνυμίαι refelli possint: vt ostendendum est, Deum esse Vnum, modo omnium perfectissimo. Ex iis autem facilè etiā est videre, quot modis aliquid vnum possit esse & dici MVLTA, ac proinde quomodo Deus sit vnum, nempe οὐσίᾳ: & tamen etiam

etiam multa, sed alia ratione. Nam aliud principium retinendum est: Nihil esse & dici vnum, ac multa, respectu eiusdem, & secundum idem, quia aperta foret contradictio, esse vnum, & non esse vnum. Proinde neque Deus, qui est summa veritas, & in quem non potest cadere contradictio, potest esse vnum & multa, respectu eiusdem, & secundum idem. Quare si Deus vnus est simplicissima & indiuisibili essentia, vt Scriptura docet, consequitur nullo modo posse plures esse essentia Deos, vt hinc appareat, quàm stultum sit dogma Tritheitarum, de tribus essentia & numero Diis. Deus igitur vnus non potest esse plures, vt illa quæ sunt vnum genere, plura autem sunt specie: neque ita, vt quæ sunt vnum specie, plura autem sunt indiuiduis, essentia & numero differentibus: neque eo modo, quo illa, quæ vnum quidé sunt continuo, plura verò partibus integralibus, in quas secari continuum potest: nec denique ita vnum, vt quę sunt vnum subiecto, plura verò sunt substantia & accidentibus. Quis igitur est modus ille, quo Deus vnus cùm sit numero, est etiam Trinus? Illum, qui est vnus Deus, esse etiam tres, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, suprà est demonstratum e Scripturis. Quomodo sit vnus, iam est explicatum. Modus, quo hic Deus vnus sit etiã Tres, dici à nobis potest è Scripturis: explicari verò ita vt perfecte intelligatur, non potest, propterea quòd nullum simile in terra reperiri potest, quo mod⁹ ille plenè explicetur. Ergo è Scripturis sic respondemus: Deus qui vnus est τῇ οὐσίᾳ, quia est ὁ ὤν & Iehoua: Trinus est ὑποστάσει, (vt hac voce vtitur Apostolus) Heb. 1. 3. quia reuera tres sunt ὑποστάσεις, eadé οὐσίᾳ subsistétes: vt suprà visum est. Ac si liceat vocibus vti Philosophicis, & Philosophice respódere sic quoque responderi posse iudicam⁹: Deus est vnus, vt totum essentiale, spiritualissimum, & simplicissimũ, atque prorsus ἀδιαίρετον. Et plures est, suis ceu partibus essencialibus, sed ipsi [illegible]issimis, & perfectissimis, inter se quidem realiter, & τῷ εἶναι distinctis, minime auté disiunctis. Et ab essentia quidem seu οὐσίᾳ differentibus τῷ λόγῳ, hoc est, ratione & (vt Scholastici loquuntur) formaliter: sed quę re ipsa seu τῷ εἶναι nihil aliud sunt, quàm ipsa essentia. En breuem & Philosophicam responsioné. Si liceat etiam explicationis gratia, vti similibus à natura sumptis, modũ hunc quo Deus est vnum & plura, vtcunque explico, simili ab ea natura sumto, qua nihil magis ad similitudiné Dei factũ esse legimus: nempe ab anima, cuiusuis hominis. Anima cuiusq; hominis vna tantùm est οὐσίᾳ & numero: vt etiam Aristoteles docuit. Eadem tamen est multa: suis essentialibus δυνάμεσι, seu facultatibus, nempe vi intelligendi, vi sentiendi, vi vegetandi τῷ εἶναι quidé, hoc est, realiter inter se distinctis: sed minimé disiunctis. Et ab οὐσίᾳ quidé animæ τῷ λόγῳ, hoc est, ratione differentibus: sed quæ reapse seu τῷ εἶναι, nihil aliud sũt, quã ipsa anima, qua anima, homo intelligit, séti, viuit: atque ita nihil aliud sunt reapse facultates animæ, quàm anima: vt & anima, quæ est totum essentiale, de singulis suis partibus prædicetur, & vicissim partes animæ, tam singulæ quàm vniuersæ, de anima ipsa prædicentur. Sicut enim recté dicimus. Vis in homine intelligendi, est anima qua homo intelligit: & vis sentiendi est anima qua homo sentit: ita vere dicimus, anima est vis, qua homo intelligit, sétit, viuit. En speculũ quoddã, in quo vicũq; contéplari licet, quonam modo Deus, & vnus sit esséntia indiuisibili, ac proinde vere vnus, & idé tamé sit plures, suis ceu essentialibus partibus, népe ὑποστάσεσι seu personis, Patre, Filio, Spiritu sancto: qui simul nihil aliud sunt quàm ipsa Dei essentia seu Deus, & ipsa essentia nihil aliud est, quàm ipsi tres, Pater, Filius, Spiritus sanctus.

Multi igitur cùm sint modi, quo aliquid possit dici vnũ, & multa: tenédus est ille, quo Deus verè vnus est & multa. Et aduersus Hæreticorum sophismata, respondendum est distinctione variorum significatorum, tum vocis VNVM, tum vocis MVLTA.

IV. PERSONAE quoque nomé πολυώνυμον est. Trifariã enim capitur, Primò: pro qualitate, externaque facie: *Personã hominis non accipis*, Ma. 22. 16. Secũdò, pro substãtia, seu pro re per se subsistente, indiuidua, ratione & voluntate prędita, sed finita: Vti est quiuis homo, & quiuis Spiritus creatus. Ita vna persona, ab altera nõ tam distincta, quã etiam disiũcta est: ac proinde diuersæ inter se sunt substantiæ licet vnius naturę. Tertiò capitur pro substantia per se quidem subsistente; indiuidua, ratione & voluntate prędita: sed infinita & immensa.

Tales sunt personę in Deo Pater, Filius, Spiritus sanctus. Ita vna persona ab altera distincta quidé est: sed disiũcta esse nõ potest. Ac proinde eiusdé sunt non solũ naturę, vt multi homines: sed etiã eiusdé essentiæ. Imo in eadem ita subsistũt essentia: vt reapse nihil aliud sint, quàm ipsa essentia: vti paulò ante simili animę, & eius facultatũ essétialiũ declaratũ est.

Essétia, seu οὐσία bifariã vsurpatur. Primò, pro naturą, multis differentibus numero, communicabili. Vt natura humana in multis est hominibus, qui numero, ac proinde veré sua quisque οὐσίᾳ, inter se differunt. Talis non est οὐσία diuina: quia simplicissima & immensa est.

Secundo: pro substantia spirituali, simplici, indiuisibili, vereq; vna: in qua, ceu ἐν τῷ ὅλῳ ὅλη, partes eius essentiales subsistunt, vti est cuiusque hominis anima. Est enim anima ceu totum quoddam suis facultatibus tanquam partibus essentialibus constans: quemadmodum etiam doctissimi tradiderunt Philosophi. Huic similis est essentia diuina.

Falluntur igitur Hæretici, qui οὐσίαν ad Patrem restringũt, & pro Patre accipiunt: cùm essentia diuina tribus ceu partibus essentialibus constet, Patre, Filio, Spiritu sancto: deque singulis prædicetur.

Hinc liquet etiam ὁμοούσιον bifariã capi. Primò: qui cũ alio eiusdé est οὐσίας, hoc est, naturæ, sed separatæ, & numero ali⁹: is est illi ὁμοούσιος, vt homo homini ὁμοούσιος est. Secundò: qui non solùm eiusdem est οὐσίας: sed eadem cum alio subsistit οὐσίᾳ, ac minimé est extra alterius οὐσίαν: illi est ὁμοούσιος. Vt vna animæ facultas, alij facultati est ὁμοούσιος: quia inseparabiliter eadem subsistunt essentia, & vna sua οὐσίᾳ non est extra alterius οὐσίαν. Ita Pater, Filius, Spiritus sanctus inter se sunt ὁμοούσιοι: quia & eiusdem sunt οὐσίας & vnus, sua οὐσίᾳ non est extra alterius οὐσίαν separatus. Hinc etiam patefit sensus duarum locutionũ, quarũ prima est, quid sit personas esse inter se distinctas: Altera, quid sit eaidé in vna essentia esse vnitas.

Distinctio igitur personarum duplex est. Prima: nõ hypostatica tantum, sed etiam essentialis. Ea est, quũ personæ ita sunt distinctæ, vt illarũ etiã essentię seu substãtię sint diuisę. Sic homines inter se distincti sũt: nõ sic autè personę diuinę.

Secunda: hypostatica dũtaxat: quum scilicet personæ quidem sunt distinctæ τῷ εἶναι & realiter, ita vt vna non prædicetur de altera: sed οὐσίᾳ minime sunt inter se diuisæ. Sicut facultates animæ inter se sunt distinctæ ὑποστατικῶς, & τῷ εἶναι ita vt vna non sit alia: sed minimè differunt οὐσιωδῶς quia earum essentia sit immaterialis & spiritualis, & idcirco ἀδιαίρετος: ac proinde vere vna numero.

Talem etiam, quanquam excellentiorem, personarum diuinarum distinctionem docet Ecclesia Christi: Ergo quum Tritheitæ à distinctione personarum argumentantur: & cõtendunt tres esse Deos essentialiter distinctos: admittũt hũc paralogismum ὁμωνυμίας. Ea autem est diluenda, hac duplici vocis significatione. Quod si excipiant, non igitur vere esse personas, si non sint ita distinctæ, sicut & homines inter se sunt distincti: nempe essentialiter: Pro responsione tenenda est hæc quoque alia distinctio. Personæ substãtialis propriũ & essentiale, quo sc. aliquis ratione præditus vera est persona, ab alia vere distincta: duplex est. Primũ est: vt vna persona, de nulla alia prædicetur: vt, Petrus non prædicatur de Paulo, cùm Petrus non sit Paulus. Alterum: vt nulli alteri tãquam subiecto insit: sicut accidentia suis insunt subiectis: sed seipsa sit τὸ ὄν, hoc ipsum quod est. Sicut Petrus in nullo tanquam in subiecto inest: sed seipso est id quod est.

Et tales etiam sũt facultates animæ. Atque hæc duo habent, personæ illæ diuinæ. Primùm enim, vna non prædicatur de alia: non enim dicimus, Patrem esse Filium. Deinde, vna non est in alia, vt in subiecto: sunt enim substantia, non accidentia. Idcirco cùm dicitur Pater esse in Filio, & Filius in Patre: hoc non ita est intelligendũ, quasi alter sit in altero κατὰ συμβεβηκός: sed οὐσιωδῶς, quatenus scilicet eadem est vtriusque essentia: & eadem vterque subsistit.

Veræ igitur sunt personæ, & vere distinctæ: tametsi non sint essentialiter à se inuicem diuisæ. Nam hoc tertiũ, quod in nostris spectatur personis, nempe quòd simus essentialiter inter nos distincti, eóque diuisi: ad naturam personæ seu ὑποστάσεως non pertinet: nec illi est essentiale: sed ex accidenti. Hoc enim nobis accidit propter materiam: & quia sumus finiti: Quare distinctio hæc essentialis, seu diuisio, minimè potest esse impedimento, quin personæ diuinæ verè sint inter se distinctæ veræque personæ.

Hinc liquet alterum, de personarum vnione in vna essétia. Esse igitur personas in vna οὐσίᾳ, multifariam potest intelligi. Aut sicut accidentia, sunt in subiecto. Aut sicut forma, est in materia. Aut sicut partes integrales, in suo toto, vt membra in corpore. Aut sicut vna substantia in alia substantia, vt Cochlea, in sua testa. At nullo horum modorum, docemus e Scripturis, personas esse in essentia.

Itaque intelligi alio modo potest: nempe quemadmodum partes essentiales animæ, in anima, tanquam ἐν τῷ ὅλῳ ὅλη, esse dicuntur: Hoc autem nil aliud est, quàm facultates animæ ab ipsa anima, minimè esse τῇ οὐσίᾳ differentes: sed ita omnes vna & eadem animæ οὐσίᾳ subsistere, vt sint ipsa anima atque οὐσία.

Hoc verò demũ sésu docet Ecclesia, ex verbo Dei, perso-

nas diuinis in vna subsistere essentia, quòd reapse nil aliud sit ea æterna οὐσία quàm ipsæ personæ, & personæ nil aliud, quàm οὐσία: Ac proinde quod sit vnus & idem Deus. Ergo quum ab hac locutione sophisticantur Hæretici, nos quatuor constituere Deos: diluendum est sophisma explicatione huius ὁμωνυμίας.

Hinc patebit etiam ὁμωνυμία, nominis Alius, vt alius Deus. Alius bifariam dicitur, οὐσιωδῶς & ὑποστατικῶς. οὐσιωδῶς dicitur alius, qui est alius ab alterius οὐσία, vt homo vnus, alius est ab alio homine, non solùm ὑποστατικῶς sed etiã οὐσιωδῶς: quia Vnus est extra alterius essentiam & personam. Idcirco is non solùm dicitur esse alia persona sed etiam alius homo.

Hoc modo Filius non est alius à Patre Deus, quia non est extra Patris essentiam: sed in Patre, hoc est, in Patris οὐσίᾳ: ideò verè est ὁμοούσιος Patri. Sic facultas vna animę, intellectiua, nõ est alia οὐσιωδῶς ab altera, puta à sensitiua: idque propterea quòd non est extra essentiam intellectiuæ: nẽpe, extra animam quæ est omnium οὐσία.

Ὑποστατικῶς tantùm dicitur alius, qui est alius à persona alterius, hoc est, diuersæ ab illo personæ, quanquã non diuersæ essentiæ. Sicut facultas vna animę alia est ὑποστατικῶς ab altera facultate: vna enim facultas non est alia facultas.

Hoc sensu Pater dici potest esse alius Deus à Filio, & Filius alius à Patre Deus, & ita de Spiritu sancto nẽpe ὑποστατικῶς. Hoc autem perinde est ac si dicas, Pater est alia persona, quę est Deus, à Persona Filij, quæ est Deus. Et sic intelligendi sunt Patres, Iustinus in dialogo, & Tertul. contra Praxeam: quum præter Patrem alium etiam Deũ, in Scripturis nobis tradi docent.

V. Solus & Vnus, bifariam vsurpari possunt, exclusiuè & inclusiuè: Exclusiue quidẽ quatenus omnes alij, vel alia ab eo, de quo est sermo, excluduntur, vt: *Nemo bonus* (per se, & verè, & simpliciter) *nisi solus Deus*, Luc. 18. 19. Quatenus scilicet nomen Dei, totam diuinam significat essentiam: Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Ab hac igitur perfectissima bonitate excluduntur omnes creaturæ. Itẽ: *Vnus Mediator*, hoc est, vnicus *qui est Christus*. 1. Ti. 2. 5. Ita, *Ego Iehoua, & preter me non est Deus*: vel Seruator, id est, ego solus. Ies. 43. 10. Item Solus Pater genuit Filium, excluditur enim Spiritus Sãctus, & omnes creaturæ. Inclusiuè verò quatenus in ea re, de qua agitur includuntur omnes illi, qui separari ab eo, de quo est sermo, non possunt: Vt solus Christus est mundi Seruator inclusiuè. In negotio enim nostræ salutis includũtur cum Filio Pater & Spiritus sanctus, vt veri Seruatores mundi, excludi enim non possunt. Item: *Vnus*, id est, vnicus, *Dominus est Iesus Christus*, 1. Cor. 8. 6. Hic non potest excludi Pater aut Spiritus sanctus: sunt enim cum Filio verus Dominus. Sic illi loci exponendi sunt, vbi Pater solus & vnus Deus appellatur, vt Iohan. 17. vers. 3. 1. Cor. 8. v. 6. Si enim nomen Dei accipias οὐσιωδῶς, non possunt excludi Filius & Spiritus sanctus, quia sunt Patri ὁμοούσιοι. Sed reliqua tantùm omnia, quę non sunt ὁμοούσια Patri, excluduntur. Si verò nomen Dei accipias principaliter, & κατ᾽ ἐξοχὴν, excluduntur etiam Filius & Spiritus S. quia solus Pater fons est totius Deitatis. Idem dico, si nomen accipias personaliter & ὑποστατικῶς, nempe inhibita cuiusque proprietate, quæ sunt ἀγεννησία, γέννησις, & ἐκπόρευσις. Solus enim Pater est Deus, sed ἀγέννητος. Solus Filius est Deus, sed γεννητός. Solus Spiritus sanctus est Deus, sed ἐκπορευτός. Itẽ solus pater est Deus, id est, is solus est Deus pater: Filius enim non est Deus pater. Ergo iuxta significationem; quã nomẽ Dei, quod prędicatur, accipis: Sic etiam nomina Vnus & Solus accipienda sunt, nempe vel exclusiue, vel inclusiuè.

VI. Gignere triplici explico distinctione. Prima distinctione trifariam capitur, φυσικῶς atque σωματικῶς, vt omnia solẽt animalia. In Deum talis non cadit generatio, non enim hæc fit sine motu, corruptione, tempore. Atque ita parens sẽper est prior genito, non solùm natura, sed etiam tempore. Sic Christus, quã homo est genitus ex Maria virgine. Deinde ὑπερφυσικῶς, καὶ πνευματικῶς, vt quum Deus Pater dicitur genuisse Filium. Hoc enim nihil aliud est, quàm suam totam & eandem prorsus οὐσίαν, citra vllum motum, vllam passionem aut alterationem, per modum, quem scriptura vocat generationem, communicando, Filium sibi ab ęterno ὁμοούσιον, καὶ ὁμοφυῆ procreasse. Atque huius incorruptibilis, & spiritualis generationis similitudines aliquot licet in natura spectare. In igne, qui se totum citra diminutionem communicat, dũ ex illo alius gignitur ignis. In luce cãdelæ, quæ se totam sine vlla sui corruptione communicat, dum ex eã alia accenditur candela. In luce Solis, quę se totam incorruptibiliter communicando, gignit radiũ. Postremò μεταφορικῶς, pro ex vtero sepulchri & mortis, in vitam reuocare. Sic Christus, quã homo primogenitus mortuorum dicitur. Et sic acceperunt Apostoli illud Psalmi, *Ego hodie genui te*. Ps. 2. 7. Act. 13. 33. In argumentis igitur, quibus conantur probare Aduersarij, ὁ λόγος non esse genitum ex Patris substãtia, eoque non esse Deum, quia spiritualis natura non gignat, & si genitus est, esse Patre posteriorẽ, apparet qualis sit ὁμωνυμία.

Secunda distinctione, verbum Gignere significat aut eam generationem, quæ fit extra eum, qui producit & gignit, vt omnia animalia extra se gignunt. Et Deus omnia extra suam essentiam produxit è nihilo. Talia differunt οὐσίᾳ, & numero à producente, Aut illam significat generationem, quæ fit intra eum, qui gignit, vt anima intra se producit λόγον, & omnes potentiæ sunt simul in anima productæ, ac proinde, οὐσίᾳ non differunt. Sic Deus Pater intra se genuit Filium, & vterque simul produxit intra se Spiritum sãctum. Sunt enim immensi & simplicissimi. Essentia igitur non differunt inter se: Ac proinde tres numero Dij esse nõ possunt.

Tertia distinctione, verbum Gignere bifariam vsurpatur. Nam quando ad Deum transfertur: proprie & improprie intelligi potest. Impropriè, est simpliciter cõmunicare: Sic alicubi apud Patres, Ignatium, Augustinum, & alios ipsa essentia dicitur genita, quatenus cõmunicata est à Patre ipsi Filio. Propriè verò est essentiam communicando, ratione incomprehensibili, quam generationem vocant Scripturæ, Filiũ sibi procreare. Sic etiam apud nos idẽ fit. Quid est enim generare liberos? Non est simpliciter partem substantiæ nostræ, aut etiam, si posset fieri, totam communicare: sed est cõmunicando substãtiã, liberos procreare. Ita aliud est τῷ λόγῳ, ratione, & definitione, ipsa essentia communicata: aliud ipse Filius qui ex communicatione essentiæ, & substantię nostrę genitus est: interim tamẽ τῷ ὄντι, seu realiter, nihil aliud Filius est, quàm ipsa nostra substantia, sed seipso, hoc est, sua, nõ nostra ὑποστάσει, seu sua proprietate, subsistendique ratione subsistẽs. Ita vere à Theologis in scholis dicitur Filius Dei, quã Deus est, non esse genitus, nisi impropriè. Est enim Filius Deus, quatenus est cũ Patre, & cum Spiritu sancto, eadem essentia: Sed quã Filius est, propriè genitus esse dicitur. Hic enim est productus: & ideò est Filius, non quia eiusdem est cũ Patre, & eum Spiritu sãcto essentiæ: sed quia ex patre genitus est, hoc est, cõmunicatione essentię paternæ procreatus. Sicut & apud nos, nostri liberi, non ideò sunt homines, quia sunt ex nobis geniti, sed quia eiusdem sunt nobiscum: & cum aliis hominibus naturę. Ideò verò sunt filij, quia è nobis geniti, nobis sunt natura similes. Atque hinc etiam liquet, quo pacto Filius dici vere possit, & sit ἀγέννητος etiã secundum propriam verbi generandi significationem: ἀγέννητος inquam, est quod ad ipsam attinet essentiam, quam à Patre accepit. Accepit enim eandem prorsus & totam. Essentia autem Patris ἀγέννητος est, hoc est, nõ producta: Est igitur etiam Filius, quò ad essentiam, omnino ingenitus, si propriè loqui velimus. Nam nominum ἀγέννητος, & γεννητός, varia est significatio. Ἀγέννητος dicitur, qui non est iuxta primã significationem generandi, nempe φυσικῶς & σωματικῶς genitus. Sic tam Filius & Spiritus sanctus, quàm Pater sunt ἀγέννητοι. Cũ hac significatione coniungitur, alia, nempe, quũ ἀγέννητος, pro non facto accipitur, vt apud Græcos scriptores non rarò est reperire: Nam sic etiam omnes tres simul sunt ἀγέννητοι: reliqua omnia sunt γεννητὰ & facta, nẽpe ὑπὸ τοῦ ἀγεννήτου Patre, Filio, Spiritu sãcto. Dicitur etiam ἀγέννητος, qui iuxta alteram generandi significationem, spiritualem scilicet, & diuinam genitus nõ est. Hoc pacto solus Filius est γεννητός: Spiritus sãctus & Pater ἀγέννητοι. Præterea ἀγέννητος dicitur, qui simpliciter nullã ab alio habet originẽ. Sic solus Pater ἀγέννητος est: Et sic tota diuina essentia, tam in Filio & Spiritu sancto, quàm in Patre ἀγέννητος est. Ad sophisma igitur, quo Aduersarij contendunt, Filium non esse Deum, quia non sit ἀγέννητος, cùm proprium Dei sit, esse ἀγέννητον: respondẽdum est explicatione ὁμωνυμίας, & ostendendum propriũ Dei quã Deus est, hoc esse, nempe vt ἀγέννητος sit primo modo, & quatenus significat non factum & increatum: ἀγεννησία autẽ & γέννησις iuxta alteram significationem, non constituere Deum, quã Deus est, sed personas.

Hinc etiam liquet significatio multiplex nominum ἀνάρχου, αἰτίου, καὶ αὐτοθέου. Ἄναρχος & αἴτιος bifariam vsurpari possunt. οὐσιωδῶς, & ὑποστατικῶς. οὐσιωδῶς, hoc est, ratione essẽtiæ, & quatenus Deus, tã ἄναρχος est Filius, & Spiritus sãctus, quàm Pater, hac ratione: quia vna est, & eadem omnium essentia, quæ per se ἄναρχος est. ὑποστατικῶς solus Pater ἄναρχος & αἴτιος est. In sophismate igitur, quo contendunt, Filium nõ esse verũ Deũ, quia principiũ habet à Patre: proprium autẽ Dei est, vt sit ἄναρχος καὶ αἴτιος, aperta est ὁμωνυμία, cùm in vna propositione, οὐσιωδῶς, in altera ὑποστατικῶς accipiatur.

Idem de alio, quod subinde inculcant aduersarij, nomine αὐτοθέου dicendũ est. Christus enim ratione essentiæ, & οὐσιωδῶς αὐτόθεος est. Idem enim sunt essentia diuina, & Deus. Essẽtia autẽ diuina à nullo est, sed per seipsam. At ratione personæ

sonæ & ὑποστάσεως, à patre est, à quo accipiendo essentiam, quæ per se αὐτόθεος est, genitus est Dei Patris Filius. Et in hunc sensum dixerunt Patres: Deum verum de Deo vero.

Verbum etiam Creare bifariam sumitur: Est primùm ex nihilo aliquid facere. Sic Gen. 1. 1. Nō sic λόγος creatus est. Est deinde idem quod efficere & gignere. Sic Latini dicūt creare magistratū, & procreare liberos. Sic apud Syracidē, Eccl. 24. 14. Creatam esse sapientiam, idem est, quod esse genitam. Sic enim Prouer. 8. vers. 25. vbi sapientia, id est, ὁ λόγος, ait, *formata sum*, verbum hebraicum חוללתי, est concipere & gignere: nam quod ibidem vers. 22. sapientia ait, ἔκτισέ με, hebraicum est קנני possedit me. Cap. verò 30. vers. 4. Sapientiam hanc, quam Syracides ait creatam, & Salomon conceptam, ac genitam: vocat idem Salomon, Filium Dei.

VII. Nomen principij triplici explico distinctione: Prima distinctione, quum de Deo dicitur, intelligi potest bifariam. Primùm pro Principio essentię diuinę in aliqua persona: sicut intellexit Gētilis. Sed hoc modo nullum in Deo est principium. Essentia enim diuina nullum habet principium in patre, de sententia etiam aduersariorum, neque in Filio, aut in Spiritu sancto: Ratio est, quoniā eadem plane & nullo modo alia est essentia Filij, aut Spiritus sancti, quæ est & Patris, vt antea demonstratum est: cùm sit simplicissima, impartibilis, & verè vna. Diuina igitur οὐσία per se considerata, nullum habet sicut in patre, sic neque in filio, aut Spiritu sācto principium. Quare errant turpissimè, qui dicunt, Filium fuisse essentiatum à Patre, & Patrem fuisse Filij essentiatorem. Quid enim sibi vult aliud hæc locutio, quàm essentiam Filij habuisse aliquod sui principium? Hoc autem absurdissimum est: & blasphemum. Aut enim alia est Filij essentia à Patris essentia, aut planè eadē. Si aliam dicas, vel est à patre facta ex nihilo, quod sentiebat Arius, isti negant. Vel ex Patris essentia genita, sed hoc dici non potest, quia Patris essentia foret partibilis. Est igitur eadem planè vtriusq; Patris & Filij essentia: Si eadem, nō potest igitur habuisse principium in Filio, quin etiam habuerit in Patre, quicquid illud sit principium. Quod cùm vel ipsi aduersarij & absurdissimum & blasphemum esse fateantur, efficitur plenum quoque esse absurditatum & blasphemiarum, dicere essentiam diuinam habuisse principium in Filio. Quare dici nullo modo potest Filium fuisse à Patre essentiatum: Si essentia nullum sui principium habuit vnquam, vel in Filio, vel in Spiritu sancto, sicut neque in Patre. Proinde suprà diximus, filium etiam, quà Deus est, esse ἄναρχον. Deinde vox principij accipi potest pro principio personæ, hoc est, vnde persona suam habet originem. Hoc modo dicimus patrem esse principium Filij: Patre verò & Filium principium Spiritus sancti. Ideò suprà diximus, Filium, quà Filius est, non esse ἄναρχον. Atque hæc est causa, cur propriè loquendo dici nō possit, essentiam esse genitam: sicut verissime dicimus, Filium esse genitum, nimirum, quia essentia principium sui non habet, neque in Filio, neque in Spiritu sancto, sicut neque in Patre. Filius autem principium habet à patre, principiū, inquam, non temporis, sed originis: non οὐσίας sed ὑποστάσεως. Simile: Radius Solis principium habet à Sole, ab eo enim oritur. At lux ipsa, cum eadem planè sit in vtroque, si in Sole nullum habet sui principium, neque etiam in radio habuerit. Communicatur quidem à Sole, & communicando (passiuè, id est, dum communicatur) generatur radius, & idcirco principium ipse habet à Sole. At lux ipsa propriè non generatur, ac proinde sui quoque principium nullum habet à Sole. Hac de causa, sicut suprà diximus, impropria est locutio, sicut dicere Deum genitum esse ex Deo: sic dicere lumen generari de lumine, nisi quatenus accipimus lumen pro radio: & Deum pro persona, quæ Deus est: Quo sensu locuti sunt etiam Patres.

Altera distinctione, principium potest bifariam capi. Primùm pro principio eorum, quæ sunt in diuina οὐσίᾳ. Si solus Pater est principium Filij, & Pater ac Filius, simul principiū Spiritus sancti. Deinde pro principio eorum, quæ sūt extra diuinam οὐσίαν. Sic non solus Pater, sed etiam Filius, & Spiritus sanctus, principium sunt rerum omnium. Ita dicimus, principium esse de principio, quia Filius, qui est principium Spiritus sancti, est de Patre, qui Pater est principium Filij, sine principio. Et Spiritus sanctus, qui vnà cum Patre & Filio, est principium rerum conditarum, est ex Patre, & Filio procedens, ac proinde principium, de principiis.

Tertia distinctione, hoc idem nomen accipi potest pro principio, aut temporis, aut originis tantùm. Principium temporis nullum cadere potest in Deum, hoc est, neque in essentiam, neque in personas. Omnia enim æterna sunt in Deo. Principium duntaxat originis cadit in personam Filij, & Spiritus sancti. At verò principium non tam originis, quā temporis, habēt res creatæ omnes, à Deo. Ergo quoties Aduersarij ab hoc nomine principii contendunt, aut Filiū non esse verum Deū, & posteriorē esse Patre, vt Ariani: aut solū Patrem esse illū verum, qui à nullo est, Deum: hac multiplici nominis principii significatione, ostēdēda est ὁμωνυμία, & diluēda sunt sophismata. At quomodo suprà dictū est, Patrē esse principiū totius Deitatis, hoc est, essētiæ diuinæ, si essētia nullū habet principiū? Bifariam intelligi potest, essentiā nullū habere principiū: aut quò ad se, seu quò ad suū esse, vt ita loquar, (essentia enim & esse, idē in Deo sūt) aut quò ad sui cōmunicationē. Quod ad ipsius esse, seu quod ad ipsam in se cōsideratam, attinet: dicimus eam nullū sui habere initiū, neque tēporis, neque originis, à nullo. n. habet originē, vt sit. Et hoc est, quod iam conclusimus. Quod verò ad sui cōmunicationē attinet, diximus suprà & nunc cōfirmamus, initium habuisse à Patre, in Filio (est enim à Patre Filio cōmunicata) eoque verè Patrē dici esse principiū, & fontē totius Deitatis, nēpe in Filio, & Spiritu sancto cōmunicatę, nō autem simpliciter, vt sit. Eadem. n. prorsus cùm sit in Filio, quæ & in Patre: si in Patre nullum habet sui esse principiū; sic neque habet in Filio. Sicut si lux Solis, quę in ipso quoq; est radio; esset ęterna, & à nullo creata: vere diceremus, eam, quod ad suum esse attinet, nullū habere sui principiū. Quatenus tamē cōmunicata est radio: verè etiā diceremus, eā sui cōmunicatæ principiū habere à Sole. Minimè igitur pugnāt inter se, quæ diximus: Patrē principiū esse Deitatis, in Filio, & Spiritu sancto, & essentiam seu Deitatem nullum sui habere principium, quia secundum diuersos respectus hæc sicut sunt dicta, sic etiam sunt intelligenda.

Hinc etiam pendet nominū, prioris & posterioris, duplex significatio. Prima significatione significatur ille, qui prior est tēpore: altera ille, qui prior tātùm est origine. In Deo nihil est prius, aut posterius, iuxta priorē significationem, sed omnes illæ personæ sunt, sicut ὁμοούσιοι, sic ὁμοούσιαι. Ad alterā significationē quod attinet, Pater prior est reliquis duobus, quia causa (vt Græci loquuntur) & principiū est atque fons, vnde sunt Filius, & Spiritus sanctus. Et Filius prior est Spiritu Sancto, quatenus ipse quoque principiū est Spiritus sācti, cū ab ipso, sicut etiā à Patre Spiritus sanctus procedat. Prioritate igitur originis & ordinis, vnus prior, alter posterior est. Cōfirmatio à natura petitur. Nā etiā Physici hāc agnouerūt, & spectarūt in natura distinctionē: proinde scriptū reliquerūt prius & posteri⁹ duobus posse dici modis: nēpe aut tēpore, aut natura, neque omnia, quę sunt priora natura, priora etiam esse tempore. Omnis enim causa prior est suo effectu, natura semper, tempore autem non semper. Exemplum habemus in Sole: Is, quia causa est radij, prior est radio, nempe natura & origine, non autem tempore, nunquam enim fuit Sol sine radio. Hæc etiam duplex prioris & posterioris significatio perspicua est.

VIII. Superest etiā genuina verbi Accipere significatio: nā hoc quoq; verbū frequēter vsurpatur, vt cū dicimus, Filium accepisse vitā, & reliqua omnia à patre. Inde. n. inferūt Aduersarij, vt Ariani, & Seruetiani, Filiū nō esse Deum, sed creaturā, quòd Dei nū sit accipere, sed dare. Accipere igitur quod ad propositū nostrū attinet, bifariam capi potest. Primò in ipsa cuiusque rei generatione, nēpe, vt quod gignitur dicatur accipere, in ipsa sui generatione, quidquid est, tam substantiā, quā naturalia substātiæ accidētia ab eo, à quo generatur, tāquā à principio sua οὐσία, illi, qui generatur, intrinseco. Vt quū nostri generātur liberi: in ipsa sui generatione accipiunt à parētibus quicquid sunt, & quicquid est naturæ humanę essentiale. Atq; ita cū substātia & natura, qua subsistūt, quicquid etiā est naturę, simul accepisse in ipsa generatione dicūtur. Vt qui animā in sui generatione accepit, naturales quoque & essētiales animę facultates simul accepisse omninò dicēdus est. Hoc sensu dicimus Filiū qua Fil.⁹ est, quicquid est, & quicquid habet, à Patre tanquā à principio, nō extrinseco sed intrinseco, accepisse in ipsa ęterna sui generatione: ita, vt quicquid est, & habet, totū ei sit naturale & essentiale, imò ipsa essētia. Atq; hoc significat Scriptura, quū dicit; Io. 5. 26 Patrem dedisse Filio (si intelligas de λόγῳ, etiā ante carnem assumptam) vitam habere in semetipso. Quomodo ille dedit? & quomodo iste accepit? Ille dedit Filium generādo: iste accepit de Patre nascēdo. Et quid est in semet ipso vitam habere, nisi ἐξουσίαν habere, & esse αὐτοζωήν? Etiā hoc cōfirmat Scriptura, quū ait Christū esse ipsā vitam Io. 5. 20. Hoc sensu minime efficitur, quod Aduersarij ex hoc verbo sophisticātur, Filiū nō esse Deū, quòd propriū Dei sit, habere omnia à seipso, & nihil aliunde accipere. Nā etiā Filius quatenus eadem est essentia, quæ est etiā Pater, à seipso, hoc est, à sua essētia, habet, quicquid habet. Sed quaten⁹ cōmunicata per generationē à Patre essētia, λόγος genit⁹ est, Fili⁹ Dei Patris, eaten⁹ quicquid est, & habet fili⁹, à Patre habet. Vt ego, quà homo à mea natura humana, ideoq; à meipso

habeo, quicquid est mihi naturale. At quà filius sum meorum parentum, omnia ab ipsis habeo, quia nascendo naturam, & οὐσίαν ab ipsis accepi. Quid hîc absurdi? Ita de Christo sentiendum & dicendum est. Deinde verbum Accipere intelligi potest extra generationem, nempe, vt qui genitus est ex parentibus, accipiat post generationem, ab alio, tanquam à principio extrinseco, quæ in sui generatione non acceperat, ea nimirum, quibus perficiantur, vt habitus sciētiarum, virtutum, &c. Sic omnes creaturæ his perficiuntur habitibus, & nos vitam accipimus æternam à Deo per gratiam, non autem illam habemus in nobis ipsis per naturam seu per essentiam. At Filius Dei nihil hoc modo accepit à Patre, quia Deus est, sed omnia habet per essentiam in seipso: & vita est ipsa viuificans, non autem participata.

Hæc sunt præcipua nomina & verba, quæ in hac de Deo disputatione vsurpantur, quæ quoniã (vt vidimus) diuersas habent significationes, idcircò fit, vt quàm sæpissime in argumentationibus admittatur fallacia, quę ὁμωνυμία appellatur. Nunc tenęmus arma, quibus muniti esse debemus aduersus primum ac præcipuum telorum genus, quibus hostes ad oppugnandam veritatem dolose vtuntur, nempe multis & variis, iisque ambiguis dictionibus.

## CAPVT IV.

### Aliæ quædam regulæ aduersus fallacias.

QVONIAM fallaciæ ἀμφιβολίας, & quam vocant figuræ dictionis, maxime admittuntur in testimoniis scripturarum, male intellectis, & in contrariam sententiam detortis: non possumus de iis certas tradere regulas, nisi hanc vnam, nempe quum illa scripturarum loca videntur prima fronte, non vnum, sed multiplicem posse habere sensum, examinanda esse illa loca ad lapidem lydium ipsarummet scripturarum, & analogiæ fidei, hoc est, explicanda esse ex phrasibus scripturarum, ex præcedentibus & subsequentibus, ex collatione aliorum de ea re locorum, & ex analogia cum principiis fidei; atque hoc pacto ostendendum, quem sequuntur hæretici sensum, cohærere cum ipso contextu non posse, nec esse consentaneum cum aliis scripturis, & cum principiis fidei. Atque ita vindicandæ sunt scripturæ ab iniquis hæreticorum interpretationibus, & confirmanda veritas doctrinæ. Hoc fieri à nobis non potest, nisi descendamus in ipsum certamen. Quum igitur ventum fuerit ad testimonia scripturarum, quę contra nos afferunt, ibi quis sit verus cuiusque loci sensus ostendemus. Et hac ratione sophismata ἐξ ἀμφιβολίας, & ex ignoratione phraseon Scripturæ sacræ concepta explicabimus & refutabimus. Idem de aliis dico fallaciis, quæ admittuntur in ipsa, vt loquuntur, dictione. Quædam tamen locutiones & phrases, quæ vsurpantur in Ecclesia, notandæ sunt, ne propter ἀμφιβολίαν in iis capiemur ab Aduersariis. Dici solet Pater aut Filius, habere deitatem Et alia, vt: *Quæcunque habet Pater, mea sunt.* Io. 16. 15. Impropria est locutio & ad nostrum sensum accommodata. Nam hoc verbum significat compositionem quandam ex eo, qui habet, & ex ea re, quæ habetur. Deus autem simplicissimus est. Atque hoc præsertim improprium est, quum dicitur Deus habere Deitatem: nam Deus & Deitas idem sunt, cum in Deo, propter eius simplicitatem idem sint, essentia & esse.

Dicimus etiam Filium, esse Filium Dei. Hic nomen Dei non debet simpliciter accipi. Sic enim sequeretur, Christum τὸν λόγον esse diuinę essentiæ, eóque & sui ipsius ac Spiritus sancti Filium. Sed semper intelligendum est nomen Dei secundum quid, hoc est, Christum esse Filium illius Dei, qui est Pater seu illius personæ, quæ est Deus & Pater.

Dicimus etiam iuxta scripturas, Spiritum sanctum esse Spiritum Patris & Filij. Item Patrem esse suam essentiam, & sic Filium & Spiritum sanctum. Diuersa ratione sunt hæc intelligenda: Spiritus sanctus est Patris & Filij originis respectu, quòd scilicet originem ab vtroque habeat. Filius, & Spiritus sanctus sunt sua οὐσία, licet à Patre accepta, respectu, vt loquuntur ταυτότητος, seu identitatis, nimirum qua idem sunt re ipsa οὐσία.

II. Quod ad alias fallacias, quæ dicuntur fieri extra dictionem, attinet, non possumus multa tradere præcepta, sed suo quæque loco explicabuntur. Nunc tantùm quędam generales regulæ, & distinctiones, quibus vtendum est aduersus omnes hasce fallacias, explicandę nobis sunt. Prima: In omnibus argumentis, quæ ducuntur à proprietatibus ad essentiã, vt à negata proprietate Patris in Filio, ad negandam Filij Deitatem, seu diuinam essentiam, admittitur Paralogismus, qui dicitur non causæ, vt causę. Vt:

Proprium Dei est, vt sit ἀγέννητος: ac proinde qui non est ἀγέννητος, non est Deus.

Solus pater est ἀγέννητος: Filius verò non est ἀγέννητος.

Filius igitur non est Deus.

Hic præter paralogismum ὁμωνυμίας, vt antea dixi in Dictione ἀγεννήτου, est etiam fallacia non caussę vt causę. Causa enim cur Pater sit Deus, non est quod sit ἀγέννητος: sed quia essentia est diuina, æterna, omnipotēs. Attributa igitur diuinæ essentiæ sunt, quæ necessario concludunt, aliquē esse, vel non esse Deum: non autē proprietates personales, ἀγεννησία, γέννησις & ἐκπόρευσις, vt etiam apud nos videre est. Natura enim humana, siue communicata per generationem, siue nō communicata per generationem, sed per creationem, est illa, quæ efficit, vt aliquis sit homo: non autē modus quo cōmunicantur. Sic natura diuina, siue nō communicata ab vllo, vt in Patre, siue ab alio communicata, vt in Filio, & Spiritu sancto, est illa, qua fit vt aliquis sit Deus: non autem ipsa personę proprietas.

Secunda: In omnibus argumentis, quę ducuntur à generatione animalium, ad generationem Filij Dei negandam, vt: si genitus est ex Patre, est igitur pater posterior: secunda est regula hæc: Quęcunque à creaturis ad Deum transferuntur, repurganda ea esse omnibus imperfectionibus: ac tum demùm id tantùm, quod perfectum est, Deo ipsi attribuendum. Est enim hoc æquissimum. At generare Filium, in se, perfectionem significat, nam sese communicare, perfectionis est. Hæc igitur attribueda Deo. Quod verò quis generet in tempore, extra se, non intra se, non sine motu & corruptione, partem, non totam essentiam communicando: imperfectiones sunt. Tollenda igitur sunt ista à generatione æterni Filij ex æterni Patris substantia.

Tertia: Quæcunque argumenta ducuntur e solis Philosophiæ & naturę principiis, citra scripturas, contra veritatē, ad ea non est respondendum, sed simpliciter neganda sunt tanquam ἀσυλλόγιστα, & contra regulas etiam Philosophorū confecta. Est enim præceptum philosophicum: Non esse de genere in genus disciplinæ, argumentando transeundum. Moses quoque vetat, ne aremus in boue & asino, & ne vestem ex lino & lana texamus. Deut. 22. 10. & 11. Et Apostolus ait: Sapientiam huius mundi stultitiam esse apud Deum, 1. Cor. 3. 18.

Quarta: Sana rectáque de hoc mysterio doctrina, probè intellecta firmiter retinenda est. Est enim verissima, certissimáque Aristotelis (magni certè Philosophi) sententia: Li. 1. de an. cap. 1. τῷ δ' εὐθεῖ, καὶ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν, κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών. Id quod in scholas quoq; translatū est, vt passim dicatur: Rectum iudicem esse sui & obliqui. Si quis itaque rectè doctrinam veram percipiat, & perceptā firmè retineat, is, quicquid audiat aut legat, facilè non solùm videbit quid consentaneum, quidve dissentaneum sit rectæ sententię: verùm etiam paralogismos, eorúmque fontes intelliget, ac proinde non sinet se à sententia abduci. Quæ autem sit summa huius doctrinæ, quæ de Deo retinenda est, & quæ nunc ab Antichristis impetitur, anteà perspicuè & abundè explicatum est.

Quinta: Sed postremò hæc regula pernecessaria est, nempe, vt petamus à Deo Spiritum sapientiæ & sciētiæ, qui eos intus illuminet, veritatem doceat, fallacias detegat, & in nobis agat atque loquatur. Nam sine hoc spiritu, neque verum tueri, neque falsum refutare possumus: Sed cum hoc Spiritu vtrumque facile præstabimus. Sicut & de Stephano pleno Spiritu sancto legimus, neminem tot sapientissimorum Rabinorum, qui eum Christi gloriam defendentem audiebant, potuisse sapientię & Spiritui, qui in eo loquebatur, resistere. Act. 7. 54. 55. Efficiat igitur Pater cœlestis, per Iesum Christum, Dominum nostrum, vt hic Spiritus in nobis suæ sapientiæ vires magis ac magis exerat, Amen.

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS POSTERIORIS,

## Liber Secundus.

*Refutatio exceptionum, & sophismatum, quæ contra sanam de veris in Deo personis, verè inter se distinctis, doctrinam, fieri ab Hæreticis solent.*

### CAPVT I.

Partitio eorum, quæ porrò in hisce libris dicenda sunt. Refutatio exceptionum aduersus argumentum, à nomine plurali אלהים deductum.

ABSOLVIMVS ea, quæ antequam ad refutandum exceptiones & sophismata Aduersariorum veniamus, cognitu pernecessaria fuerunt. Sunt enim ceu arma, quibus instructos, munitósque nos esse, si velimus fructuose, & cum certa victoriæ spe congredi cum hostibus, oportet. Nunc tempus est manus conserendi. Ac primùm quidem exceptiones, quibus nostra argumenta refellere conantur, refutandæ sunt. Deinde ipsorum aduersus sanam doctrinam argumenta refellenda. Est enim vtrumque necessarium, illud quidem, vt rationes, quibus nos sanam confirmamus doctrinam, firmas, eóque & ipsam doctrinam, orthodoxam, atque certam esse, luculenter appareat. Hoc verò, vt nemo non videat, talem esse nostram, hoc est Ecclesiæ, de Filio Dei, déque eius Spiritu, fidem, vt aduersus eam nullæ inferorum portæ præualere queant. Quatuor autem faciemus tractationis partes, sicuti etiam quatuor sunt præcipuę huiusce de Deo doctrinæ propositiones, quas inimici Christi, si non possint penitùs conuellere, labefactare saltem conantur suis cauillis. Primùm enim excipiunt aduersus ea, quibus vera & realis, non tam Patris quàm Filij, & Spiritus sancti, ὑπόστασις, & trium personarum distinctio confirmari solet. Deinde aduersus illa, quibus demonstramus, Filium Dei, Iesum Christum, esse naturalem Dei Patris Filium, verúmque & æternum Deū. Tertiò aduersus ea quoque exceptiones habent, quæ pro asserenda Spiritus sancti Deitate, in medium adferri consueuerunt. Postremò testimonia, quibus confirmatur vnitas essentiæ, hoc est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non esse tres, sed vnum duntaxat Deum Iehouam, ea omnia illi, ad solam Patris personam restringentes, eludere conantur. Nos igitur primo loco exceptiones aduersus cuiusque propositionis confirmationem refellemus: deinde mox etiam paralogismos, quibus aduersus eandem thesim vtuntur, indicabimus & refutabimus. Ita confirmatis nostris, pro vnaquaque propositione argumentis, faciliùs Aduersariorū aduersus eandem cauilla diluentur. Quare quatuor hæ propositiones, quatuor etiam libris, ab Hæreticorum calumniis atque blasphemiis vindicabuntur.

II. Aduersus itaque argumentum à nomine plurali Elohim, vel cum nomine singulari Iehouæ, vel cum aliquo singularis numeri verbo, vel etiam cum verbo plurali coniuncto deductum, veluti sunt tria loca ex Genes. 1. 1. 26. & 3. 21. *Creauit Elohim.* Et, *dixitque Elohim, Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Item, *Dixit Iehoua Elohim, Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis.* Item 2. Samuel. 7. 23. *Iuerunt Elohim*, & alia id genus. Aduersarij excipiunt nihil minùs quàm plures personas hoc nomine indicari. Multas enim duntaxat significari virtutes nomine Elohim, quas solet Iehoua exercere, vt in creando Mundo & homine fecit.

R. Nostra tum interpretatio, tum ex verbis Mosis illatio, nullis rationibus ab Aduersariis refutatur: sed tantùm superbè reiicitur. Quæ est autem hæc sequela: Non probamus vestram interpretationem & illationem: ergo non est vera? Deinde si vobis non probatur, probatur antiquissimis, syncerioribúsque Hebræis, probatur Patribus, probatur plerisque omnibus nostri seculi doctissimis viris. Nihil habet quod non sit cum aliis Scripturis & principiis fidei consentaneum. Denique ex ipsis Mosis verbis apertè colligitur. Vestra autem interpretatio nullâ ratione firmatur, neque cum verborum Mosis significatione congruit. Quod his perspicuum fit rationibus. Nomen אלהים, nunquam in scripturis pro virtutibus, vel attributis Dei, vt vocant, accipitur: sed semper pro rebus per se subsistentibus, seu pro personis, vt pro Deo, pro Angelis, pro hominibus in dignitate constitutis. Res igitur subsistentes, seu personas significauit Moses: tum nomine אלהים, tum illis locutionibus: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*: Et, *quasi vnus ex nobis factus est.* Genes. 1. 1. & 2. 7. Deinde Moses, quos primum vocat אלהים, postea vocat Iehouam. Aperte igitur significauit, אלהים, esse vnum Iehouam: eoque plures personas, in vna subsistere, essentia, quæ nomine Iehouę intelligitur. Quare in hunc locum verè scriptum reliquit, diligentissimus quidam sacrarum literarum interpres: Mirabilem esse Iudæorum cæcitatem, per quam impediuntur, ne locutionem hanc Spiritus sancti intelligant; & intelligentes, ad sanctæ triadis, & vnitatis fidem conuertantur. Sed quid clariùs, quàm creationē mundi non Patri tantùm, sed etiam Filio, & Spiritui sancto, tanquam causis efficientibus, tribui à Prophetis, & Apostolis? Hoc abunde est supra demonstratum. Neque hoc ignorauit Moses, cùm scripsit de creatione. Hos igitur complexus est nomine אלהים. Imò vnde hoc acceperunt Prophetæ, nisi à Mose, cuius fuerunt interpretes? Ergo Prophetis & Apostolis interpretibus, Moses nomine אלהים, intellexit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Ad id, quod dictum est de virtutibus Dei, isto nomine significatis, quas in creando mundo Deus exercuit: Hæ virtutes, quæ fuerint, docet Scriptura: nempe λόγος, seu sapientia Dei, & eius Spiritus. Liquet hoc ex ipso Mosis contextu: liquet ex Psalmis: liquet ex Prophetis: liquet ex Euangelistis, vbicunque creatio mundi attribuitur τῷ λόγῳ, & τῷ πνεύματι τοῦ θεοῦ. Sapientia autem, seu λόγος & τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ, res sunt substantiales, vt abunde supra demonstratum est. Quid verò clarius loco illo, *Faciamus hominem ad imaginem nostram?* Plures igitur sunt: ad quorum imaginem factus est homo, non plures Angeli. Non enim ad imaginem Angelorum factus est homo, sed Dei. Non etiam plures Dij, essentia. Est enim vnus tantùm Iehoua. Plures igitur in Deo Iehoua Elohim, quos personas vocant. Nec minùs apertum est illud: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est.* Gen. 3. 5. Alludit enim ad falsam promissionem serpentis: *Eritis* כאלהים Ironia verò Dei, non hunc habet sensum, Ecce est sicut vna ex meis virtutibus. Quasi verò & ipse Iehoua, dicendo: *Vnus ex nobis*: connumeret seipsum inter has virtutes. Iehoua igitur singularis numeri, cum irrideat illo Pronomine, *quasi vnus ex nobis*, vanam serpentis promissionem, *Eritis* כאלהים, proculdubio hoc nomine, אלהים, plures suas personas, quæ sunt ipse Iehoua, intellexit. Quare hos tres locos ex Gen. Aduersarij non possunt ita eludere, vt non indè semper inferatur pluralitas personarum in Deo, vt nihil iam dicam, de vna essentia, quæ manifestissimè sese in illis personis, nomine אלהים significatis, patefacit: tum nomine Iehouæ, tum verbo singulari ברא.

III. Quòd verò alij scribunt, Deum plurali numero, אלהים appellari, honoris causa: frigidum est. Nam, vt demus aliquando numerum pluralem, vt quum de homine aliquo prædicatur, ita accipi: vt: יארוני הארץ & ארונים קשה Iei. 19. 4. Gen. 42. 30. Quum tamen de Deo sermo est, nullo modo in hunc sensum accipi posse, permulta Scripturarum loca, variis suis circumstantiis liquido demonstrant, præsertim cùm plurale verbum, cum nomine etiam plurali אלהים coniungitur: vt. *Et dixit* אלהים, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Verbum *Faciamus*, & Pronomen, *Nostram*, pluralitatem aperte demonstrant. Quare dici nō potest, Deum honoris causa, hîc appellari אלהים. Neq; dici potest, Deum Elohim, respectu Angelorum, dixisse, *Faciamus*: quasi eos, vel coadiutores habuerit in creando homine, vel saltem in consilium adhibuerit. Nam neque ad imaginem Angelorum factus est homo, sed solius Dei Iehouę. Neque vllam creaturā, à consiliis fuisse Deo, mundū, aut hominem condituro: tradit Scriptura. Sic enim diserte scribitur apud Iei. 40. vers. 13.

*Quis adiuuit Spiritum Iehouæ* (in creando :) *aut quis fuit eius consiliarius?* Vt taceam, nullam adhuc fuisse factam mentionem Angelorum, in eo capite. Vt nimis violentum sit verbo *Faciamus*, Mosen indicare voluisse, Angelos, quorum nullam adhuc apertam fecerat mentionem, Deo in creatione hominis adfuisse; vel vt coadiutores, vel vt consiliarios. Deinde apud eundem Iesa. legimus, Deum hominum conditorē, plurali numero vocari creatores. Verba sunt ista, Ies. 44 2. & 54. 5. *Sic ait Iehoua,* עשיך *factores tui.* Et apud eundem: *Nam mariti tui factores tui, Iehoua Zebaoth, nomen eius.* Est enim עשיך בעליך. Docet igitur illo verbo *Faciamus hominem ad imaginem nostram*: multos indicatos fuisse hominis factores, qui omnes tamen, vnus sint Iehoua. Quare illa etiam voce: *Et dixit Elohim*, FACIAMVS: non vnam tantùm personam, quæ honoris causa sic sit appellata, sed plures significatas fuisse; aperte Iesaias, Mosis interpres, docet. Neque est, cur inimici Christi, & Spiritus sancti, dicant, etiam honoris causa, eandem Patris personam, vocatam fuisse maritos, & factores. Sic enim debuisset etiam, eum vocare Propheta קדושים & גאלים sanctos & redemptores: non autem לך קדוש. Quorsum igitur hæc numeri mutatio in eodem versu: vt vnum Iehouam, vocet maritos, & factores, & mox, redemptorem, & sanctum: & statim etiam dominos vniuersæ terræ? Doctrina nostra de vno Deo, & pluribus personis, pulchre consentit cum iis nominum variis numeris. At aduersariorum sententia, & vim verbis facere; & in varias se partes torquere cogitur. Si autem Spiritus sanctus in Prophetis, non dubitat Iehouam vnum, creatorem cœli & terræ, & hominū, plurali numero, appellare factores hominum, totiúsq; cœli ac terræ: quid nos iniuriæ facimus eidem Spiritui sancto, quum Mosis verba, de Elohim, qui dicitur creasse cœlum & terrā: & qui dixit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*: & qui dixit, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*: de pluribus in vno Deo Iehoua personis interpretamur? Præsertim cùm postea Christus etiam, Filius Patris, qui Deum nobis clariùs reuelauit, quotnam numero sint isti Elohim, & quibus nominibus appellentur, Patris scilicet, Filij, & Spiritus sancti, diserte explicuerit? Quorsum etiam Iehosua, Iehouam vnū vocat in plurali קדשים, dicens: *Non poteris seruire, Iehouæ,* כי אלהים קדשים הוא. Ios. 24 19 Dices, honoris causa. Sed hæc sunt mera effugia, sine vllo testimonio Scripturarum: & sine vllo sano interprete. Nos interpretem habemus Spiritum sanctum in veteri Testamento: & Filium Dei Iesum Christum in nouo: vt de tota veteri Ecclesia, & doctissimis Patribus nihil dicam; plures scilicet personas in vno Iehoua significari. Certè de Deo loquitur Dauid, quum ait: *Propter quam gentem electam iuerunt Elohim ad redimendum* לו (sibi in singulari numero) *populum*. Diligenter hic locus obseruādus est. Non me latet, Elohim aliquando pro singulari persona accipi: modò pro Patre: modò pro Filio: modò pro Spiritu sancto. Sed non semper id fit: vt quum verbum plurale cum nomine Elohim coniungitur. Deinde hinc magis confirmatur sententia nostra. Ideò enim modò pro Patre, modò pro Filio, modò pro Spiritu sancto sumitur: vt intelligamus, nomine Elohim ita plures intelligi, vt horum etiam pluriū singuli, idem retineant nomen Elohim. Imò disertè hoc nomen Elohim Scriptura tribuit modo Patri, modò Filio; modò Spiritui sancto, quemadmodum ex collatione locorum veteris Testamenti cum locis noui, vbi illa citantur testimonia; liquidò apparet; vt hinc intelligamus, quot, & quinam sint isti Elohim, quos etiam Iehouam vocat: nempe tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Idcircò Iesa. illum Iehouam, qui se passim vocat Elohim, in tres hos diserte distinguit, in Patrem, in Angelū faciei eius, & in Spiritum sanctum eius. Ies. 63. 1. 9. 10. Non est igitur cur tergiuersentur inimici Dei: quin nomine Elohim subinde in Scripturis intelligātur, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Maximè verò quum, vt dictum est, nomini Elohim additur vel Verbum, vel Participiū plurale: vt, *Iuerunt Elohim*, &, *Elohim sancti ipse* &, *dixit Elohim, Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Sam. 7. 23. Ios. 24. 19. Gen. 1. 26. Est enim aperte demonstratum, hominis creationem, non Patri tantùm, sed etiam Filio, & Spiritui sancto tribui in sacris literis. Quid etiam sibi vult illud, quòd Deus nunquam dicit se esse vnum Elohim, sed semper ait, se esse vnum Iehouam: vt quum ait: *Audi Israel, Iehoua Elohenu, Iehoua vnus est*, Deut 6. 4. Docet se vnum tantùm esse Iehouam, sed plures Elohim.

## CAPVT II.

### Exceptionum aduersus argumenta, ab illis locis deducta, in quibus Christum, Angelum Iehouæ, & Iehouam appellari, ostendimus, confutatio.

ADVERSVS ea loca, vbi Filium Dei dicimus appellari Angelum Iehouæ, ac proinde ex quibus eum rem subsistentem fuisse, etiam ante assumptam carnem concludimus: Excipiunt Aduersarij, illis in locis, nomine Angeli Iehouæ, non intelligi τὸν λόγον, seu Filium Dei, Christum, sed Angelum creatum, qui missus à Iehoua, mandata eius perferebat, & eius nomine loquebatur. Nihil igitur ex illis locis, de reali τοῦ λόγου subsistentia, concludi posse.

R. Aduersarij tantùm nostram interpretationem reiiciūt, & suam obtrudunt: & neque illam refutant, neque hanc rationibus confirmant. Quæstio igitur est, vtra interpretatio sit verior: Nostra ne, qui hæc loca de Filio Dei interpretamur: An vero aduersariorum, qui de Angelo creato intelligūt. Ex collatione aūt Scripturarū petendū est hoc iudiciū: Primū igitur, si quis diligenter perpēdat Scripturas, inueniet vbicūq; nomine Angeli Iehouę, creatus aliquis Angelus intelligitur: ibi aliquā addi circūstātiā, qua eum esse creaturā aperte declaratur. Nūquā verò Angelū Iehouæ ita appellari: vt etiā Iehoua simpliciter simul appelletur: & honoribus diuinis afficiatur: quemadmodum, cum nomine Angeli Iehouæ, intelligitur Filius Dei. Non possum itaque inficiari, multa esse loca, quæ tam de Angelo aliquo creato, quàm de Filio Dei intelligi possunt: vt passim occurrunt exempla. Nu. 22. Iud. 2. 1. Par. 21. Verùm quàm plurima etiam sunt loca, in quibus, nomine Angeli Iehouæ, nullo modò alius potest intelligi, quā Filius Dei, Iehoua: nisi fortè velimus torquere Scripturas: quemadmodum multis exemplis in priore parte demōstratum est. Vnum, aut alterum repetam, Angelus ille, qui apparuit Abrahæ, & qui iussit Isaacum sibi offerri in holocaustum, Angelus creatus esse non potuit. Nam Moses dicit eum fuisse, Elohim: hoc est, illum Deum, qui tentauit Abrahamum, Genes. 22 1. Nomen autem Elohim, cùm tribuitur Angelis, nunquam memini me legisse, de vno tantùm Angelo prædicari, neque etiam cum litera ה præposita, ille Elohim. Proinde meritò omnes interpretes, hanc dictionem de Deo verterunt, dicētes, *Tentauit Deus*, &c. At, inquies, Deus per Angelum tentauit. Verùm Scriptura hoc non tradit. Deus igitur fuit ille, qui immediatè tentauit Abrahamum, & qui postea vocatur Angelus Iehouæ. Deinde, si æterna veritas est illud, quod scripsit Apostolus, Galat. 1. 8. Anathema esse nobis debere, Angelos etiam de cœlo, si diuersam doctrinam ab ea, quam certò nouimus esse Dei, afferant, non licuisse Abrahæ parēre mandato Angeli, de occidendo innocēte filio, cùm hoc pugnet e diametro cum expresso Dei mandato, ab initio mundi tradito, de non effundendo humano sanguine, non licuisset, inquam, Abrahæ, tali mandato obtemperare, nisi certò nouisset, eum, qui hoc mandabat, non esse creatum Elohim, seu Angelum: sed verum Deum, qui plenam habet auctoritatem, quicquid velit nobis imperandi. Tantùm autem abest, vt nō licuerit tali mandato obtemperare, vt potiùs, propter hanc animi ad obediendum promptitudinem, iurauerit Angelus ille, se illi benedicturum, &c. Neque est, cur excipias Abrahamum paruisse Angeli mandato, quia persuasus erat, Angelum hoc sibi mandasse, nō suo, sed Dei nomine. Neque enim Angelus iste legitur persuasisse Abrahæ, se esse Angelū Dei: & quòd mandabat, se non suo, sed Dei nomine, mandare. Verùm immediatè, simpliciter, & absolutè iste Angelus dixit, *Surge, cape filium, vade*, &c. Et sic norat, hoc esse mandatum Dei, per Angelum: cur non perfecit hoc mandatum: sed paulò pòst eidem Angelo prohibenti, quòd priùs mandârat, Abrahamus, simpliciter, sine mora, sine disquisitione, an hæc prohibitio sit Domini, nec ne sit, morem gerit? At erat etiam persuasus, Angelum non prohibiturum fuisse, nisi hoc in mandatis habuisset à Deo. Verùm non ita facile, contra apertum Dei mandatum, audiendi sunt Angeli, contrarium mandantes. Stat enim firmum, æternum illud Dei præceptum, Non esse illum Angelum audiendum, qui etiā de cœlo, aliud nobis prædicet, vel iubeat: præter id, quòd iussit, aut prædicauit Deus. Nôrat igitur Abraham, eum, qui sibi apparebat, & præcipiebat, esse Elohim, non creatum, sed creatorem. Præterea iste Angelus sic alloquitur Abrahamum, *Nūc cognoui quod timens sis Dei, quia non pepercisti filio tuo propter me.* Nō ait propter Deū: sed *propter me*. Indicans se esse illum Deum, cuius timens erat Abrahamus, & cuius causa filium voluerat occidere. Denique iste Angelus iurat per semetipsum, & ait se benedicturum Abrahæ, &c. Quomodo Angelus creatus auderet per semetipsum iurare? Sed hoc negabis, scio. Verba enim sic habere: *Et dixit* (Angelus Iehouę) *Per memet ipsum iuraui* נאם יהוה qua voce significauit Angelus, se non esse illum, qui iuret, sed tantùm Dei iurātis verba se referre. Verū, quorsum fingere Angelū hæc verba, נאם יהוה: idcirco

subie-

subiecisse:vt indicaret se non esse,qui per seipsum iuret:cum optimè dici possit,verba esse ipsius Iehouæ, quem anteà vocauit Moses,Elohim,& Angelū Iehouę:& eū hæc verba subiecisse explicationis gratia,vt scil.disertè ostēderet Angelus iste,se nō esse Angelū creatū,Iehouæ dūtaxat nunciū; sed ipsum Iehouā?Est.n.hic sensus,& quidē facilis: *Et dixit* (Angelus Iehouæ) *Per memetipsum iuraui.* Per parenthesin verò subdit,נאם יהוה,dictū est Domini hoc,quasi dicat, Ego,qui sic loquor,& iuro,non tam sum Angelus Iehouæ,quē Iehoua ipse.Sic sæpe apud Prophetas Deus loquitur, & interim ipse ait,נאם יהוה:vt apud Hier.22.Huc accedit,quòd ille Angelus,qui hic secūdò de cœlo clamat:est ille idem,qui antea dixerat: *Non pepercisti filio tuo propter me.* Ibi,illa particula, *propter me*,declarauit se esse Iehouā:Est igitur hic etiā Iehoua,qui loquitur,dicēs: *Iuraui per memetipsū.* Quare Angelus creatus esse nō potest:quia hic Angelus Iehouæ, est etiā Iehoua.Quis igitur?Christus.Omnes certè huius historię circūstātiæ,& verba,magis fauent nostræ interpretationi;nēpe nomine Angeli Iehouæ intelligendū esse Filiū Dei,Angelū Iehouæ,Iehouā:quàm alteri, quamuis apud plures receptæ opinioni.Confirmant nostrā hāc interpretationē, alia apud eundem Mosen loca,vbi de eodem Angelo Iehouæ,qui etiā Abrahæ apparuit,sermo habetur: & quem non alium fuisse, quàm Angelū Iehouæ,Iehouam,manifestè euincitur. Nam mittens seruū suū Abrahamus,ad terrā suam,vt inde vxorem duceret Isaaco filio suo,ait.*Iehoua mittet Angelū suum ante te, &c.*Gen.24.7.Nō legitur autē deinceps,alij seruo apparuisse Angelū & cum in hoc negotio rexisse,nisi Iehouā. Sed est alius locus ita perspicuus,vt eludi nequeat.Ille enim Angelus,qui cum Iacobo luctatus fuit,quis alius est, quàm idem, qui Abrahæ antea apparuerat?Est autem manifestum,hunc, qui luctatus est cum Iacobo , non fuisse creatum Angelum, vt suo loco demonstrauimus. Hoseas enim Angelum hunc, Iehouam appellat.Hos.12 4.5.Et huic Angelo iubetur sacrificare Iacob,& eūdem ipse inuocat.Gen.35 1.& 48.16 Quis igitur esse potest iste Angelus,nisi Christus? Nam neq; Pater Angelus alicuius esse potest:neq;Spiritus sanctus Angeli nomine appellatus vnquam fuisse legitur. Si quis verò excipiat;Angelū creatum;& Iehouæ nomine appellari, propter officium:& honorem,tum sacrificij , tum inuocationis , affici propter Deum,cuius fungitur legatione,ita vt nō ipse,sed in eo Deus inuocetur,& adoretur:is nihil dicit. Constat.n.primū Deū dixisse,se gloriā suam, & nomē suū nemini cōmunicaturū.Deinde liquet,Angelos nūquā permissuros fuisse, se ab hominibus,contra Dei mandatum adorari. Neq; etiam sanctos viros,qualis erat Iacob,hoc fuisse facturos. Alioqui, si exceptio valeret : admitti Gētiliū excusatio potuisset,qui dicebāt,se nō adorare idola,sed Deū in illis: cuius ipsa erant signa:& in quibus ille operabatur. Redeo ad extremū,quod habemus in Exo 3.2.de Angelo,qui Mosi apparuit.Quomodo eludi potest,quin iste Angelus sit Filius Dei,Deus?Vocat se simpliciter Iehouā.Appellat se Deum Patrū,Isaac, & Iacob.Populū Israeliticū,dicit esse suū populū.Exigit ab Israelitis,cultū sibi exhiberi.Paulus verò apertè ait Christū fuisse eū,qui fuit à populo tētatus in deserto,1.Cor.10.9. Quis autem fuit tentatus,nisi,qui populum eduxit ex Ægypto, & qui ad hoc vsus est Mosis opera,& visurum se dixerat?Exo.3. 10. In summa tanto veritatis soli,obduci non possunt adeò crassæ nubes,quin eas statim sua luce dispellat.Miseros homunciones:qui bellum susceperunt aduersus Angelum Iehouæ,Iehouam,& aduersus Spiritum Dei Deum.

Firmum itaque manet argumentum,ab illis locis,vbi Filius Dei,Angelus Iehouæ appellatur,deductum: quo demōstratur,τὸν λόγον,Filium Dei,etiam ante assumptam carnem, fuisse personam subsistentem,à Patre distinctam,quippe qui alius erat ab illo,cuius erat Angelus.Neque hic potest excipi, sic fuisse vocatum , respectu futuræ præsentiæ & officij, quod erat,in carne facturus.Apparebat.n.re ipsa,& loquebatur cum Patribus,iste Angelus Iehouę Christus:vt suprà fusè è Scripturis fuit à nobis ostensum.Quare nihil est certius quàm Christum tunc etiam fuisse rem subsistentem,verámque personam;quia Angelus erat Iehouæ Patris.

II. Ad loca,vbi demonstramus Christum appellari Iehouam:ac proinde cōcludimus,eum etiam ante carnem assumtam,fuisse veram personā:Primò excipiunt,etsi detur,appellatū fuisse Iehouam:inde tamē nō sequi,fuisse verū Iehouā. Etenim ipsam etiam Hierosolymam appellari Iehouam, iustitiam nostram:eodē prorsus nomine, quo ipse Messias vocatur.Hier.33 16.& 23.6.Et altare erectum à Iacobo, vocatū fuisse Deum fortem Israelis,Gen.33.20.Quin & altare,quod erexit Moses appellatum fuisse à Mose ipso, Iehouā vexillū meū,Exod.17 15.Sicut etiā altare,erectū à Gedeone,vocatur Iehoua Salom,Iud.6.24 Et apud Ezech.dicitur , *Nomē vrbis ex eo die, Iehoua illic*,Eze.48.35.Neminē tamē esse tā fatuum, qui ex illis colligat locis,aut vrbem Hierosolymam aut populum Hierosolymitanum, aut virumque altare,verum esse Iehouam.Ergo neque id consequi de Messia. Quare ex eo; quòd appellatus sit Iehoua , non effici veram fuisse personam,verúmque Deum.

Respon.Quasi verò , & ex natura eorum , de quibus Iehouæ nomen prædicatur ; & ex circumstantiis locorum,vbi Hierusalem, altaria, & Messias ipse, vocantur Iehoua, & ex collatione aliarum scripturarum noui Testamenti,vbi Christus verus Deus esse dicitur ; & denique ex analogia fidei, non compareat, quanta sit horum exemplorum dissimilitudo. Primò enim constat, & Hierosolymam, & illa altaria, res fuisse sensus expertes, & inanimas. Aut,si etiam Hierosolymam accipias pro populo;meros fuisse homines. Quæ igitur horum similitudo cum Messia ? Deinde apparet ex circumstantiis contextuum illorum , & Hierosolymam , & altaria illa , nomine Iehouæ appellata fuisse *μετωνυμικῶς*: quòd & vrbs symbolum esset Iehouæ iustificantis, & altaria essent symbola, ac ceu monimenta potentiæ ac liberationis diuinæ. At quis inficiatur, quin Messias vera sit & semper fuerit iustitia nostra?Nec dicitur iustitia,quia minister iustitiæ : sed quia est ipsissima iustitia nostra , vt in nouo Testamento porrò disertè explicatum fuit,ab Apostolis. Ergo ita etiam vocatur Deus : nempe vere. Imò si quis diligenter ea inspiciat loca,lucuientissime videbit , ne tali quidem nomine,Iehouæ scilicet,vel vrbem , vel altaria,simpliciter appellata fuisse. Principio ad locum Hierem. quod attinet, dixerat antea venturum ex Dauide germen iustitiæ , hoc est, Messiam : qui facturus esset iudicium, & iustitiam in terra. Deinde subiicit salutem , quam à Christo consecuta erat Hierusalem , hoc est , Ecclesia : & statim hæc verba addit, וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו,vbi לה potest optimè referri ad Messiam,de quo ipsa verba fecit. Proinde Santes sic vertit hunc locum: *Et iste,qui vocabit eam, est Iehoua iustus noster*,vel iustitia nostra. Dicitur autem Christus vocare Ecclesiam, cùm singulos electos ad se,& in sui communionem, è mundo efficaciter,verbo,& Spiritu suo,euocat,adducit,colligit: vnde etiam nomen Ecclesiæ,apud Græcos. Ita sensus est facilis,& congruit cum altero Hier.loco,vbi Messias,Iehoua, iustitia nostra,vocatur.

Sed etiamsi retineamus vulgatam versionem: *Et hoc est nomen : quo vocabit eam* (Hierosolymam) *Iehoua iustitia nostra;* nihil concluditur aduersus nostrum argumentum:nisi eo modo,quo quis etiā fortè contendat, Iesum non propriè vocari Christū,quia etiam Ecclesia vocatur Christus ab Apostolo,1.Cor.12.Manifestum enim est,quia Christus totus est Ecclesiæ , vt caput corporis , & vir vxoris:ita etiam nomen Christi,quòd ei cōuenit propriè,Ecclesiæ communicari impropriè.Eadem est ratio etiam hic.Propriè quidem Christus est Iehoua,sicut etiā propriè est nostra iustitia. At proinde totum hoc epithetum propriè Christo datur:quòd ie.sit Iehoua iustitia nostra. Cæterum,quia reuera tunc Christus fit iustitia nostra , cùm reipsa nos ad se vocat , & in sui *communionem* admittit , ac per fidem sibi vnit , atque ita vnit,vt fiamus vnum cum ipso,os, & vna caro: idcirco hunc quoque honorem Ecclesię communicat,vt vocetur (sed impropriè) Iehoua iustitia nostra : quia scil.in ea regnat & in singulis fidelibus viuit ille:qui propriè est Iehoua iustitia nostra.De loco illo Genes.respondemus Verba sic habent. *Et erexit ibi altare.* ויקרא לו:Verbum קרא vertunt LXX.inuocare,dicentes,*Et inuocauit Deum Israel.* Sic Chaldæus,*Et coluit super illud coram* Deo forti Israel. Sed vt retineam communem receptámque versionem ; *Et vocauit illud, Fortis Deus Israel.* Primò non vocat illud Iehouam , neque simpliciter אל aut אלהי,sed אל אלהי ישראל.Sic enim indicat causam,cur tali titulo locum illum ornarit:nempe, vt esset perpetuum *μνημόσυνον* victoriæ,qua præualuit Angelo in lucta:ob quā causam mutato nomine , vocatus fuit ipse Israel , quo nomine monebatur , se beneficio Dei superiorem semper fuisse , & futurum etiam esse , in omnibus suis, cum quouis hostium genere,luctis. Quemadmodum etiam longè anteà fecerat ipsius Auus , Genes.22.14. Is enim vt memoriam retineret beneficij diuini, quo Deus,loco Isaaci immolandi,prospexerat sibi arietem, vocauit locum vbi immolauit arietem prospectum יהוה יראה *Dominus videbit*,vel prouidebit. Vbi altare ipsum,nō fuit appellatum Iehoua, sed toto hoc titulo, *Iehoua videbit.* Itaque nomen *Iehoua*,propriè pro Iehoua accipitur.Is.n.vt prouidit semel arietem:sic etiam deinceps semper prouisurus erat Abrahamo omnia necessaria. Altare autē hoc titulo ornauit,vt esset *μνημεῖον*,rei gestæ,& inde spem tum ipse Abrahamus, tū alij posteri futuræ deinceps prouidentiæ Dei conciperent. Hoc enim perinde fuit,atque si altari insculpsisset hæc verba , Dominus prouidit : Et Iacob etiam suo hæc inscripsisset altari : *Fortis* (scilicet est)

*Deus Israel.* Num hinc sequeretur altare fuisse appellatū nomine Dei? Nequaquam. Sic respondemus ad illum locum Exodi: Aram, quam extruxit Moses, vocat Iehouam vexillum meum, seu protectio mea: vt sit μετωνυμικῶς beneficij diuini: quòd scilicet Deus voluerit esse Mosis protectio, & vexillum. Itaque non simpliciter vocat altare Iehouam, quasi hoc illi nomen imponat, vt hominibus imponuntur in Baptismo: Sed totum hunc titulum quasi illi affigit, Iehoua (est) vexillum meum.

Eodem modo intelligendum est illud de ara, quàm ædificauit Gedeon, quam vocauit, Iehoua Salom, hoc est, Iehoua est pax, nempe mea. Item nomen Iehouæ non refertur ad altare, sed ad verum Iehouam. Is enim est, pax, non altare. Et hanc esse veram interpretationem, vt scilicet subintelligatur verbum, Est, & ad Iehouam referatur: docet locus ille Ezechielis 48. vers. 35. *Nomen vrbis ex eo die;* יהוה שמה *Iehoua illic:* nempe erit, & semper est. Habitat enim Iehoua in Ecclesia semper, quæ est vera Hierusalem. Imò hic locus Ezechielis declarat, quomodo intelligēdus sit ille alter Hier. 33. vers. 16. *Et hoc est nomen, quo vocabitur ipsa* (Hierosolyma) *Iehoua iustitia nostra:* nempe ibi est, & semper erit. Si quis obiiciat illud ex Psalmo 24. vers. 8. *Iehoua ipse est Rex gloriæ;* vbi Arca Iehouæ, vocatur Iehoua Rex gloriæ, facilis est responsio: Sacramentaliter Arcam eo nomine vocari, quia signum erat, & ceu Sacramentum præsentiæ Iehouæ. Solent enim Sacramenta, nominibus rerum, quarum sunt Sacramenta, appellari. Vt circumcisio, fœdus, Agnus paschalis, Pascha. Quis autem dicat Christum vocari Iehouam sacramentaliter? Est igitur manifestum, præterquam ei, qui verus est Iehoua: Nomen Iehouę in Scripturis simpliciter tribui nemini: id quod ex locorum illorum circunstantiis manifestum esse ostendimus. Quare cum Christus, vt docuimus, simpliciter vocetur Iehoua: firmissimum manet argumentum, Christum verum esse Iehouam. Huc accedit, quòd raro, semel scilicet, aut iterum, vrbs & altaria appellata fuerunt nomine Iehouæ: Et quidem eo semper sensu, qui antè à nobis explicatus est. At verò Christus passim vocatur Deus: vt, Deus benedictus in secula, & Deus verus, & vita æterna. Roman. 9. 5. 1 Ioh. 5. 20. Ipsa quoque Dei attributa, æternitas, omnipotentia, & alia id genus, nunquam creaturis: passim autem Filio Dei attribuuntur.

Denique fides non permittit, vt credamus in Hierosolymam, aut in altaria, & per illa iuremus, illáve adoremus. At Christo totum hunc diuinum honorem vt tribuamus, fides Christiana postulat, ac iubet. Quare, vt verè appellatus fuit ab Hierem. 23. 6. 1. Cor. 1. 30. Iustitia nostra, qui reuera nostra iustitia est Christus: ita etiam verè, & propriè, ab eodem vocatus fuit Iehoua, quia Christus verus est Iehoua: Quem etiam Seraphini apud Iesaiam adorârunt teste Ioh. Euangelista. Ies. 6. & Io. 12. 41. Tanta igitur cùm sit dissimilitudo inter Hierosolymam, & altaria, atque Christum, nullā esse apparet aduersariorum exceptionem, qua contendunt, sicut Hierosolyma, & altaria, licet nomine Iehouæ sint appellata, non fuerunt tamen reuera ipse Iehoua, ita etiam non consequi, Christus vocatur Iehoua, ergo verus est Iehoua. Nulla, inquam, est hæc exceptio, quia non est à verè comparatis, & similibus. Accedamus igitur ad alteram aduersus hoc argumentum exceptionem.

III. Excipiunt itaque Messiam vocatum fuisse Iehouam, respectu rei futuræ: quia scilicet Spiritu sancto erat concipiendus, futurus plenus diuinitate, facturus officium Dei, hoc est, mundum seruaturus & iustificaturus. Quare ex illa denominatione non consequi: non fuisse rem subsistentem, cùm nondum reipsa (aiunt) esset Filius Dei, & Deus. Fuisse enim posteà in carne factum nobis Deum nostrum: hoc est, seruatorem & Dominum.

R. Quasi verò non apertè dicat Iesaias de Christo, interprete Ioh. se vidisse Iehouam, sedentem in solio: & illi vnà cum Patre, & Spiritu sancto acclamasse Seraphinos: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Zebaoth.* Ies. 6. 1. Quasi etiam non idem Filius Dei, qui Angelus Iehouæ à Mose vocatur; Exod. 3. 2. &c. dixerit tunc se esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob. Quasi etiam non idem repetierit in monte Sina ipsi Mosi, cùm daret Legem: se esse illum Iehouam, qui eduxerit populum ex Ægypto; Exod. 20. 2. Erat igitur reuera Christus, etiam ante carnem assumptam, & à condito orbe, & ab omni æternitate, verus Iehoua, eóque non idea, sed verissimum ὑφιστάμενον. Ac proinde liquet, quòd aiunt tum demum duntaxat factum fuisse nostrum Deum, nempe, posteaquam natus est ex Maria; illud merum esse mendacium. Nunquam enim Scriptura dicit Christum factum esse nostrum Deum. Dicit quidem factum esse nobis à Deo, nēpe Patre, sapientiam, iustitiam, sanctificationem, redemptionem, 1. Cor. 1. 30. Item, factum esse Dominum, & Christum, Actor. 2. 36. Nunquam verò dicit factum esse Deum. Deinde etiamsi darem talem locutionem, nō alio tamen sensu intelligi posset, quā illo, quo etiam superiores sententiæ: Factum esse Dominum, & Christum, iustitiam, & sanctificationem, nempe quò ad officium, non quò ad naturam, & substantiam. Fit enim Christus illis Deus, & Dominus, & iustitia, qui in ipsum credunt, hoc est, electis: sicut & in Psalmis sæpè legimus, Deum fieri alicui protectorem, adiutorem, seruatorem. Psa. 9. 10. Quare paralogismus est, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Dicitur enim factus quò ad officium, non quò ad substantiam. Et si quò ad substantiam, secūdum substantiam humanam, non autem secundum diuinam. Semper ergo Christus cùm fuerit Deus, verum etiam semper fuit ὑφιστάμενος.

IIII. Excipiunt præterea Mosen appellatum fuisse, & constitutum Deum super Pharaonem: Exod. 6. 1. & Principes super suos populos: nec tamen inde consequi, veros esse Deos. Neque igitur idem sequi de Christo.

Resp. Argumentum est à longè dissimilibus, & à minimè comparandis, quare ἀσυλλόγιστον est. Neque enim homines appellantur vnquam Iehoua, sed Christus sæpissimè. Deinde attributa Dei essentialia, æternitas, omnipotentia, & alia id genus, cum illis non cōmunicantur: sicut cum Christo. Neque diuinus honor, & cultus in illos, sicut in Christum, cōpetit. Ac proinde nomen Dei de illis prædicatur secundum quid, propter officium Dei aliquod, quod sustinent, de Christo verò simpliciter: Quia Filius Dei est, è substantia Patris genitus, vt anteà demonstratum est. Est igitur in hac exceptione paralogismus ex ignoratione elenchi. Nihil enim cōcludit argumentum ductum à rebus tam dissimilibus quàm dissimile est cœlum à terra, & creator à creaturis. Proinde quod valet in exemplis Mosis, Cyri, & aliorum hominum, non valet in exemplo Christi, per quem illi conditi sunt.

## CAPVT III.

Responsio ad exceptiones, quæ fiunt contra argumenta, inde deducta: quòd Christus appellatus sit Filius Dei in veteri Testamento: & quod sapiētia (quam ostendimus esse ipsum Christum) tanquam verum ὑφιστάμενον ibidem describitur.

AD argumentum inde petitum, quod Christus, etiam ante assumptam carnem, Filius Dei appellatur: Excipiunt, omnia huiuscemodi dicta, de Christo futuro intelligenda esse. Eum scilicet, posteaquam conceptus, & natus fuisset ex virgine, vi Spiritus Dei, tum demum futurum fuisse Filium Dei. Antea verò non fuisse. Imò quædam etiam fuisse vaticinia de eius Resurrectione.

Resp. Quasi verò, quia huiuscemodi Prophetica dicta, partim de natiuitate Filij Dei, ex virgine, & ex semine Dauidis, possunt intelligi, partim ad eiusdem Resurrectionem ab Apostolis accommodantur: nullus idcirco locus intelligēdus sit, de eius natiuitate, & filiatione, ex Dei Patris substantia, antequam nasceretur ex virgine, imo ante mundi constitutionem. Certè locus Prouerb. cap. 30. 4. neque de ea filiatione, qua, quia conceptus est de Spiritu sancto, Filius appellatur, neque de ea, qua excitatus à mortuis, vocatur primogenitus mortuorum, intelligi potest, vt ex loci circunstantiis liquido apparet. De maiestate enim Dei in cœlo, de eius Filio, in cœlo nimirum tum existente, & cum Patre omnia regente loquitur. Ac proinde tam Filij, quàm Patris, ineffabile nomen esse, dixit: incomprehensibilem nimirum vtriusque gloriam, & maiestatem. Ille etiam alter locus Prouerb. 8. 22. de Sapientia, hoc est, de Filio Dei, ante mūdi constitutionem genito, perspicuus est. Nulla enim sapientia ex Deo genita est, omnium cum Patre creatrix, ad salutem hominum ordinata, & quæ vitam det quærentibus se, nisi Christus de quo Apostolus 1. Cor. 1. 30. *prædicamus,* inquit, *Christum Dei sapientiam.* Ac quæ ibi de sapientia dicuntur, ea variis in locis ad Christum accommodant Apostoli: præterquam quod Ignatius, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, tota demū; vetus Ecclesia locū hunc de Christo interpretata est: imo ne Arius quidē negauit. Neque eludi potest locus Michææ, 5. 2. quem non nisi de Christo intelligi posse, docet Matth. 2. 6. Quæ enim sunt duæ illæ Christi egressiones, ab initio & à diebus seculi factæ? Natiuitas certè eius ex virgine, eoque egressio eius ex Bethlehem, ab initio, & à diebus seculi nō fuit. Neq; de sola eius egressione, quę facta est iā inde à cōdito orbe, per promissionē Dei, de ei' incarnatione: intelligi

ligi potest. Plurium enim vnâ egressionū facit mentionem, dum ait, ויד צאחוו Quæ igitur præter hanc, verbo & promissionibus factam, alia esse potest egressio; quàm generatio ex Patre, ante omne initium, & à diebus æternitatis? Atque huc spectant, quæ subinde Christus dicebat, de suo à Patre exitu, & in mundum aduentu. Exitus à Patre fuit natiuitas ex Patre; & destinatio ad officium Mediatoris faciendum. Aduentus autem in mūdum fuit incarnatio, & natiuitas ex virgine; seu patefactio in carne. Quid sibi volunt illa, toties in noui Testamenti libris repetita, nempe Christum venisse de cœlo, esse è supernis, Filiū, qui est in sinu Patris, enarrasse nobis; omnibus scilicet, qui vnquam Deum Patrem nouerunt; illuminare (iam ab orbe condito) omnem hominem, venientem in hunc mundum, Ioh.3.13 & 8.23.& 1.18.& 9. genitū esse ante omnem creaturā; Col 1.15 Filiū esse vnigenitū Dei, Ioh.1.18. h.e. qui nullos eiusdem naturæ habeat fratres: esse Filium Dei ἀμήτορα: Heb.7.3. & similia: Quid, inquā, sibi volunt, nisi Christum genitum esse in cœlo, antequam in mūdum per assumptionem carnis, ex matre, veniret? Negari igitur nō potest, quin Filius Dei fuerit, et ā antequā nasceretur ex virgine: ac proinde fuerit verum ὑφεστάμενον. Quare cùm nostra dictorū illorum Propheticorum interpretatio, cum aliis scriptura locis in nouo Testamento sit consentanea: indeque mirabiliter cōfirmetur; Aduersariorum autem potiùs pugnet; apparet illos immerito negare nostrā assumptionem; quæ est, Christū fuisse Filiū Dei, tam inde ab initio mundi, & ante omnia, quàm sicut docet ipsi etiam Prophetæ. Falsissimū verò esse, quod ipsi contendunt: Christum eatenus tantùm dici Filium Dei, quatenus de Spiritu sancto conceptus, natus est ex virgine Maria. Et scripturas de nulla alia Christi filiatione loqui, quàm de illa, qua natus est ex virgine Maria vel qua resurrexit à mortuis.

II. Aduersus argumentum illud omnium Patrum iudicio maximè perspicuum, quod deduximus ex Prouerb.8 vbi Christus æterna Dei sapientia, tanquam verum describitur ὑφεστάμενον: Excipiunt nonnulli, Salomonem hic non loqui de sapientia Dei, quæ est Christus, de qua Apostolus ad Corinth.1.30. Sapientia, quæ in scripturis reuelata est; hoc est, de doctrina, & de verbo Dei. Ad huius enim studium Salomonem hos hortari.

R. Primò admittunt ὁμωνυμίαν. Vox enim sapientia significat, & sapientiam creatam, quæ est doctrina, atque lux creata in mentibus, seu verbum Dei: & sapientiam increatā, illius auctorem, materiam, ac finem. Auctorem, quia per hanc illa est reuelata, nempe per Christum, de quo Ioh. *ipse reuelauit nobis*.1.18. & Matt.11.27. *Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Materiam, ac finem: quia finis legis est Christus, vt ait Apostolus, Roman 10.4. Et scripturæ de Christo cū primis loquuntur, deque redemptione per Christū facta, *Scrutamini Scripturas*, ait ipse Christus: *quia illæ de me testificantur*, Ioh.5.39 Quæ autem in eo capite attribuuntur Sapientiæ à Salomone: nullo modo in Sapientiam creatam, simpliciterque doctrinam cōpetere possunt. At, inquies, per προσωποποιίαν, omnia illa de sapientia creata dicuntur: sicut etiam in eo libro, qui Ecclesiasticus dicitur, cap.24.ver.1. &c. Sed quorsum tropos fingere, cùm possimus rectè Scripturas interpretari sine tropis? Quæcunque ibi, & in Ecclesiastico, tribuuntur sapientiæ, optime quadrāt in eum Λόγον, quem Ioh.1.14 vocat Vnigenitum Dei Filium. Λόγος enim θεὸς & σοφία θεοῦ dicuntur. Deinde etiamsi velis esse προσωποποιίας, nunquam tamen efficeres, vt omnia, quæ vtrobique prædicantur de illa sapientia, accommodari possint ad creatam sapientiam. Legantur, & diligenter examinentur omnia, & rem ita se habere, facile animaduertetur. Quòd verò ais, Salomonem ea idcirco de sapientia prædicare, quia ad studium verbi Dei, & ad acquirendam Dei sapientiam hortatur: libenter do. Sed non inde sequitur: eum non loqui de sapientia Dei increata. Non enim pugnant inter se hæc duo: Salomonem hortari ad studium sapientiæ, qua Deus donat illius studiosos. Et eundem prædicare ortum, æternitatem, maiestatem, sapientiæ increatæ. Imò huiusce laudes: idcirco prædicat vt nos ad illius studiū hortetur: quòd videlicet increata sapientia, caussa sit efficiens, & finalis, sapientiæ creatæ. Quis enim auctor sapientiæ in hominibus, & ipsius scripturæ sanctæ? Christus. Quis finis? Christus, æterna Patris Dei sapiētia, & virtus. Apposite igitur Salomon hortans ad studium reuelatæ, & creatæ sapientiæ: laudes æternæ, & increatæ interposuit: & ab illa, ad hāc fecit transitionem. Quare paralogismum admittūt aduersarij, qui ducitur ex ignoratione Elench. Non enim sequitur, Hortatur ad studiū creatæ sapientiæ: ergo nō differit de increata. Præterea, vt paulò ante indicaui, quæcūque apud Salomonem prædicantur de illa sapientia: ea omnia ab Apostolis accommodantur ad Christum. Ad quæ, accedit etiam antiquissimorum Patrum consensus: vt dictum est.

Excipiunt alij, hîc quidē à Salomone verba fieri de Christo, qui est Dei sapientia: sed quatenus hæc omnia fuerunt in æterna prædestinatione Dei: implenda tandem, quum nasceretur ex virgine.

R. Sed neque hanc interpretationem ferre potest contextus Salomonis. Ait enim sapientia, se fuisse ante opera Dei. Si fuit tantū in prædestinatione; certe nō fuit ante opera Dei. Omnia enim opera fuerunt ab æterno in prædestinatione Dei: & tam reliqui homines, quàm Christus homo. Vt igitur loquitur de operibus Dei, quatenus reapse fuerunt cōdita à Deo: sic de ipsa loquitur sapientia, quatenus reapse fuit, ante mundi constitutionem, genita ex patre. Ac de reali subsistentia loqui Salomonem: liquet ex ipsius verbis quum ait, *Nondum erant abyssi* (scilicet reapse creatæ) *& ego iam* (scilicet reapse) *formata eram.* Legantur reliqua. Imo ait, se vnà cum Patre Deo, à quo genita est: reliqua omnia formasse. De Christo igitur Dei sapientiâ non possunt hæc intelligi, quatenus duntaxat fuit in prædestinatione æterna, sed quatenus reuera fuit ante conditum mundum subsistens apud Deum, vt Iohannes, imò Christus ipse interpretatur, quum ait: *Antequam Abraham esset, ego sum*, Ioh.8.58.

## CAPVT IIII.

### Vindicantur ab Hæreticorum calūniis, aliquot noui testamenti loca, quibus fuit antea à nobis cōfirmata, æterna Iesu Christi subsistentia.

ADVERSVS illum locum, *Antequam Abraham esset, ego sum*, Ioh.8.58 quidam sic excipiunt, & cauillantur. Erat Christus prædestinatione: antequam Abraham nasceretur.

R. At etiam ipsi Iudæi omnes fuerunt prædestinatione, antequam Abraham nasceretur. Quin & Abraham ipse fuit, antequam esset. Fuit enim prædestinatione; antequam reipsa. Sed qualis foret, admissa hac interpretatione, ipsa Christi responsio ad obiectionem Iudæorum? Illi obiiciunt, Iesum non potuisse videre Abrahamum, quòd nondum habeat annos 50. Christus verò ostendit, hanc suam in carne iuuentutem, seu annorum paucitatem, impedimento esse nō posse, quominus viderit Abrahamum; quippe qui fuerit etiam ante Abrahamum ortum. Si hoc esse Christi accipias pro esse in prædestinatione; nihil ad rem Christi responsum. Deinde non dixit fui, sed *sum*: quasi dicat, vt nūc reuera sum, & subsisto; sic etiam tam inde ab æterno, longe ante Abrahamum constanter idem sum. Ostendit igitur se non loqui de esse in prædestinatione: sed de illo, quo etiam tum verè erat: hoc est de esse personali (vt ita loquar) & substantiali. Si enim de esse in prædestinatione respondisset Christus; dixisset, *Fui, antequam Abraham fieret*, non autem, *sum*.

Alij sic locum hunc eludere conati sunt, *Antequam Abraham fieret*, (scil. reapse pater multarum gentium) *ego sum*, id est, factus sum homo. Abrahamus enim non fuit factus pater multarum Gentium, nisi post passum Christum diuulgato per totum terrarum orbem Euangelio.

Sed quis non videat, quales sint istæ scripturarū corruptelæ, depravationes, contorsiones, tantùm vt Christi gloriæ offundantur tenebræ? Ἀπροσδιόνυσα, vt dicitur, omnino sunt hæc omnia, & nihil ad obiectionem Iudæorum faciunt. Illi loquuntur de persona, & substantia Abrahæ: hi volunt Christū respondisse de eiusdem dignitate, deque gratia, & fauore illi facto, nempe, vt esset pater multarum gentium.

Alij, vt Spiritus Osiandrianus, ita excipiunt, Christus fuit ante Abrahamum, virtute: quia scilicet mors futura Christi agnita, & fide recepta, profuerat Patribus, à condito orbe.

Etsi quod dicitur, verum est, & huc spectat illud Apoc.13.8. *Agnus occisus ab origine mundi.* Et illud ad Heb.13 8. *Christus, heri, hodie, & semper*: tamen hæc interpretatio nihil facit ad rem. Quandoquidem vt antè ostensum est, de esse Christi personali, non de eius virtute loquuntur Iudæi, quum dicunt, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidisti?* Christus igitur, si eū respondit: *Antequā Abrahā fieret, ego sum*: de eadem subsistentia personali respondit, non de virtute suæ futuræ mortis. Alioqui nihil ad rem ipsius responsio. Non potest igitur hic locus eludi, quin efficiatur Christum etiam ante Abrahami natiuitatem, verum fuisse ὑφεστάμενον.

II. Aduersus illud Ioh. testimonium: *In principio erat*, hoc est, ὁ λόγος ἦν ὁ λόγος: Excipiunt Serueriani, fuisse in mente Dei ideam de Christo, non rem subsistentem.

R. Ambiguitas est in dictione, λόγος, & in verbo, Erat. Tota antiquitas, λόγον intellexit, non prolatitium, sed substantialem, non ideam, sed substantiam. Et verbum, *Erat*, acce-

pit, pro ὑφίστατο. Et huc refert ea, quæ de sapientia Dei dicũtur à Salomone, quum describit substantialem Dei sapientiam, & quæ omnia condiderit cum Patre. Prou. 8. 22. &c. Nõ alio sensu loquitur hîc Ioh. περὶ τοῦ λόγου. Ideò subdit, *omnia per ipsum facta sunt*: per ipsum scilicet, tanquam per causam efficientem, & verè subsistentem. Vnde de Christo ait Apostolus ad Heb. 1. 10. *Initio tu, Domine, terram fundasti, &c.* Et ad Col. 1. 16. Probat eum fuisse genitum ante omnem creaturã: quia per ipsum omnia sunt condita. Ergo quod Ioh. dicit omnia per ipsum facta esse: apertè docet τὸν λόγον ante mundi creationem, reipsa substitisse, quare & nomine λόγου se veram intellexisse substantiam: & verbum *erat*, accipiendum esse pro ὑφίστατο. Confirmant hanc interpretationem, quę sequũtur, *In ipso vita erat: & vita erat lux hominum.* Si non erat res subsistens, & viuens: quomodo reliqua omnia viuificabat? Deinde, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, hoc est, is est ille, qui omnẽ hominem à natiuitate ipsa, lumine donat naturali. Quicquid enim lucis est in hominibus; totum esse à Christo, luce vera, docet Euangelista. Quomodo autem hæc iam inde à condito orbe præstitit Christus: si non verum fuit ὑφιστάμενον? Itẽ à condito orbe quotquot eum fide receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quomodo dedit potestatem hanc si non erat substantia per se subsistens, & filius e substantia Patris genitus? Denique quod ait; *Et verbum caro factum est*: Apostolus explicat, quum ait, *Semen Abrahæ assumpsit.* Heb. 2. 16. Non potest autem dici assumpsisse substantiam, hoc est, carnem humanam ex semine Abrahæ: si non erat ipse substantia. Omnes enim actiones sunt suppositorum: vt vocant, & vt rectè tradunt Philosophi. Nam quod quidam hunc locum interpretantur de semine Abrahæ in gratiã salutis, propter Christum, assumpto: Primò vim faciunt verbo ἐπιλαμβάνεται, quod in hac significatione nusquam legitur. Deinde non cohæret interpretatio cum scopo Apostoli. Ibi enim postquam disseruisset de Deitate Messię; disseruit de eius humanitate, causas afferens, cur necesse fuerit eum fieri hominem; & quidem ex semine Abrahæ iuxta promissiones Patribus factas. Nihil igitur certius, & clarius, hoc loc. Ioh. adhibita explicatione Apostoli: ad demonstrandum τὸν λόγον ante assumptam carnem, fuisse verum ὑφιστάμενον. Excipiunt quidam, quẽ imitatur Spiritus Ochinianus, Ioh. hîc sermonem instituisse non de aliquo Dei λόγῳ substantiali, neq; de creatione mundi, quum ait, Omnia per ipsum facta esse: sed de Christo homine, quem ab officio vocet sermonem, & Deum; deque recreatione, seu renouatione mũdi per Christum facta. Et quum ait: *Verbum caro factum est*; nil aliud voluisse dicere, quàm Christum hunc, non fuisse natura Deum, sed tantùm carnem: hoc est, hominem, passionibus, & morti obnoxium: imò & vilem, atque abiectum.

Sed quàm vana & contorta sit hæc interpretatio, ac minime cohærens cum scopo Euangelistæ, & cum totius historiæ progressu, ac fine: satis abunde aliàs à nobis demonstratum fuit. Quare non opus est noua refutatione. Certè verba illa: *Mundus per ipsum factus est*: euincunt vanam esse hãc interpretationem. Nam nomine Mundi, aut machinam intelligit: sic conditor est omnium. Aut pios tantùm: sic eum pij non cognouerunt; quod falsum est. Aut impios: sic non loquitur de regno cœlesti, déque mundi renouatione. Verum quia ad hunc eundem locum excipiunt etiam, quum ex eo colligimus æternam Christi Deitatem: idcircò iterum etiam erit hic locus à contortis hæreticorum interpretationibus vindicandus. Breuitatis itaque causa clariorem explicationem in aliud tempus differo.

III. Ex loco illo Pauli, vbi Christus vocatur πρωτότοκος πάσης κτίσεως, Col. 1. 15. probauimus Christum fuisse veram personam, etiam ante mundi constitutionem. Excipiunt aduersarij, Apostolum hîc loqui de omni spirituali creatura: hoc est, de renatis. Horum primogenitum esse Christum. Et hoc confirmari, quia omnia per ipsum facta sunt, id est, refecta & renouata. Non igitur hinc consequi, ante carnem fuisse ὑφιστάμενον.

Resp. Primum contorta, & contra Apostoli consilium est, ista interpretatio. Estque paralogismus cõpositionis in ista responsione. Duo enim tribuit Christo Apostolus, primùm rerum omnium creationẽ; & hoc quatenus imago est Dei, & primogenitus æternus. Et huc spectat amplificatio; omnia tam inuisibilia, quàm visibilia per hunc esse creata: Dominationes, principatus, Angelos omnes. Deinde illi adscribit rerum omnium instaurationem; & hoc quatenus caput est Ecclesiæ, quum ait, Estque caput corporis Ecclesiæ, principium, &c. Quare iniuriam faciunt Christo, quum eum spoliãt primo opere, scilicet creationis, quod ei attribuit Apostolus. Confundunt igitur, quæ sunt discernẽda. Deinde pugnant secum isti interpretes: imò efficiunt vt secum pugnet Apostolus. Hic enim, cùm ait Apostolus, omnia esse condita, tam inuisibilia, quàm visibilia, id est, tam Angelos, quàm homines, interpretantur omnia esse per Christum reconciliata, instaurata, redemta, seruata, tam Angelos, quàm homines. At cùm ad Heb. scribens ait, *Non enim Angelos, sed semen Abrahæ assumpsit*: verbum *Assumpsit*, interpretantur, pro recepit in gratiam, Hebr. 2. 16. Ita negant, ibi Angelos receptos esse in gratiã: Annon apertè efficiunt, vt Apostolus ad Heb. neget quod volunt per eũdem affirmari ad Col. nempe Angelos, & redemtos esse per Christum, inque gratiam Dei receptos, & non esse receptos? Fallacia igitur est etiam, ex ignoratione figuræ dictionis. Quare firmum manet argumentum ex hoc Apostoli loco deductum: Christum ante mundi constitutionem, fuisse verum ὑφιστάμενον.

IIII. Cùm locum illum, apud Iohan. interpretaremur, *Glorifica me ea gloria, quam habui antequam mundus fieret*: Io. 17. 5. Ostendimus tum ex nomine Gloriæ, h. e. Deitatis: tum ex verbis, *Habui antequam fieret mundus* Christum ante cõditum Mundum fuisse verã ὑπόστασιν. Excipiunt hostes Christi, non hoc inde consequi. quoniam cùm Christus ait, *habui*, intelligit prædestinatione, quòd ad hanc gloriam fuerit destinatus: nunc verò petat eam sibi reipsâ dari.

Respon. Sed primùm addunt (vt ait Tertullianus) verbis Christi: quod addendum esse nullibi Scripturarum docetur. Deinde quid noui de se diceret Christus, quòd aliis non conueniat electis? Nam alij omnes electi, habuerunt in prędestinatione suam gloriam, ad quam sunt destinati, antequam mundus fieret. Denique verbum, *Habui*, pro reapse habui, non autem pro habui in prædestinatione duntaxat interpretandum esse, aliæ Scripturæ docent. *Qui cùm in forma Dei esset*, ait Paulus, Philip. 2. 6 *non cogitauit hanc rapinam, vt maneret in æqualitate cum Deo Patre: sed seipsum exinaniuit forma serui sumpta*, id est, cùm esset verus Deus, æqualis Deo Patri, non induxit in suum animum facere hanc rapinam, vt semper esset æqualis Patri: sed suam, quam habebat, Deitatis gloriam, ad tempus quasi deposuit, factus homo. Quid enim ait, ἑαυτὸν ἐκένωσε: non potest intelligi, nisi reapse. Reapse igitur etiam habuit eam gloriam, ante quàm fieret homo, qua gloria dicitur sese inaniuisse, cùm factus est homo. Firmum igitur manet argumentum, quo ex hoc Christi loco colligimus, eum ante mundi constitutionem, verum fuisse ὑφιστάμενον.

Cæterùm, quia confirmatis locis, quibus Christi Deitas probari solet, ex consequenti æterna quoque eius subsistentia, & οὐσία stabilitur: idcirco ad plures contra loca, quibus hanc propositionem asseruimus, exceptiones non respondeo: ne denuò postea respondendo sim prolixior, quàm par sit, & actum agam.

## CAPVT V.

### Exceptionum aduersus loca, quibus demonstratur Spiritum sanctum esse ὑφιστάμενον, refutatio.

NVNC itaque exceptiones aliquot, quæ fiunt contra argumenta, & loca Scripturarum, quibus probauimus Spiritum sanctum esse & fuisse semper verum ὑφιστάμενον, paucis indico, & eas breuiter refuto. Primum autem argumentum nostrum fuit ab illis, & proprietatibus, & operibus, quæ non nisi rebus reapse subsistentibus, intelligentibus, viuentibus, eóque veris personis, attribui possunt, deductum. Cùm enim hæc omnia tribuantur Spiritui sancto, cõclusimus Spiritum sanctum verum esse ὑφιστάμενον. Vt exempli causa quòd illi attribuatur iudicium, & cognitio: quòd loquatur, & mandet: quòd prædiṫus sit voluntate: quòd futura prædicat: & cætera id genus, Act. 15. 28. & 13. 2.

Excipiunt igitur aduersus hoc argumentum, hoc modo. Nomine Spiritus sancti, aliquando in Scripturis significari Deum (hoc est, Patrem hunc enim vnicum verum esse Deũ contendunt) qui Spiritus à Christo vocatur: & Sanctus etiam, Ioh. 4. 24 & 17. 11. Aliquando fauorem, & virtutem Dei, qua agit in electis. Aliquando dona Dei creata, & nobis cõcessa. Addunt præterea aliquando nomine Spiritus intelligi animam Christi. vt cum ait: *In manus tuas commendo Spiritum meum*, Luc. 23. 46 Ergo cùm Spiritui sancto tribuantur talia effecta, & officia, quæ nõ nisi rei subsistenti congruere possunt: tunc nomine Spiritus intelligẽdum esse, aut Deum ipsum, hoc est, Patrem: vt cùm dicitur Spiritus regenerare, illuminare: vt etiam illud: *Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult*, 1. Cor 12. 11. Aut Spiritum, hoc est, animam Christi. Et sic Spiritus Ochinianus respon-

respondet ad illa: *Spiritus sanctus docebit vos omnia: Et deducet vos in omnem veritatem &c. de meo accipiet.* Io.14.26. & 16. 13.14. *Christus* (inquit) *Spiritus sancti nomine innuit Spiritum suum, id est, animam: quæ creatura est, sicut & ipse Christus, suóque fauore, virtute, potentia, dat electis suis, interiorem omnium rerum ad salutem necessariarum, cognitionem.* Proinde ex iis locis euinci minimè posse, Spiritum sanctum esse ὑφιστάμενον, seu personam.

Resp. Primò, quod ad significata varia nominis Spiritus attinet; etiamsi, sicut damus nomine Spiritus significari aliquando animam Christi, sic etiam non inficiamur eodem nomine nonnunquam significare Deum Patrem, probari tamen nunquam poterit e scripturis, nomine Spiritus sancti intelligi aut Patrem, aut animam Christi. Aliud enim intelligit scriptura, quum simpliciter dicit Spiritum: aliud, quum ait Spiritum S. Deinde permulta sunt loca, in quibus habetur diserta horum trium, Patris, Filij, & Spiritus sancti, distinctio. Denique sunt loca, in quibus quæ prædicantur de Spiritu sancto, non possunt non intelligi de tertia in Deo persona. Ac proinde, quibus euincitur necessariò, Spiritum hunc sanctum verum esse ὑφιστάμενον, imò & verum Deum. Adfero vnum, aut alterum exemplum. *Paracletus autem ille* (inquit Christus) *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis*, Io.14.26. Hic primo nomine Spiritus sancti, quem παράκλητον ab officio, & effectu vocat, non potest intelligi Pater, nam is est, qui dicitur missurus hunc Spiritum: deinde neque anima Christi, nã in nomine Christi mittẽdus erat. Et anima Christi ab eius corpore post resurrectionem nũquã fuit separata: sed cũ corpore sẽper in cœlo permãsit, & permanet vsque ad finẽ seculi. Act.3.21. Deniq; nec virtus aliqua Dei potest intelligi quæ non sit substantia; tum quòd in Deo nihil est, quod non sit substantia, hoc est, Deus ipse: tum quod tali virtuti, quæ non sit Deus, & res per se subsistens, attribui non possunt, quæ hic prædicantur de Spiritu sancto: vt quod sit doctor, quod sit παράκλητος, quod omnia suggerat. Sed est præterea hoc in loco aperta distinctio, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Huc accedit quòd quæ de Spiritu sancto dicuntur, ea non possunt nisi in rem per se subsistentem quadrare. Quare hinc facilè concluditur, Spiritũ sanctum esse ὑφιστάμενον distinctum à Patre, & Filio. Eodem modo ex altero loco: *Quum autem venerit Paracletus ille quem ego mittam à Patre, &c.* Ioh.15.26. possumus idem concludere. Huc faciunt & illa: *Quum autem venerit Spiritus veritatis, introducet vos in omnem veritatem.* Et: *Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur*, Iohan.16.13. Ex his luculentissime apparet, primum illum de quo hæc effecta prædicantur, veram esse substantiam, viuentem, intelligentem, & libera voluntate præditam, eóque veram personam: At proinde hic nullo modo sermonem fieri de Spiritu Dei, qui sit fauor, vel ἐνέργεια in sanctis operans: ac multò minus de dono aliquo creato & nobis concesso. Deinde liquet, apertam fieri distinctionem inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & quę narrata sunt effecta, Spiritui sancto specIatim tribui, atque ita Spiritum sanctum esse verum ὑφιστάμενον.

II. At excipiunt secundo loco [illegible]: quum dicitur, Spiritus docturus, & suggesturus Apostolis omnia, tribui Spiritui, hoc est, virtuti Dei, quod præstat ipse Deus Pater suo Spiritu, id est, sua virtute, & ἐνεργείᾳ. Sicut quum etiam dicimus, vitia superari à virtutibus, id est, improbos à bonis. Quare sensum esse, Spiritus sanctus suggeret: id est, Deus Pater sua virtute. Primò non inficiamur, Deum Patrem esse, qui agat omnia per λόγον, & per suum Spiritum, seu virtutem. Sed contendimus sicut de λόγῳ, seu Sapientia Dei Patris, sic etiam de eiusdem virtute, seu Spiritu, eum non esse accidens: sed substantiam viuentem. Deinde dicimus, hæc opera, de quibus hic sermo est, propriè attribui Spiritui sancto, tanquam rei à Patre, & à Filio distinctæ. Quis enim non hic videat, alium esse Patrem, qui mittit: alium Filium, in cuius nomine ille mittit, & alium Spiritum sanctum, qui mittitur. Actio autem hæc suggerendi, & docendi, datur Spiritui sancto, non Patri, vt intelligamus, Spiritum hunc substantiam esse agentem, & viuentem. Præterea Christus hunc Spiritum vocat consolatorem, παράκλητον, non autem παρακαλοῦν: est igitur res subsistens, & intelligens. Et vocat alium, scilicet à se, παράκλητον. Alius igitur est, distinctus à Patre, & Filio. Quare non potest esse virtus, & ἐνέργεια Patris, id est, Pater ἐνεργητικός. Dicitur etiam procedere à Patre: non est igitur Pater ἐνεργητικός. Nam Pater non procedit à seipso. Neque est ἐνέργεια quæ sit accidens. Denique ibidem Christus dicit de hoc Spiritu, De meo accipiet. Et: Non loquetur à seipso, sed quæcunque audiet, &c. Hoc autem ad Patrem accommodari nullo modo potest. Nam Pater nihil accipit à Filio. Neque dicitur aliquid à Filio audire: sed semper à seipso loquitur.

III. At tertio loco excipit Spiritus Ochinianus. Neque Spiritus sanctus, si est diuina persona, ab aliis audit, aut dicit, quæ loquatur, sed à seipso, & per se, quia Deus. Quasi verò non idem dicatur de Filio apud Ioh 5.30 audisse, &, didicisse à Patre, quæcunque in mundum attulit. Neque tamen his locutionibus significatur, vel Filium vel Spiritũ sanctũ, non esse Deum, sed duo alia indicantur: Primùm notatur consensio doctrinæ: nihil scilicet Filium attulisse in mundũ, quod non sit à Deo Patre. Esse igitur diuinam eius doctrinam. Et: Spiritum sanctum nihil allaturum fuisse, quod foret à doctrina Filij, eóque & Patris dissentaneum. Deinde indicatur distinctio, & ordo personarum: nempe, Quicquid est, & habet Filius, totum illud eum habere à Patre, &, quicquid est, aut habet Spiritus sanctus, totum illud esse non solùm à Patre, sed etiam à Filio. De Patre autem neque vsurpantur, neque vsurpari possunt hæ loquutiones: propterea quòd nihil habet ipse, aut à Filio, aut à Spiritu sancto, sed contrà, ipse principium est omnis scientiæ, & totius deitatis in Filio, & in Spiritu sancto: sunt igitur in omnibus his exceptionibus paralogismi, ex ignoratione figuræ dictionis, & phraseon scripturæ.

IV. Aduersus illum Pauli locum, quo æternam Spiritus sancti substantiam probauimus, *Nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei*, 1. Cor.2.11. Excipit Spiritus Ochinianus, nomine Spiritus ibi non intelligi Spiritum sanctũ, qui sit tertium ὑφιστάμενον, sed hominem spiritualem. Et hunc esse sensum: Sicut hominis arcana, solus nouit hominis spiritus: ita arcana, ac profunda Dei non esse carnalibus hominibus nota: sed tantum renatis, & Spiritu Dei præditis. Quare hinc non posse colligi Spiritum sanctum esse ὑφιστάμενον.

R. Fallitur Spiritus Ochinianus in eo, quod nomine Spiritus Dei intelligit hominem spiritualem. Neque enim potest hoc aliis scripturis confirmari. Nos autem possumus demonstrare, discrimen esse apud Apostolum, inter τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ, & inter τὸν ἄνθρωπον πνευματικόν. Deinde comparat Apostolus Spiritum Dei cum spiritu hominis, & docet: vt ideò homo intelligit solus, quæ sunt mentis, quia in ipso est Spiritus: id est, anima, cuius vi intelligit, quæ hominis sunt, id est, sua: ita ideò solum spiritualem hominẽ intelligere, quæ sunt Dei; quia in eo solo est Spiritus Dei, cuius vi intelligit, quæ Dei sunt. Tria enim ibi in summa docet Apostolus. Primùm, tantam esse humanæ mentis cæcitatem, vt ea quæ sunt Dei, per se, & proprio ingenio, nemo possit percipere, etiamsi e scripturis prædicentur. Deinde, qui ea intelligunt: ideò intelligere, quia Deus reuelat internè per Spiritum suum. Postremò hanc, qua per afflatum Spiritus sancti donamur, cognitionem Euangelij, esse certissimam, quia Spiritus sanctus, per cuius vim, & ἐνέργειαν reuelantur cœlestia mysteria: ea certissime nouit, & nihil eum latet eorum, quæ in Deo sunt, etiam profundissima. Ideò notanda verba Apostoli: *Nobis autem Deus reuelauit per spiritum suum.*

At, inquies, sunt ne certa, quæ per hunc Spiritum reuelantur? Maximè. Spiritus enim (scilicet per quem reuelat Deus Pater) omnia scrutatur; profunditates etiam Dei. Duo certè hinc colligi nemo non videt: Primùm eundem esse Spiritum, qui scrutatur profũda Dei, & per quem Deus sua reuelat mysteria. Deinde hunc Spiritum esse substantiam viuentem, intelligentem, & diuinã: quia huic tribuitur actio, quæ non cadit nisi in substantiam intelligentem. Etiã spiritualis homo scrutatur mysteria Dei, eáque nouit, sed per Spiritum Dei, qui per se omnia profunda scrutatur, id est, apprimè tenet. Vnde & ipse Spiritus sanctus, reddit testimonium Spiritui nostro, quod simus filij Dei. Rom.8.16. Nihil igitur certius quàm ex hoc loco effici, Spiritum sanctum, veram esse personam, intelligentẽ, viuentem, agentẽ, docentem.

V. At falsum est, inquit Spiritus Ochinianus, solum Spiritum sanctum nouisse, quę sunt Dei. An non etiam Pater nouit, & Filius? Quasi verò non idem dicatur de Filio, *Nemo nouit Patrem, nisi Filius.* Et de Patre, *Nemo nouit Filium, nisi Pater.* Matth. 11.27. Annon etiam Spiritus sanctus vtrumque nouit? Omnino. His enim Phrasibus non excluduntur ab hac cognitione per se, nisi creaturæ: non autem persona vlla diuina: quia vnum & idem sunt ἴδια, eóque & scientia. Firmum igitur manet argumentum ex hoc Apostoli loco deductum ad probandum, Spiritum sanctum verum esse Deum eóque & verum ὑφιστάμενον: tum quia nouit per se, quæ Dei sunt: tum quia etiam per afflatum reuelat mentibus nostris.

Atque hæ sunt præcipuæ exceptiones, quibus conantur Aduersarij eludere illa loca, quæ pro asserenda Spiritus sancti hypostasi adferri solent. Nam quæcunque aliæ aduersus eadem loca adferuntur: eiusdem sunt generis, eosdémque habent paralogismos figuræ dictionis, & ὁμωνυμίας. Aut enim subiectum, hoc est, nomen Spiritus, petunt; & illud aliter accipiunt, quàm accipiendum sit. Aut prædicatum: hoc est, ea quæ de Spiritu sancto prædicantur, secus quàm debeant, interpretantur. Sed tamen, tum ex illorum locorum circumstantiis, tum ex aliis Scripturarum similibus locis; facilè refutari possunt id genus contortæ interpretationes. Sunt enim certa loca in Scripturis de spiritu sancto, quæ illum, & distinctum esse à Patre, & Filio, & veram esse substãtiam, viuentem, volentem, intelligentem, euincunt.

## CAPVT VI.

### Sophismatum, aduersus veram Filij, ante assumptionem carnis, ὑπόστασιν: ex scripturarum aliquot locis, malè intellectis, desumptorum, confutatio.

OMISSIS igitur, breuitatis causa, aliis exceptionibus: venio ad ipsorũ Samosatenianorũ, Photinianorúmque, & Seruetianorum sophismata: quibus probare conantur, Christum, ante natiuitatem ex virgine, nihil fuisse substãtiale; seu simpliciter non substitisse. Ac primùm quidem circumfertur libellus manuscriptus, suppresso auctoris nomine, in quo multa huiusce generis sophismata leguntur. Eadem repertuntur in sylua Transsyluanorum, Iulæ Albę impressa. Ac in primis, & ante omnia retinenda est summa illius libelli. Conantur demonstrare, Christum purum & nudum esse hominem, seu (vt Græci loquuntur) ψιλὸν ἄνθρωπον. Inde verò inferunt: Ergo antequam nasceretur ex virgine; non fuit res subsistens, seu ὑφιστάμενον. Vt verò probent Christum purum esse hominem: coacernant ex Euangelistis ea, quæ illi diligẽtissimè scripta reliquerunt, de Christi hominis conceptione è Spiritu sancto: de natiuitate ex virgine: déque aliis, quæ ad humanam Christi naturam confirmandã, ex semine Abrahæ, & Dauidis sumptam, pertinent. Sed ex iis non efficitur quod volunt. Efficitur quidem, Iesum esse verum Messiam, qui promissus fuerat per prophetas, ex semine Dauidis. Et hic est scopus Euangelistarum in illis historiis. Sed nequaquam concluditur, Iesum esse ψιλὸν ἄνθρωπον. Argumentum illorum sic componitur.

Euangelistæ diligentes sunt, in describenda Iesu Christi cõceptione, & aliis: quibus apparet illum verum esse hominem, & quidem è semine Dauidis: ideóque verum esse Messiam. Nunquam autem mentionem faciũt de altera generatione ęterna ex Patre: seu de altera, quam ei adscribitis, natura, nimirum diuina.

Ergo nullo modo est æternus Deus. Ac proinde non fuit ante Mariam verum ὑφιστάμενον.

Sed falsissimum est alterum antecedentis membrum. Hęc est summa argumentorum omnium in illo libello; & etiam nostræ ad ea responsionis. Vtile tamen fuerit, quædã ex illis deligere: & quænam ibi admittantur fallaciæ, explicare.

II. Primum igitur sophisma est à promissionibus de Christo.

Christus (inquiunt) in veteri Testamento fuit promissus: non autem datus. Et huc citantur multæ promissiones de Christo è veteri Testamento: quarum aliæ sunt, de eius humanitate, eum scilicet nasciturũ ex semine Abrahæ & Dauidis. Aliæ sunt de eius officio, quod in carne tantùm effecturus erat.

Ergo, inferunt, non fuit res subsistens.

R. Vitiosa est illatio: quia argumentum est à dicto secũdũ quid, ad simpliciter. Christus enim promissus erat secundum quid: & ideò etiam non erat secundum quid. Sed non sequitur, Ergo non erat simpliciter: id quod aduersarij inferunt: vt concludant eum, tunc temporis non fuisse verum ὑφιστάμενον. Extabat promissio futurum, vt Messias, seu Mediator & Seruator nasceretur, è semine Dauidis, nempe, secundùm carnem, vt Paulus interpretatur: Rom. 1. 3. & efferret sacrificium corporis sui in salutem nostram: idque certo, & præfinito tempore, vt docet Daniel, & alij Prophetæ. Hinc optime infertur: Ergo vsque ad illud tempus, Messias nondum erat homo, & nondum sacrificium corporis obtulerat. At non sequitur, Ergo simpliciter non erat, seu non subsistebat, Etiam Abrahamus promissus fuerat, vt pater multarum gentium: consequetúrne: Ergo Abrahamus, quum fuit illi facta hæc promissio, reapse nullo modo subsistebat. Cœlum quoque promissum nobis est, vt plena & æterna nostra possessio, post resurrectionem: quid tamen ineptius, quàm si sic inferas, Ergo cœlum, ante resurrectionem mortuorum, simpliciter non est? Multò absurdius fuerit idem de Christo, ex promissionibus de eius incarnatione, & Mediatoris officio, factis, inferre. Ratio est: quia Christus non vna duntaxat, sed duplici constat natura: diuina vna; & humana altera. Subsistebat igitur, quod ad diuinam attinet, quia æterna: non subsistebat, quod ad humanã, quia temporalis. Est igitur paralogismus ex ignoratione elẽchi: quia ex eo, quod Christus non erat κατά τι, inferunt, illum non fuisse ἁπλῶς. Ac si quis velit probe videre fallaciam enthymematum, resoluat ea in syllogismos: vniuersali propositione assumta. Eam videbit esse falsam, vt hîc.

Omne quod promittitur, tantisper dum non datur, nondum est.

Christus fuit promissus homo. Ergo, &c.

Maior est falsa; simpliciter accepta: vera autem, si dicatur eatenus rem non esse, quatenus promissa est. At tum vitium erit in minore. Nam ex promissionibus de Christo contrà efficitur necessariò; Christum tum etiam, hoc est, ante complementum promissionum; fuisse rem verè subsistentem. Ac primùm quidem à promissionibus de eius humanitate. Fuit promissus talis Christus, qui futurus esset ex semine Dauidis: non simpliciter, sed secundum carnem, vt Paulus est interpretatus, & Christus ipsè docuit. Rom. 1. 3. Matt. 22. 42. Alterius igitur etiam tum erat naturæ; secundum quam, & Iehoua à Prophetis: & Deus benedictus, Deúsque verus ab Apostolis fuit appellatus: vt anteà fusè à nobis est demonstratum. Deinde à promissionibus de eius officio. Fuit promissus talis Christus; qui suo sanguine deleret peccata, mundúmq; à morte seruaret. Atqui hoc nõ potuisset præstare, nisi fuisset verus Deus: ideò vtrumque coniungunt Prophetæ, vt Hier. 23. vers. 7. *Et hoc est nomen: Iehoua, iustitia nostra.* Erat igitur Deus, eóque res verè subsistens.

III. Secundum sophisma, à narrationibus Euangelistarum, de Christo exhibito.

Colligunt præterea isti multa testimonia ex nouo Testamento, quibus docemur Christum, qui anteà promissus fuerat, fuisse datum. Et qualemnam, ac quomodo? Filium Dauidis, Abrahami, conceptum è Spiritu sancto, & natum ex Maria. Quis hæc neget? Ergo inferunt, Christus non solùm non ante Abrahamum & Dauidem: Sed neque ante Mariam, fuit res subsistens.

R. Idem hîc admittitur paralogismus, qui in superiori sophismate. Christus enim est filius Abrahæ, Dauidis & Mariæ, non simpliciter, sed secundùm quid, hoc est, secundum carnem, secundum quam etiam promissum fuerat, eum futurum horum omnium filium. Item conceptus est de Spiritu sancto, in vtero virginis, non simpliciter, sed secundùm quid, hoc est, quà homo. Sequitúrne, Ergo ante Mariam virginem, & ante conceptionem è Spiritu sancto, simpliciter non fuit Christus? Sequeretur, si probari posset, præter carnem, hoc est, præter humanã naturam, illum nulla alia constare natura. Sed hoc opus, hic labor est. Hoc enim est, quod controuertitur. At, inquiunt, vnus tantùm est Christus: & quidem non alius, quàm ille Iesus, qui natus est ex virgine: Quis hoc neget? Sed propositio opus habet explicatione. Vnus tantùm est Christus; nempe persona. Item, non est alius, quàm ille Iesus; nimirum persona. Quid tum? Ergo vnius tantùm naturę: ac proinde ante natiuitatem ex virgine non fuit ὑφιστάμενον? Nihil minùs ex illo assumpto sequitur, quàm hæc illatio. Simile affero: Vt si, ex sententia quorumdam, animæ nostræ creatæ fuissent omnes iam inde ab initio mundi; (quod tamen falsissimum est) sed postea diuersis temporibus, diuersis copularentur corporibus: non valeret certe hæc sequela ab vnitate personæ, ad vnitatem naturæ. Iacobus est vnus, & non alius, quàm ille, qui natus est ex Zebedæo. Iacobus igitur vnius tantùm est naturæ, nempe corporeæ; ac proinde Iacobus ante corpus nihil fuit. Fuit enim anima, quæ est incorporea. Ab vnitate igitur personæ ad vnitatem naturæ: vitiosum est argumentum, & est fallacia ex ignoratione elenchi.

IV. Tertium argumentum, quòd idem ferè est cum secundo, ducitur à diligentia, qua Euangelistæ scribunt Iesu Christi hominis, conceptionem, natiuitatem, passionem, mortem, vbi, vt aiunt, nullum verbum faciunt de priore conceptione, qua eum dicitis Filium Dei æternum, è Patris substantia genitum.

Non fuit igitur ante Mariam Filius Dei, eóque nec ὑφιστάμενον.

R. Pri-

R. Primum antecedentis membrum damus: Euangelistas, præsertim tres primos, maxima diligentia descripsisse Iesu Christi conceptionem, & natiuitatem ex virgine. Et quidem maiori visos esse in afferenda vera eius humanitate, ex semine Dauidis sumpta; quàm in explicanda eius deitate, & ex Patris substantia generatione. Huiusce autem rei hæc fuit ratio: non quod vellent negligere, aut negare eius deitatem; sed quoniam illis Euangelistis scopus erat, demonstrare, hunc Iesum esse illum Messiam, qui promissus fuerat per Prophetas, ex semine Dauidis, & ex virgine nasciturus, in Bethlehem. Nam hoc demonstrato, satis aperte euincebatur è scriptis Propheticis; verum etiam, & naturalem esse Dei Filium, & Iehouam: quoniam talis debebat esse Messias. Hic scopus liquet ex Matth. primo capite. Primum igitur antecedentis membrum damus. Sed alterum negamus; nempe Euangelistas nullam mentionem fecisse illius generationis æternæ ex Patre Deo. Nam quàm aperte eam explicet Iohann. antea demonstrauimus.

V. Quartum argumentum aduersariorum, idem ferè est cum tertio. Est enim à descriptione Christi, ex actionibus humanæ ipsius naturæ. Tale autem est argumentum.

Quis verus est Christus, Filius Dei, is etiam est tantùm vnus, & talis, qui creuerit sapientia, & ætate. Vnum enim duntaxat Christum Filium Dei, nobis tradunt Euangelistæ, & eum describunt talem, qui creuerit sapientia, & ętate, qui esurierit, &c. Luc 2.52. Matth. 4.2. Atqui Christus quem prędicatis, non est talis, neq; enim est vnus. Fingitis enim duos Christos; vnum æternum, & inuisibilem, & immortalem? alterum tẽporalem, visibilem, & mortalem. Ergo vester Christus non est verus Christus, Filius Dei.

R. Primò maiorem distinguimus. Christus verus, est vnus, nempe persona: crescit ætate; respectu naturæ humanæ: non autem diuinæ. Deinde verò minorem reiicimus. Falsa enim est & calumniosa: nam nos quoque Christum Filium Dei, vnum duntaxat prædicamus: sed persona, non natura. Sicut etiam quemuis hominem, vnum esse dicimus; persona, non natura; quasi vna tantùm constet natura, seu substantia. Duplici enim constat natura quiuis homo; nimirum spirituali & corporali: anima & corpore. Et illa inuisibilis est, & immortalis, hoc visibile, & mortale. Non pugnat igitur cum vnitate personæ Christi; duplicis etiam eum esse naturæ; humanæ scilicet, & diuinæ. Deinde docemus hunc vnicum Dei Filium creuisse ætate & sapientia, vt describunt Euangelistæ: verùm hoc non simpliciter, sed κατά τι, hoc est, non secundum diuinam, sed tantùm secundum humanam naturam. Nam secundum diuinam, non talem eum nobis describunt Euangelistæ, sed æternum prædicant, qui fuerit ante Abrahamum, per quem omnia sint facta. Ioh. 8.58. & 1.3. Hęc autem non pugnant inter se, nempe vnum & eundem Filium Dei, Christum, & natum esse ex Maria, & fuisse ante Mariam, & esuriisse, & non esuriisse, & creuisse, & non creuisse: Quoniam secundum diuersas in eo naturas, hæc de illo prædicant Apostoli. Certè Paulus ad Rom. 1.3 ait, Christum esse ex semine Dauidis, nõ simpliciter, sed κατὰ σάρκα. Et Petrus 1.3.18. ait, eum mortificatum esse, nõ simpliciter, sed carne: viuificatum autem Spiritu, hoc est, suæ Deitatis virtute, quo Spiritu, hoc est, Deitate etiam tempore Noë prædicauerat; & deinde seruârat Ecclesiam suam. Est igitur paralogismus ex ignoratione elẽchi: quia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter concludit: quæ conclusio vitiosissima est. Hac distinctione, de duabus in Christo naturis, quæ certissima est in scripturis, ad reliqua ferè omnia quæ in eo libro sequuntur argumenta respondetur. Ferè enim ab iis, quæ de Christo secundum humanam naturam prædicantur, cùm ea non competant in diuinam, inferunt Antichristi, Christum nihil aliud esse natura, quàm hominem. Ac proinde non subsistisse antequam homo natus esset ex Maria: quòd scilicet alioqui pugnantia de eodem prędicarẽtur, nempe & fuisse ante Mariam, & non fuisse, & fuisse vnctum Spiritu, & non fuisse vnctum. Quasi verò pugnantia sint, quæ de eodem quidem, sed secundum diuersos respectus, & naturas, affirmantur, & negantur, quòd homo, & mortalis sit, & non mortalis: visibilis & inuisibilis: cùm vnum intelligatur respectu animæ, alterum respectu corporis. Est igitur frequens in horum argumentationibus ille paralogismus, qui ducitur ex ignoratione elenchi; quia arguunt à secundum quid, ad simpliciter: & vt pugnantia proponunt, quæ non sunt pugnantia. Certè absurdum est, & impium, & omninò pugnans, dicere Christum secundum naturam humanam, & fuisse ante Mariam, & non fuisse, vnctum fuisse Spiritu sancto, & non fuisse vnctum. At hæc de Christo affirmare, & negare, respectu diuersarum eius naturarum, minimè sunt pugnantia, nec contradictionem indicant. Quòd si excipiant: At negamus Christum his duabus constare naturis: hoc est τὸ κρινόμενον, de quo disputatur. Nos iam abundè probauimus: & in refutationibus sophismatum aduersus æternam Christi Deitatem, magis ac magis dilucide apparebit, Christum verum esse, & æternum Deum. Proinde horum exceptio in hac præsenti disputatione nullum habet locum: cùm nostra, pro Christi æterna Deitate, refutata nondum sint.

VI. Quintum sophisma à causa, quam adfert Angelus, cur Iesus vocandus sit Filius Altissimi. Luc. 1.35. Argumentum tale est.

Christus nulla alia ratione Filius Dei, & Altissimi est appellatus: quàm quia conceptus est in vtero matris e Spiritu sancto. Ergo non fuit Filius Dei ante hanc conceptionem de Spiritu sancto.

Quare non fuit ὑφιστάμενον.

Assumptum probant hoc modo. Angelus causam, cur Iesus vocandus esset Filius Altissimi, non aliam attulit, quàm hanc: nimirum: quia concipiendus erat de Spiritu sancto. Nullam igitur aliam Filiationis diuinæ rationem in Christo nouit Angelus; quàm quòd è Spiritu sancto concipiendus erat. Quare Christus si non est Filius Dei, nisi quà homo conceptus est e Spiritu sancto: non fuit ante Mariam ὑφιστάμενον.

R. Primùm ratio, qua probant assumptum, falsa est. Angelus enim indicat, illum, qui sumpturus erat carnem in vtero virginis, esse iam Filium Dei, alia ratione, quàm quia concipiendus erat homo de Spiritu sancto. Sic enim dixit, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον. *Ideò etiam (id) quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, Luc. 1.35. Quorsum illa particula copulatiua, *etiam*? Nimirum quia voluit indicare, Christum antea quidem fuisse Filium Dei, alia, quàm nunc recens natus sit, ratione, nempe, quia genitus è substantia Dei Patris: illius scilicet naturæ respectu, quà non est conceptus e Spiritu sancto. Nunc verò etiam aliam accedere rationem; propter quam, idem vere futurus sit Filius Dei, potius quàm hominis: etiam secundùm illam naturam, qua nasciturus erat ex virgine: quia scilicet non e semine viri, sed ex Spiritu Dei, hoc est, vi Spiritus sancti, erat concipiendus. Hanc vim habet illa particula Etiam, καὶ, vt optimè obseruauit Epiphanius. Deinde non valet sequela; Angelus causam vnam adfert, cur Iesus vocandus sit Filius Dei. Ergo aliam non nouit: & Christus non fuit Filius Dei, nisi quà homo; Ac proinde non fuit, antequam ex virgine nasceretur. Angelus enim eam tantùm attulit, quæ ad rem præsentem faciebat. Concipiendum hominem in eius vtero prædixit. Modum porrò docet, futurum non humanum, sed diuinum: vi nimirum Spiritus sancti. Spiritum enim sanctum, hanc virginis substantiam, quam illa ad conceptionem Filij suppeditatura erat: sãctificaturum. Hinc igitur fieri, vt etiam hac de caussa Filius Dei appellandus foret. Fallacia igitur est, quæ dicitur, non causa, vt causa. Ratio enim, cur Angelus vnam tantùm expresserit causam, non fuit, vt aliam omnem excluderet. Sed tantùm vt significaret, quamobrem Christus, quatenus etiam homo est, futurus esset Filius Dei, quia scilicet concipiendus erat de Spiritu sancto.

Quòd si excipias: Ergo hac vestra interpretatione, & sententia, duos in Christo constituitis filios Dei; vnum illum λόγον, alterum hominem assumptum: Ita Nestorianam hæresim reuocatis: Non valet consequentia, à duplici ratione, qua dicimus vnum, & eundem Christum esse Dei Filium: ad duplicem personam quam in Christo fingebat Nestorius. Dicimus etiam Christum duplici ratione esse Mediatorem: Primò quà æternus Dei Filius est, quia ad hoc officium ipse non Pater, aut Spiritus sanctus, destinatus fuit: Vnde etiam, ante carnem assumptam, Mediatoris officia multa pręstabat: Deinde quà homo; quia sic homo, persona Filij vnitus, fuit destinatus ad patiendum, & moriendum pro nobis. Non sequitur tamen duos esse Mediatores. Apostolus enim ait, 1. Tim. 2. v. 5. *Vnus Deus, vnus & Mediator.* Idem igitur Christus Filius est Dei, primùm quà Deus, quia de Patris substantia ab ęterno genitus. Deinde quà homo, quia conceptus de Spiritu sancto. Imò etiam tertiò propter vnionem hypostaticam cum Verbo Filio Dei. Neque tamen sunt tres Filij. Fallacia igitur accidentis est.

VII. Sextum argumentum, quod ducitur à verbo futuri temporis; *vocabitur Filius Altißimi*, tale est:

Christus ante natiuitatem ex Maria virgine, non fuit appellatus Filius Dei. Ergo nec reuera fuit Filius Dei, eóque nec ὑφιστάμενον. Angelus enim ait, *vocabitur*; significans nunquam fuisse antea vocatum; eóque etiam nunquam fuisse reapse Filium Dei. Quare non fuit ὑφιστάμενον.

R. Primò negatur assumptum. In veteri enim Testamento non desunt testimonia, quibus vocatur Filius Dei, vt

aliàs vidimus: Et multa citantur à Paulo ad Hebr.1.5.&c. Neque aduersus hæc loca vlla valet exceptio, vt ante planum fecimus, in responsione ad exceptionem quartam, contra ὑφιστάμενον τοῦ λόγου. Neque illatio hæc sequitur ex antecedente: Non fuit ante incarnationem vocatus Filius Dei; ergò non erat Filius Dei. Sunt multa in nouo Testamento, vt de veteri taceam; quæ apertissimè docent, qui factus est homo, eundem fuisse etiam antea Filium Dei. *In principio erat Sermo, per quem omnia facta sunt*, Io.1.14. Hunc autem mox vocat vnigenitum Dei Filium. *Et sermo vitæ erat apud Patrem, & nunc manifestatus est*.1. Io.1.2. Ergo erat Filius. Ad dictum Angeli sic respondemus: *vocabitur*, non significat simpliciter erit; sed, agnoscetur & prædicabitur. Filius Dei. Deinde etiamsi demus hoc verbo significari simpliciter, erit, nihil tamen concluseris. Non enim ait, nunc primùm vocabitur, hoc est, erit; quasi antea non fuerit. Denique sequitur quidẽ; *vocabitur Filius Dei*, hoc est, erit; Ergo antea nõ erat Filius Dei, ea scilicet ratione, qua homo conceptus est e Spiritu sancto. Sed non valet: Ergo simpliciter ante hac non fuit Filius Altissimi. Est igitur Fallacia à dicto secundũ quid, ad dictum simpliciter.

VIII. Septimum argumentum, ductum ab illo Apostoli dicto ad Corinth.1.1.23.& 2.1 2. *Nos prædicamus Christum crucifixum*: & nihil noui, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, tale est.

Ille tantum est verus Christus, & Filius Dei, qui fuit crucifixus, & mortuus pro salute nostra. Atqui Filius ille vester æternus, quem dicitis esse in Christo, non fuit crucifixus.

R. Ad minorem. Falsum est, nos alium Dei Filium statuere & prædicare, præter Iesum Christum. Nam vnum nos quoque tantùm Dei Filium agnoscimus, Iesum crucifixum. Sed duabus constare eum dicimus naturis. Et vnius quidem naturæ respectu passum esse & crucifixum: alterius nequaquam. Omnes sunt paralogismi à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

IX Octauum argumentum est eiusmodi.

Qui negat Patrem & Filium, is est Antichristus.1.Io.2.22. Vos hoc facitis, dum prædicatis Christum esse æternum: & negatis esse temporalem, natum in tempore.

R. Ad minorem. Non prædicamus Christum simpliciter esse æternum, sed κατά τι, quò ad naturam diuinam. Neque simpliciter admittimus esse temporalem; sed κατά τι, respectu humanæ naturæ. Omnes igitur Paralogismi, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Ideò hoc argumentum in eos retorquetur.

Illi, qui negant Patrem & Filium, sunt Antichristi. Hoc faciunt Seruetiani, dum negant Christum esse vnigenitum, hoc est, solùm e substantia Patris genitum: & dum cõtendũt Deum Patrem, aliquando non fuisse Patrem; nempe cum Iesus nondum esset conceptus e Spiritu sancto.

X Nonum argumentum est huic simile:

*Qui non confitetur Iesum Christum venisse in carne, is est Antichristus*, 1.Io.4.3 Vos nõ confitemini, dum dicitis apparuisse Patribus ante carnem assumptam.

R. Quasi verò ista pugnent, Christum venisse in carne, vno tẽpore, hoc est τὸν λόγον factum esse hominem, & in carne sese manifestasse: Et Christum, hoc est, λόγον alio tempore non venisse in carne, sed sese sine carne Patribus patefecisse. Pugnantia vero essent, si hæc non solùm de eodem, sed etiam secundum idem, & eodem tempore dicerentur. Apostolus enim non ait: Si quis iam inde ab initio mundi non sit confessus Iesum venisse in carne; is est Spiritus Antichristi. Quomodo enim hoc potuissent confiteri Patres in veteri Testamento? Sed ait: *Si quis non confitetur*; nempe iam: posteaquàm scilicet manifestatus est in carne. Omnes quidem illi Patres confessi sunt Christum venturum fuisse in carne: sed non potuerunt dicere, iam venisse. Ergo non sequitur eum esse Spiritum Antichristi, qui dicit ante carnem assumptam, Christum, hoc est, τὸν λόγον apparuisse etiam sæpe in carne: ὑποστατικῶς scilicet sibi vnita; non autem simpliciter. Nam patribus etiam sępe in carne apparuit: verùm non ὑποστατικῶς sibi coniuncta: vt Iustinus, Irenæus, & alij docuerunt. Imò ex hoc Iohann. loco aperte colligitur, Christum etiam ante carnem fuisse verum ὑφιστάμενον. Si enim venit in carne, non est igitur simpliciter caro, id est homo. Aliud enim sit ille, qui venit: & aliud id, in quo venit, necesse est, Paulus hoc docet, dicens. *Deus manifestatus est in carne*.1.Timo.3.16. Proinde ex hoc loco Seruetiani conuincuntur negare Christum venisse in carne: eoque veri esse Antichristi: dum negant Christum qui venit, aliud esse, quàm carnem, in qua venit.

XI. Decimum argumentum ductum à locis, vbi dicitur factus, eiusmodi est. Multis in locis scripturarum Christus dicitur factus à Deo Patre, Dominus, & Christus; Spiritus viuificãs, iustitia, sanctificatio. Act.2.36.1. Cor.15.45.& 1.30. Non fuit autem factus, nisi quum natus est ex Maria virgine. Non igitur ante virginem erat ὑφιστάμενον.

R. Ad maiorem. Dicta illa non dicuntur simpliciter, sed κατά τι Factus fuit respectu humanæ naturæ, non diuinæ. Proinde scriptura nunquam dicit, eum factum esse Deum; sed genitum ex Deo Patre. Vitiosa igitur conclusio: quia concludit à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Hæc sunt præcipua, quæ in illo libello manuscripto continentur sophismata. Reliqua sunt facilia ad refutãdum. Omnia enim eosdem fere habent paralogismos, nempe aut non causæ, vt causæ: aut, qui frequentior est, à dicto κατά τι ad dictum, ἁπλῶς.

---

## CAPVT VII.

### Refelluntur alia quædam sophismata, ab humana ratione ferè petita: quæ contra Filij, & Spiritus sancti hypostases, earumque distinctionem: adferri solent.

NVNC quædam alia illis quæ refutauimus, grauiora, & difficiliora ad diluendum; refellenda nobis sunt.

Vndecimum igitur argumentum ab incarnatione τοῦ λόγου, seu ab assumente λόγῳ, & à se assumta: ad absurdum ducendo tale est.

Si λόγος ante assumtam carnem fuit verum ὑφιστάμενον: Et hoc ὑφιστάμενον assumsit, sibique vniuit carnem; id est, factus est homo. Sunt igitur duo ὑφιστάμενα in Christo, duæque personæ. Nam etiam id, quod assumtum est, vera & rationalis substantia, eoque persona.

Hoc autem hæreticum est dicere, est enim hæresis Nestorij.

Resp. Negatur illatio ex illa hypothesi. Ad probationem: Assumsit (inquiunt) carnem, id est hominem: negamus interpretationem. Assumsit enim naturam humanam, non hominem, proprie loquendo. Natura autem illa humana ante assumtionem, non erat ὑφιστάμενον. Nihil igitur concludis. Notandum igitur pro explicatione huius breuis responsionis, magnam esse dissimilitudinem inter λόγον assumentẽ, & rem assumptam. λόγος enim assumens; ante etiam assumtam carnem, per se erat ὑφιστάμενον, & persona; quia Deus. At res assumta, hoc est, humana natura; non fuit ante sui assumtionem, aliquid per se subsistens, & persona. Quasi verò primùm procreata sint anima & corpus Christi; deinde ipse λόγος ea sic creata assumserit. Hoc est, quod multis imponit in hoc argumento, quum imaginantur id, quod assumsit λόγος, fuisse hominem, iam genitum, eoque personam, antequam assumeretur: & ita ex duabus rebus per se subsistentibus, seu ex duabus personis, compositum esse Christum.

Certe si λόγος sumsisset personam humanam, necessariò consequeretur in Christo duas esse personas. Sed nõ ita habet res. Verùm λόγος in vtero Virginis existens, humanam naturam sibi ipse: in se ipso, tum corpus ex substantia Mariæ formando; tum animam simul creando, assumsit. Atque ita illam in seipso, & sibi assumsit: vt illa natura nunquam per se substiterit extra λόγον: Sed & tum primùm, & deinceps semper in λόγῳ tantùm substiterit. Ita fit, vt sicut ante sui assumtionem, per se nunquam substitit, extra λόγον, illa humana natura: ita etiam assumta, non fuerit, aut sit, aliud ὑφιστάμενον, aliáve persona à λόγῳ. Non enim assumsit personam aliam, seu aliud ὑφιστάμενον. sed aliam naturam ὁ λόγος: animam in se creando, & corpus sibi formando. Ita factũ est, vt eadẽ persona quæ anteà vna tantùm cõstabat natura, postmodum duabus constiterit naturis. Ex modo igitur, quo assumsit carnem ὁ λόγος; apparet non assumptum fuisse aliud ὑφιστάμενον, aliámve personam; sed aliam naturam, in vnitate eiusdem personæ. Hoc est, quod significat Iohan. dicens: *λόγος caro factus est*.Io.1.14. Ipse enim λόγος non sibi vniuit carnem iam factam, seu hominem genitum: sed ipse, sine sui mutatione cùm esset λόγος natura, factus est etiam homo. Idem igitur Deus, & homo, eoque vnus Filius Dei. Nisi hæc assumtionis ratio intelligatur: Sophisma hoc ita videtur probabile, vt magis etiam, & doctis viris magnum faciat negotium; ac proinde in sententiam aduersariorum inclinent. Ratio verò quam adferunt, dicentes; id, quod assumsit λόγος, vera est substantia; ita refellitur. Vera est substantia, nempe iam assumta: hoc est, in λόγῳ creata: non autem anteà: quum & anima, nihil esset: & corpus, in ratione tantùm esset seminali, vt vocant. Proinde sicut antequam assumeretur ea natura

tura, non erat verum ὑφιστάμενον, sic neque assumpta nouum constituit ὑφιστάμενον, seu personam. Simile habemus in natura. Cùm generatur homo: anima simul etiam in vtero matris, cum generatione corporis, creatur. Ita fit, vt anima, & corpus non duas constituant personas; sed vnam: duabus naturis, vna corporata, altera incorporea, constantem. Est igitur in sophismate fallacia ex ignoratione Elenchi; quia à rebus valde dissimilibus, argumentantur.

Ariani quidam, ad hoc argumentum sic respondent; τὸν λόγον non assumpsisse, nisi carnem; hoc est, corpus, ipsum verò λόγον fuisse nil aliud, quàm Spiritum creatum: qui anima etiam appelletur. De quo; *Et emisit Spiritum*, Matth. 27. 50. Et: *In manus tuas commendo Spiritum meum*: id est, animam. Luc. 23. 46. Ita Christum esse vnum tantùm suppositum, seu ὑφιστάμενον, sicut etiam corpus cum anima, vnum sunt ὑφιστάμενον. Hinc sequitur quidam Mediator & Spiritus Ochinianus. Sed istis illud contingit, *Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.* Dum enim voluerunt vitare hæresim Nestorij, inciderunt in hæresim Arij.

Tolerabilior est aliorum responsio, qui admittunt non λόγον tantùm, ante carnis assumptionem, sed etiam ipsam carnem fuisse verum ὑφιστάμενον: sed tantam esse horum duorum in Christo coniunctionem, vt non amplius duo ὑφιστάμενα, sed vnum duntaxat sint ὑφιστάμενον, vnáque persona. Quemadmodum & cuiusque anima à corpore separata, verum est ὑφιστάμενον: & corpus vacuum ab anima, verum itidem est ὑφιστάμενον, cùm tamen in resurrectione iterum coniungentur; futura sunt, non duo, sed vnum tantùm ὑφιστάμενον, ratione coniunctionis, quæ tanta est, vt ex duabus substantiis diuersis, vna constituatur persona. Sed vera responsio est illa, quam priore loco attulimus. Scholastici respondent, barbaris quidem vsi vocabulis: sed quod ad rem attinet, haud ineptè. Summa est: *Non ideò duas personas esse in Christo, quia λόγος persona, suscepit naturam humanam: quoniam natura humana, quam suscepit, cùm eam susceperit, sua carebat personalitate*: sic illi. Hoc verò nihil aliud est, quàm si dixissent: Per se non subsistebat. Est enim ingenita Verbo, in vtero Virginis: extra verbum autem illa anima, & illud corpus nunquam subsistit. Hinc patet responsio ad obiectionem Mediatoris, qui Scholasticorum oppugnat responsionem. Ergo, inquit, non entia assumpsit λόγος: nempe si anima, & corpus non erant ὑφιστάμενα. Anima, & corpus in Christo, entia sunt, sed assumpta, hoc est, in Christo ingenita & creata. Et nō entia, nimirum antequam assumerentur. Nondum enim vel anima erat creata, vel corpus genitum. Ita apparet verum esse quod dixerunt Scholastici. Animam Christi, corpori vnitam, existentia sua (nempe propria extra λόγον) carere. Nunquam enim fuit aut subsistit per se, extra λόγον. Et tamen iste Mediator, propter vim huius argumenti, inclinare in Arianismum videtur.

II. Ita respondetur ad argumentum duodecimum, quod tale est:

Si λόγος fuit quoddam ὑφιστάμενον, & Filius Dei, ante carnem: Ergo post carnem fuerunt tres Filij: λόγος, caro assumpta, & compositum ex vtrisque saltem duo, λόγος, & caro assumpta.

Respondeo; Ex illa hypothesi non sequitur hæc illatio; quoniam λόγος non assumpsit alia ὑφιστάμενα, seu alios, aut alium Filium Dei. Sed tantum naturam, quæ per se non subsistebat. Sed eam in seipso genitam, & creatam, sibi ὑποστατικῶς vniuit. Ac proinde idem semper, & vnus, fuit, & est Filius Dei: sed olim vnius tantùm naturæ, & incorporeus: quia tantùm Deus. Nunc duarum naturarum, corporeus, & incorporeus: quia Deus, & homo est. Sicut ferrum manens, quod erat, fit quod non erat, dum fit candens in igne. Et ita duarum quodam modo fit naturarum: cùm vnius tantùm esset naturæ.

Quòd si excipies: At si humana natura per se, non est Filius Dei, Ergo nec diuina per se est Filius Dei. Respondemus: Si intelligas per se, hoc est, diuinam λόγου naturam extra humanam, negatur consequentia. Est enim maxima dissimilitudo inter comparatas naturas, diuinam, & humanam. Diuina τοῦ λόγου natura etiam ante humanam, per se subsistit apud Patrem, eóque tum etiam, Filius erat Dei. At humana, per se, hoc est ante sui assumptionem, non subsistit. Ita optimè confirmatur: quòd diximus: Christum esse vnicum Dei Patris Filium, sub duabus constantem naturis. Hæc argumenta sunt non tam aduersus ὑφιστάμενα, quàm etiam aduersus illorum distinctionem.

III. Sophisma decimum tertium eiusmodi est.

Si λόγος antè carnem assumptā, & Spiritus sanctus, sicut & Pater fuerunt semper & sunt vera ὑφιστάμενα, veræque personæ inter se distinctæ, quarum quæque Deus sit. Ergo fuerunt, & sunt tres Dij, quod impium dicere, & sentire.

Resp. Quidam ita respondent: Sunt tres Dij, hypostaticῶς tantùm, non autem οὐσιωδῶς differentes. Est igitur ὁμωνυμία. Ego verò sic respondeo. Ex illa hypothesi non sequitur hæc illatio: quia argumentum est à non causa, tanquam à causa. Non est igitur sufficiens. Causa enim ad hoc sufficiens, vt sint tres Dij; non est quod sint tria ὑφιστάμενα distincta, sed requiritur etiam, vt sint diuisæ οὐσίαι.

Ad hoc enim, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sint vera ὑφιστάμενα, veræque personæ, inter se distinctæ, duo tantùm requiruntur. Primùm, vt quisque illorum tanquam vera substantia per se subsistat, atque ita subsistat, vt vnus non insit alteri, vel subsistat in altero; sicut accidentia insunt suis subiectis, ac proinde non sunt vera ὑφιστάμενα. Sic Petrus & Paulus sunt vera ὑφιστάμενα, quia vnus non subsistit in altero, sed per se. Deinde requiritur, vt vnus non prædicetur de alio. Sic Petrus & Paulus sunt vera ὑφιστάμενα, & personæ inter se distinctæ, quia vnus non prædicatur de altero.

Quòd si dicas, imò requiritur & tertium, nempe, vt sint sua substantia à se inuicem discreti, & diuisi: sicut & Petrus discretus, & diuisus est sua οὐσίᾳ à Paulo. Hoc quidem necessarium est ad constituendum ὑφιστάμενον creatum; Sed non requiritur ad constituendum increatum ὑφιστάμενον: qualia sunt illa diuina: non solùm prorsus immaterialia, & simplicissima: verum etiam immensa & infinita. Quòd enim Paulus, & Petrus sint à se inuicem diuisi, hoc illis contingit partim à materia qua fit, vt sint diuisibiles: partim quia finiti sint; cùm sint creaturæ. Vbi igitur neque est materia, neque aliud creatum: ibi ad constituendum verum ὑφιστάμενον, minimè requiritur, vt sit etiam ab aliis diuisum: sed illæ duæ tantùm priores conditiones necessariæ sunt. Homines sunt ὑφιστάμενα non solùm inter se distincta, sed etiam à se inuicem diuisa, duabus de causis, tum quia finita; tum quia corporata. Spiritus Angelici sunt vera ὑφιστάμενα, non solùm verè distincta, sed etiam à se inuicem disiuncta: non propter materiam (sunt enim Spiritus incorporei) sed quia finitæ, & diuersæ inter se sunt essentiæ. At Deus neque corporeus est: neque finitus. Vt igitur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vera sint ὑφιστάμενα: nullo modo exigitur, vt sint à se inuicem diuisi: sed duo tantùm, vt anteà dictum est, requiruntur: primùm, vt ita verè per se subsistant, vt sit vnus non sit in alio, sicut accidens in subiecto. Deinde ita inter se distincti: vt vnus non prædicetur de alio. Tales autem sunt. Ad hoc verò vt sint verè, & essentialiter Dij tres: præter illa duo, requiritur etiam tertium, nempe vt sint inuicem essentialiter discreti. Sicut, ideò etiam Petrus & Paulus, non solùm duæ sunt personæ; sed etiam duo homines: propterea quòd illorum essentiæ sunt disiunctæ. At essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti: indiuisibilis est: Ac proinde verè vna tantùm est. Quantò enim magis aliquid est indiuisibile, teste etiam Aristotele; eò magis est vnum. Quæ causa est, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus non possint esse tres dij, sed vnus tantùm Deus: quia nō sunt diuisi essentiis: sed vna est omnium. Hæc sunt diligenter retinenda: quia hic totius quæstionis cardo vertitur; & hinc suppeditatur responsio ad omnia ferè sophismata contra hanc doctrinam, de tribus veris hypostasibus diuinis, & vno tantùm Deo. Redeo igitur ad sophisma quod tale est. Si Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tria ὑφιστάμενα: ergo sunt tres Dij. Vitiosa est illatio, & fallacia est consequentis: propterea quòd plus infertur in conclusione, quàm continetur in præmissa hypothesi. Ad hoc enim, vt sint tria vera ὑφιστάμενα, duo tantùm requiruntur; vt ante dictum est: Vera cuiusque subsistentia, vt vnum non insit alteri, sicut accidens in subiecto: & vera cuiusque distinctio, vt vnus non prædicetur de altero. Quæ duo cùm in his, Patre, Filio, & Spiritu sancto, non desiderentur: consequitur eos vera esse ὑφιστάμενα. At verò, vt sint tres Dij; tertium etiam postulatur; nempe, vt sint etiam essentia à se inuicem discreti, & diuisi: quod quum in illorum non cadat essentiam; fieri nequit, vt sint tres Dij. Quare et si sint tria ὑφιστάμενα; non sequitur tamen tres esse Deos; quia plura requiruntur ad hoc, vt sint tres Dij; quàm ad hoc, vt sint tria ὑφιστάμενα. Hoc idem argumentum alij formant categoricè in forma enthymematis. Et vtile est videre substantiam eiusdem argumenti, sub variis argumentandi formis propositam. Hac enim ratione varij sese produnt paralogismi in eodem argumento.

IIII. Ergo decimum quartum argumentum, hoc est:

Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt tantùm vnus Deus. Non sunt igitur tria distincta inter se ὑφιστάμενα.

Probant consequentiam; quia pugnantia sunt, esse vnum & plura.

Respondeo: Verum est, si eodem modo, & eodem respectu aliquid dicatur esse plura, quo etiam est vnum. Sed si diuersis rationibus dicatur vnum & plura; ibi nihil est pugnantiæ, aut contradictionis. Sic se habent Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Vnum sunt οὐσίᾳ, quia ea omninò indiuisibilis est, eóque vnus tantùm sunt Deus οὐσίᾳ, seu οὐσιώδως. Sunt enim plura hypostasibus: hoc est, plura ὑφιστάμενα, quatenus scilicet, & vnus non est in alio, tanquam accidens in subiecto; sed quisque per se subsistit eadem οὐσίᾳ: & alter non prædicatur de altero; & vnus non est alius, vt scriptura docet. Est igitur fallacia ex ignoratione Elenchi, quoniam argumentum ducitur quasi à pugnantibus: cùm tamen non sint verè pugnantia.

V. Quintum & decimum sophisma est, quo alij contra argumentantur. Si Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tria sunt ὑφιστάμενα inter se distincta, & interim tamen non sunt tres Dij, sed vnus Deus: Ergo Deus compositus erit ex tribus ὑφισταμένοις, tanquam ex partibus. Est autem hoc absurdum & impium: cùm Deus sit simplicissima essentia. Aut igitur non sunt tria vera ὑφιστάμενα: aut sunt tres Dij. Sed hoc est impium dicere.

Respondeo: Quidam totum concedunt argumentum, sed cum explicatione conclusionis. Primò de nomine partium. Partes inquiunt, aliæ sunt integrales, ex quibus aliquod totum est compositum: vti sunt partes corporis humani, è quibus totum constat, & in quas etiam diuidi potest. ὑφιστάμενα diuina nullo modo possunt dici esse partes essentiæ diuinæ integrales, è quibus compositus sit Deus. Locum enim tantùm habent hæ partes in rebus corporatis. Partes aliæ sunt essentiales, quibus scilicet aliqua spiritualis constat essentia. Vti sunt partes animæ essentiales, quæ vocantur δυνάμεις. Hæ partes à tota essentia nihil differunt. Quid enim aliud sunt partes animæ, quàm anima? quid anima aliud, quàm partes? A se verò inuicem differunt τῷ ὄντι, realiter: essentialiter autem minimè: quia vna est omnium οὐσία: imò omnes sunt ipsa οὐσία: ὑφιστάμενα diuina tales partes vocari possunt: primùm, quia à tota οὐσίᾳ nihil differunt, sed sunt ipsa οὐσία: Et vicissim οὐσία quid est, nisi ipsa ὑφιστάμενα? Deinde inter se sunt distincta, non essentialiter, sed tantùm realiter, quod Philosophi vocant τῷ ὄντι, quòd vnum non sit alterum, sed quòd propter modum subsistendi diuersum, non autem propter essentiam, ipsa quoque sint realiter diuersa, seu (vt melius loquar) distincta. Hæc de partibus. Deinde de voce compositionis sic explicant. Illa propriè dici ex partibus composita, quæ etiam in easdem partes diuidi possunt. Essentia autem spiritualis, vt est anima, diuidi in partes nequit suas. Hac de causa, neque propriè dici potest esse composita ex partibus, quanquam dicatur distingui secundùm partes suas. Quantò minùs igitur dici potest essentia diuina, seu Deus, ex iis ὑφισταμένοις, tanquam ex partibus, compositus esse, cùm sit longe: imò in infinitum: simplicior, & spiritualior: quàm anima? Quia tamen hæ personæ tres, possunt verè & religiosè vocari partes Dei, nempe essentiales, idcircò potest Deus, seu diuina οὐσία, constare iis tribus partibus tanquam suis partibus essentialibus. Sicut etiam dicitur distingui in eas tanquam in suas partes essentiales. Hæc est doctissimi cuiusdam Philosophi, explicata à nobis responsio: & verissima quidem, ac docta. Sed semper illud retinendum est, essentiam, quatenus essentia est, diuidi non posse: ac proinde, neque vocari compositam, propriè loquendo. Hoc pacto facilis est ad argumentum responsio: Bifariam considerari debent tria illa ὑφιστάμενα: primùm quò ad οὐσίαν, deinde quò ad modos subsistendi diuersos. Quò ad οὐσίαν, sicut sunt vnus Deus, quia vna οὐσία: sic sunt vnum quiddam simplissimum, seu Deus simplicissimus, quia οὐσία vna est omnium simplicissima, in quam nulla cadit compositio. Ac proinde sicut quatenus sunt vna & eadem οὐσία, non possunt dici esse plures Dij: sic quatenus sunt vna simplicissima οὐσία, non possunt dici esse partes, ex quibus compositus sit Deus. Sicut enim vnum, & plura opponuntur: sic simplex, & compositum opposita sunt. Proinde sicut quatenus aliquid est vnum, eatenus non potest esse, aut dici plura: sic quatenus aliquid est simplex, non potest esse dici ve, ex partibus compositum. Sunt autem Pater, Filius, Spiritus sanctus, τῇ οὐσίᾳ, sicut vnus, sic simplicissimus Deus propterea quòd οὐσία sunt vna, & indiuisibilis. Ergo Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quatenus sunt τῇ οὐσίᾳ vnus, & simplicissimus Deus: nullo modo possunt dici esse partes, è quibus compositus sit Deus. Ex quibus enim tanquam ex partibus aliquid componitur: in eadem etiam resolui, & diuidi potest. Non potest autē diuina essētia, seu Deus, qui vnus & simplicissimus est, in hæc tria ὑφιστάμενα, tanquā in partes diuidi, alioqui nec vnus esset, nec simplex. Ergo neq; possunt dici partes, è quibus cōpositus sit Deus. Quòd verò attinet ad modos subsistēdi diuersos, quia Pater subsistit ἀγεννήτως, Filius γεννητῶς, seu per generationē ex Patre: & Spiritus sanctus ἐκπορευτῶς, à Patre, & Filio: Tres sunt inter se distincti: quatenus Pater, nunquā in scripturis vocatur Filius, neq; Filius Pater. Hac ratione, etsi possunt quodam modo partes essentiales τῆς θείας οὐσίας appellari: sicut etiam facultates animæ, partes animæ essentiales, & dicuntur, & sunt, & iis partibus constare anima dicitur: tamen nullo modo ex iis tanquam ex partibus, compositum esse Deum, dici potest. Cum enim dicit Deum simpliciter: diuinam indicas essentiam. Diuina autem οὐσία, sicut dictum est, ex partibus non est composita, quippe quæ simplicissima est. Item, in quæ non potest aliquid diuidi: ex illis etiam compositum esse dici non potest. In tria autem ὑφιστάμενα, diuina essentia diuidi non potest. Item, ipsa quoque ὑφιστάμενα, etsi inter se sint distincta, vt ante declaratum est, non sunt tamen, nec dici possunt à se inuicem esse diuisa, aut diuidi posse. Quare neque inter se dici possunt esse cōposita. Quomodo igitur partes esse poterunt, è quibus diuina composita sit οὐσία, seu Deus? In argumento igitur est fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter: & à modis subsistendi, ad essentiam. Pater enim, Filius, & Spiritus sanctus, dicuntur esse tria distincta ὑφιστάμενα, non simpliciter: sed secundùm quid, hoc est, secundùm tres diuersos subsistendi modos, non autē secūdùm essentiā. Huius enim respectu vnū sunt: vnúsq; Deus. Partes autem, è quibus cōpositus sit Deus: non possunt dici, nisi respectu essentiæ. Essentia enim aliqua non componitur ex modis subsistendi, sed ex partibus essentialibus. Quare non sequitur quod inferunt. Si sunt tria ὑφιστάμενα, & vnus Deus: Deus igitur ex iis, tanquam ex partibus; compositus est. Dici quidem piè possit, Deum, seu diuinam essentiam, iis tribus, tanquam partibus essentialibus constare: tanquam τὸ ὅλον ὅλον, sicut etiam dicimus animam suis constare facultatibus, & sicut etiam dicere possumus, Deum in hæc tria distingui ὑφιστάμενα. Sed sicut non possumus dicere, Deum in hæc tria diuidi: sic neque ex iis tribus componi. Atque hæc ad sophisma decimumquintum.

VI. Sophisma decimum sextum, à diuinis operibus ductum tale est:

Eadem opera diuina attribuuntur in scripturis: Patri simul, Filio, & Spiritui sancto. Vnde Christus, *Pater vsque modo operatur* (inquit) *& ego operor*; Et: *Quæcunque operatur Pater, eadem & Filius ὁμοίως operatur*, Iohann. 5. 17. 19. Non sunt igitur tria ὑφιστάμενα distincta.

Respondeo. Primò negatur illatio. Est enim fallacia consequentis, & pendet à propositione falsa. Nam si enthymema resoluas in Syllogismum, sic erit argumentandum. Idem opus non potest tribui diuersis, & distinctis personis, præsertim opus ὁμοίως prorsus effectum. Quis non videat propositionem hanc esse falsam? Possunt enim duo ὑφιστάμενα, seruato agendi ordine, ad vnam, & eandem actionem concurrere. An non illuminatio Mundi est à Sole, & à radiis simul? Et tamē aliud ὑφιστάμενον est Sol, & aliud Radius. Deinde ex verbis Christi apud Iohannem contrarium prorsus colligitur. Nām primùm ex nominibus Patris, & Filij apparet duo esse diuersa ὑφιστάμενα. Pater enim generans, est ὑφιστάμενον, realiter distinctum à Filio genito, & Filius genitus, est aliud ὑφιστάμενον distinctum à suo genitore. Deinde ex verbo operandi idem concluditur. Quisquis enim operatur, ὑφιστάμενον sit, necesse est. Actiones enim sunt suppositorum; vt aiunt Philosophi. Filius autem operatur perinde atque Pater, ergo est ὑφιστάμενον perinde atque Pater. Denique ex particula ὁμοίως. Si Pater est ὑφιστάμενον quia operatur: nempe per se, & sua virtute. Ergo & Filius est ὑφιστάμενον, quia eadem, & ὁμοίως operatur.

## CAPVT VIII.

### Breuis responsio, ad aliquot Sabellianorum sophismata, quibus veram diuinarum personarum distinctionem: deprauatis nonnullis noui Testamenti locis: euertere conantur.

ARGVMENTVM decimum septimum est à dicto Christi, Ioh. 14. 9. 10. *Qui videt me, videt & Patrem meum*. Et: *Pater in me manens ipse facit opera*. Filius igitur non est ὑφιστάμενον à Patre distinctum: sed ipsemet Pater reapse; quāquam diuerso nomine vocatus.

Resp.

Resp. Falsa est illatio, ex falsa verborum Christi intelligētia, profecta. Noluit Christus dicere se esse personam Patris. Qui enim potuit hoc dicere, cùm vbique se distinguat à Patre, imò cùm hæc dicendo, apertum discrimen faciat inter se, & Patrem? Christus tamen non videtur ibi loqui vt λόγος, & Deus extra carnem. Nam perinde inuisibilis erat Apostolis ille λόγος, atque Pater. Loquitur potiùs pro suo more; vt talis homo, quem intuebantur docentem, & operantem diuina. Nomine autem Patris, ipsum Deum simpliciter, seu Deitatem, & vt loquitur Paulus, Col. 2. 9. plenitudinē Deitatis in se homine σωματικῶς habitātem intellexisse, dici potest. Nomine enim Patris, & Dei simpliciter, idem soliti erant intelligere Iudæi: nempe Iehouam, seu diuinam essentiam, & θεότητα. Et sic Christus totam Deitatem solitus erat κατ' ἐξοχὴν, Patrem appellare. Videtur ergo voluisse significare Apostolis, non esse, cur procul quærant videre Patrē, seu Deum, versari enim illum, ante ipsorum oculos; & sese doctrina, & miraculis in isto Iesu patefacere, atque videndum præbere.

Intueantur igitur Iesum, & quæ agit: ac oculis mentis penetrent penitiùs, & considerent vndenam illa opera, & illa sapientia in Iesu; nempe à Patre, hoc est, à Deo: qui in eo operabatur, & loquebatur homine. Et tunc etiam videbunt eum nō esse nudum hominem, sed Deitatem in ipso corporaliter habitare. Videte enim Patrem in Iesu Christo: est ex doctrina, & miraculis Christi, agnoscere in Iesu Christo omnem plenitudinem Deitatis corporalite inhabitare: quæ Deitas κατ' ἐξοχὴν significari solebat nomine Patris: idque propterea, quòd huius Deitatis Pater est fons, & origo. Non sicut respondit Christus Apostolis, petentibus sibi Patrem, hoc est, Deum demonstrari: atq; si speculum, in quos resplēdeat corpus solare, petenti, Solem sibi ostendi, responderet: Si vis Solem videre, inspice in me, & videbis Solem. Hęc videtur haud esse incongrua, vt aliàs etiam dixi, horum verborum interpretatio. Quòd si nomine Patris, velimus cum aliis intelligere personam Patris: sensus fuerit, in Christo Mediatore, per eius doctrinam, & opera, conspici luculenter posse naturam, omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, & voluntatem Patris. Nihil minùs igitur voluit dicere Christus, quàm τὸν λόγον seu Filiū, esse ipsam Patris personā. Quare Paralogismus est ex homonymia, amphibologia, & ignoratione phraseon scripturæ.

II. Sophisma decimum octauum ductum à simili: & à nominibus sapientiæ, & virtutis, tale est.

Sicut misericordia, bonitas, veritas, & alia Dei attributa in Deo Patre non sunt personæ, à se inuicem realiter distincta: sed sunt ipse Deus Pater, misericors, bonus, & verax: sic etiam sapientia Dei, & virtus Altissimi.

Est autem λόγος Filius, Sapientia Dei Patris: & Spiritus sanctus, eiusdem virtus.

Resp. Ambiguitas est in vocibus Sapientiæ & virtutis. Aliquando enim accipiuntur eo sensu, quo reliqua attributa, misericordia, & bonitas Dei, nempe pro essentia diuina, Patri, Filio, & Spiritui sancto communi, qua essētia, tam Filius & Spiritus sanctus, quàm etiam Pater, est sapiens, potēs, bonus, misericors. Et sic accipiunt in maiori propositione. Aliquando pro sapientia, quæ est persona Filij; & pro virtute, quæ est persona Spiritus sancti: & sic accipiunt in minori: iuxta loca ex Scripturis adducta. Filius enim ideò dicitur sapientia Patris, & Spiritus sanctus, virtus Altissimi, quoniā per illos Deus Pater, siue adeo ipsa Deitas, suam exerit, & patefacit sapientiam, & virtutem. Ac proinde argumentum constat quatuor terminis, quo nihil vitiosius.

III. Sophisma decimum nonum.

*Ego in Patre, & Pater in me*, ait Christus apud Io. 14. 10. Ergo non est distinctus à Patre; inquiebat Sabellius.

Resp. Neganda est consequentia, quæ vitiosè infertur, ex mala intelligentia verborum Christi. Bifariam autem interpretari possumus hunc locum. Primò, ita vt ibi Christus ad captum Apostolorum de se loquatur, tanquam de homine illo Iesu, quem Apostoli audiebant loquentem, & miracula edentem videbant. Et nomine Patris intelligatur, sicut etiam alibi, ipsa Deitas. Tunc significare voluit id quod etiam alibi; vnionem scilicet suæ humanæ naturæ, cum diuina, talem ac tantam esse, vt ipse sit quidem homo, sicut omnes vident: Sed talis homo, in quo plenitudo Deitatis corporaliter inhabitet: ac proinde, qui omnia quæ docet ac operatur, vi suæ Deitatis in se inhabitantis, agat & doceat. Hanc duplicis naturæ vnionem significasse videtur hac phrasi: *Ego in Patre, & Pater in me*. Sicut si corpus nostrum diceret, Ego in anima, & anima in me; significaret tantam esse vnionem animæ cum corpore, & corporis cum anima, vt ὑφιστάμενον illud, quod videtur, non sit nudum corpus; sed corpus & anima: hoc est, homo duplici constans natura, corporea, & incorporea. Sic forte non incongruē interpretari hunc possemus locum. Deinde possumus interpretari, ita vt ibi loquatur tanquam Filius Dei, manifestatus in carne: & nomine Patris intelligatur persona Patris, quæ interpretatio, vt magis recepta est: ita etiam genuina mihi esse videtur. Tunc itaque etiam iis verbis nil aliud concludere dicitur Christus voluisse, quàm id quod alibi dixit, *Ego & Pater vnum sumus*: Io. 10. 30. hoc est, tantam esse vnionem inter se Filium, in carne manifestatum, & inter Patrem, vt omnino nihil agat, aut doceat, quod non agat & doceat in se Pater, qui in Filio, sua inest Deitate & potentia. Vtro velis modo interpretari, nihil iste locus iuuat Sabellianos, & Seruetianos, ad demonstrandum, τὸν λόγον non esse verum, & distinctum à Patre ὑφιστάμενον: cum hic non loquatur Christus simpliciter de se tanquam de λόγῳ, ante carnem assumptam, sed aut de se quatenus homo est, in quo Pater, hoc est, Deitas corporaliter inhabitat; aut de se, Filio Dei, in carne manifestato; qui vnum omnino sit cum Patre, eiusdem potentiæ, sapientiæ: idem denique Deus. Quis autem ignorat Christum hominem, & Filium Dei in carne manifestatum, verum esse ὑφιστάμενον? Denique si velimus etiam cum Patribus interpretari hunc locum, vt Christus de se loquatur, quatenus simpliciter λόγος erat; & de Patris persona: nihil adhuc seruit locus iste Sabellio, & Serueto. Non enim dixit Christus, Ego sum Pater, & Pater est ego. Si sic dixisset, fortassis euincerent, quod contendunt. Sed dixit, se in Patre, & Patrem in se esse. Contrarium igitur euincitur. Statuit enim se tanquam verum ὑφιστάμενον, & Patrem, tanquam alterum. Nam si Filius est ὑφιστάμενον est, e Patris substantia genitum, illúdque à Patre vere distinctum. Aliud enim sit ὑφιστάμενον Filius, qui genitus est, & aliud Pater, qui genuit, necesse est. Item si est in Patre, & Pater in ipso: duo igitur sunt distincta ὑφιστάμενα. Aliud enim est id, quod inest, & aliud id, in quo inest. Deinde interrogo: an λόγος sit in Patre, tanquam accidens in subiecto: an verò tanquam substantia in substantia? Accidens voco in Deo patre id, quod ipsi Seruetiani dicunt esse in Deo Patre, sapientiam; & tamen nolunt esse substantiam, seu ὑφιστάμενον. Substantiam appello non simpliciter ipsam diuinam essentiam, sed eam, quatenus cum diuersis subsistendi modis, vnde singulæ consistunt personæ, consideratur: ita vt idem sit substantia, quod persona subsistens. Si igitur dicant (vt sentire videntur) λόγον in patre esse, vt accidens: Ergo etiam pater in Filio erit, vt accidens. Tam enim dicit, *Pater in me est*, quàm, *ego in Patre*. Ita si filius non est distinctum à Patre ὑφιστάμενον: neque Pater itidem fuerit. Imò vterq; fuerit, & ὑφιστάμενον, & non ὑφιστάμενον, ὑφιστάμενον, quatenus in vno est, vt in subiecto alter. Non ὑφιστάμενον: quatenus alter, vt accidens, est in altero. Si verò Filius est in Patre, vt substantia in substantia: verum igitur fuerit ὑφιστάμενον, veráque persona. Quare nihil ex hoc loco, quoquo velis modo interpreteris, colligi potest aduersus illa diuina, & verè distincta ὑφιστάμενα, pro Sabellio, aut Serueto.

Cæterùm notandum est in hoc loco, quomodo verè dicatur Pater esse in Filio, & Filius in Patre: & ita de Spiritu S. Filius, quatenus est Filius, & persona, non potest dici esse in Patre; nec Pater in Filio. Io. 1. 1. 2. Sed Scriptura ait, eum esse apud Patrem: ratio est; quia distinctus est à Patre, & personaliter, seu substantialiter à Patre differt. Quatenus verò omnes sunt partes οὐσίας, essentiales, ita vt omnes sint nihil aliud, quā ipsa οὐσία; Pater est in Filio, & Filius in Patre: nēpe οὐσία: ratio est; quia essentialiter vnum sunt; & vnius essentiæ, τοῦ ἑνὸς ὄντος partes. Essentia autem tota respectu suarum partium, est indiuiduum, seu ἀδιαίρετον quiddam. Insunt igitur singulæ partes in sese mutuo totis, quia essentialiter vnum quiddam sunt. Quæ autem essentialiter vnum sunt, essentialiter à se inuicem distingui non possunt: sed tantùm quatenus partes sunt, & vna non est altera. Hac de causa Philosophi quoque scriptum reliquerunt: partes animæ singulas esse in singulis οὐσιωδῶς, vt sentientem in vegetatrice: & vegetatricem in sentiente. Sed hoc nequaquam ὑποστατικῶς, & substantialiter: cùm vna nō sit altera: nec in altera: tanquam in subiecto.

Refutata sunt, qui firmiora visa fuerunt, Samosateniorum, Seruetianorum, & Sabellianorum sophismata, quæ cōtra diuina ὑφιστάμενα, vera, & verè distincta, ab illis adferri solent. Nunc tempus est, vt accedamus, ad partem alteram, in qua respondendum nobis est, tum ad exceptiones contra loca, quæ attulimus pro vera & æterna Christi Deitate; tum ad argumenta, quæ aduersus eiusdem Deitatem proferuntur.

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO, PARTIS POSTERIORIS,

## Liber Tertius.

*Refutatio tam exceptionum, quàm ſophiſmatum, quæ contra doctrinam de vera, & æterna Chriſti Deitate fieri ſolita conſueuerunt.*

### CAPVT I.

**Partitio eorum, quæ agenda ſunt. Argumentum primum ex Geneſews 1. à creatione ductum, ab omnibus cauillis vindicatur.**

TOTAM hanc de Trinitate pugnam, poſt prolegomena: in quatuor acies diſtribuimus. In prima pugnatum eſt iam, vt iudicamus, feliciter, cum iis, qui præter Patrem, æternum λόγον & Spiritum ſanctum vera eſſe ὑφιστάμενα, veráſque perſonas vere inter ſe diſtinctas, pertinaciter negant: Samoſateno ſcilicet, Sabellio, Serueto.

Nunc in altera acie pugnandum nobis eſt cum Arianis, & eorum ſimilibus, qui λόγον perſonam quidem fuiſſe, etiam ante aſſumptam carnem, confeſſi ſunt: ſed eum negarunt, & negant verum, æternúmque eſſe Deum. Nos verò hoc confirmauimus multis, iiſque perſpicuis argumentis: ex veteri primùm, deinde ex nouo Teſtamento deſumptis. Etſi verò nihil eſt, hac doctrina in Scripturis ſacris apertius atque certius: interim tamen nihil etiam eſt, aduerſus quod Hæretici magis vires ſuas atque neruos intendant omnes: quàm aduerſus hanc certiſſimam, luculentiſſimámque de Chriſti deitate doctrinam. Nam nihil tam perſpicuum e ſacris literis pro deitate Chriſti adferri poteſt, cui non conentur tenebras variis cauillis offendere. Deinde etiam nihil non vndequaque arripiunt, tam è ſacris literis malè intellectis, quàm ex humanis rationibus: quo Chriſtum è ſuæ maieſtatis ſolio detrudant: eum aut Spiritum creatum, aut ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe contendendo. Et ſi Deus aliquando appelletur: illud aut propter officium, aut propter deitatis, ſeu diuinorum donorum participationem, intelligendum eſſe, vociferando. Ergo nos etiam viciſſim, qui in caſtris Ieſu Chriſti pro vera eius Deitate pugnamus: dare operam omnino debemus, vt Dominus noſter Rex IESVS CHRISTVS, expugnatis hoſtibus omnibus, ſuã apud omnes Electos retineat gloriam, & pro tali agnoſcatur & adoretur, qualis eſt: verus nimirum & æternus Deus æterni Dei Patris Filius.

Principiò igitur dabimus operam, vt argumenta noſtra refutatis. Hæreticorum adnerſus illa exceptionibus confirmẽtur. Deinde quæ ad oppugnandam veritatem inferunt ſophiſmatum tela: ea, aut in eos retorquebimus: aut ſaltem à nobis depellemus: vt veritas ipſa triumphet.

Quod ad vetus ergo Teſtamentum attinet, primum noſtrum argumentum, à creatione & conſeruatione rerum omnium per Chriſtum, deductum fuit. Aduerſus hoc argumentum multa cauillantur Antichriſti: Primo loco excipiunt ad minorem. Negamus, inquiunt, Chriſtum creaſſe cœlum & terram, mundúmque ſuſtentare: ſed à Patre ſolo creatum eſſe, & ſuſtentari contendimus: idque è ſcripturis, apud Iobum 9. v. 8. legimus: *Qui extendit cœlos ſolus: & ambulat ſuper fluctus maris*. Et apud Ieſa. 44. verſic. 24. *Ego Iehoua faciens omnia: cœlos extendens ſolus*. Proinde quod alicubi legimus, Deum creaſſe omnia per λόγον: & per ſuam Sapientiam; aut per ſuum Spiritum: non aliter intelligenda ſunt huiuſmodi dicta, quàm Patrem creaſſe omnia ſapienter & potenter.

R. Quaſi verò nomen λόγου & Sapientiæ Dei Patris, vnius tantùm ſit in Scriptutis ſignificationis. Eſt igitur ὁμωνυμία. Sapientiſſimè quidem Pater per Filium creauit & ſuſtentat omnia: quia omnia agit ſua eſſentia, qua ſicut omnipotens, ſic etiam ſapientiſſimus eſt. Sed quibus in locis legimus, λόγον, ſed per Sapientiam Dei condita eſſe omnia: ibi nomine λόγου & Sapientiæ, verũ ὑφιστάμενον, ipſum ſcilicet Dei Filium vnigenitum intelligendum eſſe: certo certius eſt: vt Prou. 8. Ioh. 1. Col. 1. Hebr. 1. Duobus illis locis, quos adferunt ex Iobo & Ieſa. nõ euincitur ſolum Patrem creaſſe omnia, ita vt Filius excludatur. Vtrobíque enim nomen Dei ſimpliciter & indefinité legitur: ac proinde tam Filius, & Spiritus ſanctus, quàm Pater eo nomine intelliguntur. Solus autem Deus ibi vocatur (ſicut & alibi ſemper) & ſolus extendiſſe cœlos dicitur: quia omnes excludit creaturas, & omnes fictitios Deos, omniáque idola: vt liquidò apparet, cũm alibi ſemper, tum maxime ex Ieſaia c. 44. Eſt igitur etiam in iis locis ὁμωνυμία: vbi nomen Dei pro ſolo accipitur Patre: quum eo nomine ipſe quoque Filius & Spiritus S. ſignificentur. Adde quòd idem Iehoua ait ſe feciſſe terram, & cœlos extendiſſe, & mox ait, *Mihi curuabitur omne genu*. Ieſa. 45. 23. Rom. 14. 11. Chriſtus autem ab Apoſtolo is eſſe deſcribitur, cui omne genu ſit flectendum. Eſt igitur ille qui cœlos extendit.

III. Sed etiamſi demus (inquiunt) nomine λόγου & Sapientiæ, locis ſuprà citatis intelligendum eſſe ipſum Dei Filium Ieſum Chriſtum: interim tamen non euincitur, à Filio creatum eſſe & ſuſtentari mundum. Etenim locis illis, quos pro mundi creatione adfertis, vt probetis à Filio condita eſſe omnia: non de prima mundi ex nihilo facta creatione diſſeritur: ſed de altera: hoc eſt, de renouatione & reformatione mundi. Hanc eſſe factam per Chriſtum hominem, pérque eundem tanquam per Mediatorem & miniſtrum Dei Patris, omnia eſſe in regno Dei renouata: libenter damus. Huius enim ſanguine redempta eſt Eccleſia & regenerantur electi. Et hoc ſenſu, paſſim apud Apoſtolum vocamur nouæ creaturæ in Chriſto: & creati in operibus bonis, 2. Cor. 5. 17. Epheſ. 2. 10. Quare torquetis ſcripturas, quum loca, quę ſunt de mundi reformatione per Chriſtum hominem: ea de creatione mundi prima, interpretemini.

Sed non ſequitur, quia multi ſunt loci, qui omnino intelligendi ſunt de mundi reformatione: idcirco in quibus prædicatur, per Chriſtum, condita eſſe omnia; eos omnes, de mundi renouatione, nullos autem de prima rerum creatione intelligendos eſſe. Certè apud Salomonem, Prou. 8. 22. &c. vbi Sapientia, quę dicit ſe genitam eſſe ex Deo: ait etiam ſe omnia cum illo compoſuiſſe, ſeu fidam illi adfuiſſe, quum præpararet cœlos: non de mundi renouatione, ſed de prima creatione apertiſſimè diſſeritur.

Primum quoque Iohan. caput, non poſſe de mundi renouatione intelligi: ſed de rerum omnium creatione, ibi ſermonem fieri, quum legimus omnia per ipſum λόγον facta eſſe: ſuprà à nobis demonſtratum fuit. Euicimus etiam in cap. 1. Col. de vtraque ſimul diſſeri à Paulo. De prima quidem mundi creatione: quum ait, omnia per πρωτότοκον omnis creaturæ condita eſſe, tã quæ in cœlo, quàm quæ in terra. De Eccleſiæ verò renouatione: quum ait, per eundem, tanquam per πρωτότοκον ex mortuis, omnia reconciliata eſſe patri: tum quæ in terra, tum quæ in cœlis. Ait enim, primùm, Chriſtum eſſe genitum, πρὸ πάσης κτίσεως: Deinde id probat, dicens: *Per ipſum enim condita ſunt omnia*. Quomodo iis verbis illud probaret: ſi omnia de mundi renouatione, non autem dè prima creatione interpreteris? Reformatio enim longè poſt conditas creaturas facta eſt. Niſi fortè velis propoſitionem Apoſtoli, nempe *qui* (Chriſtus) ἐστὶ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ita interpretari, vt ſententia Apoſtoli ſit: Chriſtum hominem genitum eſſe ante omnem nouam creaturam: quia

ram:quia per ipsum omnia sunt renouata. Sed, si Christus ψιλὸς est ἄνθρωπος, vt ille sentit, qui hæc loca omnia non de creatione prima, sed de secunda, intelligenda esse contendit: Si Christus (inquam) nudus esset homo: quomodo esset verum, eum esse genitum, ante omnem nouam creaturam? Nam etiam ante natiuitatem Christi ex virgine, multi iam à condito orbe, fuerunt renouati & nouæ factæ creaturæ. Locus etiam ad Hebr. clarior est, quàm vt probatione opus habeat: nempe intelligendum esse de prima creatione, cùm ait δι᾽ οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν, Heb. 1. 2. &c. Nûquam enim nomine αἰώνων intelligi homines debere, quos per Christum reformet Pater, indicare poteris in sacris literis. De prima igitur mundi, omniúmque temporum creatione loqui Apostolum manifestum est. Quare quòd ex iis locis contendamus, per Christum omnia esse condita; ac proinde Christum verum esse mundi creatorem; non torquemus scripturas: sed ex plano & genuino sensu illas interpretamur. Deinde si redemit omnia & renouauit: nihil igitur absurdi, quòd omnia etiam crearit, eóque Deus sit. Redimere enim non potuit nisi fuerit etiam creator Deus. Nam alibi etiam solus Iehoua redemptor noster dicitur: imò ipse Iehoua se & creatorem simul & seruatorem prædicat: vtrumque simul coniungens, Iesa. 43. 3 & 45. 15.

IV. Sed esto [inquiunt] de prima mundi creatione intelligatur hæc, & alia id genus loca: & Christus λόγος fuerit ante conditum orbem: quia omnia per ipsum sint condita: nô ideò tamen inde efficitur, Christum esse mundi opificem. In iis enim locis legimus, non Christum creasse: sed per Christum omnia esse condita, nempe à Patre. Christus igitur λόγος minister tantùm fuit, & ceu instrumentum Patris, in mûdi creatione: non autem creator. Ac si etiam alicubi in recto casu legitur Christus fecisse cœlum, vt *Tu Domine initiò terram fundasti*: Hebr. 1. 10. non secus tamen intelligendus est fecisse cœlum: nisi quatenus causa fuit secunda, & instrumêtalis: qua vsus est Pater in creando mundo, & adhuc eo vtitur, in isto sustinendo. At etiam de Patre eadem locutio vsurpatur in scripturis; πιστὸς ὁ Θεός, ait Paulus δι᾽ οὗ ἐκλήθητε. 1. Cor 9. Et: *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem: sed per Iesum Christum: καὶ διὰ τοῦ Θεοῦ πατρός*. Galat. 1. 1. Dicemúsne igitur Patrem fuisse instrumentum: per quod Corinthij ab aliquo altero sint vocati in communionem Christi? A [inquit Mediator] est discrimen, cûm hæc particula διὰ τοῦ, dicitur de Patre, & cûm de Filio. Cûm de Filio: semper significat causam instrumentalem. Cûm de Patre, primum auctorem; nempe quòd per illum, tanquam primum auctorem, aliquid fiat.

At vnde hoc discrimen probabis, Mediator? E scripturis certè non poteris. Non potest igitur euinci è Scripturis: quum d. Filio legimus, δι᾽ οὗ, significari, Filium causam esse Patris instrumentalem. Sed sicut διὰ τοῦ Θεοῦ πατρὸς, fuerunt ita vocati tum Corinthij, εἰς τὴν κοινωνίαν χριστοῦ: tù Paulus ad Apostolatum; vt tamen Pater fuerit verus & primarius vocator. Sic mundus ita per Filium fuisse creatus dicitur. vt tamen Filius non minùs causa efficiens fuerit quàm Pater: ordine tamen seruato: vt scilicet Patri primus in omnibus actionibus detur locus, tanquam primo principio, sicut totius deitatis; sic omnium actionum, & operum. Est igitur fallacia ex ἀμφιβολίας particulæ διὰ τοῦ. Hæc est prior responsio. Deinde possumus dicere, hac particula διὰ τοῦ θεοῦ & διὰ τοῦ χριστοῦ, multò meliùs significari ordinem personarum, in ipsis quoque actionibus omnibus, quàm causam instrumentalem. Omnia enim à Patre, tanquam à primo principio proficiscuntur. Ideò illi meritò datur particula ἐξ, & ἐκ τοῦ. Per Filium verò, tanquam per alterum principium, omnia proficiscuntur. Idcirco propriè datur huic particula διὰ τοῦ. In Spiritum autem sanctum desinunt, tanquam in tertium & postremum rerum omnium principiû: in quo suum perfectum habeant complementum. In Spiritu enim sancto posita est hominis perfectio ac consummatio. Homo autem est summa totius mundi. His verò tribus personis totus (vt ita loquar) Deus constat. Quod hic verò dicimus: non ex nostro capite fingimus: sed ex Scripturis haurimus: de Deo ipso indefinitè accepto ait Apostolus, Rom. 11. vers. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia*. Tres hîc personæ certis, & diuersis proprietatibus describuntur; Et omnes simul vno Dei nomine continentur. Quòd si hoc inficietur aduersarius: Saltem hinc euincetur in eundem Deum Patrem has tres proprietates, ex quo, per quem, & in quem competere: tanquam in eum, qui solus sit principium, medium & finis omnium. Fuerit igitur idem Pater, & causa ex qua, & causa per quam, & causa in quam. Quare si particula διὰ τοῦ causam denotat instrumêtalem: idē Pater erit & causa efficiens, vtpote à quo; & causa instrumentalis, vtpote per quem: & causa finalis, vtpote in quem. Quid autem hoc absurdius; quàm eundem esse causam efficientem, & causam instrumentalem? Quídve etiam iniquius, quàm sentire: Patrem in suis actionibus opus habuisse instrumento? vel si, διὰ τοῦ, quum dicitur de Patre, significat causam principalem: vitiosam igitur vsurpauit κατάχρησιν Apostolus. Idé significauit etiam particula ἐξ. Est igitur probabilior sententia eorum, qui à Paulo, iis tribus particulis, *ex, per, & in*: tres personas describi dixerunt. Nihil enim hæc interpretatio cum aliis pugnat scripturis. An non etiam dicimus hominem intelligere per animâ? nunquid tamê inde consequitur, animam esse homini causam instrumentalem ad intelligendum, talem: quæ simpliciter non intelligat, neque pars sit hominis præcipua? Nihil igitur ineptiùs quàm ex hac particula, διὰ τοῦ, concludere Christum non esse verum mundi opificem seu creatorem. Est autem παραλογισμὸς ex ignoratione figuræ dictionis.

V. At demus [inquiunt] Christum propriè dici & esse creatorem cœli & terræ: non inde tamen sequitur verum esse Deum. Falsum est enim, quod adfertis pro ratione: nempe solius Dei proprium esse, creare: hoc est, è nihilo aliquid facere. Est quidem Dei proprium per se id posse: sed commune est etiam creaturis, id posse per virtutem Dei, si illis communicetur. Potuisse autem Deum Patrem; vim creandi omnia, tradere alicui creato à se Spiritui, non dubitamus: quia omnipotēs est. Fieri igitur potest, vt Christus crearit mundum, atque ita crearit, vt verus mundi creator dici possit: Et interim tamen non sit Deus, sed Spiritus creatus ante omnia, per quem porrò condita sint reliqua omnia, & sic videntur omnino docere scripturæ. In veteri enim Testamento appellatus fuit Angelus Iehouæ. Spiritus igitur creatus. Item assumebat corpora: cum Patribus loquebatur: & luctabatur: Gen. 32. 42. &c. Spiritus igitur creatus & finitus. In nouo, ait idem, se descendisse de cœlo, Ioh. 3. 13. Finitus igitur, vt posse mutare locum. Denique dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως, id est, primò creatus, Col. 1. 15. De vi etiam creandi: quòd eam à Patre acceperit, & non à se habuerit, docet ipse Christus quàm sæpissimè. *Sicut Pater habet vitam in semetipso: ita dedit etiam Filio habere vitam in semetipso*. Idem de sententiis: *Quæcunque audit, loquitur*. Iohan. 5. 19. 26. 29. Denique docebat se à seipso nihil agere, sed omnia ex Patre: imò Patrem omnia in se operari. Multò minùs igitur mundum creauit sua propria virtute. Quare firmum nô est argumêtum ad probandam æternam Christi Deitatem, quod inde deducitis: quia nimirùm per ipsum condita sunt omnia: ita vt verus sit mundi creator. Primû quidem, verum est, quod dicitur: nempe potuisse per se creare mundum: hoc proprium esse Dei. Atqui hinc confirmo Christum esse Deum: Quia per se potuit hoc efficere. Ille enim dicitur per se aliquid posse; qui illud potest, vi sua, propria, sibíque innata, seu naturali: tametsi aliunde accepta. Etsi enim homo quicquid potest & habet, habet à Deo, & à parentibus in sui creatione, & generatione: tamen verè dicitur, per se posse ridere & ratiocinari: propterea quòd hoc potest virtute sibi innata, seu naturali, eóque propria, non alia & precaria. Christus verò Filius Dei creauit non alia virtute, quàm ea, quam ipse à Patre in æterna sui generatione acceperat, eóque vi propria sua. Quid enim est magis proprium, quàm id, quod habemus à parentibus in nostri generatione? Idcirco vbicunque creatio datur Christo: ibi nominari solet, vel sapientia Dei, vel Filius Dei, vel Dominus aut Deus, Prouerb. 8. 12. &c. Quid hoc, obsecro, sibi vult? significare voluit Spiritus sanctus Filium creasse mundum: quatenus Filius Dei est: vi scilicet sua, à Patre in æterna generatione accepta. Io. 1. 12. &c. Col. 1. 15. Heb. 1. 2. Christus igitur verus esse Deus ex mundi creatione euincitur. Quare verissimè hîc docent aduersarij: potuisse per se creare mundum, proprium fuisse & esse Dei. Quòd verò aiunt, sed posse creare aliena, hoc est, diuina virtute sibi tradita; commune esse creaturæ: damus, si hæc vis possit creaturæ communicari. Sed posse communicari negamus. Potentiæ enim infinitæ capax esse non potest creatura finita. Quòd verò subditur, Deum potuisse hanc creandi vim communicare Spiritui sancto, quem volunt esse Filium.

Non hîc ego disputo de Dei omnipotentia, sed dico vim hanc non potuisse nec posse communicari creaturæ vili: nisi etiam quod est finitum & temporale, possit fieri infinitum & æternum: & quod creatum, possit fieri increatum: & quòd non est verus Deus, possit fieri verus Deus. Sunt autem hæc omnia omnino ἀδύνατα. Nulla enim creatura potuit aut potest, fieri natura Deus. Quid est enim esse Deum natura? Est esse per se æternum: esse per se immensum: est denique esse per se immutabile. Quicquid autem creatum est, temporale est: finitum est: mutabile est: idque suapte natura: neque quòd factum est, fieri infectum potest

aut quod temporale, finitum, mutabile est, fieri non temporale, non finitum, non mutabile. Imò tum verè mutaretur: si creatura desineret esse creatura: & fieret id, quod non est. Est igitur certissima propositio. Nullam rem creatam posse fieri, natura Deum. Atqui esse natura Deum, & esse vis infinitę, rerúmque omnium creatorem: sunt ἀντιστρέφοντα: ita vt qui non potest fieri Deus, is neque possit etiam fieri virtutis infinitæ, & mundi creator. Esse verò ἀντιστρέφοντα, ita vt vnum alteri respondeat: inde liquet: quia Deus inde se solum demonstrat verum esse, & natura Deum, quod is solus crearit cœlum & terram: vt apud Prophetas passim occurrit, Ies.44.24. Ac non solùm Prophetæ, verùm etiam Apostoli, subinde verum Deum nobis describunt à creatione mundi: Ioh.1.3. Act.4.24. Idcirco & in symbolo, simul ac diximus: *Credo in Deum Patrem:* mox subiicimus, *Creatorem cæli & terræ:* nimirum quòd non possit esse Deus, nisi sit omnipotens, & creator cœli & terræ: neque vicissim creator cœli & terræ, nisi verus sit, & natura Deus omnipotens. Contra, quum vult demonstrare, Idola & Deos gentium non esse veros Deos: inde illud demonstrat, quia scilicet non crearunt cœlum & terram, sed creati sint ipsi, Hier.10.11. Iesa.44.9. Hac quoque de causa vbi Christo creatio datur mundi, sicut antè dictum est: ibi vel Filius Dei, vel Deus ac Dominus, hoc est, Iehoua appellatur, quòd sint ἀντιστρέφοντα esse Deum, & esse creatorem cœli & terrę. Ergo si nulla res creata fieri potest, verus natura Deus, consequitur, neque etiam posse fieri verum mundi creatorem. Quare vis hæc infinita, qua creata sunt omnia, nulli potuit communicari Spiritui creato. Huc accedit, quòd creatorem esse & creaturam: verè sunt pugnantia: & contradictionem implicant. Certè Scriptura sacra vnum apponit alteri, vnde illud Rom.1.v.25. *Et coluerunt creaturam potius quàm creatorem.* Quibus ex verbis alia colligitur ratio ad idem confirmandum. Nempe si potuisset creatura fieri creator: eadem etiam potuisset & posset adorari. Probat enim & laudat Apostolus: Quod adoretur creator. Atqui creatura adorari non potest. Hoc enim improbat & damnat Apostolus. Nullo igitur modo potuit creatus Spiritus fieri creator. Atque hinc efficitur: Si Filius Dei verus fuit mundi creator: eundem fuisse aut esse creatum Spiritum, nullo modo posse. Quare verum quidem est, quod ὑποθετικῶς proponunt: Si vis creandi omnia, potuit creaturæ communicari: ex eo quòd Christus prædicatur terram fundasse, cœlos formasse, & omnia creasse; inferri non posse, illum verum esse & natura Deum, propterea quòd potuisse creare mundum, non fuisset simpliciter Dei proprium. Sed quod assumunt, potuisse hanc vim creandi; creato Spiritui communicari, imò communicatam fuisse falsissimum est, vt ostendimus. Ac proinde falsa quoque est conclusio, quàm inferunt: nempe fieri igitur posse, vt ille λόγος, qui dicitur Christus, crearit quidem cœlum & terram: & interim tamen non sit verus Deus, sed Spiritus creatus.

VI. Quòd si ad hanc responsionem excipiant: Verum quidem est, quòd dicis: Si eandem planè diceremus, creandi facultatem, traditam fuisse Christo, creato Spiritui; quam etiam habet Pater: ita vt eodem etiam planè modo crearit Filius reliqua, quo ipse fuit creatus à Patre Deo. Verum magnum discrimē facimus inter vtranque facultatem. Pater enim creauit per se & solus, hunc λόγον, Spiritum: Iste autem λόγος, Spiritus creauit reliqua omnia non solus, sed vnà cum Patre; non sua, sed aliena virtute, hoc est, non tam illa; quæ fuerat ei communicata: (hæc enim finita erat, quia in Spiritu erat finito) quàm ea Patris virtute, quam Pater ipse exercebat per Spiritum illum. Ita fiebat, vt ipse quoque Spiritus crearet. Hoc modo non sequitur: eum fuisse virtutis infinitæ: & ideò Deum.

Primò, Totum hoc quod dicitis figmentum est vestrum; nullo suffultum Scripturarum testimonio: ideò reiicimus.

Secundò, Scriptura non agnoscit, nisi vnum creatorem, & hunc vocat Deum verum & omnipotentem. Non potuit igitur Spiritus creatus esse creator.

Tertiò: Christus de se dicit, se operari, nempe continenter, iam inde à principio mundi: quæcūque & Pater; & quidem ὁμοίως, Ioh.5.17.19. Creauit igitur mundum cum Patre eadem planè virtute, & eodem prorsus modo, quo & Pater. Quare somnium est, quod fingitis de vestro discrimine: nimirum non eadem planè virtute nec eodem modo, à Filio creatum fuisse mundum, quo à Patre.

Quartò: Iohannes ait; Sine ipso λόγῳ factū esse nihil, quod factum est: Ioh.1.3. Falsum igitur est, quòd dicitis hunc λόγον fuisse creatum à solo Patre. Si enim fuit à solo Patre factus: falsum fuerit, quod ait Iohannes, sine ipso λόγῳ, nihil esse factum, quod factum est: ideóque non omnia per ipsum essent facta. Non est autem mendax Iohannes.

At, inquies, dictum Iohannis sic intelligitur: *Omnia* (scilicet præter ipsum λόγον) *per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil*, scilicet eorum, quæ post λόγον facta sunt.

Sed hæc etiam è vestro depromitis capite. Et si hoc non est addere verbo Dei, illúdque peruertere: quid sit addere, ignoro. Iohannes vnum tantùm operum genus, omnia, scilicet visibilia, & inuisibilia, statuit: & hæc omnia aut fuisse facta à Deo Patre per λόγον. Ac ne excipiat aliquid, subdit: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Quæ est igitur vestra audacia, vt aliquod opus dicatis factum sine λόγῳ, nempe λόγον ipsum, alia verò per λόγον.

Paulus certè nihil excipit; quum ait, Omnia per Christū esse facta, tā quæ in cœlis, quàm quæ in terris. Col.1.16. Sed vos forte vestrum hunc primum Spiritum creatum, per quē dicitis facta esse reliqua omnia: neque in cœlis, neq; in terris collocatis. Id quod verum est: & factum bene. Nam neque in cœlo est, neque in terra: quum nihil sit. Omnes igitur istæ vestræ exceptiones, vanæ & frigidæ sunt.

VII. Nunc ad confirmationem: & ad singula confirmationis capita, quæ obiiciunt Antichristi: respondere nō est difficile. Et certè, inquiunt, sic videntur sacræ literæ dicere: nēpe λόγον fuisse & esse Spiritum creatum, finitúmque, qui postea factus est homo.

In veteri enim Testamento Angelus Iehouæ vocatur. At idem etiam vocatur Iehoua & verus Deus. Assumebat etiam (inquiunt) corpora, & loquebatur cum Patribus. Quasi verò non idem potuerit facere Filius Dei Deus: licet sua natura immensus. An non etiam verus Iehoua apparebat in nube? Annon Spiritus sanctus in forma columbæ, seu in columba? Exod.16.10. Matth.3.16.

Et in nouo (subdunt) dicit se descendisse de cœlo: finitus igitur est, vt posset mutare locum. Quasi verò non idem de se dixerit, quum esset in terris, se etiam tum fuisse, & esse in cœlis. Ioan.3.13. Descensus enim de cœlo, non fuit loci mutatio, sed nouæ naturæ assumptio: non in cœlis, sed in terris facti.

Et à Paulo (addunt) vocatur primogenitus omnis creaturæ. Prima igitur fuit creatura. At si fuisset prima creatura: πρωτόκτιστον eum appellasset Apostolus, non πρωτότοκον. Si igitur genitus à Patre ante omnem creaturam; sequitur non esse factum, sed esse æternum. At id quod dicunt de vi creandi, eam à Patre, Filium accepisse: Damus libenter. Confitemur enim, quicquid est, & quicquid habuit vnquam, aut habet Filius: totum illud à Patre accepisse. Sed quod inde inferunt: fuisse igitur & esse creaturam, & ex creato per ipsum mundo, non posse inferri eum verum esse Deum; est ἀσυνάρτητον. Christum enim accepisse à Patre virtutem creandi mundum: bifariam post intelligi. Aut hanc accepisse in æterna sui generatione, ita vt ei sit naturalis, & vt nunquam is fuerit sine hac virtute: Aut illi: hanc fuisse post generationem, non habenti communicatam; ita vt ei sit dono data.

Si primo modo: damus & nos. Nascendo enim ex Patre, totam ab eo accepit, eandémque οὐσίαν: ideóque omnem potestatem, omnem sapientiam, omnem vitam, &c. Sicut enim sua οὐσίᾳ Pater est potens, est sapiens, est bonus, &c. Sic etiam Filius. Et hoc docuit Christus dicens: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*, Io.5.26.

Quid hic est, Pater dedit Filio? Nisi Pater quà Pater, hoc est, generando & officium Patris faciendo: dedit Filio, quà Filius est: hoc est, in ipsa Filij ex Patre, natiuitate? Ita dicimus hanc facultatem, sicut etiam reliqua omnia, esse Filio naturalem, propriam, æternam, eandem cum Patris facultate. Naturalem quidem: Quia ab ipsa sui, ex Patre natiuitate illam accepit. Propriam verò: Quia nihil magis proprium est nostrum, quàm quod habemus à nostris parentibus; præsertim in nostra natiuitate; vti sunt anima & corpus.

Æternam autem; quia nunquam fuit Filius, quin hanc habuerit facultatem. Proinde non est precaria. Denique eandem planè, quam & Pater habet; quia eadem vtriusque οὐσία.

Verùm si hoc modo facultatem creandi communicatam fuisse Filio intelligamus; tunc certè non consequetur, quod volunt aduersarij; nostrum scilicet argumentum, quò à creatione mundi, per Christum, Christi Deitatē conformamus, esse infirmum. Imo contrarium efficietur; nimirum illud esse firmissimum; & Christum verum esse Deum. Qui enim eadem planè, propria, naturali, & æterna, cum Deo Patre, potestate mundum creauit; quomodo non verus est Deus? præsertim quòd hæc potestas nihil aliud est, quàm ipsa æterna diuináque οὐσία.

Si verò

Si verò excipias potestatem hanc datam fuisse Filio post generationem, tanquam prius non habenti: non admittimus. Vnde enim hoc probas? Multa quidem illi, quà homo, tanquam non habenti, dedit Pater. Sed eidem, quà λόγος est, æternúsque Dei vnigenitus: omnia ille dedit, in ipsius generatione.

At ait tamen Christus, se à seipso nihil facere, sed omnia ex Patre, Ioh. 5. 19.

Respondeo: et quà homo, & quà λόγος: hoc est verissimum: quà homo: nihil est certius, quàm Christum, nihil à seipso fecisse diuinum: sed omnia ex Patris virtute. Quà λόγος etiā: idem verissimum est. Sed aliud est agere ex seipso, aliud per seipsum. Ex seipso agit: qui ea agit potestate, quę non solum sibi sit naturalis, sed etiam à seipso sit, & non aliunde. Hoc modo, solus Pater agit, non tantùm per se, sed etiam ex se. Per se autem agit, qui ea virtute agit, quæ sibi sit naturalis & propria: licèt aliunde accepta. Sic Filius agit per se, à nemine adiutus: Sed non à se; quia ea agit virtute: quæ originem habet à Patre. Rectè igitur Christus dixit, se nihil agere ex se, licèt omnia agat per se.

Quare neque hæc exceptio nostrum infirmat argumentum: sed potiùs confirmat. Quia λόγος creauit cœlum & terram, per se, à nemine adiutus: ea nimirum facultate & potestate quæ illius est propria & naturalis, licèt data sit ei à Patre.

VIII. Quod si ad extremum etiam ita excipias: si Filius creauit cœlum & terrā per se, sed non à se: & omnia quæ agit, non agit à se, sed per se; Pater autem agit etiam à se: Filius igitur non erit æqualis Patri: eóque nec Deus vt Pater.

Argumentum est à proprietatibus personalibus inter se differentibus, ad ἰδίαν etiam differentem demonstrandam. Quod argumentandi genus, vitiosissimum est. Non enim sequitur, Filius est à Patre, & quicquid habet, habet à Patre: Pater autem à nullo: Filius igitur non est eiusdem naturæ, & æqualis potentiæ cum Patre. Annon etiam nos sumus ex nostris parentibus; & quicquid habemus humanæ naturæ, & naturalium facultatum, ab illis habemus? Sequitúrne nos ergo non esse parentibus nostris æquales naturâ, & naturalibus facultatibus? Minimè verò: quoniam modus subsistendi & essendi, siue à seipso, siue ab alio: non aliam efficit naturam, neque maiores aut minores reddit naturales agendi facultates. Proinde παραλογισμὸς est hîc, qui dicitur non causa vt causa. Causa enim cur Christus æqualis dicatur facultatis cum Patre: non est, quia hanc facultatem habeat à se, sicut & Pater. Sed ea demum est causa; quia eandem prorsus & totam habet, quam & Pater essentiam: eóque & potentiam: ita vt quæcunque agit Pater, eadem & Filius ὁμοίως agat.

Firmissimum itaque manet nostrum primum argumentum: quo à Mundo per Christum creato, euicimus Christum, verum esse Deum. Quare firmè etiam hoc est retinendum. Nam etiamsi nullum aliud, præter hoc, ad confirmandam Christi Deitatem ex Scripturis, suppeditaretur argumētum: hoc tamen bene tractatum, & à calumniis liberatum, satis abundè luculenter demonstrabit, Filium Dei, verum esse & æternum Deum.

## CAPVT II.

### Depulsio cauillorum, quæ fiunt aduersus argumentum pro Deitate Christi, ductum à nomine Iehouæ: quo sæpè in veteri Testamento appellatur.

DEMONSTRAVIMVS secundo loco, Christum verum esse Deum, quòd passim in veteri Testamento nomine Iehouæ significetur & appelletur; abundè suo loco ostendimus. Præsertim vbi Prophetarum testimonia contulimus cum Apostolorum interpretationibus. Aduersus hoc argumentum, quinque sunt exceptiones.

Negant quidam, nomen Iehouæ, de Christo prædicari: & contendunt hoc nomine semper intelligendum esse Patrem. Quòd verò ad Christum in nouo Testamento, illa Prophetarum testimonia accommodentur: id fieri per μετωνυμίαν: Quòd scilicet in Iesu homine, & per Iesum: Deus Pater præstiterit & præstet, quæcunque per Prophetas de nostra salute, & redemptione promiserat. Quia igitur Deus Iehoua erat, & est in Christo: Mundum sibi per hunc Christum reconcilians, idcirco Christum, Iehouæ nomine significari. Non secus atque etiam Hierosolyma, item Arca, appellatæ fuerunt à Prophetis, nomine Iehouæ, quòd Deus illic inhabitaret. Quare ex illis locis, qui ad Christū in nouo Testamento accommodātur; minimè consequi, Christum esse illum, de quo loquebantur Prophetæ, Iehouam.

Atque huc illud spectare, quod est in Epistola ad Philippenses, 2. 9. *Dedit illi nomen quod est supra omne nomen.* Si enim Pater dedit illi hoc nomen: igitur antea non habebat: nec erat Iehoua. Sed honoris causa, Christo hoc suum communicabat nomen, nempe Iehouæ.

Resp. Primo: Nos tam copiosè & perspicuè suis locis ostendimus, Christum reuera significatum fuisse nomine Iehouæ, & fuisse etiam tunc verum ὑφεστάμενον: vt iam non sit opus longiore probatione. Qui enim Angelus Iehouæ tunc erat, & vocabatur: idem Iehoua etiam appellabatur: vt antè abundè demonstratum est: Partis poster. lib. 2. c. 2. Angelus autem Iehouæ non potuit esse Pater. Deinde alio modo in Iesu Christo erat & est Deus mundum sibi reconcilians: quā Hierosolymis & in Arca. Est enim in Christo σωματικῶς, vt ait Apostolus: ὑποστατικῶς scilicet & essentiali vnione, cum humana natura coniunctus, Col. 2. 9. Quare per μετωνυμίαν minimè: sed verè & propriè de Christo nomen Iehouæ prædicatur. Illud ad Philippenses non sic intelligendum est: quasi antea nunquam Christus fuerit Iehoua. Neque enim de nomine Iehouæ loquitur Apostolus. Sed nomen vsurpauit, vt notum est, pro dignitate & gloria.

Sensus enim est. Christum, quà etiam homo est, propter suam obedientiam & humilitatem, supra omnia fuisse à Patre exaltatum, & in supremo honoris gradu collocatum, vt nulla sit vel in cœlis, vel in terris par dignitas.

Deinde etiam si quis daret, de nomine Iehouæ Apostolū loqui: Ex illo tamen verbo (Dedit illi) non efficeretur, antè à Christum non habuisse hoc nomen, nec fuisse verū Iehouā. Sic enim posset intelligi, Patrem effecisse, vt post mortem, & post resurrectionem, Christus agnoscatur vbique pro illo, qui antè quoque erat reuera, sed incognitus: nempe verus Iehoua. Atque ita effecisse, vt vbique flectantur illi genua; hoc est, vt vbique adoretur, tanquam verus Iehoua. Fallacia igitur est ex ignoratione figuræ dictionis. Quare locus iste nihil ad rem facit.

II. Sed esto (inquies) fuerit tunc Christus nomine Iehouę appellatus: non sequitur tamen eum verum esse Iehouam. Nam ille qui in veteri Testamento Angelus Iehouæ, & Iehoua appellabatur, fuit Angelus, id est, Spiritus creatus ante omnes alias creaturas, qui postea sumta carne, vocatus est Christus. Fuit autem vocatus Iehoua; nomine scilicet illius, cuius erat legatus. Quia sic solent sæpenumerò legati eorū, quorum agunt legatos, nominibus appellari. Quare non sequitur, reuera ideo fuisse Iehouam: propterea quòd sic fuerit appellatus.

Primò negatur assumtio: eum, qui vocabatur Angelus Iehouæ, & Iehoua, fuisse Spiritum creatum. Hoc enim est quod controuertitur. Proinde nugatio est, & petitio principij.

Deinde fallacia hîc admittitur quæ dicitur, non causa vt causa. Causa enim cur à nomine Iehouæ inferamus, Christum verum esse Iehouam: non est simpliciter, quia fuit appellatus Iehoua: sed quia propriè sic fuerit nominatus. Hoc verò inde apparet: quia in illis locis vbi Iehoua appellatur, ea illi attribuuntur, quæ non nisi in verum Deum competunt, vt suprà abundè demonstratum fuit, ex Genesi, Exodo, Iesaia, & aliis Scripturis sanctis. Gen. 22. 1. &c. Exod. 3. 2. &c. Ies. 6. 1. & 45. 23. Quare non potuit esse creatus Spiritus. Nec ideò appellatus fuit Iehoua, quia legatus Iehouæ: sed quia verus Iehoua.

Neque etiam verum est, quod aiunt, Legatos solitos esse vocari nominibus eorum, quorum sunt Legati: nempe simpliciter, & sine aliqua additione, qua apertè discernantur ab iis, quorum sunt Legati: vt Moses, Deus vocatur non simpliciter, sed Aaronis, Exod. 7. 1.

At verus Deus, est Deus omnium. De Iudicibus: *Ego dixi, Dij estis.* Psalm. 82. 6. Non ij simpliciter Dij; sed quia Deus dixit, hoc est, quia eos constituit Deos. Certè Christus legatus fuit Patris, nunquam tamen se vocauit Patrem cœlestem, & Apostoli legati Christi, nunquam tamen appellantur Christus, vel Christi. Atqui Christus simpliciter, & definitiuè vocatur Iehoua.

III. At, etiamsi demus, propriè, hoc est, iuxta veram, propriámque nominis significationem, Christum fuisse appellatum Iehouam; non inde tamen sequitur, eum verum esse Iehouam; cùm ea, quæ significantur nomine Iehouæ, in ipsam quoque creaturam competere possint. Deus enim Iehoua appellatur (inquit Spiritus Ochinianus) duabus de causis; tum quia dat esse rebus omnibus creando & conseruando; tum etiam quia dat esse ipsis promissionibus, eas complendo. Nam sic dicit Mosi, Exod. 6. 3. Se quidem olim in nomine שדי Abrahamo, Isaaco & Iacobo apparuisse;

neque tamē ſe eis in nomine ſuo Iehouæ,patefeciſſe. Quomodo non ſe eis patefecit in nomine Iehouæ? qui ex factis non viderunt Deum eſſe fidelem, & promiſſa de populo liberando præſtantem. Promiſerat enim ſe liberaturum ſemē eorum ex Ægypto:ſed nondum liberauerat.

Atqui Chriſtus(inquit)licet creatus ſit Spiritus, tamen primò eſſe dedit reliquis rebus omnibus. Per hunc enim Deus Pater omnia condidit & regit. Et deinde eſt fidelis, & promiſſa Dei exequendo,efficit,vt ſint res promiſſæ. Per hunc enim Deus,omnia ſua implet promiſſa. Vnde Apoſtolus 2 Cor.1.20 *Quotquot enim ſunt promiſſiones:in ipſo* (Chriſto)*ſunt Etiam & Amen.* Ita nomen Iehouæ ex propria ſui ſignificatione competit non tantùm Patri, idque inprimis: verum etiam ipſi Chriſto,quanquam ſit creatura: idque ſecundario. Quare argumentum à nomine Iehoua deductum nihil concludit.

Quaſi verò nulla alia ſit præter illas duas,huiuſce nominis Iehouæ,notatio,& ſignificatio; cum ſit à verbo, quod *eſſe* ſignificat, illum propriè ſignificat, qui maximè & per ſe eſt, ſempérque fuit, & erit:nimirum ipſum τὸ ὂν ſeu τὸ ὤν. Hæc eſt prima & propria huiuſce nominis ſignificatio. Quis verò is eſt? Deus. Vt ipſe hoc nomine ſe appellauit. Exod.3.14. *Qui eſt*,ſeu, *qui erit*(futurum pro præſenti:& quatenus continuum, æternúmque eſſe ſignificat) *miſit me ad vos.* Si autem propriè hoc nomine attribuitur Chriſto à Prophetis. Eſt igitur & ipſe ὁ ὢν,iſque verus Deus. Id quod confirmatur: quoniam,vt ſuo loco oſtenſum eſt, ille qui loquebatur Moſi,& qui Angelus Iehouæ & Iehoua dictus eſt:fuit Chriſtus. Is igitur eſt iſte,qui ſe appellauit τὸ ὤν & dixit אהיה אשר אהיה: &; *ſic dices Filiis Iſrael* אהיה שלחני. Nec diſplicet, quod quidam nomen יהוה ab hoc verbo futuri temporis אהיה,mutato א in י,quo tertia perſona futuri ſignificatur, erit: deducunt. Sic enim conſtituitur τὸ τετραγράμματον nomen יהוה. Et qui dixit, *Ero,qui ero.* Item אהיה *miſit me*, eum voluiſſe ſignificare, ſe futurum aliquando id quod non erat. Pater autem ſemper idem manſit, nec vnquam factus eſt id quod aliquando non fuerit. Sed Filius factus eſt tandem id, quod aliquando non erat, nempe homo:Chriſtum igitur eſſe illum Iehouam, qui dixit,אהיה אשר אהיה. Et:אהיה שלחני. Deinde oſtenſum eſt ſupra: Non potuiſſe per creatum Spiritum, creari quicquid creatum eſt:& ab eo pendere omnes creaturas, ſuſtentari & regi. Eſt enim ſolius Dei hoc,vt etiam Paulus docet, quum ait de Deo: *In ipſo enim viuimus,mouemur, & ſumus.* Act.17.28. Si igitur iuxta alteram huius nominis Etymologiam,Chriſtus dedit eſſe rebus omnibus, & eas ſuſtentat, vt fatentur aduerſarij Ariani: ac proinde, ſi verè competit in illum nomen Iehouæ,conſequitur, Chriſtum verum eſſe Deum. Iuxta tertiam quoque etymologiam,neceſſariò efficitur: Chriſtum verum eſſe Deum. Neque enim impleri potuerunt promiſſiones de expiatione, remiſſionéque peccatorum:de vita æterna:déque mundi ſalute, niſi per eum, qui ſua natura potentiæ eſſet infinitæ,eoque Deus. Si igitur Chriſtus, ideo vocatur Iehoua,quia per ipſum omnes promiſſiones ſuum habent complementum, & executioni mandantur:neceſſariò Deus eſt. Quare firmiſſimum eſt argumentum,quo vſi ſumus, à nomine Iehouæ,ad demonſtrandum Chriſtum verum eſſe Deum Iehouam, ſi nomen hoc propriè,& iuxta proprias etymologias & ſignificata,de Chriſto prædicatur,vt reuera prædicatur. In iis duabus poſtremis exceptionibus,fallacia eſt,non cauſæ,vt cauſæ. De hoc argumento,& nomine,multa dicta ſunt etiam ſuperiori libro,cap.2.

IIII. Quarta exceptio, eſt propriè & ſpeciatim aduerſus locum Ieſai.ſexto,collatum cum capite duodecimo Iohannis.v.37.vnde collegimus, Chriſtum verum eſſe Iehouam, quia is eſt ille,cuius gloriam vidit Ieſaias.

Mediator negat Chriſtum fuiſſe illum, qui apparuit Prophetæ:ſed fuiſſe Patrem ſolum,contendit. Vtitur autem hoc argumento.

Cui ſoli cecinerunt canticum Seraphini dicentes:*Sanctus, Sanctus,Sanctus, Dominus Deus Zebaoth*: Is etiam ſolus eſt, qui apparuit Ieſaiæ. Huic tanquam certiſſimæ propoſitioni ſubſcribimus.

Atqui ſoli Patri hoc cecinerunt canticum. Hanc probare conatur hunc in modum Mediator. Hoc idem canticum cecinerunt quatuor animalia,illi qui ſedebat in throno. Ap.4. 8. Is autem fuit ſolus Pater. At quomodo hoc probat? Quoniam(inquit)capite quinto, v.6.mentio fit Agni, qui eſt Chriſtus: & is dicitur accepiſſe librum ex dextera eius,qui ſedebat in throno.

Agnus igitur non eſt ille, qui ſedebat in throno: ac proinde canticum non fuit Agno decantatum: ſed Patri duntaxat,quia is ſolus in throno ſedebat. Quare neque Chriſto, apud Ieſaiam capite ſexto, decantatum fuit canticum: ſed ſoli Patri. Ac proinde Chriſtus non eſt ille Iehoua,qui apparuit Ieſaiæ.

At Iohannes duodecimo ait,Ieſaiam tunc vidiſſe gloriam Chriſti: Reſpondet ille:Ieſaiam non vidiſſe Chriſtum:ſed eius gloriam:(nempe in Spiritu.)Hanc autem gloriam Chriſti fuiſſe patefactam, cùm venit in mundum à Patre commendatus voce illa, *Hic eſt Filius meus dilectus:hunc audite*:vt explicat Petrus,2.1.17.

Quæ verò eſt iſta conſequentia? Canticum hoc:*Sanctus, Sanctus,Sanctus*: ſoli Patri eſt decantatum à quatuor animalibus,Apocalyp.4. Ergo ſoli etiam Patri idem decantatum ab Angelis fuit, Ieſaiæ ſexto? Eodem modo licebit nobis etiam ſic argumentari: Soli Chriſto hanc dat gloriam Apoſtolus: vt eum vocet Deum benedictum in ſecula, Amen. Roman.9 5. Ergo alibi quoque ſemper,vbi Deus benedicitur, & benedictus appellatur: de ſolo Chriſto huiuſmodi dicta intelligenda ſunt. Item ſoli Chriſto canit Iohannes, *Ipſi robur & gloria in ſecula ſeculorum*, Apocal.1.6. Ergo etiam cùm Paulus ait de Deo Patre, cui honor & robur in æternum 1.Tim.6.16.non de Patre, ſed de ſolo Ieſu Chriſto dicta fuiſſe, interpretabimur. Si hæ illationes firmæ non ſunt:neque etiam illa. Eſt enim non parua diſſimilitudo inter locum Ieſaiæ & Apocalypſeos. Ibi indefinitè ponitur nomen Iehouæ, nec reſtringitur vlla circumſtantia ad certam perſonam: idcirco canticum etiam canitur Deo indefinitè accepto: hoc eſt, tam Filio,& Spiritui ſancto,(vt Iohannes & Paulus docent)quàm Patri. Hic autem in capite quarto Apocal.ex circumſtantia, quæ affertur de Agno, accipiente librum de manu eius, qui ſedebat in throno, & cui canebant quatuor animalia; videtur nomen ſedentis in throno, ad ſolum Patrem reſtringi. Quare cùm tam ſint diſſimiles loci: conſequentia ab vno ad alium non tenet. Sed quid,ſi etiam negem ſoli Patri decantatum fuiſſe canticum à quatuor animalibus: & dicam nomine ſedentis in throno,ipſum quoque Filium quà Deus eſt,vnà cum Patre intelligi debere? Nam quæ ibi dicuntur de ſedente in throno: diſertè de Filio etiam prædicantur in eadem Apocalypſi. Principio, Datur ſedenti in throno titulus iſte:*Qui erat,qui eſt,& qui venturus eſt.* Idem datur Chriſto. Deinde datur ſedenti, quòd viuat in ſecula ſeculorum. Idem planè Chriſtus de ſe dicit. Tertiò ſedenti in throno dicitur: Dignus es, qui accipias gloriam,ac honorem, & virtutem, Apocal.4.8.& 1.8.& 4.9.& 1.18.& 4.12.& 5.12. Idem dicitur de Agno Apocal.5.12.

Illud certum eſt,à Patre nunquam ſeparari Filium. Eſt enim ſemper in Patre. Et ſicut qui honorificat Filiū,honorificat etiam Patrē. Sic qui glorificat Patrem,enim etiam glorificare Filium,manifeſtum eſt,Ioh.14 10.& 5.23. Quod igitur canitur Patri canticum:idem etiam Filio canitur.

Huc accedit, quòd etiam indefinitè dicitur, ſedenti in throno. Nam quòd ſubditur de Agno,qui accepit librum de manu ſedentis in throno: hoc de Chriſto,quà homo eſt, intelligitur. Prædicatur enim hic illa exaltatio,quæ etiam ad Philippenſes 2 9. deſcribitur. Non fuit certe exaltatus, quà Deus:quia æqualis Patri. De Chriſto igitur quà homo eſt,loquitur Iohannes, cùm dicit, Agnum mactatum accepiſſe librum de manu ſedentis in throno. At illud(inquies) de manu ſedentis,non poteſt intelligi,niſi de Patre. Quaſi verò ſit res noua in ſcripturis, vt Patri, tanquam fonti totius Deitatis, tribuatur, quod totius eſt ἀγίας τριάδος. Sic cum magnis viris intelligo illud Danielis 7.13. Filium hominis perueniſſe vſque ad antiquum dierum; hoc eſt Chriſtum, quà homo, perueniſſe poſt reſurrectionem ad gloriam illam Deitatis ſempiternam, in qua ſemper fuit, quà λόγος & vnigenitus eſt Patris. Et hoc eſt ſedere ad dexteram Patris.

Ad id: quod dicit Mediator de dicto Iohannis duodecimo, Ieſaiam vidiſſe gloriam Chriſti, non ipſum Chriſtum, facilis eſt reſponſio, Chriſtum nunquam à ſua gloria,quam habuit, antequam Mundus fieret, apud Patrem,ſeparatum fuiſſe,Ioh.17 5. Quomodo igitur vidit gloriam Chriſti,quin viderit Chriſtum ipſum? Imò iſte locus Iohannis maximè facit,ad confirmandam Chriſti Deitatem. Quæ enim obſecro, fuit illa Chriſti gloria, quàm vidit Ieſaias, niſi Chriſti Deitas,atque maieſtas,vt alibi oſtendimus? Et ſic idem Iohannes,in hunc ſenſum,ea vtitur voce: quum ait in Euangelio: *Hoc fuit primum ſignum, quo manifeſtauit gloriam ſuam*: id eſt,Deitatem, potentiámque diuinam,Io.2 11. Et alibi: *Si credideris,videbis gloriam Dei*,i.potentiam, & virtutem diuinam in me,Io.11.40. Hanc Dei gloriam vidit Ieſaias,cùm illa ſeſe exeruit in illa glorioſa,& illuſtri viſione:qua ſedebat in ſolio:& plena erant omnia maieſtate illius: & quum audiuit etiam à Seraphinis eum glorificari cantico cœleſti:

Sanctus,

*Sanctus Sanctus, Sanctus.* Erat igitur verus Deus Zabaoth. Quare, quod adducitur ex Petro, nihil ad rem facit. Petrus enim loquitur de patefactione huius gloriæ & Deitatis Christi in carne manifestatæ, & testimonio Patris, comprobatæ: non autem quòd tunc primùm Christus acceperit gloriam à Patre: & hanc tantùm præuiderit Propheta futuram: non autem præsentem viderit.

V. Spiritus Ochinianus illud Iohan. dictum, *Hæc dicit Iesaias, quum vidit gloriam eius, & locutus est de illo:* interpretatur de Patre, non de Christo; contra omnium interpretum sententiam. Sed pugnat & cum scopo, & cum verbis ipsius Iohannis. Propositum enim fuit ostendere, Iesaiam præuidisse cæcitatem Iudæorum: quæ futura erat ad præsentiam Christi. Ergo quod ait: *hæc dixit Iesaias, quum vidit gloriam eius:* non potest non intelligi de Christo: in cuius regno, & ad cuius prædicationem excæcandi erant Iudæi. Deinde hic Spiritus Ochinianus vim facit verbis Euangelistæ. Nam ante dixerat de Christo, *Non poterant credere in eum* (Christum) *vt sermo impleretur, &c.* Particula illa (*eius*) non nisi ad Christum referri potest. Item mox de eodem ait: *Multi crediderunt in eum.* In quem? in Christum. Non potest igitur præcedens pronomen, Eius, & de Eo, intelligi de patre; sed tantùm de Christo. Item illud: *Et loquutus est de illo.* Referendum est omninò ad illa, quæ apud Iesa. 53. 1. habentur: vnde desumtum illud, *Domine quis credidit, &c.* Ibi autem manifestè locutus est de Christo. Igitur etiam particula (*Gloriam eius*) de Christo intelligenda est.

## CAPVT III.

### Exceptionum, aduersus argumenta, ab operibus, & attributis Dei, cultúque illius proprio, deductæ refutatio.

ARGVMENTVM quoque attulimus, ex veteri Testamento, ab operibus illis, quæ aut ipse Iehoua promisit se præstiturum: aut Prophetæ prædixerunt eum facturum, & passurum. Ea verò fecit & passus est Christus, vt docent Euangelistę, & Apostoli: vt est, inire nouum fœdus cum Populo: vt est, futurum eum exitium mortis: vt est, transfigi, seu cruci affigi: vt est, de cœlo effundere Spiritum sanctum supra homines fideles: vt est, ascendere in altum, & captiuam ducere captiuitatem: vt est, tollere iniquitatem ab Electis. Hæc autem omnia Christo tribuuntur. Ier. 3. 23. Hos. 13. 14. Zach. 12. 10. Ioel. 2. 28. Psal. 68. 19. Mich. 7. 18. Heb. 8. 8. 1. Cor. 15. 54. Io. 19. 37. Act. 2. 17. Ephes. 4. 8. Io. 1. 29.

Aduersus hoc argumentum sic excipiunt. Dicitur Christus hæc fecisse, quia Deus Pater hæc per Christum præstitit: vt etiam Apostoli dicuntur miracula fecisse, & mundum conuertisse, quia Christus per eos hæc præstitit, sua illis virtute communicata. Quare vt non sequitur ab iis operibus, Apostolos esse Christum: ita ab illis non sequitur Christum esse Iehouam.

Resp. Primùm damus: Patrem omnia fecisse per Filium, & quotidiè per eum omnia operari: Sed non eodem plane modo: quo Christus per Apostolos operatus est. Per Apostolos enim operatus est Christus, vt per nuda instrumenta. Virtute enim non sua, seu sibi naturali, sed dono data & cōmunicata à Christo, omnia agebant Apostoli. Præterea: non omnia etiam, & eadem egerunt, quę Christus. At verò Christus, & omnia egit, atque agit, quæ Pater: Et quidem virtute virtuti Patris æquali: imò eadem omninò δυνάμει, vt ipse docet apud Ioha. 5. 19. *Quæcunque operatur Pater, eadem operatur & Filius: & quidem ὁμοίως.* Operatur igitur Pater per Filiū: sed tanquam per ὄργανον, eiusdem potentiæ: vti Sol orbem illuminat per radios. Quare ex eo quòd Christus sua virtute, à Patre tamen nascendo accepta, præstitit ea, quæ Iehoua promiserat se facturum: optime consequitur Christum esse Iehouam. Deinde quæ Iehoua dicit se passurum à populo: vt quòd cruci esset affigendus, & similia: ea certè non potest dici Pater passus esse in Filio: sed tantùm Filius in carne, vt loquitur Petrus. 1. 3. 18. & 4. 1. Et tamen Iehoua significauit se hæc passurum, quum ait per Zachariam 12. 10. *Et aspicient ad me, quem transfixerunt.* Quare ad consequentiam damus hanc sequelam: Pater per Christum omnia efficit: Igitur Christus non est Pater. At non sequitur. Ergo Christus non est Iehoua. Nam Iehoua diuinam essentiam atque potentiam significat: Christus autem omnia egit, & agit, sua essentia ac potentia: quam à Patre nascendo accepit: eaque sibi naturali, & verè sua. Simile radij & Solis, & lucis vtriusque perspicuum est.

II. Quartum argumentum ab attributis Dei, hoc est ab iis, quæ aut ipse sibi Iehoua: aut Prophetæ illi attribuūt. Ea enim Apostoli in nouo testamento attribuunt Christo, vt quod sit scrutator renum: quòd sit solus seruator: quòd sit iustitia nostra. Et alia id genus multa, quæ occurrunt in scripturis.

Exceptio prima est: Hæc & alia Dei attributa Christo attribui per gratiam: non autem competere in illum per naturam.

Respon. Primùm: Hæc sunt mera effugia horum hominum: quia inimici sunt gloriæ Christi. Hoc enim dicere quidem possent de iis attributis, quæ creaturæ communicari possunt. Sed quomodo hoc dici de iis potest, quæ in puram creaturam competere nequeunt? vti est æternitas, significata illis verbis; *Ego primus & ego nouissimus: α & ω.* Apocal. 1. 17. Certè fieri nequit, vt aliqua creatura sit æterna. Christus autem prædicat se æternum Deum: quum ait: *Ego primus & nouissimus.* Neque enim vllus creatus Spiritus hæc de se vere dicere potest: id quod hinc fit perspicuum. Nam aut hoc dictum intelligendum est de prioritate, vt vocant, temporis: aut de prioritate dignitatis & excellentiæ. Si de prioritate temporis interpreteris: Quis Spiritus potest dicere: *Ego primus & ego nouissimus?* Si enim est primus, hoc est, primò, & ante omnes reliquos creatus: quomodo erit nouissimus? Si nouissimus, quomodo primus? Non potest igitur intelligi de Christo: si eum credas esse Spiritum creatum. Si verò sic interpreteris: Ego sum primus, nempe dignitate, officio, donis Dei: contradictionem quoque implicaueris, si quis dixerit se esse primum; idem etiam dicat, se esse nouissimum: hoc est, dignissimum omnium: & simul etiam indignissimum omnium. Neque etiam putandum est, Christum voluisse dicere se esse primum, hoc est præstantissimū respectu donorum Dei: & nouissimum, hoc est, ignobilissimum, respectu passionis, & mortis. Nihil enim tale colligi potest ex ipsius verbis.

Fortè dixerit aliquis: sic esse intelligenda Christi verba: *Ego sum primus*; nempe seruator: *Ego sum nouissimus*, scilicet Seruator. Quia post Christum nullus amplius Seruator expectandus est; quasi dicat. Ego sum puppis & prora, vt habet liber Albæ Iulæ. Sed neque hic sensus admitti potest. Quomodo enim fuit primus Seruator? si Spiritus est creatus: cùm ante ipsum, Iehoua fuerit omnium Seruator, vt in Psalmis & Prophetis prædicatur? Sunt qui sic interpretantur. Ego sum primus & α: hoc est, caput fidelium. Est enim caput corporis Ecclesiæ. Col. 1. 18. Et nouissimus & ω: hoc est, vita æterna fidelium omnium, & eorum consummatio.

Sed neque hæc interpretatio cōsistere potest. Est quidem verum, quòd dicunt: sed nihil ad rē. Non enim se vocat principium & finem huius vel illius rei: sed simpliciter, iisdem planè verbis: & proinde eodem etiam sensu: quibus verbis & quo sensu, antea etiam Iehoua vocatus est, principium, & finis: nempe rerum omnium, à quo & per quem omnia. Rom. 11. 36 Hæc autem est Dei descriptio.

Reliquum igitur est, vt non possit intelligi nisi eo sensu; quo verus Iehoua appellatur principium & finis: α & ω, nēpe Christum esse vnicum, & æternum Deum. Hæc enim interpretatio consentanea est cum aliis scripturis. Nam ait Iehoua: *Ante me non est formatus Deus.* (Quid hoc est: nisi ego sum primus: nempe Deus;) *Et post me non erit Deus.* Ies. 43. 10. Quid etiam hoc sibi vult, nisi ego sum nouissimus: nēpe Deus? Cùm hoc consentit illud Iesai. *Gloriam meam alteri non dabo.* Iesā. 42. 8. Quasi dicat: ego primus, habeo hanc gloriam, vt sim Deus, eóque verax, & omnipotens. Hanc etiam mihi vni retinebo: & alteri non dabo: quid hoc aliud est, quàm, & post me non erit Deus? Ego enim vt primus sum; ita etiam nouissimus esse volo.

Huc accedit aliud epitheton, quo se vocat illum, qui erat, qui est, & qui venturus est. Hæc omnia significant æternitatem. Quare nisi quis velit esse contentiosus, nihil certius est quam iis verbis Christum voluisse significare, se vnum & æternum esse Deum cum Patre. Cum iis coniunge, quæ alibi quoque in veteri Testamento de eius æternitate habentur, vt illud Prouerb. 8. Item Mich. 5. *Egressiones eius à diebus æternitatis.* Item illud ex Psalm. 102. 26. *Anni tui in generationem, & generationem: nam initiò terram fundasti.* Heb. 1. 10. Æternitatem Iehouæ prædicat: totum autem hunc locum, de Christo interpretatur Apostolus. Quòd si æterna Deitas verè de Christo prædicatur, id quod non potest intelligi per gratiam, sed tantùm per naturam. Quomodo igitur reliqua Dei attributa non competunt in Christum, natura, non autem gratia? Ipsa quoque immensitas, qua Deus vbique est, implens cœlum & terram; non potest cadere in vllam creaturam. Attribuitur autem pas-

sum Christo: quia omnia sua præsentia sustinet & seruat. Argumentum igitur ab attributis Dei, in veteri Testamento, quæ de Christo prædicantur in nouo Testamento ductum: firmissimum est, ad probandam Christi æternam veramque Deitatem. Quare corruunt omnes exceptiones, quæ fiunt ab Aduersariis aduersus hoc argumentum: vt, quod excipit Spiritus Ochinianus ad illud Iesa.8.14. *Deus erit vobis Asylum: item Lapis offensionis, & Petra scadali.* Quod de Christo interpretatur Apostolus, Rom. 9.33. vt quod excipit Mediator aduersus illud Iesa. 9.6. vbi Filius dicitur Deus potens, fortis, Pater æternitatis: in summa volunt ea de Christo prædicari: non natura, sed participatione. Sed quum æternitas & immensitas prædicari nequeant participatione, sed natura; propterea quod in nullam creaturam, cadere possunt: Friuolum est, quicquid de aliis attributis dicunt: non natura, sed participatione ea de Christo prædicari.

III. Ad quintum argumentum ductum ab honore & cultu, quo solus Deus coli iubetur, excipiunt, Non sequi illationem: quoniam illa de causa, adoratur, & inuocatur Christus: & ob aliam Pater. Pater, quia Deus & auctor bonorum omnium. Christus, quia Mediator, per quem dispensantur bona à Patre.

R. Fallacia hîc est, non causæ vt causæ. Non enim est sufficiens causa, vt adoretur Christus, quia Mediator est. Causa enim adorationis: sola est deitas. Ideò enim Iehoua iubet sese solum adorari, & inuocari, & coli: quia solus est Deus, auctor omnium rerum. Quare si Christus non est Deus: nullo modo est inuocandus & adorandus. Aut si est adorandus: Deus igitur sit, necesse est. Stat enim præceptum: Apoc.14 7. *Adorate eum qui fecit cœlum & terram.* Et Matth.4 10. *Dominum Deum*(non ait Mediatorem) *tuum adorabis, & illum solum coles.* Deut.6.13.

At, inquiunt, non propriè Christus inuocatur & adoratur: sed Deus Pater in Christo: tanquam in suo templo: vt etiam olim in templo Hierosolymitano.

Primò falsum assumis. Præceptum enim Dei est, vt adoretur ipse Christus, Filius Dei Patris. Hebr.1 6. Et ipse fuit adoratus & inuocatus à Iacobo: idque distincte. Gen.48 16. item à Stephano. Act.7.59. Et per nomen Christi, iuratur ab Apostolo, Rom.9.1. Quod dicis de templo, nihil ad rem. Non enim templum adorare licebat, aut inuocare: neque per nomen eius iurare: sicut per nomen Christi. Matth.5 3. Adoratur Christus, quia in ipso, tanquam in templo, habitat Deus: ac proinde adoratio propriè in Deum inhabitantem: non autem in Christum inhabitatum, & creaturam, dirigitur. Fallacia est non causæ, vt causæ. Nam si ideò adoratur, quia in eo, tanquam in templo, habitat Pater: licebit igitur ipsum quoque templum adorare: quia in eo habitare Deus dicebatur. Item licebit etiam sanctos adorare & inuocare, quia in eis, vt in templis suis, habitat Deus. At (inquies) alio modo, longéque diuerso Deus inhabitat in Christo, & in Sanctis, & olim in templo Hierosolymitano. In Christo enim plenitudine donorum, & (vt inquit Apostolus) Col.2.9. plenitudine Deitatis corporaliter. At in Sanctis donis aliquot, & primitiis sui Spiritus. Minùs etiam excellenter in templo olim Hierosolymitano: & in nostris.

Si in dicto Apostoli, vt nos cum tota vetustate interpretamur, intelligas plenitudinem Deitatis, hoc est, totam Deitatem in Christo, hoc est, in humana Christi natura, inhabitare corporaliter: seu vnione essentiali & hypostatica; ita vt Christus duabus istis constans naturis, verus sit, & Deus, & homo: admittimus & profitemur, hanc esse veram & legitimam causam, cur debeat adorari & inuocari totus Christus, humana etiam in eo natura, respectu hypostaticæ vnionis cum diuina: ac tum definet controuersia. Verùm quia vos interpretamini plenitudinem deitatis, pro plenitudine donorum Dei: idcircò dicimus nos, hanc etiam non esse legitimam causam, cur adorandus & inuocandus sit Christus. Non enim adoranda sunt dona Dei, sed Deus ipse. Alioqui etiam propter dona Dei in Sanctis: liceret Deum in Sanctis adorare, & inuocare: & per eorum nomina iurare. Neque refert, quòd plura in vna sint dona, quàm in alio, & quòd in Christo sit plenitudo donorum, & Spiritus: in sanctis autem primitiæ. Hæc enim diuersitas efficere nequit, vt in Christo liceat Deum adorare: non autem in Sanctis, & Angelis: Ratio est, quia neque dona Dei sunt adoranda, siue pauca siue multa, siue etiam omnia: Neq; propter dona Dei aliquis est adorandus, sed sola Dei essentia: ac propter solam Dei essentiã diuinam in aliquo hypostatica, & essentiali vnione habitãtem: vt in solo Christo habitat. Firmum enim stat Dei mandatum, Deut.6.18. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.* Mat.4.10. Cum hoc autem non potest pugnare illud de Christo adorando, Hebr.1.6. *Et adorent eum omnes Angeli eius:* Aut igitur hoc præcepto, de solo Deo adorando, & colendo, comprehenditur Christus; aut non comprehenditur. Si comprehenditur; est igitur Christus Deus: & eodem nomine Iehouæ significatur, quo etiam Pater. Si nõ comprehenditur: non licebit igitur Christum adorare. Præceptum enim est, vt solum Deum adoremus, & colamus. Quare manifesta fuerit pugna inter præceptum de adorando Christo, & inter mandatum, de solo Deo adorando: si Christus non est Deus. Manifesta igitur est ad alteram exceptionem responsio.

IV. Tertia sic habet: Sæpe eadem Scripturarum testimonia, diuersis tribuuntur; nec tamen sequitur vnum esse alterum, vt illud dictum Hos.11.1. *Ex Aegypto vocaui Filium meum.* Apud Hoseam de populo Israelitico intelligitur: apud Matth.2 15. verò dicitur de Christo. Nec tamen sequitur, populum Israeliticum esse Christum. Item illud 2. Sam. 7.14 *Ero illi in Patrem, & eris mihi in Filium.* Apud Samuelem de Samuele legitur: apud Apostolum accommodatur Christo. Hebr.1.5. Nunquid igitur Salomon est idem Filius cum Christo, aut eiusdem filiationis, cum filiatione Christi; Ita (inquiunt) dictum illud: *Mihi flectetur omne genu:* apud Iesaiam cap.45 53 de solo Patre Iehoua intelligitur: apud Apostolum Christo aptatur. Rom.14 11. Num ergo inde efficitur Christum esse Iehouam? Minimè verò (inquiunt:) Quia alius est Pater, cui alius itidem Filius, cui eadem curcuruabũtur genua. Et alia de causa illi: & propter aliam, huic curuabuntur. Patri enim tanquam omnium Iudici: Filio verò: quia in eius persona Deus Pater iudicabit mundum. Itidem illud de adoratione & cultu: apud Mosem de solo Patre intelligitur: apud Apostolum, accommodatur Christo: Nec tamen inde sequitur, Filium esse eundem cum Patre Iehouam. Pater enim adoratur, vt Iehoua & auctor bonorum omnium: Filius vt mediator & distributor bonorum, quæ à Patre accepit. Hæc est aduersariorum exceptio. At quo melius appareat fallacia, argumentum redigendum nobis est in formam. Argumentum ita habet.

Sæpe eadẽ Scripturarum dicta variis attribuuntur subiectis, seu personis: & tamen nunquam sequitur, vnum esse alterum: vt in exemplis adductis videre est.

Ergo cùm etiam eadem Patri & Filio attribuuntur: non sequitur, vnum esse alterum.

R. In antecedente, primò, distinguenda sunt illa, quæ diuersis tribuuntur personis, aut enim vni tantùm naturæ conueniunt, aut diuersis. Secundò, distinguendum est illud, quod aiunt, vnum non esse alterum: hoc intelligitur aut τῷ ἄλλῳ, & realiter ac personaliter: aut τῷ ἄλλο essentia, vel aliqua alia ratione. Hæc igitur est prima propositio. Quicquid illud sit, quod diuersis attribuitur personis: nunquam effecerit, vt vna persona sit altera. Quomodo enim duæ numero personæ, vna esse possint? Itaque dicimus, nihil prædicari posse de Patre & de Filio, quod efficiat, vt aut Pater sit Filius: aut Filius sit Pater. Sed si, quæ de diuersis prædicantur personis, ea in vnam tantùm naturam, seu essentiam competere possint: profectò, necessariò efficietur, vt illæ plures personæ vnius sint naturæ, atque essentiæ. Vt: Si præditum esse facultate ridendi & loquendi in solam humanam naturam competit: quis neget, si hoc de Petro & de Iohanne ex æquo prædicetur, necessariò consequi, tam Petrum, quàm Iohannem, hominem esse: Et vtrunque vnius esse naturæ? Atqui inuocari, adorari, & curuari sibi omnium creaturarum genua, in solam diuinam competunt essentiam. Sic enim inquit Iehoua (quod nomen æternam significat essentiam) sibi curuatum iri omne genu: quòd ipse solus sit Iehoua, qui cœlos extenderit, &c. Iesa. 45.23 Deut.6.13. Item se solum velle adorari: sibi soli seruiri: se solum coli: quia solus est Iehoua, Deus & Seruator noster. Cùm igitur hæc etiam omnia præstanda sint Christo, vt ipse iubet Iehoua: profectò consequitur necessariò, Christum eiusdem essentiæ esse cum Patre: imò eandem essentiam & eundem Iehouam. Tantùm igitur abest, vt ista tertia exceptio, nostrum argumentum à cultu diuino, quod etiam Christo tribuitur in Scripturis desumptum, infirmet: vt illud etiam magis ac magis confirmet. Quare quòd in assumptione aiunt, hoc dictũ: *Mihi curuabitur omne genu:* apud Iesaiam. Idem illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & hunc solum coles:* apud Mosen: & apud Matthæũ: & similia de cultu diuino mandata, de solo Patre esse intelligenda: falsum est. De solo quidem Iehoua intelligenda sunt, quia Iehoua ibi loquitur, sed non de solo Patre: nisi contendas nomine Iehouę, solũ Patrem esse intelligendũ. Sed hoc est, quod cõtrouertitur. At nos ab iis, quæ soli Iehouæ tribuenda sunt: cùm etiam Christo eadem præstari debeant; euincimus, ipsum etiam Christũ verũ esse Iehouam. Quare quod etiam

aiunt,

niuntualia de causa, coronatum iri genua Patri: & alia de causa Filio: Patri vt Iudici, Filio, quia per illum Pater iudicabit; in ea re falluntur, & fallaciam admittunt, quæ non causæ, vt causæ, dicitur. Causa enim vnica est, cur curuanda sint alicui omnium genua, nempe quia Iehoua est. Non igitur curuabuntur genua Christo, quia Mediator, & quia Iudex est, sed quia Iehoua.

V. Instant Antichristi, inquientes: Alia adoratione, adorari Christum vult Pater; alia seipsum. Et ita in adoratione sese gesserunt Sancti. Quare non sequitur Christum esse æqualem Patri, eoque Deum. Falsum est assumtũ: neque illud é Scripturis probari potest. Sed contrarium potiùs. Idem enim verbum Adorãdi, de Patre & de Filio prædicatur. Imò idem locus de Patre est: *Adorate eum omnes Angeli eius*. Psal. 97.6. Et de Filio simul, *Adorabunt eum* (Filium) *omnes Angeli*. Heb. 1.6. Item, *Qui honorat Filium, honorat Patrem*. Io. 14.1. Idem igitur honor in Filium, qui in Patrem iubetur. Deinde eadem fide vult credi in se Christus qua in Patrem, vna etiam tantùm est species iuramenti. Per Deum, & in nomine Dei. Rom. 9.1. At Apostoli iurant in nomine Christi: vt Paulus non semel. Neque multæ sunt inuocationis species. Eodem tamen modo Stephanus inuocat Christum, dicens: Act. 7.59.60. *Domine Iesu suscipe Spiritum meum*. Et: *Ne statuas illis hoc peccatum*: quo etiam antea Christus, vt homo inuocauerat Patrem dicens; *In manus tuas commendo Spiritum meum*. Item: *Ignosce illis; quia nesciunt, quid faciant*: Luc. 23.46. & 34. Præterea tam baptizamur in nomine Filij; quàm etiam in nomen Patris. Matt. 28.19. Et eadem est gratiarum actio, & glorificatio; quæ Patri, & quæ Filio datur. Ergo cum reliquæ omnes diuini cultus partes, sint eædem; eadem fides in Christum, ac in patrem; eadem inuocatiònis forma ad Filium, & ad Patrem; Eadem iurandi ratio per Filium & per Patrem; eadem forma baptizandi in nomen Filij, & in nomẽ Patris; deniq; idem glorificandi modus; consequitur, ipsam quoque adorationem, qua adoratur Pater & Filius, non esse multiplicem & diuersam, sed eandem. Quare stat firmum argumentum, quod ab honore diuino, & præsertim ab adoratione, desumtum fuit.

Hæc est summa omnium ferè exceptionum, quæ fieri solent aduersus argumenta, è veteri Testamento desumpta; pro confirmanda æterna Christi Deitate. Nam si quæ præterea sunt loca, quibus demonstratur, vnà & eadem Patris ac Filij essentia, & aduersus quæ exceptiones aduersarij habẽt, ea cauillis liberabuntur; quum ventum fuerit ad refutationem Sophismatum, contra vnitatem essentię Patris, Filij, & Spiritus sancti.

Venio igitur nunc ad exceptiónes contra argumenta, é nouo Testamento accepta.

## CAPVT IV.

### Exceptionum aduersus argumenta, ex nouo Testamento collecta: quibus probauimus, Christum non esse nudum hominem, purámve creaturam, confutatio.

QVAECVNQVE de Christi deitate innouo fœdere testimonia traduntur; ea in tres ordines digessimus.

Primus ea continet: quibus demonstratur, Christum non esse nudum hominem purámve creaturam. Secundus illa, quibus docetur Christum Filium esse Dei, nõ adoptione & gratia, sed natura, è substantia Patris ante creationem mundi genitum. Tertius illa; vbi disertis verbis appellatur, idque simpliciter & absolute Deus. Nunc igitur videndum, quænam exceptionem fiant aduersus hæc tria testimoniorum genera.

Ac primùm de primi generis argumentis dicendum est.

Primum igitur argumentum, quo ostendimus Christum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον purámve creaturam; ex illis sumsimus locis; vbi antithesis fit inter eius carnem, quam ex Patribus accepisse dicitur, & inter eiusdem Spiritum; quem non à Patribus, sed à Patre accepit. Docuimus enim ex iis locis, duas indicari naturas, quibus constat Christus; diuinam & humanam. Rom. 1.3. & 9.5. 1. Pet. 3.18. & 4.1.

Non igitur puram creaturam esse Christum.

Aduersus hoc argumentum sunt exceptiones quatuor. Ad tres priores responsum est; quum hoc explicaremus argumentum.

Nunc quarta restat; quam adfert Spiritus Ochinianus: Quum Christus (inquit) dicitur Filius Dauidis secundum carnem: declaratus verò Filius Dei secundum Spiritum Ro. 1.3.4. In iis & similibus locis, nomine carnis intelligitur corpus nomine autẽ Spiritus anima: De quo Spiritu apud Lucam 23. v. 46. *In manus tuas* (inquit Christus) *commendo Spiritum meum*: hoc est, animam. Hunc autem Spiritum creatum fuisse ante mundi constitutionem: & per hunc reliqua omnia contendit iste malignus Spiritus.

R. Ὁμώνυμα est. Nomine autem Spiritus in iis, de quibus diximus, locis, non posse Spiritum creatum intelligi, qui fuerit Christi anima: & nomine carnis ipsum duntaxat corpus, vnde manifestum fit: Quia sequeretur: Christum ex Maria non perfectam & totam humanam suscepisse naturam: atque ita non esse verum hominem. Efficeretur etiam: quum ait Petrus, Christum passum esse in carne: Christum passum tantùm fuisse in corpore, si nomine carnis intelligitur duntaxat corpus. 1. Pet. 4.1. Item, sequeretur Christum non esse verum Dei Filium, vnigenitum: si nomine Spiritus intelligitur creatus Spiritus. Si enim creatus est, non est genitus. Quomodo igitur ait Apostolus declaratum esse Filium Dei, quo ad Spiritum sanctificationis? Neque etiam corpus genitum est ex Deo Patre, sed tantùm ex substantia virginis. Nullo igitur modo, esset Dei Patris Filius vnigenitus, & proprius. Quod si dicas, Filium esse Dei vnigenitum quo ad corpus: quia conceptum fuerit, virtute Spiritus sancti: Nobilius igitur in Christo fuerit corpus, quàm anima, quam dicunt esse Spiritum creatum ante mundi constitutionem: non autem genitum.

Sunt hæc omnia absurdissima, & impia Nomine igitur carnis quomodo intelligi potest corpus dũtaxat: aut nomine Spiritus, anima creata ante mundi constitutionem? Quare manet firmum argumentum pro deitate Christi, ex antithesi carnis & Spiritus in Christo desumtum.

II. Secundum argumentum fuit ex capite primo ad Galatas: Vbi Apostolus negat se factum esse Apostolum per hominem (nempe nudum:) Et affirmat se factum esse Apostolum per Christum. Inde enim conclusimus, Christum non purum esse hominem.

Exceptionem aduersus hoc argumentum vidi nullam. Si quis tamen contenderet; quum ait Apostolus: neque per hominem, intelligendum esse hominem mortalem, & in hoc mundo versantem. Fuisse autem Paulum, per Christum, licet purum hominem, factum Apostolum quum esset Christus immortalis effectus. Quare hinc non euinci; Christum nequaquam purum esse hominem. Ego responderem; fallaciam hic esse, quæ dicitur non causæ vt causæ. Neque enim hæc est legitima causa, cur neget Apostolus per hominem se factum esse Apostolum; quia per Christum iam immortalem, & ad dexteram Patris sedentem, factus est. Nunquid enim propterea desiit homo esse, Christus; quia immortalis factus est? Scopus autem Apostoli fuit, ostendere, se immediatè à Deo vocatum esse ad Apostolatum; ac proinde se propter officium, non minoris æstimandum esse, quàm reliquos Apostolos. Quomodo verò hoc probat? Quia citra vllius hominis operam, immediate à Christo; & consequenter à Patre constitutus est Apostolus. Atqui hæc ratio non concluderet, Paulum immediatè à Deo, citra vllius puri hominis operam, factum esse Apostolum; si Christus purus esset homo; & non etiam Deus. Ergo firmum est argumentum; Christum ideò nudum non esse hominem, quia Paulus per nullum purum hominem; sed immediate per Iesum Christum vocatus est, & factus Apostolus.

III. Tertium argumentum fuit ex Apocalypseos 5. v. 3. &c. Vbi legimus, neminem, id est, nullam puram creaturam fuisse repertam; neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, quæ potuerit aperire librum, imò neque inspicere. Tandem ait Christum, quem vocat agnum mactatum, librum aperuisse. Christum igitur eximi è numero talium creaturarum; quæ nihil aliud sint, quàm creaturæ sua substantia.

Excipiunt, dictum Apostoli sic intelligendum esse. Nemo repertus est, id est, nulla pura creatura, præter hanc, quæ est agnus. Non igitur excludi Christum e numero nudarum creaturarum, sed tantùm doceri, eum esse omnium creaturarum excellentissimam.

R. Sed circumstantia loci efficit vt hæc interpretatio admitti non possit. Nam docet Apostolus & Propheta Iohannes, quæsitum fuisse diligẽter inter omnes creaturas; & quidem primùm in cœlo, deinde in terra, demum subtus terram, quisnam posset aperire librum; & neminem fuisse repertum qui hoc posset.

Christus certè, tunc erat in cœlo, suo corpore. Si igitur pura esset creatura, quanquam omnium excellentiss-

ma, quomodo non fuisset statim inuentus, qui apperiret librum? quorsum porrò opus fuisset quærere etiam in terra, & subtus terram? Deinde ibidem subditur: omnem creaturam, quæ in cœlo, quæ in terra, & quæ sub terra: cecinisse ei, qui sedebat in Throno, & agno hanc laudem: *Benedictio, honor & gloria.* Dicit omnem creaturam, & omnia quæ in cœlo, in terra, & sub terra sunt: hanc laudem cecinisse. Quis igitur non videt, à numero nudarum creaturarum: Christum agnum eximi? Quare locus iste eludi non potest.

IV. Quartum argumentorum genus, à variis fuit nominibus; quibus Christus in nouo Testamento ornatur. Iis enim diuinam maiestatem, naturam, atque potentiam significari. Aduersus rationem, à nomine Iesu, quod seruatorem significat (Seruator autem, solus est Iehoua) ductam excipiunt hostes Christi, alios quoque fuisse, qui Iesu nomine appellati fuerint: nec tamé inde effici, eos non fuisse puros homines.

R. *Ὁμωνυμία* est. De aliis enim aliter prædicatur nomen Seruatoris, & Iesu: quàm de Christo. Nam alij Seruatores fuerunt, non animorum, à peccatis, & à morte æterna, sed vt instrumenta Dei ad regendum populum, & seruandum è manibus hostium. Christus autem, animorum à peccatis, & à morte æterna, Seruator est verus & vnicus, vt passim docent Scripturæ, Et Angelus ait, *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matt. 1. 21.

At ita [inquiunt] vocatur Christus, quia instrumentum est Dei; quo vsus est Pater in seruando populo. Non inficior, quin Deus Pater seruet populum per Filium: verùm ita, vt non per instrumentum, sed per eum, qui eiusdem secum est potentiæ & Deitatis. Ac proinde, qui vt vera efficiens causa & Deus, populum seruauit. Ideò ait: Ipse enim saluum faciet populum: Deinde addit, suum. Populus autem non erat populus vllius creaturæ, sed Dei. Vnde vicissim etiam Deus, Deus Israelis vocabatur: non autem gentium. Christus igitur verus & perfectus Seruator populi Dei, purus & nudus homo esse non potest. Ac proinde ista particula [per Filium Pater seruat] significat non diuersitatem potentiæ, aut naturæ, sed ordinem personarum & agendi.

Ad nomen IMMANVELIS: quod interprete Matthæo, 1. 23. NOBISCVM DEVS: significat: Excipiunt, ita vocatum fuisse Christum: quia in eo, & per eum, Deus non immisit, & seruauit à captiuitate peccati, Diaboli & mortis. Sed rationem huius, quo Christus appellatus est, nominis; aliam esse ostédit Euangelista, dicés: *Hoc autem totum factum est.* Quid hoc totum? Nempe non solum quod Angelus nunciauit virgini, ex ea nasciturum, qui seruet populum, sed etiam, quod sit vocatus Iesus, & explicatum sit eius officium: quod est, populum suum à peccatis seruare. In quem finem hoc totum factum est? *Vt impleretur* [inquit] *quod dictum est per Prophetam Ecce virgo concipiet, & vocabitur nomen eius Immanuel, quod est, si interpreteris. Nobiscum Deus.* Docet igitur Euágelista hac interpretatione: Iesaiam vaticinatum fuisse de eo, qui futurus esset, non purus homo, sed Deus & homo. Quòd alioqui non potuisset seruare populum à peccatis: nisi fuisset IMMANVEL: NOBISCVM DEVS: qui sua Deitate vim daret sanguini, quo nos erat redempturus.

Atque hoc pertinet, quod in Actis ait Apostolus, Deum redemisse Ecclesiam sanguine suo. Act. 20. 28. Non dicit Deus, per alienum sanguinem, sed sanguine suo. Sanguine quidem, quia opus erat satisfactione: & sine sanguinis effusione non fit remissio. Suo autem: quia nisi fuisset, sanguis Dei vim non habuisset redimendi à peccatis. Interpretatio igitur nominis Immanuel. à Matt. allata de Christo, propria fuit, & per se, non secundum quid, & significauit Christum ideò Immanuelem, quòd per se verus sit in carne nostra manifestatus Deus: vt suum à peccatis seruaret populũ, quemadmodum Apostolus quoque explicat quid sit Immanuel: quum Christum vocat Deum manifestatum in carne: 1. Tim. 3. 16.

Ad nomen Christi, seu Messiæ, quomodo Prophetæ eum non solùm prædixerint futurum hominem, sed etiam prædicárint verum esse Iehouam: Quid excipiant aduersarij, suprà visum est, & refutatum. Aduersus rationem à nomine, & officio Mediatoris ductum:

Excipit Spiritus Ochinianus, vt Christus sit Mediator: satis esse, si participatione Deus sit. Et hoc duntaxat concludere scripturas illas omnes, quæ docent Mediatorem Filium esse Dei, & Deum. Si verò libenter dare, Christum esse Deum, participatione Deitatis; sed negare natura esse Deum. Imò ex eo, quòd est Mediator, effici eum non esse natura Deum, multas ob causas: Atque inprimis propter hanc: Quia idem esset & extremum & medium, quod absurdissimum est. Sic ille Spiritus. Nos verò negamus, satis esse ad efficacitatem officij Mediatoris: si ipse Mediator sit Deus, participatione tantùm. Si enim Deus esset participatione duntaxat, non autem naturali totius Deitatis communicatione: foret finitæ virtutis: ac proinde inefficacis ad peccata mundi expianda: & ad homines Patri reconciliandos.

Quod autem scripturas, quæ prædicant Christum Mediatorem, Deum esse: ita interpretantur, vt dicant: eum, Deum esse participatione, non natura: illorum interpretationes partim refutauimus: partim suimus adhuc suo loco refutaturi.

Quod verò contendunt, si Mediator est: non posse igitur natura esse Deum, hac potissimùm de causa: quia esset extremum & medium, hoc est, & pars offensa: & partes inter se reconcilians: id quod prorsus videtur ipsis *ἄτοπον*: horum rationes suo loco refutauimus. Ostendemus enim hęc inter se minimè pugnare: Quia distinctæ sunt personæ: Pater & Filius. Pugnarent autem: si vel eadem persona sola, & pars esset, & Mediator. Vel si Christus Mediator esset, natura, nó autem duntaxat officio sibi à Patre imposito. Sed hæc suo loco.

Ad ea quæ ex nomine Sponsi Ecclesiæ, de Christo conclusimus; excipit Spiritus Ochinianus; Christum dici Sponsum Ecclesiæ, quia electorum animos trahebat ad se; non vt sibi illos coniungeret, sed Deo Patri in se habitanti. Deum enim in Christo, mera creatura, sponsum fuisse Ecclesiæ. Et Ecclesiam ad se traxisse; eamque sibi copulasse; sed in Christo, & per operam Christi. Iuxta illud, *Deus erat in Christo, mundū reconcilians sibi.* 2. Cor. 5. 19 Quare ex eo, quòd Christus vocatur Sponsus Ecclesiæ; effici non posse, Christum esse Deum, & non purum hominem.

Quòd ait, Christum non fuisse, nec esse verum & propriũ Ecclesiæ spóũm; pugnat cum scripturis, nimis aperte; Christus perpetuò, se vocauit sponsum Ecclesiæ; Patrem autem, nunquam Matth. 9. 15. Marc. 2. 19. Luc. 5. 34. Et Iohannes Baptista hunc vnum ait esse sponsum Ecclesiæ. Iohan. 3. 29. Angeli etiam Christum prædicant sponsum Ecclesiæ. Apocal. 21. 9.

Quod verò subdit, Christum traxisse ad se animas, non vt eas sibi coniungeret, sed Deo Patri in se habitanti; partim verum est, partim falsum. Verum est; Christum ad se animas traxisse, vt eas Patri coniungeret. Hic enim fuit & est finis Christi, in toto suo Redemtoris & Mediatoris officio; vt omnia reconciliet Patri; & sicut ipse cum Patre vnum est, sic omnes electi enim cum Patre fiant, Ioh. 17. 11. Falsum verò est, quod negat Christum ad se animas traxisse, vt eas sibi coniungeret. His enim reclamant, quæ Apostolus tradit, *Vir est caput vxoris, & Christus caput Ecclesiæ.* Ephes. 5. 23. Quomodo igitur Ecclesiam non sibi coniunxit?

Is est etiam, qui salutem dat corpori; Ephes. 4. 15. &c. nempe, vt caput reliquis corporis membris. At corpori humano, & omnibus eius membris, ideò caput suppeditat salutem & vitam; idque per commissuras ac neruos, quibus sunt omnia cum capite colligata; qui connexum est cum membris. Est igitur Ecclesia arctissimè coniuncta cum Christo.

Tertiò, ait; Christum sese exposuisse pro Ecclesia; *vt eam sibi sisteret gloriosam. Sibi* (inquit) *sisteret.* Quomodo igitur trahebat ad se animas; non vt eas sibi coniungeret?

Quarto, Ecclesiam vocat carnem Christi; & hanc dicit ab eo nutriri; vt quisque suam nutrit carnem.

Denique, Sponsum & Sponsam esse vnam carnem; tanta est inter sponsum & sponsam coniunctio. Hoc autem se intelligere de Christo, & de Ecclesia. Quomodo igitur Christus animas ad se vocabat, non vt eas sibi coniungeret? Est igitur hîc fallacia, quàm Aristoteles in Sophisticis Elenchis non annotauit; nempe fallacia Impudentię. Cùm verò nihil habeant, præterea aduersus hoc argumentum, ductum inde, quòd Christus sponsus sit Ecclesiæ; liquidò apparet hoc argumento confirmari, Christum non puram esse creaturam, sed Deum. Locus verò Apostoli ad Corinthios non potest restringi ad Patrem: quia indefinitè dicitur Deus sibi reconciliasse mundum. 2. Cor. 5. 19.

Ad id quod Christus Dominus Dauidis appellatur: Matt. 22. 43. Psalm. 110. 1. Vnde nos collegimus, in Christo, præter humanam, aliam quoque inesse naturam: secundum quam non est Filius Dauidis, sed Dominus: Excipit Spiritus Ochinianus: Primum hunc Psalmum fuisse à Synagoga compositum, quæ dicat Iehouam dixisse Domino, id est, Dauidi: *Sede à dextris meis.* Vt hic sit sensus *Dixit Dominus* (id est, Iehoua Pater) *Domino meo* (id est, Dauidi) *sede à dexteris meis, &c.*

Quid verò ineptius dici potest, & magis pugnans cum verbis

Verbis Christi? Christus enim sic interpretatur, vt introducat Dauidem loquētem:& qui Messiam suum appellat Dominum.

Hoc etiam ille Spiritus vidit Adfert igitur alteram responsionem:nimirum Christum appellatum fuisse à Dauide, suum Dominum: propter excellentiam,virtutem, & dignitatem, ac spiritum, quo ita superior est Messias Dauide: vt merito illius Dominus appellari debeat. Hoc autem posse cadere in puram creaturam. Ex hoc igitur loco nihil colligi potest pro Deitate Christi.

Fallacia hic est, ex ignoratione Elenchi ipsius Christi. Non enim intelligit iste Spiritus,aut simulat se non intelligere, quid sibi velit Christus illo argumento apud Matthæum.Ego igitur explico: Christus aduersus Pharisæos,qui eum pro nudo habebant homine, argumento ad absurdum ducto,euincit:fieri non posse,vt Messias purus sit homo. Argumentum tale est.

Si Messias,filius tantùm sit Dauidis,hoc est,purus homo, vt vos Iudæi putatis:fieri non potest, vt Dominus Dauidis. Et absurdum fuerit:eum,à Dauide suum fuisse vocatum Dominum.Si enim est tantùm Filius Dauidis:quomodo igitur eum vocat Dominum suum?

Atqui Dominus est Dauidis,& pro tali eum agnoscit Dauid ipse.

Ergo non est tantùm Filius Dauidis.

Hic apparet Christum non fuisse vocatum à Dauide Dominum: propter excellentiam donorum, & Spiritus,tantùm. Hac enim ratione non pugnarent inter se: esse Filium Dauidis, & esse eiusdem Dominum. Fieri enim optimè potest, vt aliquis sit alicuius filius: & tamen propter donorum excellentiam, dignitatem, officium,sit sui Patris Dominus. Ita Ioseph in Ægypto,fuit quodammodo Dominus sui Patris Iacobi. Atqui Christus ita loquitur,vt ostendat ista inter se pugnare: nempe Messiam filium esse tantùm Dauidis:& esse eiusdem Dominum. Non igitur locum habet Spiritus Ochiniani interpretatio: Christum esse Dominum Dauidis, propter dignitatem, & excellentiam duntaxat; qua maior erat Dauide.Quare hæc Exceptio non infirmat argumentum; ex hoc Matthæi loco desumtum; quin concludat in Christo aliam inesse naturam,præter humanam; secundum quam non sit filius Dauidis. Et vsque adeò est firmum argumentum; vt nemo ex Iudæis (ait Euangelista) potuerit ad illud respondere. Alioqui si Dominus esset vocatus, propter officium & excellentiam donorum; statim potuissent hoc respondere Pharisæi; nempe quòd Dauid vocet Messiam Dominum suum, hoc nihil pugnat cum eo,quod ipsi sentirent,Messiam futurum duntaxat Filium Dauidis,quoad naturam,hoc est, purum hominem. Optime enim hæc duo scimus cohærere;nimirum Messiam esse Filium duntaxat Dauidis, respectu naturæ; & eundem esse etiam Dauidis Dominum,respectu officij, excellentiæ, dignitatis,ac potestatis.Verum,ait Euangelista, Iudæos non potuisse respondere Christo: hoc est, ad Christi argumentum: Intellexerunt igitur Iudæi multò melius Christum, quàm Spiritus Ochinianus:nempe Christum conclusisse ex verbis Dauidis,Messiam non solùm esse Dauidis, secundum vnam naturam:verùm etiam Filium alterius,nempe Dei naturalem,respectu alterius naturæ,humana superioris: nempe diuinæ.

Quod verò nos,ex eo, quòd Christus vocatur ab Apostolo,Splendor Gloriæ,& character substantiæ eius:collegimus Christum non esse vnius tantùm naturæ, nempe humanæ, sed etiam diuinæ:

Ad hoc excipit Spiritus Ochinianus:Apostolum non loqui de secunda persona in diuinis: quòd illa non possit esse splendor, & imago talis, quæ personam primam referat. Idque quoniam perinde inuisibilis est secunda atque prima persona. Deinde etiamsi possit secunda, aliquo modo dare cognitionem primæ: tamen id non posse illam facere,quatenus imago est primæ. Nam neque sua essentia (inquit Spiritus) posset secunda, primam ostendere:quippe quæ sit eadem cum Patris essentia. Neque etiam id posset sua filiitate, vt loquitur: quippe qua non solum non est patri similis:verùm etiam à Patre distinguitur. Loqui igitur de Christo homine,& hanc esse Apostoli mentem Christum hominem, atque visibilem, esse imaginem Dei, & splendorem gloriæ: quatenus in eo nobis resplendent diuinæ virtutes. Verùm insignem nobis faciunt iniuriam:dum nostra verba sic interpretantur, quasi dicamus, Apostolum ibi loqui de Filio Dei,extra carnem.Sed neque dicimus, Apostolum loqui de Christo puro homine. Quasi verò non alia de causa, appellatus sit splendor gloriæ, & character substantię Patris,quàm quia in eo homine resplēdeant virtutes diuinæ. Nam aliæ etiam sunt huius nominis causæ. Nos igitur sic Apostolum interpretamur: & interpretationem nostram consentaneam esse scripturis: & toti Epistolæ Apostoli contendimus. Apostolus itaque loquitur hîc de Christo, non simpliciter, quatenus est Deus, & Λόγος, neque etiam quatenus est homo duntaxat: sed quatenus est Filius Dei, & Deus in carne manifestatus. Hoc liquet ex tota Epistola. Damus verò Christum quatenus est homo, ideò Christum appellari, splendorem gloriæ,& expressam Patris imaginem: quoniam in eo homine, diuinæ virtutes resplendent. Sed præter hoc,altius conscendimus,penitiúsque penetramus: ac dicimus,splendorem illarum virtutum diuinarum, & potentiæ, in illa carne Christi resplendere, ex plenitudine Deitatis in Christo corporaliter inhabitantis: quemadmodum si Sol ipse in globo vitreo existens foras suos emitteret radios. Vndenam radij,qui in eo vitro resplenderent? A Sole certè inhabitante. Apostolus igitur Christum vocauit splendorem gloriæ: non propter diuinas tantùm virtutes, quæ in eius carne splendeant, seu propter effecta tantùm Deitatis: verùm in primis propter Deitatem ipsam: & vt alteram in eo naturam ostenderet. Atque ita à dignitate personæ Christi: suam confirmaret propositionem de eiusdem officio: nempe per hunc, verè factam esse purgationem peccatorum nostrorum: propterea quòd non homo tantùm sit diuinus: verùm etiam Deus,in carne humana manifestatus. Hanc autem naturam diuinam elegantiùs exprimere nō poterat Apostolus:quàm hoc nomine Splendoris gloriæ. Allusit enim ad radium Solis:& Patrem Soli, Filium autem radio comparauit. Quia enim Pater vocatur lux,eáque æterna:idcircò etiam Filium vocauit splendorem gloriæ: seu illius lucis æternæ. Ac proinde hoc nomine, quatuor hæc de Filio Dei indicauit. Primùm;eum esse eiusdem naturæ cum Patre: vt etiam Radius cum Sole. Secundò,eum esse Patri coæternum: vt etiam Sol nunquam fuit sine ratio. Tertiò, distinctum esse à Patre: vt etiam Radius à Sole. Denique non esse à Patre diuisum: vt neque Radius à Sole. Quo etiam spectat alterum nomen,χαρακτὴρ ὑποστάσεως αὐτοῦ: nempe,Quia Pater totus est in Filio expressus: & Filius substantialis est Patris imago. Quia verò Christus,qua Λόγος,talis est per se,nempe splendor gloriæ & character: quà homo autem,est talis per aliud, nempe per λόγον:hoc est:quia in carne inhabitat corporaliter iste splendor gloriæ, seu πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος. Col.2.9.Idcircò dicimus,totum Christum esse splendorem gloriæ,& χαρακτῆρα ὑποστάσεως Patris.Sed principaliter,& essentialiter;quatenus λόγος est æternus.

Ad primam Spiritus Ochiniani rationem: Persona secūda diuina tam est inuisibilis, quàm prima, ac proinde non potest primam referre. Ergo non potest vocari splendor gloriæ,& expressa imago:facilis est responsio: Causam,cur vocatur talibus Christus nominibus, non esse vnam, sed multas:quarum prima & præcipua est,vt eius æterna Deitas exprimatur: sicut dictum est. Deinde Patrem Christus refert in se,etiamsi à nemine videatur. Vt etiam solis radius, etiāsi à nemine conspiceretur:esset tamen verus Solis splendor.Postremò,reapse Patris naturam nobis refert Christus, sed in carne:in qua sese nobis totum,totámque Patris naturam spectabilem reddidit. Ergo licet λόγος,quà λόγος,inuisibilis sit:inde tamen non efficitur,quin verus sit Patris splendor,& expressa imago.

Ad alteram: Non potest referre Patrem sua essentia: quia est eadem cum Patris essentia. Neque sua filiitate:quia per hanc distinctus est à Patre:Non potest igitur vllo modo dici imago Patris:quatenus est λόγος,& persona secunda. Imò contrà:quia eiusdem est cum Patre naturę,& simul est à Patre distinctus: idcircò imago est Patris & splendor gloriæ. Si non esset distinctus: non posset esse imago. Nihil enim est sui ipsius imago.Si non esset eiusdem essentiæ & naturę: non esset perfecta imago. Ergo vtraque ratione, nempe & quia eiusdem est essentiæ, & quia distinctus est à Patre Filius,est Patris imago.

Hæc sunt illa septem præcipua nomina, aduersus quæ exceptiones legi hæreticorum, & quibus præter alia, nos probamus, Christum haud purum esse hominem. Venio iam ad exceptiones aduersus alia eiusdem generis argumenta.

VI. Quintus igitur locus, vnde ducebamus argumenta pro Christi Deitate: continet rationes ab illis operibus, quæ à pura creatura præstari non possunt: quæ trium esse generum diximus. Creationis:quæ etiam opera naturæ appellari solent. Supernaturalia quæ miracula vocari consueuerunt. Et redemptionis,hoc est,ea,quæ ad salutem Ecclesiæ pertinent. Ad argumentum, à primi generis operibus ductum, Exceptiones: refutatæ sunt in hoc libro, cap.1. Restat,vt refellantur,quæ etiam sunt aduersus argu-

menta, ab aliis duobus generibus petita.

Aduersus igitur argumẽtum à miraculis ductum, excipit Spiritus Ochinianus. Etsi miracula Christi maxima sint & supernaturalia opera: non inde tamen sequi eũ non esse puram creaturam: sed Deum. Alioqui idem (inquit) concluderetur de sanctis Apostolis: qui miracula, & maiora etiam, quàm Christus edidèrit, fecerunt. Ioh.14.12.

Resp. Hic spectandum est non tam quid egerint, Christus & Apostoli; quàm quomodo ille, & quomodo isti, opera hæc fecerint. Nam etsi tam magna fuerint miracula Apostolorum, quàm Christi: non eodem tamen modo; aut eadem virtute Apostoli ediderunt sua, quà sua Christus. Illi enim virtute Christi, & à Christo donata: vt in Actis palam ipsi testabantur, cap.3.12. & alibi. At Christus virtute à Patre quidem accepta; sed in æterna sui generatione: eóque virtute sibi naturali & propria. Hoc inde liquet. Primò enim Christus ait apud Matthæum, se Dæmonia eiicere in Spiritu Dei. Matth.12.28. Spiritus autem Dei, Spiritus etiam est Christi proprius. Rom.8.9. Per suum igitur Spiritum: ac proinde per suam propriam diuinam virtutem ac potentiam, quæ nihil aliud est, quàm essentia ipsa diuina; miracula operabatur Christus. Deinde, potestatem faciendi miracula Christus ipse vt Dominus dedit Apostolis dono, non in alicuius nomine, sed sua auctoritate. Idcircò ipsi Apostoli in Actis testificabantur, Christum esse auctorem suorũ miraculorum, Apostoli verò non ita certè sicut Christus, vim hanc aliis communicare poterant. Diuersa igitur ratione Christus sua, & sua quoque Apostoli ediderunt miracula. Ille enim propria, isti verò aliena virtute, præstiterunt. Huc spectat, quod Apostoli omnia miracula faciebant in nomine Iesu Christi: nemo verò vnquam in nomine Apostolorum. Ac de Apostolis nusquam legitur, quòd egressa sit virtus ex ipsis qua sanarentur homines: sicut de Christo legimus, Luc.6.19. Denique Christus ait se operari quæcunque Pater; & ὁμοίως, æquali scilicet virtute & potẽtia: & tam sanctè quàm Pater, Ioh.5.19. Propria enim virtute omnia agebat. Quare cùm tantùm sit discrimẽ inter miracula Christi, & Apostolorum, quod ad modum agendi miracula attinet, exceptio allata nullius est ponderis.

At iterum excipit ille acutus Spiritus; neque Christum propria, sed Dei Patris virtute omnia egisse miracula: iuxta illud; *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei.* Item, Orauit Patrem, cùm Lazarum esset suscitaturus. Ioh.10.25. & 11.41. Fallacia est ex ambiguitate sermonis. Nam facere aliquid in nomine alicuius, non semper eandem habet significationem. Aliquando enim (prçter alia significata) significat agere in virtute, & ex auctoritate alterius: vt quum Petrus dicebat, *In nomine Iesu Christi, surge, & ambula.* Act.3.6. Aliquando in nomine, hoc est, nomine & mandato alicuius, vt Dei. Sic Christus, loco iam citato, idque propter officium. Nam quatenus Mediator, hoc habebat mãdatum à Patre, vt mortuos suscitaret. Deinde si velis in nomine, h.e. in virtute Patris, intelligere: neque hoc infirmat argumentum nostrum. Quicquid enim potestatis & virtutis habuit & habet Christus: totum habet à Patre, ante mundi constitutionem, in sui generatione; eóque sibi naturalem & propriam. Ita etiam orauit Patrem, vt Mediator. Imò ipse causam finalem huius precationis attulit, non fuisse propter se, quasi opus habuerit noua patris virtute: sed propter circumstantes, vt crederent. Annõ etiam Pater dicitur operari per Filium? Num igitur dicemus Patrem nõ operari per se, & sua virtute? Ita de hac Filij locutione, quod agat in nomine Patris, sentiendum est. Denique annon prius dixerat Christus, *Ego sum resurrectio & vita*, quàm Lazarum suscitasset? Ioh.11.25. Quid est autem esse vitam, & resurrectionem ipsam, quàm eum esse, qui sua virtute possit viuificare & resuscitare: auctorem scilicet vitæ & resurrectionis?

At excipiunt adhuc dicentes: Nemo vnquam Iudæorum ex miraculis Christi collegit, eum non esse veram creaturam. Alij quidem agnouerunt & fassi sunt, eum esse Prophetam Dei: alij Deum esse cum illo: alij eum esse Messiam. At nunquam esse Deum ex miraculis agnouerunt.

Primò, falsum est assumptum. Constat enim à multis agnitum fuisse pro naturali Dei Filio: ex vi edendi miracula. Imò Thomas ex iis, vt ex ipsius, sicut promiserat se facturum, resurrectione, agnouit eum esse Deum suum. Iohann. 20.28. Reprobi quidem nõ: quia excæcati. Ioh.12.37. At de omnibus hoc affirmare falsum & temerarium est. Quid verò si nulli inde eum agnouissent? Num propterea efficeretur: Non posse agnosci? Imò omninò hoc colligendum est, & colligi facilè potest: non quidem ex miraculis simpliciter, sed tum ex virtute, qua: tum ex fine, propter quem sua edebat miracula Christus: nempe, vt sua doctrina, tanquam certissima & diuina obsignaretur: Atqui licet nunquam apertè & rotundis verbis, cum esset in carne mortali, dixerit se esse Deum: tamen non obscurè illud sæpissimè indicauit: idque multis modis: vt vidimus in eius concionibus. Et quum Thomas illum vocasset Deum suum: si non fuisset Deus illius, annon debuisset Thomam reprehendere huius blasphemiæ? Non fecit tamen: tacitè igitur confirmauit, ac probauit Thomæ confessionem: innuens se verum esse Deum. Ex alio etiam fine idem colligere est. Is fuit, vt miraculis permoti agnosceremus & confiteremur Christum verum esse, hoc est, proprium, ac naturalem Dei Filium. Docet hoc Io.20.30. *Multa* (inquit) *alia signa fecit Iesus. Hæc autem scripta sunt, vt crederetis quòd Iesus est ille Filius Dei.* Qualis Filius? qualem confessus est Tomas, eodem capite: Filius, scilicet Dei, qui sit Dominus noster, & Deus noster: Iehoua Elohenu. Cur itẽ Iohannes accusat Iudęos, quòd cùm Christus multa miracula fecisset; ipsi tamen non crediderint in eum? Io.12.37. Apparet igitur hanc fuisse præcipuam finalem causam, propter quam Christus edidit miracula: nempe vt inde colligeremus, agnosceremus, crederemus, confiteremur, eum esse Filium Dei naturalem; per quem habeamus vitam: eoque Deum esse æternum.

VII. Tertium genus operum, est illorum quæ ad Ecclesiæ ædificationem, promotionem, gubernationem, salutem attinent, vti est plantare Ecclesiam: vocare ministros: instituere ministerium: baptizare in Spiritu: delere iniquitates: dare vitam æternam. Hæc & alia innumera, solius Dei est præstare. Præstitit autem ea Christus. Aduersus hoc argumentum, sic excipitur: Dicitur Christus hæc fecisse, quia Deus Pater per Christum fecit. Sic Apostoli dicuntur fecisse miracula, conuertisse mundum, instituisse Ecclesiam: quia per hos egit hæc omnia Deus ac Christus. Non igitur ex talibus operibus magis sequitur, Christum non esse puram creaturam: quàm ex iisdem sequitur, Apostolos fuisse & esse Deum. Huius interpretationis exemplum habemus in poster. ad Corinth.5.19. Etsi passim dicitur Christus, Patri mundum reconciliasse: tamen dicit ibi Apostolus, Deum fuisse in Christo, qui mundum sibi conciliaret. Ergo quum alibi etiam dicitur Christus peccata remisisse, baptizasse in Spiritu, & alia id genus fecisse: sic explicandæ sunt hæ locutiones, vt dicamus Deum Patrem per Filium hæc omnia fecisse & facere.

Resp. Primò confitemur quicquid fit, non solùm in Ecclesia, sed etiam in mundo: à Patre per Christum fieri, iuxta illud: *Omnia per ipsum* (Filium) *facta sunt*: nempe à Patre. Io. 1.3. Et Coloss.1.16. *Et omnia per ipsum consistunt.* Sed negamus Deum Patrem, eo modo agere per Christum: quo etiam per Apostolos. Per Apostolos enim vt per mera instrumenta. At per Christum, tanquam per verum συνεργὸν, & veram efficientem causam omnia agit. Sicut suprà dictum est in refutatione exceptionum: aduersus argumentum à creatione ductum. Est enim eadem actio & operatio Patris & Filij, eadémque virtus: sicut & eadem οὐσία; iuxta illud, *Omnia quæ operatur Pater, eadem etiam Filius ὁμοίως operatur*, Io.5.19. Ita, vt nullum planè sit discrimen in iis actionibus, Patri & Filio communibus: nisi quòd Pater agit non tantùm per se: sed etiam ex se. Filius per se: sed non ex se: nempe quatenus, quicquid est, & habet, & agit Filius: totum habet à Patre: Pater autem non habet à Filio. Ad summam: differentia tantùm est ordinis & originis, inter vtrumque. Sicut etiam quum dicimus, Solem illuminare per radios, sic intelligimus dictum, quod etiam radij per se, licet non à se, mundum illuminent. Eadem enim agit Filius, quæ & Pater, idque ὁμοίως. Io.5.19. At verò quum dicimus, Deum per Apostolos egisse & agere: non sic potest intelligi, vt de Christo. Agit enim per ipsos, vt per instrumenta ratied vita, & intelligentia prædita. Quare simile ab Apostolis ad Christum, non valet. Ex iis operibus optimè sequitur Christum esse Deum, non autem Apostolos. Exemplum vnum adfero ex Actis, & epist. ad Rom. Act. 2.32. Rom.8.11. Pater dicitur suscitasse Filium suum à mortuis: & tamen alibi legimus, Christum suscitasse seipsum & suam resumsisse animam. Iohann.2.19. & 12.18. quomodo hæc cohærent? Quoniam Filius eandem suam humanam naturam per eandem virtutem, quæ Patri & sibi est cõmunis, resuscitauit: sicut & Pater idem facit. Ideò ad Corinth. Christus dicitur viuere (quà homo) ex virtute Dei: quæ scilicet vtriusque est communis, 2.Cor.13.4. Ad locum verò ex altera ad Cor.5.19. *Deus erat in Christo*: si nomine Dei intelligas Patrem: sic exponitur, vt ante dictũ est. Ita enim Pater sibi mundum reconciliauit in Christo, & per Christum: vt Christus verus fuerit reconciliator, non autem instrumentum reconciliationis. Quare nihil contra Christi facit Deitatẽ. Pater.n. dicitur esse, & est in Christo Essentia: quia vna est vtriusque. Sed mihi non displicet illorum sententia

qui

Qui indefinitè hîc capiunt nomen Dei. In Christo igitur homine erat Deus,hoc est,Deitas ipsa,seu plenitudo Deitatis corporaliter,mundum sibi reconcilians.Quis est reconcilians? Deus. Per quid reconcilians? Per corpus & per sanguinem Christi: vt per efficax sacrificium; & ideò efficax, quia corpus & anima erant,& sunt illius,qui Deus est.Tantùm igitur abest, vt hinc efficiatur, Christum non esse efficientem reconciliationis causam, vt contrarium potiùs euincatur, sua sc. Deitate talê esse causam, sicut sua humanitate propter vnitionem cum Deitate, causa fuit materialis salutis omnium. Suprà etiam demonstratum fuit Christum non tantùm fuisse Mediatorem & distributorem bonorum cœlestium, sed etiam auctorem: quæ ibi dicta sunt, huc etiam pertinent.

At Christus(inquiunt) in cruce orauit Patrem,vt ipse ignosceret, h.e. condonaret peccata illis qui crucifigebant. Luc.23.34. Non igitur Christus propriè condonabat peccata, sed tantùm remissionem peccatorum à Patre impetrabat, instrumentúmque erat, per quod Pater peccata condonabat,& condonat. Id quod de aliis quoque id genus operibus, quæ ad salutem nostram pertinent sentiendum est. Quare ex iis operibus concludi nequit, Christum Deum esse.

Fallacia hîc est, quæ dicitur à dicto secūdùm quid ad dictum simpliciter. In Christo enim duæ sunt naturæ:diuina & humana.Non simpliciter,hoc est,secundùm vtranque rogauit Patrem:sed secundùm humanam. Deinde in Christo aliud est persona ipsa Christi: & aliud officium, quod ei iniunctum erat à Patre: nempe officium Mediatoris. Respectu igitur officij, & quatenus Mediator: peccatorum remissionem impetrabat,& impetrat Electis. Sed quatenus Deus: peccata non minus ipse condonat quàm Pater. Ac quod de remittendis peccatis dicimus, idem de aliis huiusmodi actionibus sentiendum esse docemus:idque e sacris literis. Quare neque exceptio Spiritus Ochiniani nostrum infirmat argumentum, ab operibus ad salutem Ecclesiæ attinentibus,ductum.

VIII. Sexta argumentorum series, erat eorum,quæ sumuntur à loco, vnde dicitur ad nos venisse,à quo tamen nūquam discessit:hoc est, à cœlo. Item à loco quo dicitur venisse:vbi tamen anteà erat:nempe in hunc mundum. Denique à loco, vbi regnat in cœlo, & in terra,& in cordibus omnium Electorum. Neque enim hæc in puram creaturam competere possunt: quando creatura omnis finita est,& circumscripta. Qui autem est,sua essentia,infinitus,& immensus sit essentia necesse est.

Ad hoc argumentum ab immensitate ductum, Sic excipiunt inimici Christi.Etsi Christus dicitur esse & verè est in cœlo & in terra, & in singulorum etiam Electorum cordibus inhabitat: minimè tamen inde consequitur, Christum esse immensum, & infinitum natura:ac proinde puram non esse creaturam: quàm reuera inde efficiatur,eum pluribus esse in locis. Nam & cœlum & terra creata cum sint: immensa non sunt.Electorum etiam numerus: imò omnium hominum certus & finitus est.Qui igitur in ipsis habitat:infinitus esse non potest,nempe immensus.

Respon. Primò hîc admittitur fallacia figuræ dictionis. Scriptura enim quum dicit, aliquem esse in cœlo, & in terra: non intelligit eum includi intra hoc cœlum & terram, eóque finitum esse: sed intelligit eum esse vbique, supra & infra omnes cœlos,omnésque creaturas:ac proinde esse immensum. Sic apud Ier.23.24.ait Deus: *Cœlum & terram ego impleo.* Annon hisce verbis liquidò indicat Deus,se immensum esse,quem cœlū & terra capere non possint? Sic Dauid? *Quò ibo à Spiritu tuo? si ascendero in cœlum,si descendero in infernum*,Psalm.139.7. Sic de Christo intelligit scriptura cùm dicit eum esse in cœlo & in terra.Proinde etiam ad Ephe.4.10.dicitur Christus esse supra omnes cœlos.Imò Iohan.ait,esse eū in sinu Patris,& in Patre: Io.1.18.& 14.10.Pater autē nullo concluditur loco. Secūdò,quòd dicunt concludi quidem iis locutionibus, Christum multis in locis simul esse:sed nō inde sequi,puram non esse creaturam:falsum est.Imò necessariò illud sequitur. Nulla enim creatura multis in locis simul esse potest,sua substantia.Tum quoniam nulla creatura corporata,tantæ est magnitudinis,vt impleat cœlum & terram:Id quod solùm de se prædicat Deus,tū quia nulla creatura spiritualis definitur ibi esse: vbi non operatur. Nulla autem simul multis in locis operatur: vt apud omnes doctos extra controuersiam est. Ergo si Christus multis in locis simul, imò vbique esse prædicatur:necessariò euincitur: fieri non posse,vt pura sit creatura. At(inquiunt)Pater genuit Filium. Non est igitur immensus Filius. Negatur illatio,imò retorqueo: Pater genuit Filiū.Ergo eadem essentia est Filij,quæ & Patris. Non enim genuit Filium,nisi de sua substantia.Nō per participationem,(est enim impartibilis.) Totam igitur & eandem substantiam,accepit Filius nascendo: quam Pater habet. Atqui Pater sua essentia immensus est.Igitur etiam Filius.Verùm enimuerò ad illud speciatim excipiunt; *Nemo ascendit in cœlum,nisi Filius hominis,qui est in cœlo*,Ioh.3.13. & duas adfert interpretationes Spiritus Ochinianus. Primam:quod dicit, *Qui est in cœlo*,perinde esse, ac si diceret.Qui erat in cœlo. Sicut ipse alibi Christus exprimit dicēs. *Si videritis Filium hominis,eò*(id est,in cœlum) *ascendere vbi erat prius*.Io.6.62. Non igitur ex illo loco colligi potest,Christum eodē tempore fuisse in cœlo & in terra. Sed quid hoc est, nisi torquere scripturas:cùm ex verbo (*est*)faciat verbum (*erat*.) Ita vt neget Christum tum fuisse in cœlo,cùm hæc loqueretur? At alibi ait: *vbi erat priùs*.Non igitur,cùm hæc diceret,adhuc erat in cœlo. Quasi verò pugnent inter se aliquem fuisse prius in vno loco:& adhuc ibidem eundem esse. Sic igitur & nos inferemus: *In principio erat λόγος,& λόγος erat apud Deum* Iohann.1.1.10. Ergo non est amplius apud Deum. Item, *λόγος in mundo erat, & mundus per ipsum factus est*.Ergo non est amplius in mundo. Dixit igitur Christus de se: *Filius hominis ascendit*(nempe corpore) *vbi erat priùs* (nempe Deitate.) Non quòd negaret,se etiam tum esse in cœlo:sed vt significaret, se anteà etiam,h.e. semper,fuisse in cœlo. Altera,quam adfert,interpretatio,ita est inepta:vt eam ipse etiam Ochinus refutet. Proinde eam vt ineptā omitto. Filius hominis,inquit,est in cœlo,id est,cognouit perfectissimè res cœlestes. Sed excipere non desinūt. Etiamsi demus(inquiunt)Christum esse vbique: Non tamē sequitur,eum non esse putam creaturam. Nam non desunt viri alioqui docti, qui docent, Corpus Christi esse vbique. Interim tamen non inde negant,corpus Christi esse creaturam. Egregiam verò argumentandi rationem: ex nouo & paucorum, nescio quorum dogmate, vetustissimam, & verè Catholicam oppugnare veritatem. Deinde falsum assumūt. Non enim docent,corpus per se, vbique esse:sed propter vnionem corporis cum λόγῳ, quem vt verum Deum, vbique esse constat,& fatentur:hypostaticam.Quanquam in hac ratione hallucinantur.

Septimus locus eorum fuit argumentorum:quæ ducūtur à cultu, & ab omnibus illius cultus partibus, qui soli debetur Deo, nempe, à fiducia, ab adoratione, ab inuocatione, &c. Quæ omnia cùm etiam Christo in nouo Testamento attribuantur: conclusimus eum non esse puram creaturam. Exceptiones aduersus hoc argumentum fuerunt anteà à nobis refutatæ. Hæc verò est summa exceptionum aduersus præcipua illa argumenta primi generis: quibus scilicet demonstratur ex nouo Testamento: Christum non esse puram creaturam.

## CAPVT V.

### Responsio ad exceptiones, quibus Antichristi conantur eludere loca illa, vbi Christus appellatur Filius Dei: ex quibus fuit antea à nobis confirmata ipsius Deitas.

VENIO itaque ad loca alterius generis:nempe ad testimonia vbi Christus appellatur Filius Dei. Ostendimus enim illorum locorum circumstātiis, Christum appellari Filium Dei non adoptione: sed natura, ex Patris substantia ante mundi creationem genitum. Ac proinde esse Filium Dei naturalem, verúmque & æternum Deum. Aduersus pleráque omnia huiusmodi testimonia excipiunt Aduersarij & hostes Christi. Omnia autem hæc loca, sigillatim recitare, & singulas aduersus ea exceptiones refellere: nimis longum foret, & verò etiam inutile. Præsertim cùm iam maxima ex parte refutatæ sint. Contraho igitur omnia in summam.Omnes illorum locorum, vbi Christus vocatur Filius Dei, circumstantiæ: quibus demonstrauimus, Filium esse eum non adoptione,sed natura:eóque Filiū ex eadem Patris substantia genitum ante mundi constitutionem,ac proinde verumDeum:omnes(inquam)illi loci aut pertinent ad honorem & cultum Dei: quòd scilicet is cultus,& honor,in huiusmodi locis Christo attribuatur: Aut pertinent ad opera, quæ solius Dei esse possunt? quòd hæc Filio etiam adscribātur. Aut ad attributa Dei referuntur: quorum attributorum præcipua sunt, Æternitas & Immensitas. Verùm ad omnes contra hæc argumenta exceptiones,satis mihi iam respōdisse videor. Aut denique locorū illorum circumstantiæ pertinent ad proprietates personales ipsius Christi: quibus vera eius Deitas demonstrata est:vt quòd is solus appelletur cum articulo præpositiuo ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ:quod vocet πρωτότοκος πάσης

ἀγαπητὸς, μονογενὴς, ὁ ἴδιος, proprius Dei Filius;& si quæ alia sunt, quæ planum faciunt, Christum esse Filium Dei Patris natura, & æternum. Aduersus hæc testimonia excipiunt. Ac primùm quidem aduersus argumentum, inde petitum, quod is solus vocetur ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, vnde nos colligimus, Christum alterius esse generationis, filiationis, naturæ, quàm reliqui omnes Filij Dei. Aduersarij verò, non hoc inde concludi: sed tantùm, quòd sit omnium aliorum filiorum Dei excellentissimus, id quod in naturam creatam optime potest cadere: Siue Christus sit, ex Arij sententia Spiritus ante mundi constitutionem creatus: siue purus homo, vt voluit Samosatenus.

Respondeo: Aduersus hanc & alias exceptiones contra nostra argumenta, tam ex hac, quàm ex aliis proprietatibus personæ Christi, ducta, nunc respondendum est. Ergo si nulla alia essent argumenta quibus probaretur, Christum esse Dei Filium natura, eòque verum Deum, nisi quod articulus præponitur illi semper, quum appellatur Filius Dei: nostra certè ratio admodum esset infirma: & quod aduersarij contendunt, non posset facilè refutari. Sed alia sunt innumera, propter quæ fieri nequit, vt Christus appelletur ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ: hac tantùm de causa, quòd sit inter omnes reliquas creaturas, & adoptione factos filios Dei, excellentissimus: non enim simpliciter vocatur ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ: quasi factus talis, sicut & nos: sed genitus esse prædicatur ex Patre Deo & appellatur vnigenitus Dei Filius. Generatio autem non fit ex donis, sed ex substantia, & ex natura parentum. Quomodo igitur est vnigenitus Dei Patris Filius, si non est, nisi eius naturæ, cuius & reliqui Filij Dei creati? Vnigenitus enim dicitur, qui solus est ex aliquo genitus: & ideo nullos habet eiusdem naturæ, ex eodem patre aut matre fratres. Neque est vt dicas, appellari vnigenitum: quia vnicus ipse ante mundi constitutionem Spiritus est creatus, & adoptione factus Dei Filius, per quem facta sunt reliqua omnia. Nam aliud est, esse genitum, aliud esse creatum. Ideò Apostolus ad Col.1.15. Christum non appellauit πρωτότοκον πάσης κτίσεως: Sed πρωτότοκον, cùm tamen locus postulare videretur, vt vocaretur πρωτόκτιστος. Si pura creatura est: vt omittam quòd adoratur à multis, & adorari iubetur, vt Filius Dei. Hebr.1.6. Psalm.2.12. Nullam autem licet creaturam, etiã sanctissimam & excellentissimam adorare: vt ante à ostensum est. Non fuit igitur vocatus ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ea duntaxat de causa, quòd excellentissimus inter reliquos Dei filios, sed quia alterius est generationis, & naturæ, vtpote vnigenitus.

I I. At non idcircò vnigenitus appellatur, inquiunt, quia sit vnicus e substantia Patris genitus: Sed quoniam in illum, perinde ac si esset vnigenitus, omnes suas contulit gratias Pater sicut Iohannes docuit, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: plenus gratia & veritate*: nempe ὁ λόγος habitauit inter nos. Ioh.1.14. Fallacia hic est non causæ vt causæ. Causa enim cur sit vocatus vnigenitus, non potest esse donorum Dei plenitudo: illis de causis, quas antea explicauimus. Non enim est, quasi vnigenitus, sed verus vnigenitus Dei Filius. Ad locum Iohan. quasi vnigeniti: Particula ὡς non significat hic Christum, esse instar vnigeniti, sed potiùs confirmat eum verum esse vnigenitum: quemadmodum tum ex antecedentibus, & præsertim ex principio capitis, tum ex subsequentibus: vbi præter alia Iohann. Baptista dicit, hunc vnigenitum esse in sinu Patris apertè euincitur. Postremò ex verbis Euangelistæ in hac eadem sententia, idem ita manifestum fit, vt nullæ valeant præstigiæ. Sic enim ait: *Et vidimus gloriam eius;&c.* Quænam verò est hæc gloria? Antea ostendimus hoc nomine significari diuinam Christi naturam, maiestatem ac potentiam: iuxta illud Ies.42.8. *Gloriam meam alteri non dabo.* Item Iohann. Euangelista à signis, id est, miraculis, ait patefactam fuisse gloriam Christi, hoc est, Deitatem diuinámque potentiam. Ioh.2.11. Et Paulus eum vocat Dominum gloriæ. Proinde hoc loco, illud ὡς redditio est causæ: loco quippe qui. Sensus enim est: *vidimus* (ex miraculis, & aliis operibus) *gloriam eius*: hoc est, diuinam potentiam & naturam. Quippe qui vnigenitus est Dei Filius: quasi dicat, nec mirum. Erat enim & est verus & naturalis Dei vnigenitus Filius. Sicut etiam illud ὡς τέκνα φωτὸς περιπατεῖτε. Ephes.5.8. Dubium igitur non est: quin eum vocet vnigenitum, quia vnicus est, natura Filius: nullos habens in ea natura, qua est vnigenitus Dei, fratres. Supra omnes reliquos filios Dei, qui per gratiam filij sunt, tam Angelos, quàm homines collocatus. Ita vt, quod illi conuenit, in nullam creaturam competere possit.

I I I. Sed audiamus alias aduersariorum ineptias. Vocatur vnigenitus (inquiunt) quia Iesus solus est ex spiritu Altissimi conceptus & natus. Nam etiam ea de causa Filius Altissimi vocatus est, Luc.1.35. tametsi purus sit homo. Eadem fallacia hic est, quæ suprà. Nõ enim potest hæc esse causa, cur vnigenitus appelletur. Imò est fallacia ex ignorantia vocis vnigeniti. Christus enim quà homo, propriè non est ex Deo genitus, sed à Deo creatus. Non est enim ex substãtia Patris Dei, sed tantùm matris Mariæ, quanquam vi Spiritus sancti conceptus. Vnigenitus autem dicitur, qui solus ex alicuius substantia genitus sit: & ex eo fratres habet nullos. Vt homo autem quanquam conceptus de Spiritu sancto, fratres habet quàm plurimos, Christus: & sic docet Apostolus, Hebr.2.11. Deinde constat e Scriptura, & suprà à nobis est cõfirmatum, Christum, etiam antequam homo esset, vere substitisse, & fuisse vocatum Dei Filium: idque non ratione prædestinationis, neque respectu futuræ natiuitatis ex virgine, sed quia reuera Filius erat Dei. Huc spectant illa dicta: quæ demonstrant Christũ fuisse vnigenitum Dei, antequam in mũdum venisset: vt, *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Io.1.18. Quibus nobis? Omnibus scilicet electis iam à condito orbe. Io.3.16. Item, *Deus misit vnigenitum*, nempe de cœlo in mundum, vt Christus sæpe explicat, dicens: *Exiui à Patre & veni in mundum.* Io.16.28. Manifestum igitur est, Christum ideò vnigenitum Dei Filium vocari: quoniam vnicus natura est Dei Filius, è substãtia Patris Dei ante conditũ orbem genitus. Ac proinde argumentum ex hac proprietate personæ Christi, nempe quòd solus est vnigenitus Dei Filius, deductum, firmum manet: esse eum Filium Dei naturalem, eòque Deum.

I V. Huc spectat aliud etiam epitheton proprium huius Filij: nempe, quòd solus ἴδιος, proprius Dei Filius sit, & vocetur: vt, *Qui proprio Filio non pepercit*, Rom.8.32. Proprios autem filios quis eos appellet: qui non e sua, sed ex aliena substantia geniti sunt? Vere igitur Christus est solus e Patris substãtia genitus: quia solus est vnigenitus, & proprius Dei Filius. Huc quoque pertinet quod ad Hebr.1.5. dicitur: *Ad quem autem Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie te genui?* An non etiam Angeli filij Dei sunt, & vocantur? Omnino: in Psal. & apud Iobum Psal.88 7. Iob.1.6. Quid hoc igitur est quod negat, Angelos vocatos fuisse à Deo Patre filios, & ad Christum solum ait, dictum esse, *Filius meus es tu* (nempe solus.) *Ego hodie te genui?* Significat apertè, solum Christum, esse Dei Filium. Sed qualem nam? num factum? At ita non est solus. Genitum igitur, & propriè genitum. Ideò ait Pater, *Ego hodie genui te.* Ac proinde, vere vnigenitum, & proprium. Proprium quoque huius veri, & proprij & vnigeniti Dei Filij est, vt sit æqualis Patri, naturâ: quemadmodum omnes veri Filij natura æquales sunt parentibus. Ioh. 5. 18. Hinc colligebamus, Christum Filium esse Dei naturalem, eòque verum Deum: sicut filij etiam nostri, veri sunt homines, & natura nobis æquales.

Excipiũt Christus nunquam dixit, se æqualem esse Patri. Quòd verò refertur de Iudæis, nẽpe eos quæsiuisse, vt interficerent Iesum, quia faciebat se æqualem Deo, vocando Deum, Patrem suum: Euãgelista non hoc referr, quasi Iudæi senserint, illud ex verbis Iesu colligi posse. Sed quòd ex eius verbis occasionem calumniandi captarint.

Resp. Primò, quòd aiunt, Christum nunquam dixisse se æqualem esse Patri, hoc falsum esse contendimus. Etsi enim non vsus est iis verbis: reipsa tamen declarauit non semel, se eiusdem esse potentiæ, & maiestatis cum Patre: vt, cùm ait, se & Patrem vnum esse. Ioh.10.30. Deinde, cùm hoc illi obiecissent Iudæi: Is nunquam est illud inficiatus. Qui autem tacet, affirmat: præsertim in accusationibus. Est hic igitur fallacia consequentis. Non enim sequitur: Christus nunquam vsus est istis verbis, Ego æqualis sum Patri: Ergo nunquam sensit, aut docuit se esse Patri æqualem. Potuit enim hoc alia ratione significasse: vt reuera apertè significauit. Quod verò ad Iudæorum sensum, de verbis Christi attinet:

Primùm dico probari non posse, quod dicunt. Quĩ enim sciunt Iohannem hæc de Iudæis retulisse, quasi per calumniam dicta? Ex verbis certè Iohannis colligi nequit: imò contrarium potiùs demonstratur ex contextu Iohannis. Refert enim tum Iudæos quæsiuisse magis Iesum interficere, cùm dixisset se operari ab eo tempore, quo & Pater operabatur. Quid autem hoc aliud fuit, quàm dicere, se parem esse Patri potentia, virtute operandi, & tempore, hoc est, æternitate? Idem confirmatur ex alio Iohannis loco, cùm Christus dicendo, se & Patrem vnum esse, Ioh.10. 30.31.&c. significasset, se eiusdem esse potẽtiæ cum Patre: sustulerunt lapides Iudæi, vt eum interficerent. Interrogati verò à Christo, cur se, vellent lapidare? Dixerunt se hoc facere propter Blasphemiam: quòd homo cùm sit, faciat se Deũ. Ergo etiam tunc senserant Iudæi ex verbis Christi: Christum se prædicare, verùm & naturalem Dei Filium, eòque Deum,

Deum. Deinde etiamsi Iudæi id non potuissent ex verbis Christi colligere, sed per calumniam obiecissent: inde tamen non efficitur, reuera Christum non fuisse & esse æqualem Patri. Sed contrarium potiùs, ex eodem euincitur contextu. Christus enim cùm hoc sibi tanquam blasphemiam obiicerent, nimirum quòd faceret se parem Deo, tantùm abest, vt hoc à se tanquam calumniosum depulerit: vt hoc potiùs tacendo confirmârit. Si fuit calumnia: quomodo eam non depulit? talem prætertim calumniam, quæ in dedecus Patris vergebat? Imò disertè totum confirmauit. Ita enim respondit, vt aperte docuerit, se parem esse Patri, virtute operandi: dum dixit: *Quæcunque Pater operatur, eadem & Filius operatur, ὁμοίως*, Ioh. 5. 19. Patrem etiam honore: cùm ait, *Vt omnes honorent Filium, καθὼς honorant Patrem: qui honorat Filium honorat Patrem.* Iohan. 5. 23. Parem quoque vita, dicendo: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita etiam dedit Filio habere vitam in semetipso.* Ioh. 5. 26. Christus igitur prædicauit se Filium esse Patri æqualem, seu per omnia parem. Idem apparet alibi, sicut ante dictum est. Est igitur hic fallacia ex ignoratione figuræ dictionis, in contextu verborum Euangelistæ.

V. Imò Christus (inquit Spiritus Ochinianus) apud Iohannem in capite decimo, ita respondit, vt ostenderit, quòd Iudæi ex suis verbis sibi obiecerant, nempe quòd se faceret Deum: illud non esse verum. Sic enim ait: *Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est: & non potest solui Scriptura: Me, quem Pater sanctificauit, & misit in Mundum: vos dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum?* Hic Christus non dicit, se natura esse Dei Filium, id quòd certe (inquit Spiritus iste malus) apertè dicere debuisset: Si talis erat. Sed potiùs disertè docet, se creaturam esse, & beneficio tantùm esse Dei Filium: non autem natura. Etenim non nisi creatura sanctificatur: Ipse autem ait, se fuisse à Patre sanctificatum.

Primùm, quòd ait spiritus Ochinianus: Si Christus fuisset verus, & natura Filius Dei, debuisset hoc apertè dicere. Non dixit: non igitur erat. Totum hoc retorqueo. Si Christus non fuisset natura Dei Filius, verúsque Deus: & per calumniam hoc sibi fuisset obiectum à Iudæis: aperte hanc depulisset calumniam, vtpote blasphemiam in Deum Patrem. Non depulit. Erat igitur. Deinde, assumptio falsa est. Aperte enim Christus docuit, se Filium esse Dei natura, eóque Deum: cùm dixit, Se facere opera Patris. Item, Patrem in se esse, & se in Patre. Ex eo enim quod Christus dixerat, se & Patrem vnum esse: intellexerunt Iudæi, illum se facere Deû. Hoc verò hic confirmat Christus: cùm ait, Patrem esse in se, & se in Patre. Quid enim aliud hoc fuit, quàm quòd suprà dixerat: *Ego & Pater vnum sumus?* Confirmauit igitur se vnius esse cum Patre naturæ. Ad hæc, ex argumento Christi colligi non potest, eum voluisse concludere, se puram esse creaturam: quia dixerit se esse à Patre sanctificatum. Est enim ὁμωνυμία in verbo Sanctificandi. Si pro, facere sanctum, accipias; verum est, solius creaturæ esse, sanctificari. Sed si pro, ad opus diuinum deligere & consecrare, non est solius creaturæ sanctificari. Nam etiam Filius Dei, non solùm quà homo, sed etiam quà λόγος, hoc est, totus Christus sanctificatus est, hoc est, delectus fuit à Patre, & consecratus ad hoc ipsum: nempe vt esset Mediator & Seruator mûdi: quo sensu, Christus loquutus est hoc in loco. Ea enim responsione, Christus primùm ostendit, falsam esse propositionem Iudæorum: nempe, simpliciter esse blasphemiam, si aliqua pura creatura vocetur Filius Dei & Deus. Nam in Psal. Iudices à Spiritu sancto vocantur Dij: idque sine blasphemia. Psalm. 82. 6. Inde infert: Ergo, etiamsi pura essem creatura: tamen nô propterea sum blasphemus, quia dixi, me Filium esse Dei, & Deum. Deinde à comparatis, vel à minori ad maius, sic arguit, etiamsi purus essem homo, longe tamen verius, me vocaui Deum, quàm illi, de quibus in Psalmis, vocati fuerunt. Illi enim peccatores, & iniusti: Ego autem à Patre sanctificatus, hoc est, sanctus genitus sum. Illi ideò Dei vocati, quia potestatem à Deo acceperunt iudicandi, officiúmque magistratus faciunt. At mihi longè maior potestas tradita est. Pater enim me misit in mundum ad sanctificandum & seruandum omnes electos: & omne iudicium Filio dedit. Non igitur blasphemus sum, quòd me vocârim Deû. Sed assurgit altius Christus, & ostendit non purum se esse hominem, vt putabant Iudæi. Nam Pater hunc sanctificauit, antequam venisset in mundum, hoc est antequam esset homo: sanctificauit, inquam, hunc Pater, hoc est, consecrauit ad officium Mediatoris. Ideò ait primò: *Quem pater sanctificauit.* Deinde ait: *& misit in mundum.* Hoc idem clarius exprimit, dicens vers. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere.* Quasi dicat, nolite credere, me & Patrem vnum esse: eóque me, naturalem Filium Dei esse. Si autem facio: quid est, cur non debeatis credere? Si enim mihi non creditis, opera saltem, quæ facio, euincunt, rem ita se habere: nempe Patrem in me esse, & me in Patre: ac proinde me naturalem, & proprium esse Dei Filium. Nullo igitur modo blasphemaui, quòd dicendo, me & Patrem vnum esse, significaui me ita Filium Dei esse, vt sim Deus. Quare tantùm abest, vt ex responsione Christi possit colligi, Christum voluisse significare, se purum esse hominem, Filium autem Dei beneficio duntaxat: vt potiùs contrarium inde liquidò demonstretur. Ad extremum, etiamsi darem solius creaturæ esse, sanctificari, non inde tamê euinceretur, Christum purum esse creaturam: quia sanctificatus est. Fallacia enim est à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Sanctificatus enim est non simpliciter, sed secundùm quid, hoc est, quò ad humanam naturam, sed non secundùm diuinam. Apostolus námque de eodem Christo ait Heb. 2. vers. 11. *Et qui sanctificat, & qui sanctificantur: ex vno omnes.* Christus autem nisi esset Deus, quomodo potuisset aut posset nos sanctificare? Sanctificat quidem sicut & viuificat, etiam caro Christi. Verùm non alia ratione, nisi quia cum deitate hypostatikôs côiuncta est.

VI. Verùm etiamsi daremus (inquiunt) Christum esse Filium Dei, natura: tamen non sequeretur eum esse Deû. Natura enim is Filius Dei dicitur, qui Filius Dei natus est. Est autem Christus, natus Filius Dei, quando conceptus e Spiritu sâcto, natus ex Maria, Filius Altissimi, Luc. 1. 35. ὁμωνυμία est in voce, Naturæ. Accipiunt isti pro natiuitate, eáque ex matre. Nos pro essentia, eáque diuina. Sicut & Apostolus dicit Galat. 4. 8. *Natura non sunt Dij*, id est, essentia. Ac verum est, Christum, etiam quà homo est, natura esse Filium Dei: quia côceptus est e Spiritu sancto, & natus est Filius Altissimi, nô autem factus, quasi antea fuerit homo, sed Filius Dei nô fuerit. Verùm in præsentia contendimus, eum esse natura Filium Dei, id est, essentia: quàm ei Pater generando, ab omni æternitate cômunicauit. Et idem sunt, esse natura Filium Dei, & esse Filium, Patri ὁμοούσιον. Atque hoc est, quod contendimus, ex hoc etiam epitheto Christi proprio, quo appellatur Filius Dei proprius & Patri æqualis, seu par, nêpe, natura, deitate, potestate, honore. Idcircò Angelus non simpliciter dixit Mariæ: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*: sed adiecit, καί. *Idéoque etiam quod nascetur ex te sanctum*, &c. Luc. 1. 35. iis verbis significans duas Christi naturas: diuinam sanctificantem, & humanam sanctificatam: & secundùm vtranque natum esse Filium Dei. Sed primò secundùm diuinam ab æterno, deinde secundùm humanam in tempore. Nam etiam antequam fieret homo, Filius erat Dei: idque proprie. Psal. 2. 7. Prou. 30. 4. Et vt Filius Dei descendit de cœlis, & incarnatus est.

VII. Sed demus, inquiunt, Christum ideò natura esse Filium Dei, quia habet essentiam Dei: tamen non sequitur eum esse Deum. Nam etiam Sancti omnes essentiam habent Dei. Ait enim D. Petrus, Participes nos esse, seu compotes, diuinæ naturæ. 2. Petr. 1. 4.

Fallacia est, quæ ὁμωνυμία dicitur. Petrus enim, nomine naturæ diuinæ, intellexit diuinam qualitatem, quà Sancti donantur: cùm scilicet per Spiritum sanctum nouæ fiunt creaturæ & diuini homines: varijs diuinísq; ornati Spiritus sancti donis: vt ex ipso apparet contextu. Nos autem cùm dicimus Christum esse Filium Dei natura, hoc nomine ipsissimam Dei essentiam intelligimus, hoc est, τὴν θεότητα vt Paulus loquitur: Col. 2. 9. cùm Petrus loquatur τῆς θειότητος, quam θείας φύσεως appellauit.

Deinde etiamsi quodammodo dici possit in nobis esse diuina essentia, quatenus in ipso viuimus, mouemur & sumus, Act. 17. 28. ipsa tamen Dei essentia dici nô potest esse nostra essêtia. Nostra enim creata est tota: illa verò increata, omnia creauit, & sustêtat sua præsentia. Christus autem ipsa est diuina essentia. Est enim יחיד. Atque hæc est proprietas personæ Christi: nempe, quod λόγος ita genitus est ex Patris essentia, vt eandem & totam acceperit, quàm & Pater habet. Eandem, quia ex aliena non est genitus. Totam quia in partes secari non potest, cùm sit simplicissima, & perfectissima, eóque verè vna: ac proinde solus Christus Filius Dei Patris est proprius, & vnigenitus, per omnia Patri æqualis, propterea quod vna & eadem est Patris & Filij essentia: quemadmodum abunde in priori parte demonstrauimus. Nullo enim modo dici potest, proprius Dei Filius: si ex alia, quàm Dei Patris substantia genitus est.

Ita manifestum est argumentum, ex locis, vbi vocatur Filius Dei, deductû, esse firmissimum: nempe Christum Filium esse Dei naturalem, eóque verum Deum. Venio itaque ad loca tertij ordinis, seu tertiæ classis: vbi nimirum apertè, ac luculenter, Christus appellatur Deus.

## CAPVT VI.

Vindicantur ab Hereticorum calûniis, argumê-

ta, ex illis locis deducta: vbi Christus disertis verbis Deus appellatur.

EXCEPTIONES aduersus huiusmodi argumenta, duplicis sunt generis. Aliæ sunt generatim aduersus argumentum, quo concludimus ideò Christum verum esse Deum, quia expressis verbis & simpliciter, Deus, Deúsque verus appellatur. Aliæ sunt aduersus certa quædam hac de re loca.

Aduersus igitur argumentum, quo concludimus Christum verum esse & æternum Deum, quia in Scripturis hoc nomine simpliciter appelletur: Excipiunt Antagonistæ: idque variis modis & rationibus. Quęrunt enim varias causas, propter quas Christus, licet (vt aiunt) pura sit creatura: nomine tamen Dei appelletur ab Apostolis. Qua in re luculenter demonstrant, se inimicos esse Christi: quando tot, & tam varia excogitant effugia: quibus lucem veritatis declinent, & variis quasi tenebris eam obducant. Aiunt itaque alij, Christum vocari Deum: quia legatum egit Dei, & loco Dei est in mundo. Alij, quia per hunc Spiritum creatum, reliqua omnia condita sunt, & consistunt. Adde, quia per hunc quoque omnia sunt renouata, & in hoc omnes promissiones suum habent Etiam & Amen, hoc est, complementum. Alij propter officium: quia constitutus est seruator, & iudex Mundi. Alij, non propter officium duntaxat, sed etiam propter plenitudinem donorum, & Spiritus diuini: quem in illum Deus, citra mensuram effudit. Cęterùm, quia hæ causæ nimis frigidæ, & friuolæ sunt, sicut etiam suprà, cùm à nobis refutarentur exceptiones aduersus argumentum ductum à nomine Iehouæ, ostendimus: Idcircò alij alias commenti sunt. Communicatione enim veræ etiam deitatis, essentiæque diuinæ: Christum verum esse Deum. Quanquam diuersè hoc dictum explicant atque intelligũt. Seruetus explicat; quanquam versutè & callidè, vix vt possit intelligi. Sentit λόγον ante carnem nihil fuisse ὑφιστάμενον, sed Iesum hominem in vtero Virginis, vi Spiritus sancti, ita fuisse ex λόγῳ, sermone, locutionéque Dei ceu ex diuino semine & ex carne Virginis tanquam materia conceptũ vt hæc caro in deitatem fuerit absorpta, & conuersa: idque vi mirabilis vnionis, seminis Dei, hoc est, verbi, & carnis Mariæ, iuxta illud: *Et λόγος caro factus est*: Ioh. 1. 14. & ita natum esse Deum, & hoc sensu, nonnunquam ait, Christum esse natura Deum, quia scilicet natus sit, ex Maria, Deus. Vel homo potius diuinus: vt reuera sensit & docuit. Eodem sensu dicit, Christum genitum de substantia Dei Patris: quòd scilicet eius caro, non tam sit ex carne virginis, quàm ex sermone Dei, instar seminis paterni concepta. Summa, etiamsi Christum vocat Deum natura, & de substantia Dei genitũ prædicat. Christus tamen nihil est illi, quàm purus homo, & diuinus: plenus deitate, & donis Dei, non per naturam, sed per gratiam & priuilegium. Nam præter alia scripta libro de Trinitate primo sic ait: *Quia diuina Christi natura, ex verbi arcanis pendet, simpliciore via nunc dicamus Deum posse homini deitatis plenitudinem communicare, dare ei diuinitatem, maiestatem, potestatem, & gloriam suam.* Posteà subdit exempla Mosis, Cyri, & Salomonis, qui dicti sunt Dij: temporalibus scilicet donis. Inde infert: *Multò fortius, & longè excellentiori modo factus est Christus, Thomæ, & omnium nostrum Deus, & Dominus.* Est igitur Serueto Christus Deus factus: ac proinde non natura, sed per gratiam Deus. Hæc est communicatio deitatis, apud blasphemum Seruetum.

R. Sed etiam blasphemia refellitur, tum rationibus suprà positis: tum iis, quæ sequuntur. Si enim humanitas Christi, quæ nomine carnis significatur, trãsiit in deitatem: creatura igitur erit Creator. Deinde duo erunt Dij, Pater, & Filius: vnus æternus, alter temporalis. Tertiò, Scriptura non dicit, carnem versam esse, & absorptam in deitatem. Sicut neque Ditatem, in carnem esse mutatam: Sed ait Deum manifestatum esse in carne: 1. Tim. 3. 16. & Filium Dei venisse in carne: 1. Ioh. 4. 2. Item passum esse in carne: 1. Petr. 4. 1. & natum ex semine Dauidis κατὰ σάρκα. Rom. 1. 3. Caro igitur non transiit in Deitatem. Denique non erit Christus verus, & natura Deus: quamuis verbis hoc simulet Seruetus.

II. Haud multum diuersa est aliorum sententia: qui Seruetum secuti sunt. Ij enim quem vnum, & solum verum, æternum, omniúmque rerum Creatorem, Deum prædicant Scripturæ: Hunc ad solam Patris personam, excluso Filio, & Spiritu sancto, referunt atque restringunt. Ab hoc verò statuunt prædestinatum fuisse hominem quendam, qui tandem natus, vocatus est Iesus: vt is Mediator inter Deum & homines constitutus, vi sui sanguinis peccata nostra expiaret, nósque Deo Patri reconciliaret: & æterna vita donaret. Atque vt hoc efficere posset: Patrem constituisse in hoc homine citra peccatũ cõcepto, tota suæ Deitatis plenitudine, corporaliter inhabitare: & hac de causa voluisse, vt iste homo Iesus etiam antequã nasceretur, cùm scilicet Patribus eum promitteret: nõ solùm Filius Dei, verùm etiam Iehouę nomine vocaretur. Vbi itaque venit plenitudo temporis, hũc hominem ex Spiritu sancto (qui ipsis nihil aliud est, quã virtus & potentia Dei, non substantialis & subsistẽs, sed nescio quæ) in vtero virginis conceptũ fuisse: & in hoc, Deũ Patrem corporaliter habitasse, & habitare, suæ Deitatis plenitudine: ita vt propter hãc vnitionẽ diuinitatis paternæ, cũ homine isto Iesu, meritò ipse Iesus Christus appelletur tã Filius Dei vnigenitus, & Deus verus, quã Filius hominis & verus homo. Referam quædam ipsorũ verba ex confessione edita Claudiopoli Anno 1570. *Etsi autem is de quo nobis institutus est sermo, Dei Filius, Iesus Christus, secundùm carnem, in veris hominibus rectè censetur: idem tamen secundùm sanctificationis spiritum seu Deitatem Patris in ipso inhabitantem corporaliter, ad Deum rectißimè genus suum refert: quippe Filius Dei vnicus, ac Deus verus, cum eximia potentia, & gloria declaratus, &c.* Et paulò post: *Sicut autem*, inquiunt, *vnus tantùm est Deus, nempe Pater, vna item diuinitas, sapientia, iustitia & misericordia: ita eadem hęc est vna diuinitas, sapientia, iustitia & misericordia super & in Filium Iesum Christum opulenter per vnctionem Spiritus sancti effusa, in eóque conspicua facta est, vt ita in hoc nostro Deo, qui se in carne sic manifestauit, Deum Patrem alioqui in luce habitantem inaccessa, apprehendere queamus, &c.* Et mox: *Denique*, inquiunt, (vt in pauca rem conferamus) *hæc omnium Electorum Dei, vera & pia, quam amplectuntur, doctrina est, Iesum Christum in plenitudine temporis in lucem hanc editum, esse illius vnius, æterni, veri, viui & Altißimi Dei, Patris scilicet, vnicum Filium, cuius, non tantùm caro per Spiritum sanctum in vtero Virginis formata sit: verùm etiam, cui Deus Pater dederit propriam totam diuinitatis suæ plenitudinem, per eundem suum, in ipso quiescentem sapientiæ, intelligentiæ, timorísque Spiritum, cuius vnctione eum nobis fecit Dominum & Christum, cuius vi ac potentia ille declaratus est verus Dei Filius, Deus benedictus in secula, ac noui Mundi instaurator. Proinde duo nobis in Christo Domino nostro spectanda sunt: Primò, miranda ipsius natiuitas, quæ constituto tempore, virtute Spiritus sancti, in vtero materno, absque labe & peccato omni conceptus, tandem verus homo in mundum prodijt. Deinde, diuinitas, quæ reuera nihil aliud est, quàm virtus & efficacitas Patris omnipotentis, seu Spiritus sanctus inhabitans, cuius in ipsum abundè, & sine mensura effusi beneficio, hoc est consequutus, vt in Scripturis paßim Filius Dei, Iesus Christus, Dominus, ac Deus appelletur.* Hæc omnia ibi.

Resp. Sententia hæc, hæresis est, partim Sabelliana: partim Samosateniana ac Photiniana, partim denique Eutychiana. Sabelliana quidem, quoniam vera, & verè inter se distincta tria in Deo ὑφιστάμενα tollit: solámque Patris personam admittit: ac dum plenitudinem Deitatis in Christo corporaliter inhabitantem, contendit esse Patrem ipsum: vult cum Sabellio, & Praxea, ipsum Patrem sibi carnem, ὑποστατικῶς copulasse, factum esse hominem, passum ac mortuum: contra apertißima Scripturarum testimonia, quę docent, non Patrem, sed τὸν λόγον, factum esse carnem, & Filium, semen Abrahæ assumsisse, in carne venisse, & inter nos habitasse, &c. Samosateniana autem ac Photiniana hæresis est, quoniam cùm neget plenitudinem Deitatis corporaliter in humana Christi natura inhabitãtem, esse ipsum λόγον, Filiũ Dei: & id, in quo illa Deitas inhabitat, nihil aliud sit, quàm creatura, humana scilicet anima & caro: Idcircò apertè & reipsa statuit cum Samosateno, & Photino, nihil aliud sua esse natura, nisi nudũ hominem contra apertissima Scripturarum testimonia, quibus docemur Christũ verum esse, & natura Deum, super omnia benedictum, verúmque Iehouam. Denique verò Eutychiana est stulta phantasia, execrabilísque blasphemia. Cùm enim doceat suũ Christum, hoc est, nudum hominem, propter plenitudinem Deitatis paternæ in eo inhabitantem, verum esse Deum: efficit vt humana Christi natura, anima, & corpus, propter vnionem hypostaticam cum plenitudine Deitatis, hoc est, (de ipsorũ sententia) cum persona Patris, facta sit verus Deus: & ea re omnipotens, immẽsa, omnia implens. Atque ita duos apertè constituit Deos, Patrem inhabitantẽ, & Filium Iesum Christum, inhabitatũ, vnum increatum, alterum creatum: vnum Creatorem, alterum eius creaturam: vnum æternum, alterum temporalem: vnum inuisibilem, alterum visibilem, quo quid execrabilius dici excogitaríve potest? Hos autem ita sese habere, manifestum est. Nam quum ea, quæ retulimus, scribunt, aut sentiunt, solum inhabitantem Patrem, verum, eóque sua natura Deum esse, Christum verò inhabitatum, purum sua natura hominem. Aut ipsum etiam habitatum Iesum Christum, verum esse eóque natura Deum.

Si illud

Si illud: cur igitur præter Patrem, Christum quoque vocant verum Deum? Nulla sane ratio est, cur id dici vere possit, cùm ipsa res creata nullo modo fieri possit increata; eóque verus & natura Deus. Sed officio dumtaxat & plenitudine donorum fuerit Deus: eoque καταχρηστικῶς, & titulotenus, non autem verus. Si verò alterum: aperte itaque duos faciunt Deos, vnum increatum, alterum creatum, quo, vt dictum est, nihil absurdius dici potest. Quare necessariò efficitur, vt aut solus Pater sit Deus: aut si Christus quoque verus est Deus, is persona sit à Patre distincta & æterna: quę in tempore homo facta, altera sua natura, increata scilicet, maneat Deus: quando humana sua natura, Deus verus esse non potest.

At Christus, inquiunt, verus est Deus propter inhabitantem in ipso paternam Deitatem corporaliter, nō autem sua humana natura. Verùm creatura, vtut in ipsa, tota Deitatis plenitudo corporaliter inhabitet: fieri tamen nullo modo potest verus eóque natura Deus. Quare solus Pater inhabitans verus remanebit Deus, & Christus inhabitatus, impiè & iniustè verus vocabitur Deus.

At non ne (inquies) & vos ex loco Apostoli propter plenitudinem Deitatis in Christo inhabitantis corporaliter. Col. 2. 9. contenditis Christum verum esse Deum? Maximè. Vbinam autem habitat plenitudo Deitatis? In humana Christi natura. An non igitur & vos ex humana natura alterum facitis Deum, & ita duos statuitis Deos, vnum creatorem, alterum creaturam? Minime verò. Non enim ex loco Apostoli contendimus, id, in quo habitat plenitudo Deitatis, humanam scil. Christi naturam, propter vnionem hypostaticam cū illa Deitatis plenitudine, esse Deum: sed ipsum Christum tota Deitate inhabitāte, & perfecta humana natura inhabitata, constantem: verum esse Deum: idque respectu Deitatis inhabitantis.

At nos quoque, inquies, non aliter docemus Christum esse verum Deum, quàm respectu Patris ὑποστατικῶς in Christo homine inhabitantis. Sed præter quàm quòd efficitis contra apertum Dei verbum, vt Pater sumpserit carnem, factus sit homo, & passus sit in carne: falsum est etiam quod dicitis. Scribitis enim præter Patrem, ipsum etiam Christum eius Filium à Patre inhabitatum, verum esse Deum, idque propter plenitudinem deitatis, hoc est, propter Patrem in ipso inhabitantem. Quòd autem inhabitatur: res est creata, humana scilicet Christi natura. Ita velitis, nolitis, duos facitis Deos, Patrem inhabitantem, & creatam naturam inhabitatam. Neque verò aliter potestis dicere, si velitis ista duo tueri: Vnum, quod vos cum Sabellio & Serueto fingitis, nempe Christum ante natiuitatem ex virgine, non fuisse rem in Deo ὑφιστάμενον, seu personam. Cùm vna tantùm sit diuina persona, quæ est Pater. Alterum, quòd propter nimis multa & aperta Scripturarum testimonia, inficiari non potestis, nempe Christum verum esse Deum: Si, inquam, illud primum velitis cum vestris præceptoribus tueri: & hoc alterum, nobiscum confiteri, non potestis aliter docere, quàm præter Patrem inhabitantem, ipsum quoque creatum Filium inhabitatum, Deum esse: eóque duos esse deos, vnum creatum, alterum increatum. Nos verò hoc absurda & impia nunquam docemus, neque cogimur docere. Ratio est, quoniam quæ plenitudo deitatis in humana Christi natura inhabitat corporaliter: eam dicimus esse non Patrem, sed τὸν λόγον, Filium, personam à Patre distinctam: Patri tamen coæternam & ὁμοούσιον. Ita firmata hac pluralitate & distinctione verarum in vno Deo personarum, tanquam Anchora totius de Deo doctrinæ: euitamus omnes scopulos, & tutò in pelago huius doctrinæ de Deo, quæ in sacris literis continetur, nauigamus: Patrem verum esse Deum credentes, & præter hunc (vt iam de Spiritu sancto taceamus) Filium quoque Iesum Christum, ex deitate inhabitante, & ex humana natura inhabitata constantem; sicut vnius respectu verus est homo in tempore, in alterius causa verum esse ab æterno Deum, constanter confitentes.

At ista ratione videmini duas statuere deitates, vnam Patris, quæ minimè in homine Christo inhabitet: & alteram Filij, quæ inhabitet: cùm tamen Apostolus vnam tantùm prædicet deitatem, eámque totam in Christo homine inhabitare dicat. Minimè verò duas statuimus deitates, sed vnam tantùm, eámque totam in Christo corporaliter inhabitare, cum Apostolo dicimus: & totam sibi carne ὑποστατικῶς copulata factam esse hominem. Sed sicut diuersis subsistendi modis ea vna οὐσία καὶ θεότης subsistunt Pater, Filius, Spiritus sanctus, vt suprà abunde declaratum est: ita nos eandem non vno modo consideramus, neque considerandam esse docemus. Consideramus enim eam alio modo, quatenus est in Filio, & alio, quatenus in Patre: sicut etiam alio modo subsistit Pater, & alio modo Filius. Ille ex se, iste ex Patre. Quatenus igitur in Filio est, dicimus eam corporaliter in humana Christi natura habitare: non autem quatenus eadem est in Patre. Nam vt ita verba Pauli interpretemur, cogit Scriptura, & fides Christiana: quæ docet solum Filium carnem sumpsisse, & factum esse hominem. Plenitudinem autem Deitatis habitare in carne corporaliter: nihil aliud est, quàm totam Deitatem factam esse hominem. Imò hinc apparet luculentissime veritas fidei nostræ de Patre, & Filio, vno eodémque naturâ Deo: vna, eadémque essentia. Vna enim ex parte plenitudo deitatis nihil aliud est, quàm tota Deitas, certam verò est Patrem esse ipsam Deitatem. Ex altera autem parte, tota Deitas, dicitur incarnata, quia plenitudo Deitatis habitat corporaliter in humana Christi natura. Est autem certum, solum Filium esse incarnatum. Est igitur etiam ipse tota Deitas. Quare Pater & Filius, vna eadémque Deitas indiuisibilis. Distinguitur tamen Pater à filio. Ille enim subsistit ex se, cùm à nullo sit: iste ex Patre, ex cuius substantia genitus est. Eadem igitur essentia diuersimode consideretur, necesse est: iuxta diuersos subsistendi modos, quibus diuinæ personæ subsistunt. Ita apparet à nobis minime duas fingi Deitates: Sed vnam tantùm cum sacris literis credi, & prædicari: quàquam alium esse dicamus Patrem, & alium Filium, Patri ὁμοούσιον: ac Filium carnem sumpsisse, non autem Patrem. Atque hæc causa est, cur ex inhabitante Deitate in Christo Iesu, rectè concludimus, præter Patrem, ipsum etiam Christum verum esse Deum: quia scilicet nomine Christi non intelligimus, vt vos, solum illum hominē Iesum, vel vt melius loquar, solam humanam Christi naturam: Sed intelligimus æternam personam à Patre distinctam, duabus constantem naturis, Diuina nimirum, idque ab æterno, & humana, idque in tempore. At vos qui nomine Christi, nihil aliud intelligitis, quàm puram creaturam, humana tantùm anima, & humano dumtaxat corpore constantem: ex inhabitante in Christo paterna Deitate, licet possitis euincere ipsum ὑφιστάμενον Iesum Christum verum esse Deum: respectu Patris inhabitantis, quo cum ὑποστατικῶς (si hoc vobis daretur, quod dari non potest) vnitus sit: nunquā tamen ipsum Christum quatenus distinguitur à Patre inhabitante, probare poteritis verum esse Deum, cùm pura sit, vestro iudicio, creatura Christus. Sed semper eodem recidet vestra argumentatio ex loco Apostoli, vt aut solum Patrem concludatis esse verum Deum: aut ex creatura, nouum fabricetis Deum: & ita duos fingatis Deos; vnum æternum, alterum temporalem, vnum creatum, alterum increatum: eóque vnum adorandum, alterum nequaquam; quando solus Deus, qui fecit cœlum & terram, & qui à nemine factus est, nobis adorandus proponitur in sacris literis. Proinde necesse est, vt aut desinatis prædicare Christum esse verum Deum, & ita manifeste vestram prodatis impietatem, aut nobiscum fateamini, Christum personam esse æternam, à persona Patris distinctam, duabus constantem naturis, diuina ab æterno, humana in tempore.

III. Alij aliter intelligunt, Christum communicatione Deitatis, Deum esse, quàm Seruetus vel eius discipuli senserint: nempe ante mundi constitutionem.

Respondeo: Sed hîc est ὁμωνυμία. Duobus enim modis intelligi potest, factam esse hanc Deitatis seu diuinæ essentiæ communicationem. Primò ita, vt ille, cui dicitur fuisse communicata, antea fuerit huius expers, ac postea huius particeps fuerit factus. Quemadmodum & nos omnes primò fuimus sine natura diuina, eo sensu, quo accipitur apud Petrum: hoc est, sine donis Spiritus sancti. 2. Petr. 1. 4. Deinde facti sumus participes huius diuinæ naturæ. Si sic etiam intelligant communicatam fuisse Christo, hoc est, λόγῳ ante mundi constitutionem, ipsam diuinam essentiam: præter alia, hæc duo consequentur absurda & impia: nempe λόγον fuisse, esséque creaturam: factúmq; non genitum: Et factam fuisse hāc communicationem, non per naturam, sed per gratiam: ac proinde Christum non verum esse & natura Deum: sed per gratiam. Hoc autem totum satis refutatum est. Deinde ita intelligi potest hæc diuinæ naturæ communicatio, vt cui dicitur esse communicata, is nunquam huius expers fuerit; sed iam inde ab omni æternitate, per generationem, hanc sibi cōmunicatam habuerit: & quidem totam atque eandem, quam & Pater: sic sentit Ecclesia Christi. Hinc verò tantùm abest, vt cōsequatur, Christū non esse verū & natura Deū: vt cōtrarium potiùs efficiatur. Quia vnā & eandem prorsus, & totā habet Filius deitatem seu diuinā οὐσίαν, quæ est & Patris: idque ab æterno, per generationem ineffabilem: idcircò fit, vt verus sit, & natura, nō autem gratia Deus. Cur enim Pater verus est, ac natura Deus? Quia ipse est hæc æterna & perfectissima essentia. At Filius quo-

que est hæc eadem essentia: quia à Patre in sui generatione, communicatam habet. Verus igitur est,ac natura Deus. At Pater à seipso est hæc essentia: Filius autem est eadem, sed communicata. Fallacia est non causæ vt causæ. Causa enim cur Pater sit verus Deus, non est modus subsistendi, diuersus à modo, quo subsistit Filius: sed est ipsa diuina essentia. Quænam obsecro est ratio: cur Adam & Eua, & Abel, tam ij,quàm ille homines sint? Nimirum, quia eadem natura humana,in singulis est. Etenim tam Abel & Eua,constant anima & corpore humano:quàm etiam Adamus. Diuersus tamen est modus, quo Adamus hanc naturam: ab iis,quibus Eua & Abel. Adamus habet immediatè à Deo per creationem, ex nullo alio homine. Eua habet ex Adamo,per fabricationem ex costa Adæ: Abel habet ex Adamo & Eua per generationem. Nunquid igitur non erit homo Abel,vt Adamus: quia ab illo naturam accepit humanam: non autem ita Adamus ab alio homine? minimè verò. Ergo licet Filius totam Deitatem à patre acceperit,Pater verò à nullo: non inde tamen efficietur, quin Filius perinde sit verus Deus atque pater.

Atque hæc est responsio in genere, ad omnes exceptiones, quæ fiunt contra argumenta ex iis locis deducta: vbi Christus simpliciter & absolutè Deus appellatur. Nunc seorsim refutandæ sunt exceptiones, quæ aduersus præcipua quædam loca, in quibus Christus appellatur Deus:fieri solent.

IIII. Primus ac præcipuus locus, est primùm Iohannis caput: *In principio erat ὁ λόγος: & λόγος erat apud Deum*(Patrem:)*& iste λόγος erat Deus.* Hinc ostendimus τὸν λόγον,qui postea factus caro, vocatus est Christus: Primò æternum fuisse & esse:quia *in principio erat.* Deinde personam à patre distinctam,sed à patre inseparabilem: quia *ὁ λόγος erat apud Deum.* Denique verum esse Deum, quoniam ait: *& λόγος erat Deus.* Exceptiones aduersus hunc locum,quæ fiunt tam ab Arianis,quàm à Samosatenianis &Seruetianis;suprà vidimus;& eorum interpretationes refutauimus. Summa exceptionum est: Christum Deum vocari, aut officio, aut plenitudine donorum Dei, & Spiritus: aut conuersione carnis in Deitatem. Sed hæ crassiores sunt refutatæ. Postrema,quę sibi videtur propius accedere ad veritatem, cùm tamen ab ea infinito absit interuallo,est illorum,qui dicunt,hîc λόγον, vocari Deum, non qualis est pater: sed inferiorem ac minorem: nempe Deum communicatione deitatis ex alio: cùm Pater sit Deus ex seipso. Et hoc inde euinci;quòd Pater vocatur Deus cum articulo ὁ θεὸς: cùm ait Ioh. *& sermo erat πρὸς τὸν θεὸν* id est,Patrem. De Filio autem,seu λόγῳ,sine articulo: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Resp. Primo,quod aiunt de communicatione Deitatis, paulò antè quomodo possit intelligi declaratum est: nimirum nos quoque dare, λόγον esse Deum communicatione Deitatis, sed totius,non ex parte:sed eiusdem,non diuersæ: sed ab æterno, non in tempore. Et per generationem,non per donationem & gratiam. Denique ei,qui nunquam hac caruerit:non autem ei,qui aliquando substiterit citra hanc. Nam de hac ait Iehoua: *Gloriam meam alteri non dabo.* Iesa. 42.8. Quod verò hinc inferunt λόγον,inferiorem esse Deum, & minorem Patre, ostendimus non consequi: quòd modus subsistendi diuersus, non diuersos constituat Deos: sed eadem essentia, eundem Deum. Ad articulum quod attinet præpositum,vel non præpositum voci θεοῦ,respondemus:nō inde inferri posse, τὸν λόγον ideò non esse verum & perfectum Deum,vti etiam Pater est, quia vocatur Deus sine articulo præposito. Nam ipse etiam Pater,Deus vocatur sine tali articulo,in eodem capite,sic enim ait Ioh.Bap. θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε. Item Iohannes Euangelista ait de Christo, τὸν μόνον θεὸν ἀληθινόν Ioh.1.18.& 13.3. Et mox cum articulo de eodem Patre dicit, καὶ πρὸς τὸν θεὸν ὑπάγει. Non igitur idem Pater,erit Deus,& maior propter articulum: & minor,cum sine articulo nominatur. Quòd si hoc non sequitur de Patre:cur id de Filio concludant? Deinde alibi Filius cum articulo præpositiuo Deus vocatur. Thomas enim ait de Christo, ὁ θεός μου. Ioh.20.18.& Ioh. *Hic est ὁ ἀληθινὸς θεὸς* 1.Ioh.5.20. Etsi igitur in primo capite sine articulo vocatur: non inde tamen propter à sequitur, cum non esse verum Deum, vti Pater est. Non enim semper eandem habet emphasin articulus præpositiuus. Duplici autem de causa iudicant pij & docti viri, omissum fuisse articulum præpositiuum, cùm de λόγῳ dixit Ioh. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος:tum vt melius discerneretur subiectum à prædicato: nempe λόγον esse subiectum:de quo nomen Dei prædicatur:tum vt discerneretur Pater à Filio. Alij ex hoc Iohannis loco, non posse colligi, Filium, Deum esse æternum, vt Pater est: sed contrarium potius contendunt:sic arguentes: *In principio*(scilicet rerum conditarum, & temporis)*erat ὁ λόγος.* Tum primùm igitur cœpit esse. Deprauatio est Scripturæ. Non enim ait Iohannes, quòd tum cœperit esse:sed quòd tunc iam *erat.* Erat igitur ante principium rerum conditarum. Id quòd explicat Iohannes,cùm mox ait:omnia per ipsum facta fuisse. At instant:

Sermo non existit, antequam is,cuius est sermo loquatur.

Atqui Deus tunc primùm loquutus esse dicitur, cùm fecit cœlum & terram. Gen.1.3.

Filius igitur Dei seu λόγος, æternus non est: ideò nec verus Deus.

Quòd aiunt sermonem non existere,antequam loquatur is,cuius est sermo:concedimus de verbo,& sermone vocali: déque effectu diuino, qui extra Deum fiat,at non de interno sermone,consiliόve in ipso Deo existente, neque de illo λόγῳ,hoc est,filio,per quem facta sunt omnia.

V. Secundus locus est Ioh.20. Thomas vocat, & adorat Christum,vt suum Dominum & suum Deum:idq; proposito articulo ὁ θεός μου. Excipiunt non hinc concludi,esse itaque verum & natura Deum, propterea quòd non simpliciter & absolutè appellauit Christum, Deum: sed respectiuè Deum suum. Sicut Moses quoq; dictus est,non simpliciter Deus:sed respectu regis Ægypti, Deus Pharaonis. Exod.7.1.

Resp. Quasi verò non etiam Pater à Sanctis,vocetur suus Deus, vt in Psalmis frequentissimè Dauid loquutus est, dicens: *Deus meus,Deus meus: Seruator meus,&c.* Nũ igitur propterea nó est omnium Deus,eóque verus Deus? Fallacia est non causæ vt causæ. Causa enim, cur sic Sancti his vtantur phrasibus,non est, quòd sentiant, aut quòd velint indicare, quem suum esse Deum dicunt, eum,non esse Deum omnium, eóque verum Deum, sed ex affectu erga Deum, suam erga eum protestantur fidem,quod eum solum pro suo agnoscat Deo,sicut etiam ad Gal.2.20. Apostolus ad se vnum applicat Christi beneficium, & amorem,dicens: *Qui dilexit me:* Nec tamen alios ab hoc secludens.

Ad tertium locum ex Act.16. nullam reperio in scriptis aduersariorum exceptionem: à nemine enim fuit obseruatus. Scio tamen quid posset obiici. Sed facilis etiam est responsio. Verùm ad quartum locum,ex Act.20. vbi Apostolus ait, Deum redemisse,seu acquisiuisse Ecclesiam suo sanguine: quo ex loco apertè euincitur, Christum,qui solus sanguine suo redemit Ecclesiam, verum esse Deum: aduersus, inquam,hunc locum, non desunt Antichristis exceptiones. Spiritus ille Ochinianus sic construit verba Apostoli: *Ad pascendam Ecclesiam Dei:quam* (nempe Christus,de quo antea loquutus fuerat v.24.)*redemit sanguine suo.*

Resp. At quis non videat, quàm sit violenta & contorta constructio? nempe vt verbum redemit,quod est in v.28. referatur ad nomen Iesu Christi, tanquã ad suum subiectum, quod est in vers.24. Adfert igitur aliam interpretationem, malignus ille Spiritus:& ait, *Quam Deus*(Pater)*redemit sanguine suo*,id est,sanguine Christi.Sanguis enim Christi,dicitur sanguis Dei Patris, quia sparsus est voluntate Dei Patris.En aliã ã insignem interpretationem. Si sanguis dicitur illius, cuius voluntate effunditur: Ergo etiam rectè dici poterit, sanguis taurorum & vitulorum in vet.Test.fuisse sanguis Dei quia voluntate & iussu Dei effundebatur. Imò sanguis omnium Latronum:quia voluntate Dei per manum magistratus effunditur: rectè appellabitur sanguis Dei. Quin sanguis Christi, sanguis fuerit Diaboli:quia voluntate Diaboli fusus est. Deinde dicit Apostolus,*proprio sanguine.* Quomodo autem proprius Dei sanguis dici potest, hac tantùm de causa:quia voluntate Dei sparsus est? Proprius enim sanguis dicitur,qui de nostra est substantia. Proprius igitur est Christi:non patris. Pater enim nullum in sua, & è sua substantia habet sanguinem: sed solus e tribus personis diuinis,Christus. Non potest igitur eludi locus iste,quin de Christo intelligatur.

Adfert ergo tertiam exceptionem,dicens: *Sanguis Christi, sanguis Dei vocatur: quia Christus Deus est participatione Deitatis.* Si nomine Deitatis intelligit diuina dona,vt reuera intelligit,quicunque igitur participes sunt diuinorum donorum,tam Dij erunt, quàm Christus,nec vllum erit discrimẽ inter horum & Christi Deitatem: nisi secundùm magis & minus: Quo quid magis blasphemum? Si verò intelligat ipsam diuinam essentiam: primò huius nulla pura creatura particeps ita esse potest,vt ea fiat creaturæ essentia: præterquam quòd in partes diuidi nequit. Non potest igitur hoc modo Christus dici particeps diuinæ essentiæ. Si verò totam dicat esse communicatam: aut in tempore, aut ante mundi constitutionem,fuit communicata. Si in tempore: ergo Christus erit Deus temporarius, factus per gratiam: eóq; alius à Patre Deus longéque diuersus. Ac proinde non verus Deus, cuius contrarium demonstratum est. Si verò ante omnia tempora: aut verè ab omni æternitate: ita vt iste

Filius

Filius nunquam hac caruerit essentia, sicut neque Pater. Ita verus erit sicut & Pater, æternúsque (vt nos docemus) & natura Deus. Aut non vere ab æterno, neque tota fuit communicata: sed ita, vt priùs hac caruerit: deinde eam acceperit: idque etiam ex parte. Ita æternus vere non fuerit, nec perfectus, nec natus: sed factus, imperfectus, eóque nó verus Deus. Quæ omnia cum ipsis pugnant Scripturis: sicut suprà demonstratum est. Nisi quis fortè inauditum Gentilis errorem tueri velit: Ita ab omni æternitate communicatam fuisse diuinam à Patre essentiam, Filio, vt non eandem, sed aliam acceperit: & essentiatus (vt ipse loquitur) fuerit à Patre. Quo quid portentosius dici excogitarive potuit? Plures enim erunt æterni dij, iique inter se diuersi. Restat igitur vt dicamus, sicut aperte tradunt sacræ literæ: Christum ita verum & æternum esse Deum, vt tamen vnus tantùm sit cum Patre Deus: licet persona distinctus, atque ita distinctus, vt is, non autem Pater, sanguine suo Ecclesiam redemerit. Pater verò per sanguinem Filij. Apostolus profectò ad Hebr. docet non potuisse Ecclesiæ peccata expiari, nisi per sanguinem illius, qui esset Deus. Ita ibi explicat quod hic in Act. dixerat.

VI. Quintus locus est in epist. ad Rom. cap. 9. vbi de Christo verba faciens Apostol. primum ait: eum esse ex Patribus τὸ κατὰ σάρκα. Deinde mox subdit, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Collegimus inde nos duas esse in Christo naturas. Vnam humanam, secundùm quam est ex Patribus. Alteram diuinam: cuius respectu Deus super omnes, & super omnia benedictus: eóque verus & natura Deus appellatur. Excipiunt, hunc locum varie à doctis legi, vt refert Erasmus. Et quidem illud membrum, *qui est Deus super omnia benedictus*: optimè posse à præcedentibus auelli, vt sit sensus: *Ex quibus est Christus, secundum*, seu quoad *carnem*. Deinde verò per exclamationem: *qui est supra omnia Deus benedictus*, (sit) *in secula*. Quare nihil hinc concludi posse pro vera & æterna Christi deitate.

Resp. Principiò, hæc, quam sequimur, lectio, receptior est in Ecclesia, quàm vlla alia. Deinde Patres omnésque nostri temporis interpretes de Christo alterum membrum interpretati sunt. Tertiò scopus Apostoli hanc confirmat interpretationem. Is enim fuit, gentis Iudaicæ dignitatem attollere, vt ex ipso apparet contextu. Quid magis autem ad hanc rem faciebat: quàm si ostenderet Christum esse non solùm hominem, ex nobilissimis maioribus natum: verùm etiam super omnes hos Patres adeóq; super omnia Deum: qui tamen dignatus est, ex huius populi semine, fieri homo? Postremò Antithesis Apostolica, idem confirmat. Primùm enim dixit esse hominem, sed nobilissimum: quia ex Patribus, τὸ κατὰ σάρκα. Postulabat ratio Antitheseos: vt quid etiam esset secundùm Spiritum, diceret, nempe Deus benedictus. Alioqui, cur opus erat addere: τὸ κατὰ σάρκα. Roman. 1. 3. Si tantùm homo erat, & est? Sic alibi eadem vsus est Antithesi. Sic Petrus, 1. 3. 18. & Iohánes Baptista de Christo dixit, *Qui de cælo venit, is supra omnes est*: ἐπάνω πάντων ἐστί. Io. 3. 31. Quid igitur absurdi admittimus: si hunc quoque locum Apostoli de Christo interpretemur? Et (vt inquit Ambrosius) si de Christo locus iste non intelligatur: de quo intelligetur? de Patréne? At de Patre hîc nulla mentio. Apud nos contentiosos igitur euincit iste locus, Christum verum esse super omnia Deum.

Ad sextum locum ex 2. Corint. 12. *Propter quod ter Dominũ κύριον, rogaui. Et respondit sufficit tibi gratia mea. Nam δύναμις μου in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me δύναμις τ͂ Χριστοῦ.* Vbi, quam vocauit δύναμιν κυρίου, id est, Iehouæ: posteà appellat δύναμιν τ͂ Χριστοῦ. Aduersus, inquam, hunc locum, nullam reperio exceptionem: nisi quòd quidam negant nomine κυρίου intelligendum esse Iehouam: sed contrarium à nobis est demonstratum, quum hunc locum interpretaremur.

VII. Septimus locus ex Philip. 2. de Christo Apostolus loquens ait: *Qui quum esset in forma Dei* (id est, in illa diuina maiestate & gloria: eóque natura Deus) *non rapinam, &c.* Inde conclusimus, Christum natura esse Deum: sicut etiam natura homo est. Excipiunt (vt Spiritus Ochinianus) Apostolum loqui de Spiritu creato, ante mundi constitutionem, qui postea fuit anima Christi. Et verba sic intelligenda esse: *Qui* (Spiritus) *cùm esset in forma Dei*, (hoc est diuinitatis Dei, & virtutum eius particeps) *non rapinam arbitratus est*: hoc est, non existimauit, rapina sese vti: *esse se æqualem Deo*: hoc est, nempe vt Dei æqualitatem sibi arrogaret: quasi natura Deus esset: cùm esset tantùm beneficio Deus. Quod certè fecisset, si fuisset superbus aliquis Satanicus spiritus, &c. quare contendit, hinc minimè concludi posse, Christum esse natura Deum, & Patri æqualem: sed potiùs euinci contrarium.

Resp. Fallacia est ex ignoratione figuræ dictionis. Primò; refutatum est, τὸν λόγον, qui postea factus caro, Christus appellatur: fuisse, & esse quendam Spiritum creatum. Deinde sunt in hoc Apostoli contextu tres Antitheses: quæ non patiuntur, vt Spiritus Ochiniani interpretatio locum habere queat. Prima est inter formam Dei, & inter formã serui. Secũda inter esse æqualem Deo, & similem factum esse hominibus. Tertia, inter *semetipsum exinaniuit: & formam serui accepit*. Prima antithesis Apostoli, inter formam Dei, & formã serui, efficit, vt interpretatio Ochiniani Spiritus, admitti nõ possit, quum ait: *Qui cùm esset in forma Dei*, hoc est, quum diuinitatis Dei, & donorum eius particeps esset: ac proinde etiam beneficio Deus, non natura. Sic enim sequeretur, quũ posteà ait, eum formam serui accepisse; id est, humanam seruilémque naturam: non esse factum verum & naturã hominem: sed tantùm participatione & similitudine quadã humanæ naturæ. Duæ etiam aliæ antitheses, coniunctæ cum particula aduersaria, *sed semetipsum*: efficiũt, vt altera quoque interpretatio Ochini, nõ possit cohærere: nẽpe interpretatio verborũ, quæ sequuntur: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*: h. e. nõ existimauit, nec cogitauit sese vti hac rapina, nimirum vt sibi æqualitatẽ Dei arrogaret: quasi natura esset Deus, cũ esset tantũ beneficio. Si enim non erat essentia æqualis Deo Patri. Quid igitur exinaniuit? & quare se quasi exuit & vacuauit? hoc. n. significat verbũ κενοῦν: quasi dicat, euacuauit sese: quanã re, nisi illa maiestate & gloria, qua reuera æqualis erat Patri: & ad quã denuò rediit, exultatus supra omnia? Quid verò cõtrà assumsit? formã serui: vilem scilicet & infirmam humanæ naturæ conditionem, qua similis factus est hominibus. Quomodo similis? Natura, & omnibus infirmitatibus: excepto peccato, vt ad Heb. 4. 15. legitur. Ac proinde hæc similitudo, nihil aliud significat quã æqualitatem naturæ, cum hominibus. Hanc autẽ opponit illi æqualitati diuinæ naturæ: quam cum Patre Deo habere dicitur. Atque hac dicit Christum se exuisse (nempe in speciem & quoad vsum, & ad tempus) alterã vero sibi sumsisse. Antitheses igitur istæ coniunctæ cum particula aduersatiua, nempe, *sed semetipsum*: euincunt interpretationem Ochinianam, minime congruere cum sentẽtia Pauli: & Christum reuera, etiam ante assumtam carnem, fuisse in vera maiestate & gloria diuina: ac proinde æqualem Deo Patri. Sed nostra causa noluisse in ea æqualitate permanere (nempe vt maneret tantum Deus, Sicut Pater nullis miseriis obnoxius: quia hoc non sibi sed Patri debebatur) sed semetipsum, (hoc est, sponte) exinaniuisse, & euacuasse illa gloria, & maiestate (nempe in speciem, & quo ad vsum, idque ad tempus) contrà verò assumpsisse formam serui, hoc est, vilem, infirmam, seruilémque naturam: ac proinde factum vere hominibus similem per omnia, absque peccato. Atque hanc interpretationem nostram confirmat argumentum Apostoli, à comparatis ductum: quo (exemplo scilicet Christi) Philippenses, ad humilem sui demissionem, erga omnes fratres hortatur.

Alij excipiunt: locum hunc aliter explicari ab Ambrosio: Primò enim nomine formæ Dei intellexit ab hoc Patre specimen diuinæ potentiæ, quod exhibebat in corpus Christus humano, quum miracula edebat, ægrotos sanando, mortuos suscitando, &c. Deinde sermonem esse de Christo homine. Hunc igitur sensum esse verborum: Christus homo, quum in forma Dei esset, hoc est, honore, maiestate, & potentia diuina donatus: non putauit rapiendam sibi esse æqualitatem cum Deo: sed semetipsum exinaniuit, hoc est, sese semper demisit ad nihilum: totam gloriam suorum operum dans Patri. Quare hinc non posse colligi: Christum natura Deum esse, & æqualem Patri. Et si Ambrosij interpretationem nos damnamus, neque reiicimus: nempe vt Apostolus loquatur de Christo incarnato, qui quum posset, si voluisset, etiam in illa carne, suam retinere, & ostendere maiestatem & gloriam: noluit tamen nostra causa, & propter obedientiam Patris. Etsi, inquam, non improbamus hanc interpretationem: negamus tamen, Ambrosium ita locum hunc interpretari, vt neget Christum, quã λόγος & Filius Dei est, fuisse, & esse æqualem Patri: contrarium enim potiùs ex commentario in hunc locum, & ex aliis eius libris colligere promptum est. Ibi enim præter alia, *Christus* (inquit Ambrosius) *in forma Dei erat: quia imago est inuisibilis Dei.* Item: *quo quum in forma Dei esset: inter homines vbique conuersatus, gestis, & operibus apparebat esse Deus. Forma enim Dei nihil differt à Deo. Ideò enim forma & imago Dei appellatus est: vt intelligeretur non ipse Pater esse Deus: sed hoc esse, quod Deus est.*

Postea ex Euangelio secundùm Iohannem, docet Christum æqualem esse Patri: & ita concludit Ambro-

V

fius in hæc verba: *Iure ergo exæquauit se Deo. Ille enim arbitratur rapinam, qui se parem facit ei, quo inferior est.* Deinde non dicit Ambrosius, formam Dei fuisse specimen deitatis in homine Christo: sed ait formam Dei nihil differre à Deo. Ideò nomine formæ Dei intellexit ipsam veram Dei naturam, & οὐσίαν, & maiestatem. Sed hanc patefactam ait fuisse in Christo per opera, & res gestas. Quare firmum manet argumentum, quo ex hoc Apostoli loco demonstrauimus Christum esse natura Deum: quia Apostolus ait eum fuisse, & esse in forma Dei: ac proinde æqualem Patri Deo.

VIII. Octauus locus, est ad Col. 2. vbi ait Apostolus, in Christo inhabitare omnem plenitudinem deitatis. Quod perinde est, ac si dixisset: Christum natura, & essentia perfectissimum esse Deum.

Excipit Spiritus Ochinianus. Etiam in creaturis aliis omnibus, tota diuinitas inest, cùm sit indiuidua. Sic in Sanctis: vt etiam in Christo tota est diuinitas, quod ad suum esse attinet.

Resp. Sed in nullo dicitur habitare corporaliter: sicut in Christo. Essentiali igitur vnione in Christo homine habitat: vt anima in corpore humano: non autem in creaturis aliis: eóque Christus est Deus verus. Imò magis vnita est deitas humanitati Christi, quàm anima corpori. Hæc enim à corpore separatur: at deitas ab humanitate separari non potest. Quare fallacia est à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. In aliis enim est Deus, vt causa efficiens, secundùm dona, & beneficia: sed in Christo simpliciter, ita vt essentia diuina sit essentia Christi. Quia (vt ita loquar) formaliter vnita est humanitati, vt anima corpori.

At plenitudo diuinitatis (inquiunt) accipitur pro plenitudine bonorum, potentiæ, bonitatísque diuinæ: quia Deus operabatur, & operatur in Christo, & per Christum: perinde ac si in eo sit solo. Sed Apostolus non ait, plenitudo θειότητος .i. diuinitatis, vt significet diuina dona, diuinámque potentiam & bonitatem. Sed ait θεότητος: qua voce ipsa essentia Dei significatur. Nec dicit quasi in ipso sit: sed ait eam in ipso habitare, nempe vere, & quidem corporaliter. Fallacia igitur ex ignoratione vocabulorum, & figuræ dictionis. Sed fac, hanc corporalem inhabitationem hîc esse coniunctionem substantialem diuinitatis, cum humanitate Christi: non sequitur tamen esse natura Deum: & Patri consubstantialem. Dono enim potest dici & esse Deus. Sed suprà ostensum est fieri non posse, vt essentia diuina fiat essentia vllius creaturæ, atque ita dono fiat Deus verus.

Nonus locus, est ex 1. ad Timoth. 3. *Magnum pietatis mysterium: Deus manifestatus in carne, &c.* Duæ igitur in Christo naturæ: Diuina, quæ manifestata est, & humana, in qua illa est manifestata.

Excipiunt quidam nomine Dei intelligi Deum Patrem. Hunc se, id est, suam bonitatem & misericordiam erga nos, patefecisse in Christo homine.

R. Sed nomine Dei non posse intelligi personam Patris manifestum est: quia præter alia ait, Hunc Deum, qui manifestatus est in carne, assumtum etiam fuisse in gloriam. Pater autem non fuit assumtus in gloriam, cùm ab ea nunquam recesserit. Deinde, quem hîc Apostolus vocat Deum manifestatum in carne. D. Iohannes vocat Filium Dei, qui venit in carne, & cuius gloriam Apostoli viderunt, & qui manifestatus est, vt tollat peccata mundi. Alij, etiamsi concedatur de Christo intelligendum esse hunc locum, tamen inde non sequitur (inquiunt) Christum esse natura Deum. Potest enim esse beneficio Deus. Millies ad hoc responsum est, quod dicunt, Christum esse beneficio Deum. Deinde quale foret hoc mysterium, si is, qui manifestatus est in carne, Deus tantùm esset gratia, & beneficio? Apostolus autem ait, procul dubio & sine controuersia, magnum esse hoc pietatis mysterium. Imò ne mysterium quidem esset.

IX. Decimus locus ex Tit. 2. *Expectantes beatā spem, & aduentum gloriæ magnæ illius Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi.*

Excipiunt, nomen magni Dei, referri ad Patrem: Seruatoris ad Christum.

Tantùm igitur abest, vt hinc concludi possit, Christum esse natura Deum, vt contrarium potiùs inferatur: quia solum Patrem vocat magnum Deum.

R. Fallacia hîc est diuisionis, Diuidunt enim nomen magni Dei à nomine Seruatoris, cùm sint coniungenda. Est enim vnum subiectum: nempe Dominus noster Iesus Christus, & duo prædicata: vnum, Magnus Deus: alterum, Seruator noster. Vtrunque autem de eodem subiecto, id est, Christo prædicari, docet articulus τ̃, cū particula copulatiua καὶ, quæ vtrunque prædicatum, cum vnico illo articulo coniungit: *Aduentus gloriæ magni Dei & Seruatoris nostri*: Cuius: nēpe, *Domini nostri Iesu Christi*. Nomen quoq; ἐπιφανείας gloriæ euincit non hîc esse sermonem Apostolo de Patre, sed tantùm de Filio. Loquitur enim de visibili & glorioso aduentu ad iudicium vniuersale. Quis autem ita veniet? Non Pater, sed Christus iuxta illud Matth. 25. v. 31. *Quum venerit Filius hominis in gloria maiestatis suæ.* At Pater (inquiunt) sicut nunc non est, ita neque tūc erit ociosus. Sicut enim erat in Christo mundum sibi reconcilians, ita tunc in Christo iudicabit mundum. Primum: e sacris scripturis nondum est demonstratum, hoc nomen ἐπιφανείας & eius verbum ἐπιφαίνεσθαι, de Patre prædicari, sed de Christo frequenter. Deinde, si Pater veniet in Christo iudicatum: Christus ergo non excluditur à nomine magni huius Dei, qui veniet in gloria. Sed vt demus Apostolum (inquiunt) loqui tantùm de Christo, eúmque magnum Deum appellasse: non idcircò tamen erit natura Deus: & non beneficio. Nam quod dicitur magnus, hoc dicitur Comparatiuè: respectu scilicet Magistratuum, & aliorum Sanctorum, qui Dij appellantur.

Fallacia est, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Scimus alios vocari Deos, Secundum quid. Sed non valet: Ergo etiam Christus appellatur Deus magnus comparatiuè: vniuocè tamen. Non enim hic comparatiuè Apostolus vocat Christum magnū Deum, vt ait Spiritus Ochinianus, sed simpliciter. Quemadmodum etiam simpliciter Seruatorem appellauit: non autem comparatiuè. Alludit enim Apostolus ad illa epitheta, quib. Deus in veteri Testam. ornatur: inter quæ etiam hoc reperitur: *Magnus Deus, & laudabilis Deus.* Item. *Deus magnus, & Rex magnus super omnem terram.* Item, *Quis Deus magnus, sicut noster Deus?* Psal. 47. 3. & 48. 2. & 76. 14. Est igitur Deus natura, alioqui si tantùm esset Deus officio, & participatione donorum: foret admodum paruus Deus: non autem magnus. Huic loco similis est locus Petri: & ἐν δικαιοσύνῃ τ̃ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. 2. Petr. 1. 2.

Vndecimus locus est ad Hebr. 1. Illud enim Psal. 45. *Thronus tuus, ô Deus, in seculum seculi:* interpretatur de Christo. In Psalmo autem illo Deus non tam אלהים, quàm etiam יהוה appellatur. Christus igitur natura Deus est.

Excipit Spiritus Ochinianus, non posse dictum illud intelligi de Christo: quatenus secundum est (vt loquitur) suppositum, seu persona in Trinitate, vt nos docemus. Idque propterea, quòd eidem dicitur: *Vnxit te, Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.* Non potest autem vngi nisi creatura.

R. Quasi verò pugnent inter se, eundem Christum, respectu vnius naturæ, nempe diuinæ: non esse vnctum. Et respectu alterius, hoc est humanæ, vnctum esse. Fallacia igitur ex ignoratione Elenchi. Concludit enim ex iis, quæ non pugnent, quasi ex pugnantibus. Deinde versus, qui apud Apostolum sequitur, ex Psal. 102. confirmat, Christum, verum & natura esse Deum. Ad hunc enim illud accommodat: *Et tu Domine initio terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.* In illo autem Psal. loco κύριε, Hebraice est אל: quē ibidem etiam vocat Iehouam. Quis autem dubitet Iehouam, natura Deum esse? Nec est, vt quis dicat, Christum vocari יהוה, & אל, participatione. Hoc enim effugium ereptum est Aduersariis iam centies. Deinde creationem rerū omnium dat huic Christo, dicens: *Tu, Domine, terram fundasti.* Nec est vt quis interpretetur de recreatione, seu de renouatione mundi. Ait enim, *Initio tu terram fundasti.* Quid est simpliciter initio, nisi initio illo, de quo Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram?* Si verò quis dicat Apostolum torquere Scripturas: dum ea, quæ de Iehoua prædicant Prophetæ, ad Christum accommodat, is tanquam blasphemus in Spiritum sanctum, & tanquam prima negans fidei principia: à nobis πρὸς τοὺς κόρακας, vel ad Diabolum potiùs, ablegabitur.

X. Duodecimus fuit locus ille Iohan. *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Hîc apertè Apostolus Christum vocat Deum verum: sicut etiam vitam æternam.

Excipiunt etiam locum hunc de Patre, non autem de Filio intelligendum esse: attestante etiam Erasmo.

R. Auctoritati Erasmi, oppono auctoritatem omnium fermè Patrum & totius Ecclesiæ. Deinde rationibus è contextu deductis, euincitur: locum hunc de Christo omninò intelligendum esse. Primùm: Quia in tota Epistola disseruerat Iohannes de Christo: Et de hoc sibi scribendum esse dixerat, initio Epistolæ. Ergo conclusio etiam de Christo esse debuit: sicut reuera est: consentanea cum initio Epistolæ. Deinde nulla erat necessitas, cur tāta diligentia asseueraret, Patrem verum esse Deum. Quis enim hoc negabat? sed erat cur hoc deberet confirmare de Christo. De Patre enim nemo dubitabat. Ac de Christo iam excitati erant Hæretici, qui hunc ψιλὸν esse ἄνθρωπον, contendebant. Tertiò de Filio hîc prædixerat: *sed scimus quòd Filius Dei venit, & dedit nobis* διάνοιαν: *vt cognoscamus* τὸν ἀληθινὸν (nempe Deum.) Atque hoc dixit in genere: significans hac dictione ἀληθινὸν, cum primis Patrem. Postea subdit: *& sumus* ἐν τῷ ἀληθινῷ

(Deo

(Deo.) Quo Deo? Explicat id: ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ (nempe ἀληθινοῦ Θεοῦ: Patris scilicet) Ἰησοῦ Χριστῷ. Hic nomen ἀληθινοῦ ad Filium accōmodat. Explicat enim, quis sit ille ἀληθινός In quo nos dixit esse: nempe ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ, Patris. Ostēdere enim voluit Iohannes, qui sunt in Christo, eos esse in Deo, Deóque vnitos: quoniam Christus ipse Deus est verus: ipséque & Pater, vnum sunt. Et extra Christum non esse quęrendū Deum. Et sic etiam Oecumenius legit, & interpretatur. Nisi velis dicere hic significari: per quem sumus ἐν τῷ ἀληθινῷ (Θεῷ Patri) nempe per Iesum Christum, Filium eius. Sed dixisset potius διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, quàm ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. Quare mihi dubium non est, quin hic Filium vocet τὸν ἀληθινὸν, in quo nos esse dixit: & cuius διάνοιαν dedisse nobis Christus dicitur. Hanc enim nobis dedit Iesus Christus, non solùm doctrina, & lumine sui Spiritus, quis sit verus Deus docendo: sed inprimis, quia electis patefecit, se Deum esse, in carne manifestatum: vt qui vident Christum, videant Patrem. Sed vt vt sit: certè quod sequitur, nō nisi de Christo intelligi debere, docet Pronomen οὗτος: οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, *& vita æterna.* Quis οὗτος? Iesus Christus. Ad proximum enim membrum referendum esse, Pronomen οὗτος: docet Grammatica. De hoc οὗτος, duo prædicat: Vnum, quòd sit verus Deus: alterum, quòd sit vita æterna. De quo igitur prædicatur æterna vita: de eodem etiam prædicatur verus Deus. De Christo autem Filio Dei, prædicatur vita æterna apud Iohannem, quàm sæpissimè; & quidem in hac Epistola in initio primi capitis appellauit Filium, τὸν λόγον τῆς ζωῆς: & τὴν ζωὴν, τὴν αἰώνιον. Et in hoc quinto capite, eodem nomine Christum appellauit, quum dixit vers. 11. Vitam esse in Filio Dei. Item: *Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.* De eodem igitur etiam intelligendum est alterum prædicatum: nempe, verus Deus. Quare pronomine illo οὗτος significatum fuisse à Iohāne Christum ipsum; certo certius est. Ac sic locum hunc explicàrunt Patres: inter quos est Hilarius libr. de Trinitate 6. Et qui Patrum sententias in hanc Epistolam collegit, Oecumenius, sic locum hunc est interpretatus. *Sed quoniam*, inquit, *venit Filius Dei*, καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν τουτέστιν γνῶσιν ἐπιγνῶσιν αὐτοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ, καὶ εἶναι ἐν αὐτῷ ἀληθινῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ: Ἰησοῦ ἐμφῆ διὰ τῆς μεγαλοφωνίας ταύτης: οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, καὶ ζωὴ αἰώνιος: & mox dicit hoc pronomen οὗτος positum esse ἀντὶ ἀναφορικοῦ ἄρθρου. Est igitur Christus, verus Deus: ac proinde natura, non gratia Deus. Vt enim verum aurum dicimus, quod natura aurum est: & verum hominem, qui natura homo est: ita verus Deus dici nō potest, qui natura non sit Deus. Christum esse hunc verum Deum, de quo loquitur Iohannes, liquet etiam ex iis, quæ ei hic attribuit Iohannes. Primùm ait eum esse vitam æternam. Hoc proprium est solius Dei: quia is solus per se viuit, & vitam aliis largitur. Deinde dicit hunc Christum dedisse nobis διάνοιαν, qua possimus nosse verum Deum. Est autem hoc opus solius Dei veri. Proinde Oecumenius ex hoc opere, ait, nos cognoscere, ὅτι οὗτος, hoc est, ὁ υἱὸς ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός. Pluribus volui hunc locum Iohannis à cauillis Antichristorum vindicare: quoniam locus est insignis ad asserendam veram æternámque Christi deitatem. Quare manifestæ est impudentiæ, negare, hunc locum de Christo esse intelligendum.

Concedunt alij, de Christo intelligi debere, sed aiunt non posse hinc concludi, Christum esse natura Deum: propterea quòd, sicut non est vita æterna à semetipso, sed hoc habet à Patre, vt ipse testatur: Io. 5. 26. Sic etiam deitatem non habet à semetipso (inquiunt) sed à Patre.

Quasi verò, hoc impedimento esse possit: ne sit natura Deus. An non omnes liberi nostri naturam à parentibus accipiunt humanam, & non habent à semetipsis? Num igitur non sunt natura homines? Quare fallacia est non causæ vt causæ. Esse enim ab alio, non potest semper esse causa, cur aliquis non sit eius naturæ, cuius est ille, à quo est. Hæ sunt exceptiones, quas reperi aduersus ea loca, in quibus Christus apertè appellatur Deus; Deus benedictus, Deus magnus, Deus verus, &c.

His autem refutatis; firma manent argumenta, ex huiuscemodi locis, pro asserenda vera Christi deitate, à nobis desumpta. Nunc restat, vt hostium Christi sophismata, quæ commenti sunt, ad oppugnandam æternam, verámque Christi deitatem, refellamus. Dabimus operam, vt hæc quoque non solùm perspicuè & diligenter: verùm etiam breuiter refellantur.

## CAPVT VII.

Sophismatum fontes. Ratio eorum refellendorum. Methodus seruanda. Refutatio sophismatum, quibus hostes Christi, sumptis principiis, partim è sacris literis, partim ex humanis rationibus, æternam ipsius, ex Patris substantia, generationem conantur euertere.

PRINCIPIO indicandi sunt fontes, è quibus potissimùm sua deducunt sophismata, inimici Christi ad oppugnandam veram, & æternam eius deitatem. Horum cognitio vtilissima est. Sic enim & meliùs intelligimus sophismata: & faciliùs eorum fallaciæ refutantur. Horum tria sunt genera. Primùm exineris Scripturis, sed detortis, & perperam intellectis sumitur. Hic igitur nobis erunt Scripturæ vero & genuino sensui restituendæ. Alterum petitur à puris humanis rationibus, & à principiis plerunque falsis. Hoc alterum argumentandi genus refellendum erit; talium principiorum reiectione. In rebus enim diuinis, non esse agendum nudis rationibus humanis, quòd animalis homo non percipiat, quæ Dei sunt, nec possit percipere. Et magnam esse dissimilitudinem inter Creatorem, & creaturas. Tertiū genus, partim è Scripturis vera sumit principia, sed illis abutitur, partim etiam ex humanis rationibus, quibus Scripturas peruertit, falsā cōcludit. Hoc autem fit, aut, quum quæ de Christo secundùm humanam naturam dicuntur: ea ad illius deitatem trahuntur. Ita nobis distinguendæ erunt naturæ in Christo. Aut, quum Mediatoris officia, cum Mediatoris persona confunduntur. Fuerit ergo discrimen hoc inter personam & officium explicandum; aut, quum à quibusdam prædicatis, ideò excludunt Filium, & Spiritum sanctum, quia Patri, nulla facta mentione Filij, aut Spiritus sancti, illa attribuuntur. Hic operæ pretium erit indicare, tum vnitatem essentiæ, tum personarum, in omnibus actionibus, & attributis diuinis, vnionem, ac declarare, licet hæc Patri, tanquam fonti totius Deitatis, tribuantur: ab iis tamen non excludi Filium, aut Spiritum sanctum, propter vnitatem essentiæ. Aut denique illud vitiosum argumentandi genus vsurpatur: quum quæ sunt propria personarum, illa trahuntur ad essentiam negandam: & contrà.

Ex his ferè fontibus omnia Hæreticorum sophismata, deducuntur. Videretur autem eadem seruāda methodus in refutandis alienis; quam in nostris confirmandis seruauimus: nimirum, vt primò refutaremus ea, quibus contendūt Christum, ψιλὸν esse ἄνθρωπον, merúmve creaturam. Deinde illa, quibus æternam & naturalem Filij, ex Patris substantia generationem, oppugnant. Postremò ea; quibus rectà petunt, & impetum immediatè faciūt, in veram eius Deitatem. Verū quoniam quibus probare conantur, Christū meram esse creaturam, iisdem probare contendūt, eum non esse Deum; & contrà, Si non est Deus, omnino esse creaturam. Id quod necessaria consequentia, si verum esset assumtum, euinceretur; Non ita autem se habet in altero, hoc est, in æterna, & naturali eius ex Patris substantia, filiatione, nam etiam Spiritus sanctus Deus est, neque tamen est Filius: idcircò satis fuerit, si primò refellamus seorsim; quæ aduersus æternam Filij de substantia Patris generationem, seu natiuitatem adferuntur. Deinde reliqua, quibus in vniuersum contendunt Christum nullo modo verum esse, ęternúmque Deū: sed aut purum hominem, vt Samosateniani, aut merum creatū Spiritum, vt Ariani. Meritò autem illud prius, priori etiam loco præstandum est. Quia enim inter alia argumenta, quibus probamus, Christum verum esse, & natura Deum: non postremum locum tenet illud, quod sumimus ab æterna, & naturali eius filiatione, & generatione ex Patris Dei substātia: (hinc enim statim efficitur, & quidem necessariò, Christum ante carnem assumptam, ab omni æternitate verum fuisse ὑποστάμενον; verúmque & æternum natura Deum.) Idcircò ad oppugnandam hanc æternam, & naturalem τοῦ λόγου, ex Patris substantia generationem, in primis & ante omnia, sese armant Antichristi. Nos itaque priori loco, pręcipua horum argumenta, breuiter recitata, refutabimus.

I I. Primum autem ipsorum sophisma hoc est: Non reperitur in Scripturis, Christum ante assumtam carnem, fuisse genitum ex Patre Deo, Non est igitur asserendum.

R. Imò reperitur. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, Ego hodie genui te, Quod nomen est eius; & quod nomen Filij eius; si nosti?* Psal. 2. 7. Prou. 30. 4. Excipiunt, hoc dictum, & alia id genus, quę in veteri Testamento reperiuntur de Christo, esse vaticinia, partim de futura Christi; ex virgine, opera Spiritus Dei Patris, natiuitate, partim de eiusdem à mortuis resurrectione, quæ generatio vocatur. Act. 13. 33. Sed illud Psal. dictum, ad resurrectionem Christi accommodet Apostolus, idque ex mente Spiritus sancti, & sine vlla verbo-

rum detorsione: tamen non sequitur, vel hunc, vel alios locos, non posse intelligi, & explicari, de Filij ex Patre, ante Mundi constitutionem, natiuitate. Nam quod Apostoli locum illum Psal. ad Christi resurrectionem, eiúsque ascensionem accommodant: hoc ideò faciunt, quia tunc Christus reipsa declarauit, se verum esse, & naturalem Dei Filium. Respectu enim nostri dicitur tunc genitus ex Patre, quia scilicet tunc vere, & deinceps per effecta nobis patefecit, se verum esse & naturalem Dei Filium. Ergo reapse antea erat Filius Dei: hoc est, & antequam resurrexisset; & antequam in carne manifestatus esset. Nam ante incarnationem Pater eum genuerat: Sicut dicit, *Hodie genui te*. Certe non de resurrectione tantùm agit Apostolus ad Hebræos, quum locum hunc Psalm. citat. Hebr. 1. 5. Citat enim, vt eo cõfirmet, quod initio capitis de Christo probandum susceperat: hunc nimirum esse illum Filium Dei, quem (tanquam primogenitum & vnigenitum) constituit hæredem vniuersorum, per quem & secula (id est, Mundum) fecit, qui splendor est gloriæ (id est, Deitatis, & Maiestatis paternæ) & character personæ illius: qui omnia sustinet verbo suo potenti. Quæ certe in Christum non competunt quatenus homo est, in tempore factus, sed docent eum esse æternum & increatum; eiusdem cum Patre essentiæ, rerumque omnium cum Patre conditorem & conseruatorem, & postremò redemptorem: eóque & longè præstantiorem Angelis: qui licet & ipsi Filij Dei in Scripturis appellentur: nemo tamen illorum sortitus est hoc nomen, vt à Patre appellatus sit Filius suus: nimirum proprius & vnigenitus: ac proinde solus è substantia genitus, eoque & Deus, quem adorent Angeli omnes, & cuius thronus sit in seculum seculi: Deus, inquam, qui initio fundarit terram, & cuius manuum opera sint cœli. Ex quibus omnibus Christi elogiis luculenter apparet, Apostolum, Dauidis interpretem, dictum illud Psalmi: *Filius meus es tu*, non tam de Christi resurrectione, quàm de æterna & substantiali eius ex Patre generatione ac filiatione intellexisse. Id quod ex ipsius quoque Dauidis verbis, si totus ille Psalmus diligenter perpendatur, haud difficile est colligere. Quare manifestum est, in veteri etiam Testamento non desiderari loca quibus docemur Christum Filium esse Dei æternum, à Patris substantia genitum.

Cæterùm locus ille Prouer. 8. 25. de Sapientia, eludi nequit. Ibi enim ipsa Sapientia, quæ omnium sapientum interpretum iudicio Christus est, ait se genitam esse antequam iacerentur fundamenta mundi. Et quod dicitur de Filio Dei Prouerb. 30. 4. *Quod nomen Filij eius*. illud ad natiuitatem Christi futuram ex virgine trahi non potest. De maiestate enim Dei, déque Filio eius in cœlo nimirum tum existente, & cum Patre omnia regente, loquitur Salomon.

III. Instant igitur Aduersarij, & aiunt: vt demus esse loca, in quibus sermo sit de æterna Filij ex Patre Deo generatione: contendimus tamen non posse ex illis concludi, illum esse genitum de substantia Patris. Verbum enim gignendi accipitur metaphoricè; quemadmodum & quum nos dicimus geniti ex Deo. Hoc igitur est alterum Sophisma. Licet in sacris literis reperiatur, Filium Dei genitum esse ex Patre, & vnigenitum esse Patris, etiam ante assumptam carnem: illud tamen verbum impropriè accipitur, nempe, pro factum seu creatum esse, vt in Ecclesiastico, 1. 4. vel pro emanasse & prodiisse à Patre. Id quod fieri potuit sine generatione ex substantia Dei. Nam (inquiunt alibi) quum idem Scripturæ volunt significare, dicunt τὸν λόγον, seu Sapientiam Dei prodiisse ex ore Altissimi, egressam esse & processisse à Patre. Idcircò appellatur splendor gloriæ: & candor lucis æternæ. Heb. 1. 3. Sap. 7. 26. Et Scholastici aiunt, generationem Filij nihil esse, nisi emanationem ex Patre, secundùm modum naturæ. Generare enim propriè est, id, quod cum generante non subsistebat, per corruptionem substantiæ generantis in tempore procreare. Hoc autem in Deum cadere non potest.

Resp. Quasi verò non possimus inuertere argumentum, & dicere: vbicunque dicitur creatus esse, prodiisse, & processisse à Patre: huiuscemodi verba accipienda esse pro genitum, & procreatum esse, iuxta propriam verbi significationem.

Fallacia igitur est consequentis. Non enim sequitur: Prodire à Patre impropriè & figuratè accipitur: ergo etiam generatum esse. Quòd verò definiunt quid proprie sit generare. Definitio illa vera est in generatione rerum naturaliũ & corporalium: sed non in rerum spiritualium: multò verò minùs in Filij Dei generatione. Propriè enim generare est, è substantia sua sibi similem in natura procreare. Nam quòd fiat in tempore: item per corruptionem substantiæ generantis: item ex mare & fœmina: huiuscemodi circumstantiæ nõ propriè pertinent ad rationem generandi: sed accidunt omnibus generantibus in natura, propter ipsorum generantium imperfectionem & materiam. Pater autem generare potuit è sua substantia sibi similem, imò per omnia æqualem Filium: sed ab æterno; sed sine corruptione; & sine aliis circumstantiis, quæ imperfectionem significant. Atque huiuscemodi generatio minimè cum natura Dei pugnat. Propriè igitur accipimus verbum generandi, quum dicimus e Scripturis, Patrem generasse Filium: ac proinde è sua substantia genuisse.

IV. Sic etiam respondet Basilius ad simile argumentum Eun. li. 2. Hæc nomina (dicebat Eunomius) Pater, Filius, genuit, nomina sunt, quæ affectus includunt: absunt autem affectus à Deo. Abutimur igitur iis nominibus in Deo, cùm primò & principaliter de animalibus dicantur.

Summa responsionis Basilij hæc est, Verum est, hæc nomina affectus includere: sed non per se, & in omnibus; sed in animalibus tantùm, non itidem in Deo. Proinde non sequitur, hæc nomina primò & principaliter de animalibus prædicari, de Deo autem secundariò & impropriè, ac per aliud. Imò in verbo Dei primò & principaliter de Deo dicuntur: deinde ad nos transferuntur. *Nolite vocare vobis Patrem in terra* (comparatiuè dicit) *vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est*. Matth. 23. 9. nempe vere & propriè Pater dictus, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Ep. 3. 15. *Sic igitur potiùs dicendum est*, inquit Basilius: *Corruptibilia animalia generant: hoc modo cum affectibus: ergo Deus contrario modo, hoc est sine affectibus generat. Ac proinde veriùs Deus Pater noster est, & dicitur, quàm homines. Quantò veriùs igitur & magis propriè Pater Christi dicitur. Nomen enim Patris & Filij nomen est non affectus: sed coniunctionis: aut eius quæ fit per gratiam, vt in hominibus: aut eius quæ fit per naturam, vt in Christo*. Hæc est summa responsionis Basilij. Fallacia igitur est accidentis, dum ea simpliciter tribuuntur generationi tanquam essentialia. quæ illi accidunt apud creaturas: vt sunt affectus, motus, corruptio. Quid? an non etiam generatio Christi, quà homo est, caruit omnibus ferè illis affectibus, qui in aliorum hominum generationibus reperiuntur? Vera tamen & propriè accepta fuit illa generatio: & virgo Maria vera fuit Iesu Christi mater: & ipse ex vera Mariæ substantia genitus est. Quantò magis igitur è substantia Patris, quà λόγος est, genitus esse credendus est: licèt in ea generatione nullus fuerit affectus, & motus, quales in nostris sentiuntur?

Deinde, si ideò negandus est esse genitus è substantia Patris; quia in Patrem Deum non cadit affectus & passio: Ergo neque poterit per Aduersarios dici λόγος fuisse creatus & factus, imò nihil fuisse creatum à Deo: quia facere motum significat; motus autem non cadit in Deum. Quòd si Deus creauit omnia sine motu: cur non etiam potuit genuisse Filium sine carnali affectu?

V. Tertium argumentum tale est:

Si Christus, quà λόγος, genitus est è substantia Patris, aut totam accepit, aut partem.

Si partem, Ergo essentia Dei foret partibilis. Si totam, Pater igitur caret essentia.

Atqui vtrunque absurdissimum & impium est sentire.

R. Totam accepit, & eandem. At quod infers; Patrē igitur carere essentia, non consequitur. Res enim spirituales dum communicantur, neque tolluntur penitus, neque etiam imminuuntur. Nunquid enim scientia & philosophia, qua præditus est philosophus, seu communicatione tollitur, vel imminuitur in philosopho: aut lux in Sole vel candela?

VI. Quartum argumentum eiusmodi est. Si Christus est genitus, non est igitur Deus. Proprium enim Dei est esse ἀγέννητον.

R. Ambiguitas est in voce ἀγεννήτου. Capitur enim aut οὐσιωδῶς, aut personaliter & ὑποστατικῶς. Essentialiter significat habere essentiam non factam, & quæ caret temporis principio. Hoc modo proprium Dei est, esse ἀγέννητον. Sic verò etiam Filius est ἀγέννητος. Personaliter verò significat modum subsistendi aut ex nemine; hoc modo proprium est solius Patris esse ἀγέννητον: aut ex alio quidem, sed non per modum generationis; in hunc modum proprium est Spiritus sancti esse ἀγέννητον. Est enim à Patre & à Filio, sed non eo modo, quo Filius ex Patre, per modum scilicet, quem Scripturæ vocant generationem.

Fallacia igitur est ὁμωνυμίας, vel à proprietate personæ ad proprietatem essentiæ, eoque fallacia accidentis: cùm in vna propositione nomen ἀγεννήτου prædicationem habeat οὐσιώδη, in altera personalem. Hoc erat argumentum Eunomij, quanquam aliis verbis formatum. ἀγεννησία (dicebat ille) οὐσία ἐστί: ἀγεννησία non est communicata Filio. Ergo nec οὐσία.

Ad quod ita respõdebat in sũma Basilius, cõt. Eun. li. 2. Negabat

gabat maiorem, ἀγεννησίας enim modum subsistendi significare, non οὐσίαν ipsam. *Quum enim dicimus* (inquit Basilius) *Hic ex illo natus est: non quid sit, sed unde sit, declaramus.* Quare ἀγεννησία, quæ vni datur Patri, significat Patrem à nullo esse, non autem solum Patrem οὐσίαν esse.

VII. Quintum sophisma est dilemma Eunomij tale:

Si Deus Filium genuit, aut existentem genuit, hoc est, qui ante generationem existebat: aut non existentem, hoc est, qui ante generationem non erat.

Si existētem dicas; blasphemia & stoliditas est. Qui enim iam est, generatione opus non habet. Si non existentem dicas; est igitur ἐκ τῶν μὴ ὄντων: & ἦν ποτε, ὅτε μὴ ἦν: eoque æternus non est, nec ὁμοούσιος Patri.

R. Basilius sic in summa respondet lib. 2. contra Eunom. Dilemma illud, quod includit prius & posterius; valet in generationibus eorum, quæ fiunt in hoc mūdo. Omnia enim obnoxia sunt tempori; in quo est prius & posterius. Non autem valet in generatione Filij Dei æterna. Stat enim illud; *In principio erat λόγος*, quasi diceret, Nunquam fuit seculū aliquod vel æternitas, in qua non fuerit hic λόγος. Et λόγος iste in Scripturis dicitur Sapientia, & imago Patris, splendor gloriæ. Prou. 8. 12. & Heb. 1. 3. Atqui nunquā fuit Deus sine sua sapientia & imagine: nec illius Maiestas sine suo splendore. Æternus igitur est λόγος. At si erat iam inde ab omni æternitate: quomodo genitus est? Respondet Basilius simili. Sicut Sol nunquam est sine luce & splendore suo: & tamen ab eo generatur lux & splendor: ita & Pater nunquam sine Filio: & tamen Filius à Patre genitus est ante mundi constitutionem. Non erat lux solis antequam generaretur: nec priùs genita est, quàm esset: sed quando erat Sol, erat etiam & generabatur à Sole lux. Sic de Filio Dei dicendum est. Summa responsionis Basilij, vt formaliter ad argumentū respondeatur, hæc est. Vtrumque rectè explicatum verum esse: nempe, Pater genuit Filium non existentem & genuit existentem. Genuit non existentem; quia Filius non erat ante sui generationem. Hoc est certissimum. Sed non sequitur illud Arij, quod infertur: Ergo Filius est ἐκ τῶν μὴ ὄντων, est enim ex substantia Patris æterna. Neque etiam illud sequitur: ergo ἦν ποτε, ὅτε μὴ ἦν, est enim genitus ab æterno. Genuit Pater etiā existentem: quia Filius non priùs genitus est quàm esset. Vtrumque enim verum est; nempe &, *In principio erat ὁ λόγος*, Io. 1. 1. h. e. ante omnes creaturas & genitus est ante omnem creaturam, iuxta illud πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Col. 1. 15. Proinde quod ait hæreticus; At quomodo genitus est, si erat? quod enim est, generatione non habet opus; id facile diluitur, si in illa æternitate cogites nihil esse prius, nihil posterius; nullum antè, & nullum pòst: tēpore scilicet, aut gradu æternitatis: & generationem Filij non præcessisse ipsius Filij existentiam: neque Filij existentiam præcessisse eiusdem generationē. Similis Solis illustrat Basilius, quod dicit, Generatio radij è Sole non præcessit esse ipsius radij; neque esse radij præcessit ipsius generationem. Sed tum primum fuit radius, quum genitus est: & tum primùm genitus est, quum fuit. Sic Filius non priùs extitit, quàm genitus sit. Extitit. e. & existit per generationem è Patre. Neq; priùs genitus est, quam extiterit, generatio enim ipsius æterna, & esse ipsius æternum est. In ipsa autem æternitate nihil prius, nihil posterius. Est igitur fallacia ex ignoratione Elenchi. Non enim pugnant inter se, quæ Eunomius putabat pugnare. Possumus etiam dicere fallaciam hic esse accidentis; quoniam argumentum est à modo essendi ad ipsum esse, seu ad ipsam existentiam. Verbo enim, genitum esse, significatur modus, quo Filius subsistit. Participio existentem, vel non existentem, ipsum esse, seu subsistere denotatur. In humanis quidē rebus generatio duo significat: Primùm rem genitam priùs non fuisse, quàm ad esse fuerit perducta: deinde modum, quo est à non esse ad esse procreata: nempe per generationem ex alio. At in diuina generatione non ita: sed modus tantùm significatur, quo Verbum, seu ὁ λόγος, erat iam ab omni æternitate: nempe per generationem ex Patris substantia. Supponitur enim pro confesso, τὸν λόγον semper fuisse, iuxta illud, *In principio erat ὁ λόγος*. Modus tantùm quæritur, quo erat, quum de illius generatione interrogamus. Modus autem, quo subsistit & subsistit; ab ipsius essentia & subsistentia inseparabilis est. Quare si semper & ab omni æternitate erat Filius, vt ait Iohan. ergo etiam ab omni æternitate fuit hoc modo; per generationem scilicet ex Patre: tantum abest, vt à modo subsistendi, & à generatione inferri possit illud Ari: ἦν ποτε, ὅτε μὴ ἦν.

VIII. Sextum sophisma ita componitur:

Quicquid genitum est, cœpit esse, seu principium habet; & posterius est gignente:

Si igitur λόγος genitus est: æternus non est, & posterior est Patre.

*Resp.* Si illa duo assumti membra includunt tempus, vera sunt in generatione rerum sub Sole, quæ obnoxię sunt tempori. Sed in illa æterna Filij generatione falsa sunt. Est enim vera hæc propositio: Quicquid genitum est in tempore, illud cœpit esse; & aliquando non fuit. At λόγος non est genitus in tempore, sed ab æterno. Si verò dē principio & prioritate (vt ita loquar) ac posterioritate, non temporis, sed ordinis & originis intelligantur, fatemur Patrem gignentem priorem esse Filio ordine, & Filium esse posteriorem, ordine scilicet & origine. Fallacia igitur est ἀμφιβολίας & argumentum quatuor constat terminis.

IX. Septimum argumentum tale est: Si Pater genuit Filium, aut volens genuit, aut nolens. Vtrumque autem est absurdum. Si enim volens genuit; voluntas igitur Patris generationem Filij præcessit, atque ita Filius posterior fuerit Patre. Si verò nolens genuit; cadit in Deum passio, & miseria: non igitur genuit Filium: hoc etiam argumentum fuit Eunomij.

*Resp.* Primò Patres negant dilemma, tanquàm vitiosum in Deo. Et cōtendunt Filium genitum esse ex Patre natura, non autem voluntate: nec tamen inuito. Legatur Hilarius de Synod. Can. 24. & 25. August. de Trinitate lib. 15. cap. 20. Ideò Damascenus quoque vocat γέννησιν, id est, generationem Filij φύσεως ἔργον: κτίσιν verò rerum omnium, θελήσεως ἔργον. Deinde sic possumus retorquere: Si Deus prędestinauit nos, aut volens, aut nolens prędestinauit. Si nolens, miser igitur, qui facit aliquid inuitus: si volens, voluntas igitur præcessit. Quare ab æterno non sumus prædestinati, quod pugnat cum scripturis. Notandum igitur est, Actiones Dei duplicis esse generis. Aliæ sunt intra ipsum Deum ipsamque Dei essentiam, vti est cognoscere, velle, amare, generare Filium. Et has, quia nullum post se relinquunt opus πράξεις appellat Aristoteles. Aliæ quæ extra ipsius essentiam opus relinquunt, vti est creasse mundum. Has vocat idem Philosophus, ποιήσεις Cicero, Factiones potiùs, quā Actiones. Quod ad prioris generis attinet actiones, vna non præcedit aliam tempore. Ratio est, quia omnia agit sua essentia, Sua enim essentia intelligit, eadem essentia vult, amat, generat. Essentia autem æterna est. Omnia igitur in Deo æterna. Quare & ipsa Filij generatio æterna est. Proinde volūtas Dei præcedere minimè potuit Filij generationē. Quod verò ad posterioris generis, hoc est, ad Factiones attinet, voluntas Dei illas omnes præcessit ab æterno: vt factionem seu creationem Mundi, quem tamen ab æterno voluit, sed tali temporis initio creari, quo creatus est. Ad argumentum igitur ita respōdemus. Volens genuit, neque enim genuit inuitus, aut inscius. At non sequitur: voluntatem igitur patris præcessisse: quare Filium non esse coæternum Patri. Valet quidem hæc illatio in operibus, quæ extra Dei essentiam fiunt: sed non item in actionibus, quæ in Deo sunt. Velle enim non pręcedit generare, nec scire ipsum velle: & de reliquis itidem: idque propterea, quòd omnia in Deo sunt æterna. Vera igitur responsio hęc est: Pater genuit Filium natura, eàque non inscia, neque inuita: sed volente, idque ab æterno. Quare fallacia hic est consequentis. Non enim sequitur, volens genuit: voluntas igitur generationem præcessit: cùm illius generis actiones tempori obnoxiæ non sint.

X. Alij alio modo hoc formant argumentum.

Si Deus nolens genuit, miser est. Si volens, libera igitur voluntate genuit, ac proinde potuit non generare.

Non est igitur Filius natura Deus; sed voluntate Patris.

*Resp.* Negatur hæc illatio: Si volens genuit, ergo voluntate, eáq; libera genuit. Alia enim est huius significatio in antecedenti, alia in consequenti. Quum enim dicimus Deū genuisse volentem: significamus Deum Patrem genuisse, non inuitum, sed tamen natura genuisse, ac proinde necessitate absoluta, qua talis est Deus pater, vt neque potuerit Filium non generare, neque non velle generare. Sicut etiam non potest non esse Deus, nec potest velle non esse Deus. Quid est autem Deus quàm Pater æternus, cum Filio, & Spiritu sancto? Ac proinde rectè catholicus quidam (vt refert Augustin. tom. 3. de Trin. li. 15. c. 20.) cuidam hæretico, hoc dilemmate vrenti, vt negaret Filium esse natura Deum, sic retorsit argumentum, per interrogationem: Pater éstne Deus, volens, an verò nolens? Si nolens, est igitur miser, qui inuitus sit quod est? si volens, voluntate igitur libera Deus est, non natura. Ac proinde potuit non esse Deus. Quòd si hoc de Patre non sequitur ex dilemmate, ergo neque illud de Filio, ex altero dilemmate. Quare quum dicimus Patrem genuisse Filium volentem, intelligimus ita quidem volentem genuisse, vt tamen natura, non voluntate libera genuerit, quasi verò potuerit non gignere. Sed quòd isti inferunt, genuisse igitur volūtate libera, intelligunt, neq; aliter intel-

ligi potest, quàm ita liberè genuisse, vt potuerit non gignere: quemadmodum & mundum ita volens creauit, vt potuerit non creare. Quare non est argumentum à veris coniugatis. Fallacia igitur est consequentis. Nam idem Deus etiam volens est & bonus & iustus: neque tamen sequitur, Ergo voluntate libera est bonus & iustus, ita vt possit velle non esse bonus & iustus. Est enim bonus ac iustus natura, ac proinde tali necessitate, vt non possit non esse bonus & iustus: alioqui Deus non esset. Sic etiam Deus non esset Pater, si Filium talem non genuisset. Natura igitur volente: non autem voluntate libera genuit.

X I. Nonum sophisma eiusmodi est.

Si Filius est genitus ex Patre, non est igitur à seipso.

Deus autem esse non potest, qui non sit à seipso, hoc enim significat nomen Iehoua.

Res. Fallacia est accidentis: quia à proprietatibus ad essentiam. Proprietas Filij est, vt sit ex Patre, per generationem non autem à seipso, sicut est Pater. Essentia tamen Filij à seipsa est, sicut & Patris essentia, cùm sit vna & eadem, sed in Patre incommunicata, in Filio communicata. Ita Christus, quà Deus, à seipso est, quà Filius, ex Patre est. Quasi verò etiam hæ proprietates personarum Filij & Spiritus sancti, (nempe quòd sint, vnus ex Patre, alter ex Patre & Filio) impedimento esse possunt, ne vterque verus sit Deus. Annon etiam nos sumus ex nostris parentibus? Num igitur nos sumus homines natura, sicut etiam illi? Proprietas igitur personalis essentiam, quæ eadem est omnium, non tollit. Quod enim aiunt: Deus esse non potest, qui non sit à seipso, bifariã istud intelligi potest: aut quoad essentiam, aut quoad personam. Quoad essentiam, hoc sensu, nempe quòd alicuius personæ essentia ab alia non sit essentia. Quoad personam, nempe quòd (puta Filius) quicquid est, sit à Patre. Si igitur quod ad οὐσίας attinet, intelligitur vt diximus: vera est propositio: nempe, neminem posse Deum esse, cuius οὐσία non sit à seipsa. Atque ita se habet Filius, & Spiritus sanctus non minùs quàm Pater. Est enim eadem illorum, quæ & Patris οὐσία eóque à seipsa existit in omnibus. Quod ad personam attinet: falsa est de Filio, & de Spiritu sancto. Est enim hoc proprium personæ Patris. Proprium autem Filij est, esse ex patre per generationem. Modus autem subsistendi diuersus impedire nequit, quin eadem sit omnium natura, & οὐσία.

Quòd si aduersus distinctionem excipiant, & instent: persona nihil aliud est quàm essentia. Si igitur persona Filij est ab alio: ipsa quoque essentia fuerit ab alio, non à seipsa. Respondebimus hoc modo: Antecedens seu assumtum opus habere explicatione. Quum dicimus personam, seu, verbi gratia, Filium, duo dicimus, primò essentiam, quæ omnium est communis, & vna: deinde modum subsistendi proprium, quo fit, vt talis sit persona, non alia. Modo enim subsistendi proprio, seu relatione: vna persona distinguitur ab alia, vt Pater à Filio: quia ille ἀγεννήτως generat: iste verò genitus est. Quum verò dicimus Deum, solam essentiam dicimus, quæ tamen à personis separata non est. An non magnum est discrimen, si aliquem appellemus simpliciter hominem: & si eundem vocemus Patrem, aut Filium, aut Petrum? maximum verò. Nomen enim hominis solam indicat essentiam, nomen autem Patris aut Filij essentiæ addit relationem: nomen Petri proprium subsistendi modum, quo ab aliis singulis differt hominibus. Persona igitur, non est simpliciter essentia diuina: sed est essentia diuina cum relatione, seu cum certo & proprio subsistendi modo considerata: quo fit, vt vna persona ab alia verè sit distincta. Perstat igitur nostra distinctio, inter essentiam & inter personam: quia etsi persona non alia sit res, quàm essentia personæ, aliud tamen est res secundùm se, & aliud respectu alterius considerata, vt aliud est esse hominem, & aliud esse Filium: tametsi idem sit homo, qui & Filius. Proinde insanierit, qui quæ sunt propria personæ, ea tribuat essentiæ, & quæ propria sunt relatiui, attribuat absoluto: vt si quis ita argumentetur de aliquo homine, qui etiam sit Pater. Pater est ille, qui habet Filiũ: Pater autem nihil aliud est reapse, quàm homo. Si igitur Pater est, qui habet Filium, etiam homo est, qui habet Filium. Quis non videat quàm inepta sit argumentatio? Homo enim est ille, qui constat anima rationali & corpore organico, siue habeat siue non habeat Filium. Ac proinde filium habere ad definitionem parentis, non autem ad definitionem hominis pertinet. Eadem planè est aduersariorum argumentatio. Filius est persona quæ non à seipsa est, sed ab alio, nempe à Patre. Persona autem nihil aliud est quàm essentia. Ergo si persona Filij est ab alio, ipsa quoque Filij essentia est ab alio. Ac proinde Deus non est. Inepta est hæc argumentatio: quia ab eo, quod est proprium personæ Filij, nempe esse ab alio, argumentatur ad essentiam: quasi etiam essentiæ illud idem proprium sit Filius enim Dei, quatenus est talis persona, hoc est, Filius Dei Patris, ex alio est, nempe ex Patre, per generationem. Et hoc illi proprium est. Sed quatenus essentia est diuina, eoque Deus: non minùs expers est originis, & à seipso est, quam Pater. Ratio est, quia Deitas seu essentia Filij eadem est cum essentia ac Deitate Patris. Non enim aliam Pater Filio communicauit, quàm suã propriam. Est autem Patris essentia originis expers. Talis igitur est etiam Filij essentia. Ac proinde huius essentiæ causa Filius verus est Deus, non minùs quàm Pater. Ad argumẽtum igitur hæc breuis esto responsio. Filius, quatenus Filius est, genitus est ex Patre. Verùm idem Filius, quatenus essentia est diuina, non est genitus ex Patre. Essentia enim Filij non est genita ex essentia Patris. Sed quæ Patris est, eadem communicata est Filio. Ac proinde hæc essentia tam in Filio quàm in Patre à seipsa est, non ab alio. Ita efficitur, tam Filium quàm Patrem verum esse æternúmq; Deum. Alij breuiùs sic. Persona non est sine essentia, neque generat absque essentia: sicut neq; homo sine anima. Sed tamen sicut anima non generat, sed homo per animam: Ita Pater genuit Filium sua essentia, & in sua essentia; nõ autem ipsa essentia genuit.

X I I. Decimum argumentum est eiusmodi:

Si Filius genitus est ex Patris essentia, habet à Patre essentiam; & ex consequenti omnia, quæ diuinæ naturæ essentiæ sunt propria.

Qui autem omnia habet ab alio; is inferior est illo à quo habet.

Inferior igitur, & minor Patre Filius.

Respon. Maior si vniuersaliter accipiatur falsa est. Neque enim vera est, nisi de illo, qui aut non omnia accepit: aut si accepit, non tamen origine & natura, sed voluntate tantùm & gratia communicantis accepit. Is enim potuisset non communicare: ac proinde & alter non habere. Sed qui & omnia habet, quæ alter, & ea habet per naturam: is certè æqualis est illi, à quo habet. Non potest enim ea non habere. Annon Filij æquales sunt parentibus humana natura, & quatenus homines sunt? Omninò quia quicquid humanæ naturæ est in parentibus, hoc totum etiam filij acceperunt, idque ipsa origine & nascendo. Atqui Filius omnia habet, quæ Pater: omnia, inquam, quæ naturæ & essentiæ diuinæ propria sunt. Et ea omnia accepit, non donatione parentis, sed nascendo, & necessitate absoluta, ita vt Pater non potuerit Filio non omnia communicare, quæ ipse habet ad naturam Deitatis pertinentia. Non est igitur Filius minor Patre Deitate: & proprietatibus Deitatis, sed æqualis. Id quod etiam de Spiritu sancto dictum volo. Fallacia est ex falsi assumtione.

X I I I. Vndecimum argumentum ita formatur.

Si Pater è sua substantia genuit Filium, & Filius est Deus: ergo Pater aut alium genuit Deum: aut si vnus tantùm est Deus, genuit seipsum.

Atqui vtrunque est absurdissimum & blasphemum:

Non igitur genuit Filium Pater.

Resp. Ad maiorem, ἀμφιβολία est in illa dictione, Deum. Bifariam enim potest intelligi, aut οὐσιωδῶς, aut ὑποστατικῶς. Alium οὐσιωδῶς Deum genitum esse negamus. Scriptura enim vnum tantùm esse docet Deum Iehouam, quod idem est atque si dicas, vnum tantùm οὐσιωδῶς Deum esse. Proinde suprà etiam diximus, essentiam Filij non esse genitam, neq; esse ex alia essentiam. Sed alium ὑποστατικῶς Deum genitum esse, ex Patre Deo, credimus, & confitemur cum tota Ecclesia, quæ canit, Deum de Deo, lumen de lumine, genitum non factum. Scriptura enim tradit, Filium genitum esse ex Patre Deo, eadem docet, Filium esse Deum. Quid igitur impietatis est, dicere genitum esse Deum de Deo: modò rectè explicetur secundum scripturas? Explicatio autem est, genitum esse alium ὑποστατικῶς Deum, de alio ὑποστατικῶς Deo: hoc est, personam Filij, quæ Deus est, ex persona Patris, quæ Deus est. οὐσία enim propriè neque generans neque genita dici potest. Sicut etiam nec anima hominis generat, sed homo per animam. Proinde Pater est, qui generat in sua essentia: & Filius, qui in eadem essentia genitus est. Ille essentiam communicando: iste eam recipiendo: idque iam inde ab omni æternitate nascendo.

X I I I I. Argumentum duodecimum in hunc modum concluditur:

Si Pater Deum genuit Filium de sua substantia, & propterea Filius quoque est Deus: non est igitur Pater solus verus Deus, vt Christus ait, & ad Cor. confirmat Apostolus. Io. 17. 3. 1. Cor. 8. 4.

Atqui Scriptura Patrem solum verum esse Deũ prædicat.

Non est igitur Filius genitus è substantia Patris: Ac proinde verus Deus non est.

Resp.

Resp. Hic etiam fallacia est ἀμφιβολίας. Bifariam enim intelligi potest, Patrem esse solum verum Deum. Primò simpliciter, ita vt extra Patrem nemo alius sit verus Deus. Hoc modo, respectu omnium rerum creaturum, dicimus solum Patrem esse Deum, & hoc sensu locutus est Christus & Apostolus. Respectu autem Filij & Spiritus sancti non intelligit scriptura solum Patrem esse Deum; sed cum illo Filium quoque & Spiritum sanctum confitetur verum esse Deum: idque propterea quòd, vt millies dictum est, extra Patris essentiam minime excluduntur Filius & Spiritus sanctus, sed vna est omnium οὐσία. Deinde, solum Patrem esse verum Deum, intelligi potest secundùm quid; nempe Patrem esse solum verum Deum, scilicet gignentem & principaliter: quia is solus est ille, à quo Filius & Spiritus sanctus habent essentiam; qua sunt Deus. Sic Filius solus est verus Deus genitus. Sic Spiritus sanctus solus est verus Deus, à Patre & Filio procedens. Quare non pugnat, Patrem solum esse Deum, & non solum esse Deum: cum diuersis respectibus vtrumque verum sit.

XV. Sophisma decimum tertium eiusmodi est:

Si Filius genitus est ex Patris substantia; Et vna est omnium substantia, seu essentia, Patris scilicet, Filij, & Spiritus sancti: Filius igitur genitus est ex substantia non solùm Patris, sed etiam sua & Spiritus sancti. Ac proinde fuerit Filius non tam Patris, quàm sui ipsius & Spiritus sancti.

Resp. Essentia patris considerari potest bifariam, aut ante, aut post Filij generationem, Spiritusque sancti processioné. Cùm dico ante & pòst, non hoc dico respectu tempòris aut graduum æternitatis. Neque enim in Filij generatione, & in Spiritus sancti processione, vllum agnosco tempus vel gradum æternitatis: sed ante & pòst dico respectu ordinis atque originis. Si igitur patris essentia consideretur ante Filij generationem, & Spiritus sancti processionem, non est communis trium personarum, sed solius patris propria. Est enim illa essentia communis facta, quatenus per generationem & per processionem est communicata: quandoquidem in Filio est per generationem; in Spiritu sancto per processionem. Sic etiam in natura; essentia parentis tum primùm fit Filij, cùm Filius genitus est, non autem antequam sit genitus. Ergo si consideretur ante generationem èo, quem declaraui, sensu, liquidò videbimus, eam non esse communem omnium; sed propriam Patris. Ac proinde liquet, non consequi: Filium esse genitum ex substantia sua, & Spiritus sancti; quia genitus est ex substantia Patris. Si verò consideretur essentia Patris quatenus communicata est Filio, & Spiritui sancto, per generationem & processionem: tum verè dicemus eam esse omnium communem. Sed non hinc efficitur, esse itaque genitum Filium ex trium personarum substantia. Neque enim è substantia Patris genitus est, quatenus facta est omnium communis post generationem & processionem, sed quatenus solius (vt ita loquar) erat patris ante generationem. Est igitur fallacia ex ignoratione Elenchi: quia non vno respectu consideranda est essentia Patris, sed diuersis. Et respectu quidem ordinis & principij rectè dicitur Filius ex solius patris substantia genitus esse, quatenus verò communis omnium facta est οὐσία: non rectè dicitur genitus ex illa communi essentia. Quare non consequitur; genitus est è substantia Patris: ergo ex substantia trium personarum genitus est.

Sunt & alia sophismata, aduersus hanc Filij æternam ex Patre generationem: sed hæc sunt præcipua quæ potui reperire: ac ferè ad hæc quæ attulimus reliqua omnia referuntur. Quare si horum refutationes diligenter retineamus: reliquorum etiam facilis fuerit refutatio.

---

## CAPVT VIII.

### Vendicantur ab hæreticorum cauillis loca illa veteris Testamenti, quibus hæretici aduersus Christi Deitatem abutuntur.

ACCEDAMVS igitur ad argumenta, quibus ex professo conantur probare, Christũ non esse verum Deum, sed puram sua natura creaturam. Ex veteri Testamento iis potissimum locis, quæ subiiciam, abusi sunt Ariani, ad probandum, τὸν λόγον, qui post carnem sumtam Christus est appellatus, Spiritum esse creatum. Prouerb 8.22. in Græca editione 70. Interpretum: Sapientia, quæ de omnium ferè Patrum sententia Christus est, sic de se ait κύριος ἔκτισέ με. Ecclesiastici, quia σοφία Iesu Filij Syrach à Græcis vocatur, cap. 1. vers. 4. πρὸ τῶν αἰώνων ἔκτισε σοφία. Et cap. 24. v. 12. Sapientia hæc de se ait. καὶ ὁ κτίσας με requienit in tabernaculo meo. Et v. 14. à seculo, & ab initio ἔκτισέ με.

Filius igitur, qui & λόγος & Christus appellatur, creatura est.

Resp. Hic est primus locus, nempe illi Prouerb. qui primã etiam occasionem dedit Ario, blasphemandi Dominum Iesum Christum; & eum puram esse creaturam prædicandi: vt refert Epiphanius: li. 2. tom. 2. hære 69. qui et à ad hunc locum, varias adfert responsiones. Sed vera & genuina est illa postrema. Ea verò hæc est: In Hebraico cõtextu non legitur, *Dominus creauit me*; sed, *Dominus possedit me*. In scripturis autem qui filios generant, dicere solent possedi, vel adeptus sum Filium. Hinc igitur potius concluditur, sapientiam hãc esse verum Dei Filium, ex Patre Iehoua genitum, quàm esse creaturam. Ac reuera ita habet Hebraice: יהוה קנני *Iehoua possedit me*. Verbum autem possidendi referri aliquando ad filiorum generationem, quum scilicet per generationem liberos à Deo acquirimus, docet Eua: quæ quum peperisset Cain, dixit, קניתי איש את יהוה *possedi seu acquisiui virum à Iehoua*. Gen. 4. 1. Sic est intelligẽdus hic locus Prouer. Initiũ autẽ viæ Domini vocat Salomon creationem mundi. Significat igitur Sapientiam Dei personalem, quàm λόγον vocat Iohannes, genitã fuisse ex Patre Iehoua, iam inde ab initio Mundi, hoc est, ante Mũdi constitutionem. Quod ad versionem 70. Interpretũ attinet, quæ habet ἔκτισέ με, creauit me; facilis est solutio. Fieri potest, vt ipsi verterint ἐκτήσατο, quod significat possidere. Aliqui verò, vel malitia, vel ignorantia, η mutarint in ι. Vera igitur hæc est solutio, quod ad locũ Prouerb. attinet. Cæterùm ad locum Syracidis trifariam respõdetur. Primò librum esse apocryphum; ideoque nullã habere authoritatem ad dogma fidei constituendum. Deinde eũdem lapsum potuisse hic fieri, qui & in loco Prouerb. Nam etiam iste liber ex Hebræo conuersus est: ideò fortè erat ἐκτήσατο. Tertiò, verbum creare pro generare positũ esse, vt Basilius ait: quod etiam [illegible], vt exẽpla scripturarum de[illegible]. Eua postquam peperit, dixit ἐκτησάμην (sic enim legit Basilius per η quãquam in Biblijs Græcis per ι legatur) ἐκτησάμην, inquam, ἄνθρωπον διὰ τοῦ θεοῦ. Gen. 4. 1. Et sæpe in Genesi iux a 70. translationem legimus, ἐποίησεν, *filios & filias*, pro genuit. Vt etiam apud prophanos auctores ποιεῖν τὸν υἱόν, pro, gignere & adoptare reperitur. Dauid etiam ait, *Cor mundum crea in me Deus*. Psal 51. 12. Non petit autem nouum creari cor ex nihilo: sed quod habebat renouari, seu regenerari. Item noua creatura apud Apostolum est homo regeneratus. Ac certum est, creare sæpenumerò pro procreare seu gignere accipi: non autem semper pro facere ex nihilo. Vnde & creati reges ac magistratus dicuntur, pro constitui: & contrà generare, pro creare. Et sic interpretes illud. *Hodie genui te*. Psal. 2. 7. quatenus de Dauide intelligitur, accipiunt, pro creaui te Regem. Ambrosius tamen de fide ad Gratianum, locum Ecclesi & Prouerb. exponit de humanitate Christi: & præteritũ, *creauit me*, pro futuro, *creabit*, positum esse dicit. Ideò non ait, *Pater creauit*, sed, *Dominus*. Caro enim Christi agnoscit Dominum. Vult igitur τὸν λόγον Filium Dei æternum, de sua futura humanitate loqui. Cæterùm vera responsio ad duo loca Ecclesiastici, hæc est; ibi sermonem fieri non de sapientia personali ipsius Dei; sed de sapientia, hoc est, de cognitione Legis & Euangelij, seu cognitione Dei, in mentibus hominum creata. Nam ait cap. 3. hanc sapientiam effusam esse super omnia à Deo. Christus autem non est super omnia effusus. Item ait, Initium esse sapientiæ timere Deum. Et cap. 24. docet, quid sit ista sapientia, cuius laudes prædicauit, dicens: *Hæc omnia sunt liber fœderis Dei Altißimi: Lex quam mandauit &c.* Hanc autem dicit creatam ab initio, nempe Mundi. Quoniam iam inde ab initio Mundi Deus sui notitiam rebus creatis, nempe hominibus impressit. Imò etiam ait, creatam esse ante omnia, quia Deus decreuerat ante Mundi constitutionem, sui cognitione homines donare. Apparet igitur, ex his locis Prouerb. & Ecclesi. aduersus Christi Deitatem nihil concludi posse.

II. Secundus locus, quo abutuntur Ariani, est ex Ies. 48. v. 11. Iehoua ait; *gloriam meam alteri non dabo*. Suam igitur Deitatem non communicauit Filio Pater.

Resp. Respondet Iustinus, in Dialogo cum Tryphone Iudæo: sic intelligendum esse locum, vt Pater dicat se nemini, præterquàm Christo, suam daturum gloriam. Et sic intelligendum esse contendit ex cõtextu, tã præcedenti quàm subsequenti. Verùm hæc interpretatio mihi non probatur. Nam si excipitur tantùm Christus; num igitur dicemus Spiritui sancto non fuisse communicatam Deitatem, in ipsius processione ex Patre & Filio? Aliter igitur ego censeo respondendum: nempe nomine Iehouæ, qui ita loquitur, non

intelligi solam patris personam: sed Deum indefinitè patrē, Filium, & Spiritum sanctum. Ita verum est, hunc Deum Iehouam suam alij nemini cōmunicare gloriam: vt sit Deus. Solus enim pater, cū Filio & Spiritu sancto Deus est. Deinde etiamsi nomine Iehouæ solus pater intelligatur, tamen non hinc consequi, solum Patrem esse Iehouam. Cùm enim ait: *Gloriam meam alteri non dabo*: nomine alterius, seu alius, contendo intelligi non Filium aut Spiritum sanctum, sed creaturas omnes, præsertim idola, aduersus quę ibi loquitur. Ratio est: quoniam Filius non est aliud à Patre, neque alius à patre Deus. Nam apertè ait apud Iohan. *Ego & Pater vnū sumus*. Io. 10. 30. Et nomine alterius manifestum est à Propheta intelligi illud, quod extra patrem est. Sic enim reuera aliud fuerit, & alius à patre, quicquid est extra patrem. Atqui Christus non est extra Patrem, *Ego in Patre, & Pater in me est*. Iohan. 14. 10. Non potest igitur concludi, hic excipi Filium & Spiritum sanctum. Accedit tertia ratio, ducta à verbo futuri temporis, *dabo*. At nos contendimus, longe ante hoc tempus: quo hæc dicebat Iehoua Pater, hoc est, ab omni æternitate fuisse hanc gloriam Filio per generationem communicatam. Quare neque ex hoc loco euinci potest, Christum meram esse creaturam.

## CAPVT IX.

### Genuinę interpretationi restituuntur ea piorum trium Euangelistarum loca, quæ contra Christi gloriam deprauant ipsius hostes.

SEQVVNTVR iam loca noui Testamenti, quibus conantur idem quod antea probare. Sunt autem eodem ordine posita, quo etiam libri.

I. Primus locus ex Matt. 20. vers. 20. &c. Matri filiorum Zebedæi, petenti à Christo, vt in ipsius regno vnus ex suis liberis sedeat ad dextram, alter ad sinistram, respondet Christus: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*.

Ecce, inquiunt Ariani, Filium non habere eam potestatem, quam habet Pater.

Non est igitur Deus, Patri æqualis. Hoc etiam argumentum fuit Arij, vt refert Epiphanius.

R. Filius Dei Dominus Iesus Christus, eandem & tunc habebat, ac nunc habet potestatem quam & pater: & eandem etiam neque habebat, neque habet Vtrunque enim est verum, sed diuersis respectibus. Habebat, & habet naturaliter, vt Filius Dei naturalis, eóque verus Deus. Et hoc inde etiam liquet, quod ipsemet ait. *Filius quos vult viuificat. Ego vitam æternam do eis. Ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis*. Io. 5. 21. & 10. 28. & 17. 22. *Tibi dabo coronam vitæ. Dabo ei sedere in throno meo*. Apoc. 2. 10. & 3. 21. Non habebat autem quatenus homo, imò ne quidem etiam quatenus Mediator hāc absolutè habebat auctoritatem: nempe, vt pro suo arbitrio quibus vellet diuersos in suo regno gradus assignaret. Et in hunc sensum ibi loquutus est Christus. Voluit enim ostendere primò quidem, omnia ex diuina Patris electione & prouidentia pendere: ac proinde ab illo vno semper nobis quoque esse pendendum, se verò in hoc mundo dispensatorem tantùm & executorem esse paternæ voluntatis. Deinde verò regnum cœlorum non dari iuxta personarum acceptionem, sed ex gratuita Dei electione. Est igitur fallacia ex ignoratione Elenchi, quia habere & non habere eandem potestatem, non sunt pugnantia, si rectè, & secundùm diuersos respectus considerentur.

II. Locus 2. ex Matt. 26. v. 39. *Pater, si possibile est, à me trāseat calix iste, verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua*. Hunc etiam locum obijciebant Ariani, vt docet Epiphanius. Quidam hoc modo hinc argumentabantur. Diuersa est Christi voluntas à voluntate Patris, ait enim: *Non mea, sed tua voluntas fiat*. Non igitur eadem est vtriusque essentia. Quare non verus est Deus. Alij verò sic inferebant: Dubitat Christus de possibilitate rei quam petit: ait enim, *si possibile est*: non est igitur omnipotens: proinde nec Deus.

R. Ad primum argumentum: Falsum est assumtum: quod enim ad diuinam attinet naturam, eadem semper fuit Filij & Patris voluntas: etiam circa hanc passionem & mortem. Ratio est: quia idem & ob eandē causam voluit Filius, quòd & quam ob causam voluit Pater. Pater enim volens misit Filium, vt pro salute nostra pateretur, & mortis calicem biberet: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam?* Io. 18. 11. Eadē itaq; fuit Filij voluntas. Ideò subinde dicebat se venisse in mundū, vt faceret voluntatem Patris: & se in hūc finem venisse, vt biberet hunc calicē. Imò etiā quà homo Patri fuit semper obsequens. Idcircò dicebat, *Quæ placita sunt illi facio semper*. Io. 8. 29 Et hūc idem ostendit, quum ait: *Fiat voluntas tua, non mea*. Vnde ad Heb. 10. 7. *Tum dixi, Ecce venio, vt faciem Deus, voluntatem tuam*. At quid sibi vult, quod deprecatur mortem & calicem? Naturaliter, quà homo, expauescebat, & exhorrescebat, fugiebátque mortem, & hunc naturalem mortis horrorem vocat suam voluntatem, quum ait: *Non mea voluntas fiat* (naturalis scilicet, quà homo sum.) Verùm neque hæc Christi voluntas cum voluntate Patris pugnabat. Pater enim voluit Christum nobis esse similem in omnibus, excepto peccato & in hunc finem voluit eum fieri hominem. Proinde quum Christus mortem naturaliter fugiebat & deprecabatur; voluntati Dei Patris non repugnabat: qui hunc quoque horrorem & metum voluit Pater esse in Christo, vt pœnam nostrorum peccatorum. *Posuit enim in eo Deus iniquitates omnium nostrûm*: id est, pœnas nostrarū iniquitatum. Iesa. 53. 6. Præter alias pœnas hæc etiā vna fuit, nimirum mortis terror. Quare falsum omnino est, in Christo diuersam voluntatem à Patris voluntate fuisse.

At quomodo igitur ait: *Non mea fiat voluntas, sed tua?* An non videtur innuere suam pugnare cum Patris voluntate. Minimè pugnant, si & ὁμωνυμία, quæ hîc est in voce voluntatis; & diuersi spectentur respectus, iuxta quos hæc loquitur Christus. Quum ait, *Non mea voluntas fiat*, intelligit naturalem mortis horrorem, quo scilicet naturaliter refugiebat & timebat mortem. Finis enim naturæ est, vt se à sui seruet corruptione. Atque hunc etiam metum & fugam mortis, vt dixi, voluit Pater esse in Christo. Quare conclusimus, hunc naturalem mortis horrorem, quem Christus vocat suam voluntatem, non pugnasse cum voluntate Patris, qua voluit Christum huic horrori esse obnoxium. Quum verò ait: *Sed tua voluntas fiat*: intelligit de ea Patris volūtate, qua volebat Christum mori pro nostrûm omnium salute. Atqui hoc quoque volebat Filius, vt antè ostensum est: & hoc præ se tulit, quum petiit, vt fieret voluntas Patris. Nunquam enim respectu huius finis hanc mortem recusauit aut horrorem. Quare in hac quoque voluntate & fine consentientes semper fuerunt Pater & Filius. Si igitur hæc voluntatis ὁμωνυμία, & diuersi isti fines ac respectus spectentur, & æqualiter inter se conferantur: liquidò apparebit, quæ primo aspectu diuersæ inter se videntur esse voluntates Christi & patris: easdem omnino esse optimè inter se consentientes & conformes. Pugnant quidem ista simpliciter: te nolle mori, & me velle, vt moriaris, sed respectu diuersorum finium non sunt contraria. Si enim respectu eiusdem finis pater voluisset Christum mori: & Christus noluisset, imo tantillum recusasset, fuissent omnino pugnantes voluntates. Sed respectu eiusdem finis, nempe ob salutem nostram; idem semper voluit Christus quod etiam pater. Nullo igitur modo voluntas Christi fuit dissentanea à voluntate patris. At saltem in Christo fuerunt contrariæ voluntates, quia volebat & nolebat mori. Minimè verò: eandem ob causam, quam iam dixi. Si enim respectu eiusdem noluisset mori & voluisset mori; contrariæ fuissent voluntates: Sed hoc non fuit in Christo. Respectu enim salutis nostræ eadem semper & constans fuit in Christo voluntas. Respectu verò naturæ humanæ nunquam hunc exuit affectum, quo similis fuit nobis, & naturaliter fugimus mortem. Nunc hoc affectu liberatus est: quia immortalis effectus. Velle autem & nolle aliquid, sed diuersis respectibus, non sunt inter se pugnantia. Totum igitur antecedens est falsum; in Christo fuisse voluntatem, cum patris voluntate pugnantem. Et consequentia etiam ἀσυλλόγιστος est. Nam etiamsi aliqua voluntas; hoc est, affectus naturalis in Christo fuit, vti est timere mortem; qui non consentiret simpliciter cum ea voluntate, qua pater volebat eum mori; imo & qua ipse Christus idem volebat: non inde tamen sequitur Christum nō esse eiusdem cum patre essentiæ, eóque nec verum Deum. Nam talis affectus, absque tamen peccato, in Christo fuit; quatenus homo erat mortalis, nobis per omnia similis; non autem quatenus Deus. Si vna tantùm natura in Christo fuit & esset; consequeretur quod inferunt Ariani, sed diuersæ sunt in eo naturæ. Est igitur hîc fallacia ex ignoratione Elenchi.

III. Ad alterum argumentum, quod ex eodem loco petebant Ariani: nempe, Christus dubitat de possibilitate rei, quia ait: *Si possibile est*: ergo non est, &c. Primò respondet Ambrosius de fide ad Gratianum, lib. 2. c. 3. Vt homo ibi loquitur Christus, non vt Deus. Nam vt Deus ipse non ambigebat de possibilitate. Sed ipse erat omnipotens, iuxta illud apud Ioh. 16. v. 15. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*. Quę omnia? Non creata: hæc enim omnia per Filium facta sunt. Sed omnia quę habet Pater, omnipotētia, æternitas, deitas. Errāt igitur, dum argumentantur à proprietate naturę humanę ad diuinā naturā. Deinde respōderi potest: Christum, etiā quà homo erat, minimè aut de potētia Dei, aut de possibilitate rei simpliciter dubitasse. Imò paulò pòst ipse dixit de Petro: *An putas, q. non possim rogare Patrē qui sistet mihi plures quā 12. legiones*

*legiones Angelorũ*. Mat.26.53 Sed ea locutione significare voluit vehementem, quo afficiebatur, mortis horrorẽ: itaq; ita se verum esse hominẽ, nobis per omnia similẽ, absque peccato, declarare. Fallacia igitur est hic non causę vt causæ. Non enim hæc verba dixit, quod dubitaret, neque vt significaret se ignorare, an esset possibile, necne esset: sed tãtùm vt dixi, ex naturali affectu locutus est, & vt hũc affectũ significaret.

IV. Locus tertius ex Matth. 6. ver. 9 *Vos autem quũ oratis, dicite: Pater noster, &c.* Hinc sic argumẽtantur inimici Christi. Christus semper iussit orari & inuocari Patrem: nũquam autem se Filium, aut Spiritum sanctum. Si autem esset Deus: se quoque iussisset inuocari. Apertè igitur significauit Christus, se esse Deum illum, qui solus debet inuocari.

R. Primò negatur alterũ maioris propositionis membrũ. Nã quum iussit inuocari Patrẽ, nõ simpliciter iussit inuocari patris Christi personã: sed Deum absolutè, patrẽ totius Ecclesiæ. Quis autẽ est Deus iste & pater? non sola patris persona: sed etiã Filius & Spiritus sanctus. Huc inde liquet: quia nomine Patris sæpenumero totus (vt ita loquar) Deus, hoc est, tota Deitas diuináque essentia significatur. Deinde idem liquidò apparet à petitionib. Dicimus enim; *Sanctificetur nomen tuum*. Nũ solius Patris? imò & Christi. *Adueniat regnum tuum.* At regnũ cõmune est etiã Filio. *Remitte nobis peccata.* At etiã Filius remittit peccata. Tertiò ætiologia quoq;, quã subiicit, idẽ confirmat: *quia tuũ est regnũ.* Nã est etiã Christi, vt docet Apostolus. 1. Cor. 15. 24. Deniq; Christus post mortẽ inuocabatur à fidelibus. Stephanus eũ inuocauit: & quidẽ ea forma precandi, qua Christus Patrẽ fuerat precatus. Act. 7. 59. Ecclesia item inuocabat nomẽ Domini Iesu. Nõ inuocassent autẽ, si intellexissent, se iussos fuisse à Christo solam Patris personã inuocare. Ergo nomine Patris intellexerũt in præcepto Christi ipsum etiam Filium comprehendi. At cur igitur solùm Patris nomẽ expressit? prẹterquam quod soliti erãt Iudei nomine Patris intelligere Iehouã, quẽ nos tribus distinctũ personis nouimus: erat etiã hoc in more positum Christo, vt omnia referret ad suũ Patrẽ, opera, miracula, doctrinã, bonitatẽ, ac proinde etiã solebat illi vni præbere cultus diuini honorẽ, & præbendũ docere. Hoc verò fecit primũ κατ' ἐξοχὴν, quandã, quę Patri debetur; vt intelligeremus Patrẽ fontẽ esse totius Deitatis, & principaliter Deũ. Deinde quia hoc faciebat ad suũ scopũ. Scopus enim Christi erat, omnibus persuadere, se missum esse à Deo Patre: se nihil docere aut agere, quod ad honorem & gratiam Patris nõ pertineret, se igitur suámq; doctrinã non esse, tanquã humanã, reiiciendam, sed tanquam cœlestem recipiendam. Hac enim ratione quasi scala deducendi erant homines in cognitionẽ Filij, nempe per cognitionem tũ amoris Patris erga Filium, tum obedientię & honoris Filij erga Patrem. Denique quia nõdũ venerat tempus, quo sese palam quis esset, nẽpe Deus, patefaceret. Erat enim illi prius moriendũ, & sacrificiũ pro peccatis nostris offerendũ: tum demum palàm erat prædicãdus, vt verus & æternus Deus. Huc facit, quòd gloriam suæ Deitatis, quã ex parte conspexerant discipuli in mõte, quum fuit coram ipsis transfiguratus, iussit reticeri, donec resurrexisset ex mortuis. Matt. 17. 9. His tribus de causis non apertè iussit se inuocari & adorari, sed tamen quũ fuit adoratus, nõ id prohibuit, neq; improbauit. Hinc liquet responsio ad minorẽ: quę itidẽ falsa est: nẽpe si fuisset Deus, iussisset se quoq; inuocari. Est igitur argumentũ à non causa, tanquã à causa. Causa enim quòd nõ apertè iusserit se inuocari nõ est, quòd non sit Deus: sed causæ sunt illæ, quas iam explicauimus.

V. Locus quartus ex Marc. 10. versic. 17. &c. Iuuenis quidam vocauit Christum magistrum bonum. Christus respõdit: *Quid me vocas bonum? nemo bonus, nisi vnus, nempe Deus.* Hunc etiam locum obiiciebant Ariani, vt liquet apud Epiphanium. Christus negat se esse bonum, & vnum tantùm esse bonum docuit. Indicauit igitur se non esse Deum.

R. Hic etiam apparet, quod antea diximus, Christum solitum fuisse omnia, eóque & omnem bonitatem, in Deum Patrem transferre: causas cur hoc faceret paulò antè explicauimus. Hinc verò consequi, negasse se Deũ esse, ostẽdimus falsum esse, & ἀσυλλόγιστον. At negat se esse bonum, non simpliciter, sed spectata opinione, quam de ipso conceperat ille Iuuenis. Nam ille putabat Iesum purum esse hominem, nec venisse e cœlo, & interim vocabat eum magistrum bonum. Christus igitur dum negat se esse bonum, voluit significare, illum Iuuenem falli suo iudicio, & ita illum in veram Dei cognitionem deducere. Et sic Ambrosius de fide ad Gratianum, lib. 2. c. 1. respondet: *Non dixit Christus: nemo bonus, nisi Pater, sed nisi Deus. Deus autem nomen est commune Patri, Filio, & Spiritui sancto: & nomen est naturæ. Ergo non simpliciter negat se esse bonum.* Cur autem, & quomodo se bonum esse negauerit, antea dictum est. Voluit enim Christus suæ doctrinæ fidem conciliare, & ita paulatim docere quis esset. Hoc fecit reuocando Iuuenem ad regulam generalem, quæ hæc est: Ille tantùm est bonus magister qui est à Deo ad docendum missus. Est enim solus Deus per se bonus. Aut igitur adulator es & falleris, quum vocas bonum magistrum, aut me à Deo solo per se bono missum esse credas necesse est. Est igitur fallacia non causæ vt causæ. Causa enim cur negârit se esse bonum, & vnum Deum esse bonum prædicârit, non fuit illa, quam Ariani commenti sunt, sed quam nos attulimus, vt liquet ex contextu: nempe, vt suæ doctrinæ fidem conciliaret, id quod fuit Christo satis.

VI. Locus quintus ex Marc. 13. v. 32. *De die autem illo, & hora nemo scit, ne Angeli quidem, qui in cælo sunt: nec Filius ipse, nisi Pater.* Non est igitur Filius Deus Patri æqualis: si ignorat quod Pater nouit. Hoc modo inferebant Ariani.

R. Patres respondent: Filium ignorasse nõ simpliciter, sed ad reuelandum. Verùm eodem modo dicemus Patrẽ ignorasse. Neque enim reuelauit, aut reuelare cõstituit, quantum ex verbis Christi aperte colligi potest. Alij sic respondẽt Filium quatenus mediator est ignorare: quod scilicèt ei non fuerit, tanquam Mediatori, reuelatus ille dies. Neque enim fuit illi iniunctum, vt huiuscemodi diem patefaceret. Nam proculdubio fecisset officium, si hoc illi fuisset à Patre demandatum. Hinc colligunt: neque igitur fuisse illi reuelatũ, quæcunque enim nouit, vt Mediator: ea profectò etiam patefecit, iuxta illud Io. 15. v. 15. *Quæcũque audiui à Patre, nota feci vobis.* Cæterùm cum fuerit Mediator, non solùm quà homo: sed etiam quà Deus: explicanda est hæc locutio, quò melius sensus huius loci intelligatur. Si quis enim hoc simpliciter ad naturam Mediatoris referret, vehementer falleretur, est enim natura Deus, & quà Deus, etiam Mediator est. Ratione igitur officij; non autem naturæ simpliciter, dictum est intelligendum. Quare locũ hũc tribus explico propositionibus. Prima: Christus Filius Dei, quà Filius est Dei Patris natiuus, nihil eorũ, quæ nouit Pater ignorauit vnquã aut ignorat ignoraréve potest: alioqui non esset Deus. Secũda: Christus, quà homo, verè ignorauit hoc, & alia nõnulla. Nam ipse proficiebat sapientia & ætate, coram Deo & hominibus. Luc. 2. 52. Quomodo proficiebat? non certè ficte. Si enim verè proficiebat ætate: ergo etiã scientia. Quare multa verè ignorabat. Et si similis est nobis factus per omnia, excepto peccato, vt ad Heb. 4. 15. docetur, ignorantia etiam in eũ cadebat: præsertim hæc, quæ nõ est peccatũ. At omnis ignorantia est pœna peccati: Hoc simpliciter nõ est verum. Nam etiam Angeli ignorant hunc diem, neque tamen illorum ignoratio ex peccato est. Sed etiamsi detur, in hominibus omnem ignorantiam esse pœnam peccati: tamen tãtùm abest, vt hinc consequatur, nullam ignorantiã in Christum competere: quia sine peccato est, vt contrariũ potius inde euincatur: quia scilicet pœnas omnium peccatorum nostrorum ipse luit, & luere debebat. Quare nihil minùs derogabat Deitati Filij, quòd ignoraret diem hũc & alia multa: quàm quòd fuit mortalis. Verè enim ignorauit, quà homo fuit in carne mortali. Et sic interpretor hunc locũ Marci: *Neq; Filius*, scilicet quatenus creatura & homo est: *sed solus Pater*, i. solus Deus: à Patris enim nomine non excluditur Filius, quà Deus est, neque Spiritus sanctus. Voluit enim Christus dicere, nulli creaturæ notum esse illum diem. Tertia propositio hæc est: Christus nõ simpliciter quatenus Mediator, hoc est, ex natura Mediatoris, diem illum, aut aliquid aliud ignorauit: sed tantùm quoad humanam naturam, & ad officium Mediatoris. Non simpliciter ex natura ignorauit: quia Mediator est non tam humana, quàm etiam diuina natura. Diuina autem natura nõ ignorauit. Ex officio verò ignorauit: quia quicquid sibi ad officium Mediatoris pertinens reuelatum fuerat à Patre, illud etiam totũ patefecit. Diem autem illum non patefecit: quia non fuerat illi reuelatus vt patefaceret. Ex hoc igitur loco Marci nihil minùs colligi potest; quàm Christum non esse verum Deum, quasi verò simpliciter ignorârit, quę ignorasse legitur in Scripturis. Imò contrà hoc ex loco efficitur, Christum verum esse Deum, & eiusdem cum Patre essentiæ. ille enim est verus Deus, qui diem etiam illum, præter alia, nouit, nulla etiam creatura (vt docet Christus) nouit diem illũ. Atqui Christus nouit: Omnis scientia enim attribuitur Christo in sacris literis; Ac de illa hora ipsemet ait, *Veniet Filius hominis hora qua vos non putatis.* Luc. 12. 40. Nouerat igitur ille hanc ignotam hominibus horam. Quomodo enim potuit Filius hunc ignorare diem, Patri notũ; cùm ipse semper sit in sinu Patris, & nouerit Patrem, & omnia quæ sunt in Patre? Io. 1. 18. Et dicat Apostolus, *Nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei?* 1. Cor. 2. 11. Spiritus igitur S. nouerat diem illum. Hic autem Spiritus, est Spiritus Christi. Rom. 8. 9. Christus igitur etiã nouerat.

VII. Locus sextus ex Luc. 1. 32. *Vocabitur Altissimi Filius.* Hic autem est Pater:

Non est autem Deus vllus extra illum Altissimum.

Si igitur Christus non est ille Altissimus, sed eius Filius: certè verus non est Deus.

R. Admittitur fallacia ὁμωνυμίας in voce Altissimi. In vna enim propositione personaliter sumitur pro persona Patris, quum Christus vocatur Altissimi Filius: ac verum est, Filium non esse hunc Altissimum, id est, Patrem: in altera essentialiter pro diuina essentia. Est enim attributum diuinę essentiæ seu Dei in genere, non autem proprium personæ Patris. Ac verum est extra hunc Altissimum, hoc est, extra diuinam essentiam nullum esse verum Deum. Sed extra hûc non est Christus. Quomodo enim probaueris? Imò, quia Filius est Altissimi, id est, Dei Patris, Filius, inquam: vnigenitus, proprius, naturalis, inde efficitur hunc quoque Filium eiusdem esse essentiæ cum Patre, & esse intra, non extra essentiam Patris: & ea re non minus Altissimum, quàm Pater est. Quare propositio illa: Nullus est verus Deus extra illum Altissimum, cuius vnigenitus Filius dictus est Christus, falsa est. Si enim nomine Altissimi, diuinam intelligas essentiam, falsum est alterum membrum. Christus enim non est Filius diuinæ essentiæ. Si verò Patris intelligas personam: falsum est primum membrum. Nam etiam extra personam Patris Filius vocatur & est verus Deus.

VIII. Locus 7. ex Luc. 1. 68 Benedictus Deus Israël, qui erexit cornu in domo Dauid, is est tantùm Pater.

Est autem vnus tantùm Deus Israël.

Non est igitur Filius Deus Israël: sed eius Filius.

Resp. Quum explicaremus hunc locum, multis argumentis ex ipso deductis, perspicuè demôstrauimus nomine Dei Israëlis, qui inuisit nos, & erexit cornu salutis in domo Dauid: non solam Patris personam, sed ipsum quoque Filium intelligendum esse: vel saltem à nomine Dei Israëlis excludi Christum non posse. Quare maior propositio negari potest: nempe, solus Pater est Deus iste Israëlis, de quo loquitur Zacharias. Sed etiamsi demus hîc de solo Patre verba fieri, & hunc solum vocari hîc Deum Israëlis: Nihil tamen effeceris contra Christi deitatem, quin sit Deus Israëlis. Etsi enim de solo Patre dicatur, Benedictus Deus Israëlis, non dicit tamen solum Patrem esse Deum Israëlis. Est igitur ambiguitas in hac propositione. Vnus tantùm est Deus Israëlis. Nam vel ad solam Patris personam referri potest, vel ad essentiam. Si ad personam Patris: falsa est minor: nempe, vnus tantùm, id est, vnus tantùm Pater, est Deus Israëlis. Si ad essentiam, vera est. Sed in hac continetur etiam Filius. Quare plus esset in conclusione, quàm in præmissis.

IX. Locus 8. ex Luc. 4. v. 18. *Spiritus Domini supra me propter quod vnxit me*, Dominus scil. hoc suo Spiritu. Qui autem vngitur, Deus esse non potest. Vngitur enim tantùm creatura.

R. Fallacia est à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Christus enim non simpliciter dicitur vnctus, sed tãtùm secundùm humanam naturam, sed respectu humanæ duntaxat naturæ. At secundùm diuinam alios ipse vngit hoc suo Spiritu Marc. 1. v. 8. *Ipse verò vos baptizabit Spiritu sancto.*

---

CAPVT X.

## Vera interpretatio illorum locorum Euangel. Iohan. & Actorum, quæ ad suas blasphemias propugnandas deprauant inimici Christi: & sophismatum inde ductorum confutatio.

LOCVS nonus ex Iohan. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*: nempe à Patre. Non igitur ipse conditor rerum, sed Patris instrumentum.

Resp. aliàs ostendimus, hac locutione, per quem, non significari instrumentum: cum de Patre eadem etiam nonnunquam prædicetur. Proinde non significat inæqualitatem potentiæ & operationis in Filio & Patre: sed tantùm societatem & ordinem vtriusque in operando: quia nunquam operatur Pater, quin operetur & Filius: & quia Pater operatur, & cum eo Filius. Io. 5. 17. Hoc significat, *per quem*. Fallacia igitur est ex ignoratione figuræ dictionis.

II. Locus decimus ex Iohan. 1. v. 15. Iohan. Baptista dixit de Christo, *Ante me factus est*. Et Actor. 2. v. 36. *Deus fecit hunc Iesum Dominum & Christum*. Et Heb. 3. v. 2. *Cõsiderate Christũ fidelem ei, qui fecit ipsum*. Si est à Deo factus, nõ igitur Deus.

R. Omnes isti loci sunt extra proprium & genuinum sensum contorti. Et homonymia est in verbo ποιεῖν. Aliquando refertur ad substantiam, vt Christus dicitur factus ex muliere: Gal. 4. 4. id est, quod ad substãtiã naturãq; humanã genitus ex muliere, eóq; substãtialiter factus. Aliquãdo ad qualitatẽ: vt aliquẽ fieri Regẽ, Consulẽ; Sic de Christo, *Factus est nobis iustitia*. 1. Cor. 1. 30. id est, constitutus: Hoc sensu accipitur in tribus illis locis. Nõ enim ait simpliciter Petrus in Actis: *Hunc fecit Deus*, sed, *fecit Dominum & Christum*: hoc est, constituit. Sic Apostolus ad Hebræos, fecit eum, scilicet Apostolum & Pontificem: eodem plane sensu, quo Filius ipse ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo supra Sion*. Ps. 2. 6. Locum Iohan. eodem sensu multi accipiunt. Et sic Basilius contra Eunom. lib. 2. Ideò obserua, quòd Petrus non dicit, fecit eum Deum, sed Dominum & Christum. Sunt autem hæc potestatis & officij nomina, non essentiæ. *Ante me factus est*, hoc est, mihi prælatus. Sed diuersum est verbum à superiori in alijs duobus locis. Ibi est ἐποίησεν ὁ θεός, hîc est, γέγονεν ὁ ἐρχόμενος. hoc autem verbum significat sæpenumerò simpliciter, fuit. Significauit igitur de multorum sententia Iohannes, hunc, quem indicabat, Iesum, fuisse ante se; non certe quod ad carnem attinet: ergo quoad aliam naturam: innuens eum esse Deum æternum. Sed alij ad dignitatem referunt: id est, prælatus est mihi. Fallacia igitur est primùm ὁμωνυμίας. Deinde, si altera admittitur interpretatio, accidentis: quia quod qualitatem significat, transfertur ad substantiam.

III. Locus vndecimus ex Ioan. 3. vers. 32. Ioan. Baptista de Christo ait: *Quod vidit & audiuit hoc testatur*. Et Christus idem de se dicit, *Quæ audiui ab eo, hæc loquor in Mundo, &c.* Io. 8. 26. Christus, inquiunt Ariani, discit, audit, videt, agit non nisi ex Patre.

Non est igitur omnisciens & omnipotens, vt Pater. Quare nec Deus.

R. Patres nonnulli hæc referunt ad humanam Christi naturam. Neque hæc interpretatio reijci meritò potest. Non sequitur igitur simpliciter, Filium non esse ita potentem & omniscientem vt Pater est, quo ad deitatem. Alij ad diuinã. Dicitur autem discere, audire, agere ex Patre: quatenus nascẽdo ex Patre ab omni æternitate, vnà cum οὐσίᾳ omnẽ etiã accepit à Patre scientiã & potentiam: hoc est, essentiã omniscìã, omnipotentem. Et semper erat in sinu Patris, omnia videns: Ideò etiã reuelans. Io. 1. 18. Benè ergo ait Augustinus, *Filius agit, & nouit omnia per se, sed non à se*. Est enim Pater, vt deitatis: ita omnis scientiæ & potestatis fons. Quare non sequitur: agit, discit, audit ex Patre: ergo nõ est omniscius, nec omnipotens, vt Pater, quare nec Deus, audit enim & agit natura sua, suáque essentia æterna: sed quã accepit à Patre. Non tenet autem consequentia à proprietatibus personarũ ad essentiam negandam. Et esse aliquem ab aliquo nõ potest impedire, quin eiusdem sit naturę & essentię cum illo, à quo est. Alij, ad vtranque referunt naturam: loqui enim hîc Christum vt Mediatorẽ. Quà Deus igitur, agit, discit, audit ex Patre, eo, quo iam dictum est, modo: quà homo, discebat, audiebat, agebat ex Patre, quatenus per reuelationem Deitatis humanæ illius menti diuina Patris voluntas innotescebat: quatenus autem Mediator, significabat hac locutione, se nihil docere, nihil re agere, nisi ex voluntate Patris.

IV. Locus 12. ex Iohan. 5. 19. *Non potest Filius à seipso facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*

Non igitur Deus, si nihil à seipso potest.

R. Basilius contra Eunom. lib. 4. ita respondet. Vt homo loquitur Christus, non vt Deus. Hac ergo locutione significauit Christus, vnionem substantialem se habere cum Patre. Nam homo ille spectabilis Dominus scilicet Iesus, sanauerat hominem; sed virtute suæ deitatis. Hanc significabat sæpenumerò nomine Patris, quem nemo dubitabat esse Deum. Voluit autem concludere, si ipse Filius violauit Sabbathum, quia sanauit hominem; ipsum quoque Patrem idem Sabbathum violasse. Nihil enim Filius agit, nisi quod Pater quoque, hoc est, Deus in se agat. Quòd si nomine Patris intelligere omnino velis Patris personam (id quod mihi magis probatur propter antithesim Patris & Filij, & propter alias circumstantias) idem tamen concludetur. Refert enim Christus omnia ad Patrem; tanquam ad fontem omnium diuinarum operationum. Filium autem omnia efficere, quæ Pater; & eadem potentia; docet ipse Christus ibidem, dicens: Omnia, quæ operatur Pater, operatur & Filius, & quidem ὁμοίως. In iis autem operibus præit Pater, non tempore; sed ordine personarum. Hoc significauit Christus, dicens: *Nisi quod viderit priùs Patrem facientem*. Optimè igitur respondet Augustinus: *Non ait Christus, non potest à seipso, Quia quicquid habet & potest, habet à Patre*. Agit igitur per se Filius, sed non à se. Quare fallacia est ex ignoratione figuræ dictionis.

V. Locus 13. ex Io. 5. 37. *Pater misit me*. Est autem maior qui mittit, eo, qui mittitur.

R. Falsum est assumptum, per se & vniuersaliter acceptũ. Quid enim obstat, quò minùs ab æquali mittatur æqualis, ad officium infrà vtriusque dignitatem obeundum, sed ex communi consensu? Ideò rectè Cyrillus: *Missio & obedientia, non tollit æqualitatem potentiæ*. Talis fuit Filij missio. Ex communi

muni enim decreto & consensu sese ab æqualitate, in qua erat cum Patre, demisit, forma serui sumpta.

At alius est mittens, alius missus. Est autem vnus tantùm Iehoua, & mittens est Iehoua. Missus igitur non est Iehoua.

R. Alius est missus à mittente, non essentia, sed persona.

At videmus semper, missum alium esse *vsia* à mittente.

R. Infinitum est discrimen inter creaturas & creatorem: inter nostras personas & illas diuinas. Non valet igitur argumentatio à tam dissimilibus.

VI. Locus 14. ex Ioh. 6. 57. *Sicut qui misit me, est viuens Pater, ita & ego viuo propter patrem &c.* Hinc argumentantur Ariani.

Qui vitam ab alio habet, & non à seipso, is non est Deus. Ideo de Patre dicitur simpliciter, *est viuens*: sed non propter alium, hoc est, non ex alio.

Atqui Christus vitam habet à Patre: viuit enim propter Patrem, id est, ex Patre. Certe minor est, qui vitam habet ab alio, illo, qui vitam habet à seipso. Talis est Christus.

Resp. Sed si locus iste de Filio exponatur, qua homo est, non quà λόγος, quid tũ consequetur? nihil aliud, quàm Christum, quà homo est, non esse Deum, & minorem esse Patre. At quis hoc inficiatur? Sic autem explicârũt Patres. Basilius cõtra Eunom. li. 4. c. 18 ait, ὅτι τὸ ζῶν ἐνανθρωπήσαντα, καὶ ἐν σαρκὶ τὸν ἐπισημαίνει τὸ πατρί. Ita Cyrillus in Ioh. lib. 4. c. 18 vbi etiã regulã hanc tradit. *Consueuit* (inquit) *Christus quæ vim humanam excedunt, ea Patri attribuere*: hæc ille. Ita Patris nomine (vt aliàs diximus) sæpe suam significat deitatem, quæ vna & eadem est cum Patris Deitate, hoc modo duas suas naturas indicârit Christus, iis verbis, vnam nomine Patris, quæ viuat propter se, & non propter alium: alteram quę viuat propter diuinã. Ambrosius quoque ad humanitatem refert, propter particulam præcedentem, Filij hominis. dicẽs: *nisi mãducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, mox sequitur: *sicut misit me, &c.* Sed si quis velit hæc interpretari de Christo, quà λόγος & Filius Dei est, non vult Ambrosius contendere. Sed de interpretatione sensúque verborum disputat. Si quis enim sic intelligat, Christũ à Patre vitã accepisse, quam aliquando non habuerit, docet hunc sensum admitti non posse, quia de Christo ait. Ioh. *Hic est vita æterna*. 1. Ioh. 5. 20. Si autem semper hanc habuit: Deus igitur est. At illã habet à Patre, quia viuit propter Patrẽ. Respõdet Ambrosius: Verũ est. Sed quid est, viuit propter Patrẽ? Viuit propter Patrẽ, quia ex Patre Filius est: propter Patrẽ, quia vnius substãtię cũ Patre: propter Patrẽ, quia eructatũ est verbũ è corde Patris: propter Patrẽ, quia à Patre processit: propter Patrẽ, quia ex paterno generatus est vtero: denique propter Patrẽ, quia fons, & radix Filij est Pater. Hæc est summa Ambrosianę responsionis. Hinc igitur colligimus, nihil aliud concludi posse ex verbis Christi, quàm eius vitã esse ex Patre: & hoc damus. Nã quà λόγος, eã accepit à Patre in æterna sui generatione, sicut etiã æternã essentiã. Quà homo autẽ: habet à Patre, propter vnionẽ hypostaticã humanæ naturæ cum diuina, quę vnum est cum Patre. Sed hinc tam sequitur Christũ nõ esse Deum, aut minorẽ esse Patre natura & Deitate; quàm etiam sequitur nos nõ esse homines, aut natura humana minores esse parentibus nostris; quia substantiã & vitam accepimus à parentibus. Diuersa proprietas, Patris & Filij, nempe quia ille à nullo est, hic à Patre; non constituit diuersam naturã seu essentiã: sicut neque in nobis & parentibus nostris. Proinde fallacia est non causæ vt causę, vt sępe dictũ est. Et à diuersis proprietatibus ad diuersam essentiam non valet argumentum. Sed si tertia admittatur interpretatio, nihil minus ex iis inferri poterit verbis, quàm Filiũ nõ esse Deũ. Ea autem hæc est: Christum hic non docere vnde vitam ipse habeat, neque vt Deus, neque vt homo: sed tantùm vnde ipse vt Mediator habeat vim viuificandi eos, qui suã comedunt carnem. De hac enim re in toto sermone disseruit. Quare hîc Christum non loqui de sua aut diuina aut humana natura: sed tantùm de se Mediatore & viuificatore, hoc est, de Mediatoris officio. De hac autem vita, quã nobis communicat, tria docet: initiũ, progressum, & cõmunicationem, tanquã finem. Initium est pater, vt fons vitę. Ideò vocatur κατ᾽ ἐξοχὴν viuens, & fons vitæ, & aquæ viuæ. Psal. 36. 10. Hier. 2. 13. Progressus est Filius Mediator, Deus manifestatus in carne. In hoc enim posuit Pater vitã nobis communicãdã. Vita in Filio eius est. Pater igitur viuẽs & viuificans, misit Filiũ viuificantẽ. Cõmunicatio fit per esum carnis Christi: qui fit per fidẽ, vi Spiritus sancti in nobis excitatã, in Christum crucifixum, quatenus sc. credimus eum dedisse carnem suã pro mundi vita. Hoc est enim quod in summa disseruit in eo sermone Christus. Idem traditur in Epist. Ioh. 5. 11. &c. *Hoc est testimoniũ* (summa Euãgelij cœlestis) *quod vitã æternam dedit nobis Deus Pater* (ecce fontem) *Et hæc vita in Filio eius est* (ecce progressum vitę ad nos) *Qui habet Filiũ* (hoc est edere carnem Christi) *habet vitam, &c.* At quomodo habetur Filius carόque eius editur? Per fidem. Ideo subdit: *Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomen Filij Dei, vt sciatis quod vitam habetis æternam* (nempe per hanc fidem in Filium Dei) *& vt credatis* (magis scilicet ac magis) *in nomen Filij Dei*. De Christo igitur, tanquam Mediatore, si hunc locum interpretemur: minime sequetur, eum ideò aut non esse Deum, aut minorem esse patre, quia vim viuificandi à patre habet. Sed tantùm sequetur: eum ratione officij patre inferiorem esse, id quod nemo inficiatur.

VII. Locus 15. ex Io. 10. v. 35. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura. Quem Pater sanctificauit, & misit in hunc Mundum, &c.* Hinc bifariam argumentabantur Ariani. Primum hoc modo:

Christus à Pari argumentatur. Ostendit enim, si sine blasphemia qui funguntur Magistratu, appellantur dij, & filij Excelsi: Ergo neque se accusari posse blasphemiæ, quod dixerit se Filium esse Dei. Nã & ipse sanctificatus est, id est, ordinatus à Patre ad mun⁹ Messię, & ad gubernationẽ Ecclesię.

Ergo nõ alia ratione indicauit se Filium Dei esse, & Deũ, quàm ea, qua etiam reliqui homines in magistratu constituti dij appellantur, ratione scilicet officij, non autem naturę.

Res. Negatur assumptum. Non enim à Pari argumentatus est Christus, sed à minori ad maius, vt aliàs ostendimus, in hunc modum, Si illi, quibus aliorum quorundam gubernatio commissa est. hac de causa, hoc est, propter hanc gubernationem. dij in Scripturis vocantur, atque ita vocantur dij, vt quicunque illos vocet, Deos, non propterea blasphemet, aut contra Scripturam peccet, quantò iustius nomen Dei competit illi, quem Pater sanctificauit, hoc est, quem ad officium Mediatoris, etiam antequam veniret è cœlo, destinauit, capú que Ecclesiæ constituit, & postea per carnis sumptionem misit in Mundum, ad alios scilicet sanctificandos, & seruandos? Atque ita hominem factum omnibus etiam Spiritus sancti donis perfectissime ornauit, diuinaque operandi virtute proprium & genuinum suum Filium esse declarauit? Hæc est Christi argumentatio. Non igitur à pari argumentatus est: sed à minori ad maius. Ac proinde se non eo, quo alij, modò Filium Dei Deúmque prædicare voluit, nempe officio duntaxat, sed natura: quia scilicet in cœlo erat antequam venisset in mundum, ibi patrem habebat Deum. Vim enim habent hæc Christi verba hoc ordine posita. quòd primò ait se fuisse sanctificatum à Patre, antequam mitteretur in mundum: deinde dicit se fuisse ab eodem Patre missum in mundum. Docet igitur primò se prius fuisse (non tamen localiter) extra mundum, apud Patrem. Extra mundum autem quid est aliud quàm regnum cœleste, vbi Deus regnare cum primis dicitur? Deinde docet se fuisse Filium Dei, etiã antequam (per carnis scilicet sumtionem) mitteretur in mũdum. Ait enim se fuisse missum à Patre, nempe Deo: indicans se fuisse prius apud patrem suum, quàm fieret homo. Postremò se verum esse Deum etiam ab officio docet, ait enim se fuisse missum in mundum, non in aliquam vrbem aut regiam vt alij magistratus ad certum aliquem locum mittuntur, sed in mundum, vt scilicet vbique sit, & totum regat mundum, tanquam totius mundi Seruator, Mediator, Sanctificator, Rex. Hoc autem munus in puram creaturam competere nequit. Confirmauit igitur Christus, Iudæos non fuisse falsos in eo, quòd iudicarent illum vere se Filium esse Dei natura indicare voluisse, quum dixit, se & Patrem vnum esse. Sed in eo sibi ab illis fieri iniuriam, quòd propterea diceret se blasphemare, quasi reuera talis nõ esset.

VIII. Deinde ex eodem loco sic argumentatur.

Christus ait se fuisse sanctificatum à Patre. Quod autem sanctificatur creatura est, non Deus.

Resp. Ambiguitas est in verbo sanctificandi, & alio sensu accipitur in verbis Christi; alio in propositione. Aliquem enim à Deo sanctificari intelligi potest bifariam. Primùm, pro ex non sancto, sed polluto: mundari & purificari. Sic dicitur Christus sanctificare Ecclesiam: mundans eam lauacro aquę. Eph. 5. 26 Certè qui ita sanctificantur, non possunt esse nisi creaturæ. Et sic accipitur in propositione. At Christus non fuit ita sanctificatus, neque quã λόγος, neque etiam quà homo. Fuit enim semper sanctissimus. Quãquã quis possit improbare, si quis dicat Filiũ ante assumtã carnem fuisse sanctificatum, hoc est, in æterna sui generatione genitũ sanctum, sicut & pater sanctus est? Deinde significat aliquem Deo consecrari, seu ad diuinum vsum eximiúmque aliquod munus e reliquis segregari & destinari. Sic Deus dicitur sibi Sabbathũ sanctificasse: hoc est, è reliquis diebus sibi ad vsum sacrum selegisse & consecrasse. Et significatio hæc frequentissima est in Scripturis: vnde & populus Dei dicitur Deo sanctificatus. In hac significatione accepit hîc Christus, quũ dixit se fuisse à Patre sanctificatum. Fuit enim totus, & quà

λόγος & quà homo, ad officium Mediatoris, & vt caput esset Ecclesiæ, etiam ante assumtam carnē, solus ex tribus personis & ex omnibus creaturis, destinatus & consecratus. Quis autem hinc colligat, Christum puram esse creaturam? Annō potuit secunda persona, hoc est, Filius ex consilio & voluntate non tam Patris, quàm etiam sui ipsius & Spiritus sancti ad hoc officiū ante iacta mūdi fūdamēta destinari? Et deinde per carnis assumtionē mitti in mundū, ad officiū Mediatoris perficiendum? Est. n. Christus Mediator, nō tantùm quà homo, sed etiam quà λόγος, Deus: & proinde ad hoc officiū ante mundi cōstitutione suæ ex consilio ac volūtate Patris & sua & Spiritus S. destinatus. At à solo Patre ait se sanctificatum. Vni tantùm patri hāc attribuit Christus sui sanctificationē: quoniam pater fons est, vt totius Deitatis, sic omniū consiliorū & actionū diuinarū. Hic igitur locus nil facit ad euertendam Christi deitatem, sed magis ad eam confirmandam.

IX Locus 16. ex Ioh. 11. v. 41.

Pro suscitatione Lazari rogat Patrem.

Opus igitur habebat ope Dei Patris. Quare Deus non est omnipotens.

Resp. Patres respōdent: Christū quà homo est, rogasse patrē, & quà homo, opus habuisse patris ope. A proprietatibus autē humanæ naturę Christi aduersus eiusdē Deitatē, nimis infirmū est argumentū. Proinde fallacia est à dicto secundū quid, ad dictum simpliciter. Sed dici etiā potest, Christū rogasse Patrē quatenus Mediator erat, & est. Hoc enim fuit & est Mediatoris officiū, Patrē pro nobis orare, & apud illū intercedere. Et ratione huius officij Christū inferiorē esse Patre sæpius dictū est. Neq; tamē hinc consequitur, Christū ad Lazari suscitationē simpliciter opus habuisse ope Patris, eōque verū Deū non esse. Fallacia est non causę vt causæ. Neq; enim rogauit Patrem, quòd ipse non posset simpliciter Lazarum à mortuis excitare. Sed alia fuit causa; nempe vt omnibus indicaret, se nihil agere nisi ex voluntate & ex virtute patris, quo eùm sæpe dixerat se vnum esse: ac proinde vt ab omnibus crederetur à Deo Patre missum esse. Hanc ipse Christus exprimit, dicens: *Sed propter turbā circūstantem dixi, vt credant, quòd tu me miseris.* At si Deus erat, cur non suā rogabat Deitatem? Quasi verò obscurum sit in Scripturis, quāobrem Christus omnia referret ad Patrē; nempe tum quoniam Pater fons est Deitatis; tum vt significaret se à Patre missum esse: tum denique vt omnium animos ad Deum reuocaret, atq; ita paulatim in cognitionem etiam Filij adduceret. Interim nouimus diuinam in Christo naturā non fuisse ociosam. Verùm non omnem suam vim palàm exerebat; quia Filius semetipsum exinanuerat vsque ad mortem. Hac igitur de causa ad resurrectionem vsque suam occultabat Deitatem, & omnia à Patre petebat; illique accepta ferebat.

X. Locus 17. ex Io. 14. v. 10. *Pater, qui in me manet, ipse facit opera.* Non igitur ipse edebat miracula, sed Pater in ipso.

Quare non erat ipse omnipotens Deus.

Resp. Negatur sequela. Alibi enim dixerat: *Quæcunque operatur Pater, eadem ὁμοίως operatur & Filius.* Ioh. 5. 19. Nunquam igitur in operibus diuinis separandus est Filius à Patre. Quare quum ait: *Pater in me manens, &c.* Sic explicanda est locutio: Pater ipse facit opera per me Filium. Sicut & omnia per ipsum à Patre facta sunt. Attribuit autem hoc Patri, vt iam millies dictum est: quia Pater fons est, vt Deitatis, sic diuinarum actionum. Sed præterea nomine Patris, vt antea non semel dictum est, sæpenumerò ipsa Christi Deitas, quæ vna & eadem est cum Patris essentia, intelligitur. Quare quum ait, *Pater in me manens, &c.* docet se non sua, quatenus homo est, sed vi suæ Deitatis illa edere miracula; quæ in illa humana natura, instar animæ in corpore, habitabat, manebat, & operabatur.

XI. Locus 18. ex Ioh. 14. v. 28. *Vado ad Patrem: quia Pater maior me est.* Hoc dictum ad rauim vsque vrgebant Ariani, & inde inferebant; Christus igitur non est Deus Patri æqualis.

Resp. Triplex est huius loci interpretatio, Augustinus tom. 3 de Trin. t. lib. 1. cap. 1. & in Ioh. dictum hoc interpretatur de Christo quà homo est; eum scilicet minorem esse Patre, & hanc adfert rationem, cur de Christo interpretatur, quà homo est; quoniam, inquit, non ascendit ad Patrem quà Deus est, sed tantùm quà homo. Ait autem Christus se ire ad Patrem, quia maior se sit Pater. Ergo de Christo quà homo est, intelligendus est locus iste. Confirmat hoc dicto illo ad Philippenses; *Qui cùm esset in forma, &c.* Philip. 2. 6. Ibi enim quomodo æqualis sit Patri & minor Patre explicatur: æqualis, quatenus in forma Dei erat: minor, quatenus formam serui acceperat. Sic etiam Ambrosius de fide ad Gratianum libr. 2. cap. 4. ad humanitatem Christi dictum hoc refert. Basilius de Christo, quatenus Filius est Dei, & λόγος, interpretatur. Ac quòd de se loquatur Christus, quatenus Filius est Dei, Patri ὁμοούσιος; hanc adfert rationem, quia κυρίως τὰ συγκριτικὰ ἐπὶ τῶν ὁμοειδῶν, οὐκ ἐπὶ τῶν ἑτερογενῶν λέγεται. Non enim proprie dicitur homo maior asino vel equo; sed homo homine, equus equo. Quare absurdum fuerit, iuxta hanc Basilij regulam, dicere, Christū hic se quatenus homo est comparasse patri; & suæ carnis respectu dixisse, Patrem maiorem se esse. Sed quo sensu pater maior sit Filio, disputat in hūc modum. Non vno tātùm modo aliqua res dicitur altera maior. Aliquis enim dicitur altero maior aut μεγέθει: nō sic est pater Filio maior. Est enim Pater incorporeus, & Filius etiā, quà λόγος est, incorporeus: aut χρόνῳ neq; hoc modo pater maior est Filio, id est, antiquior. Tēpora enim omnia & secula per ipsum Filium cōdita sunt. Heb. 1. 2. Aut ἀξιώματι: hoc est, autoritate & dignitate. Neque hoc modo Filius minor est Patre. Neq; enim factus est, quod aliquādo non fuerit, sed habuit semper quicquid & Pater habet Io. 17. 10. Et omnia quę sunt Patris, sunt & Filij Io. 5. 19. Aut δυνάμει Neque sic Pater maior est Filio. Quæcunque enim operatur Pater, eadem operatur & Filius, idque ὁμοίως. Honorem igitur magis hoc dictum Filij ad Patrem significat, quā ἰσότητα τῆς αἰτίας. Et huius honoris ratio est; (quia vt alibi docet Basilius) Filius est ex Patre, Pater autem à nullo est. Filius est genitus, Pater autem ingenitus. Ideò concludit contra Eunomium; Lib. 1. λείπεται τοίνυν κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον, ἐνταῦθα τὸ μεῖζον λέγεσθαι ἐπειδὴ ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἡ ἀρχὴ τῷ υἱῷ, κατὰ τοῦτο μείζων ὁ πατὴρ ὡς αἴτιος καὶ ἀρχή. Et mox, ὁ πατὴρ μείζων ἐστὶ κατὰ τὴν αἰτίαν. Patris autem nomen quid aliud, inquit, significat, quàm esse causā & principium Filij genitū? &c. ὡς εἶναι αἰτίαν, inquit, etiam secundùm nostram sapientiam, μείζων καὶ ἐλάττων λέγεται. Summa, vt Dialecticè loquamur: Pater non est maior Filio, quoad prædicamentū (vt ita mihi liceat loqui) substantiæ, neque quoad prædicamentum quātitatis, neque qualitatis, neque situs, aut aliud prædicamentū: sed tantùm quoad prædicamentum relationis. Verùm hoc nō tollit Filio substantiam seu Deitatem. Sic etiam Nazianzenus εἰ καὶ ἔστιν τὸ μεῖζον μου, &c. τῆς αἰτίας, τὸ ἴσον τῆς φύσεως. Hoc igitur modo dici orthodoxe potest, Patrem, quà Pater est, maiorem esse Filio, quà Filius est, nō autem qua Deus est. Quia etsi eadem vtriusque est Deitas, eóq; alter æqualis est alteri ἰσότιμος: tamen Filius est è Patre genitus, & ea re quodammodo Pater causa est Filij, vt Græci Patres loquuntur. Ambrosius tamen de fide ad Gratianum, lib. 2. 4. contendit, Patrem, quà Pater est, non esse maiorem Filio, quà Filius est: & duabus nititur rationibus. Ioannes ait de Iudæis: *Voluerunt eum interficere, quia Patrē suum dicebat Deum, æqualem se faciēs Deo.* Io. 5. 18. Sunt autem hæc verba Diui Iohannis, non Iudæorū. Ergo quà Filius, æqualis est Patri. Item dicit Christus, *Quæcunque operatur Pater, eadem ὁμοίως operatur & Filius.* Ergo quà Filius, equalis est Patri. Sed facile conciliantur ambo hi Patres. Ambrosius enim spectat naturam & essentiam: quæ cùm æqualis sit, imò eadem in Filio quæ & in Patre; huius respectu Pater non potest dici maior Filio; id quod etiā Basilius defendit. Basilius autem loquitur de origine, deq; proprietatibus personarum Pater enim ideò Pater dicitur, quia Filium genuit, cùm ipse sit ingenitus. Filius verò ideò dicitur Filius, quia ex Patre genitus est. Harum autem proprietatū respectu quid absurdi est dicere; patrem maiorē esse Filio. Alteram enim responsionem adfert Basilius. Pater maior est Filio, ὡς αἴτιος καὶ ἀγέννητος: hoc est, nō simpliciter maior est, neque quasi alterius essentiæ sit atque naturæ. Ita fallacia fuerit à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Imò hinc concludit, Filium ὁμοούσιον esse Patri. Nam κυρίως τὰ συγκριτικὰ ἐπὶ τῶν ὁμοουσίων, οὐκ ἐπὶ τῶν ἑτερογενῶν λέγεται. Non enim (vt ante dixi) propriè dicitur homo maior equo: sed homo homine: equus equo. Consequitur ergo, Filium ὁμοούσιον esse Patri. Quare tantùm abest vt hic locus tollat Christi Deitatē, vt potius eam confirmet; de Basilij sententia. Tertia interpretatio est: Christum non hic loqui neque de sua humanitate: sed de se, quatenus Mediatore. Pater superior est Mediatore; nos infimi: Mediator medius est. Est igitur perinde atque si dicat Apostolis: Cupitis me in mundo retinere? At præstat ascendere ad patrem, hoc est: ad fontem omnis felicitatis, quia pater maior me est, hoc est: quia status ille cœlestis apud patrem præstantior est isto. Christus enim vt Mediator, peracto illo, quod hic in terris perficiendum ipsi erat, officio, ascendit in cœlum, in gloriam patris, vt ibi Mediatorem etiam ageret, Patrē pro nobis interpellando. Qua re ratione officij semper minor est patre. In summa eon paprat non suam naturam cum natura Patris: sed suum præsentē statū cū statu Patris, in quo paulò pòst futurus erat. Christus erat in statu misero, obnoxius multis malis, morti denique ipsi. Pater liber iis omnibus, in summa felicitate. Ergo huius status respectu Pater maior Filio. Ideò iubet Apostolos lætari quòd ascendat ad Patrē, id est, ad statū illū felicē in quo & Pa-

& Pater. *Si diligeretis me, gauderetis quod vado ad Patrem*; vt scilicet sim cum illo in statu cœlesti: ratio, *quia Pater maior me est*, id est felicior. Sed certè Augustini interpretatio optima est. Ascendit enim Christus in cœlum vt homo; & eam ibi gloriam accepit apud Patrem, quam ei prædestinauerat.

XII. Locus 19. ex Iohan. 14. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ex hoc & aliis locis, vbi Christus dicit se mãdata accepisse à Patre; contendebant Ariani, Christum Patre minorem & inferiorem esse.

Resp. Non sequitur: accepit mandata à Patre, ergo simpliciter inferior est Patre. Accipere enim potest mandata æqualis ab æquali, ex vtriusque consensu: vt frater à fratre; ciuis à ciue, Princeps à Principe. Sic Christus, quà λόγῳ & Filius est æternus, accepit mandatum à Patre, tãquam æqualis ab æquali, quo ad essentiam, vt ante dictum est. Quodnam autem hoc fuit mandatum? Consilium & decretum de mittendo Filio ad officium Mediatoris faciendum: hoc est, ad voluntatem patris patefaciendam & implendam: de hoc mandato ipse ait; *Ego à meipso non locutus sum, sed qui misit me Pater, &c.* Ioh. 12. 49. Item ad moriendum vltrò pro peccatis nostris, & deinde ad resurgendum propter nostram iustificationem. De hoc mandato ait: Ioh. 10. 18. *Potestatem habeo ponendi animam meam &c. hoc mandatum accepi à Patre meo.* Hæc & alia mandata accepit Filius, quà λόγος in cœlo; vt æqualis ab æquali; & mandata non tam Patris quam etiã sua. Idem enim decretum & voluntas Patris & Filij. Vt homo etiam omnia mandata accepit à Patre, vt inferior à superiore. Præterea accepit à Patre, vt Mediator; & ideò vt inferior à superiore. Sic enim inferior est patre, ratione officij, vt dictum est. Non sequitur ergo simpliciter Filium inferiorem esse Patre, quia ab eo accepit mandata: sed tantùm secundum quid, hoc est, quoad humanam naturam, & quoad Mediatoris officium.

XIII. Locus 20. ex Ioh. 14. v. 26. de Spiritu sancto loquens ait, *Quem mittet Pater in nomine meo.* Apud Ioëlem autem Iehoua promisit se hunc Spiritum effusurum. Ioël. 2. 39. Ex his duobus locis, sed detortis sic argumentantur quidam Ariani.

Is tantùm est verus Deus & Iehoua, qui promisit se effusurum Spiritum sanctum super omnem carnem. Hoc docet Ioël.

Atqui solus Pater misit hunc Spiritum, eóque & promisit, vt docet Christus, Ioh. 14. 26.

Solus igitur Pater, non autem Christus, verus est Deus.

Resp. Maior propositio vera est, si nomen Iehouæ essentialiter & indefinitè recipiatur. Si ad Patrem tãtùm restringatur, falsa est. Non potest enim in illa promissione separari Filius à nomine Iehouæ, vt liquet ex Ioelis contextu. Sic enim ait Iehoua: *effundam de Spiritu meo.* Cuius autem est iste Spiritus? Non solùm Patris: sed etiam Filij, vt suprà demõstrauimus. Quòd si quisquam excipiat; At dicitur Spiritus Christi in nouo Testamento; quia Christo homini fuit donatus: Hunc conuincit Spiritus ipse, qui per Petrum loquẽs ait: *Spiritus Christi qui in ipsis erat Prophetis, prædixit, &c.* 1. Pet. 1. 11. Erat igitur etiam ante carnem Christus; & Spiritus, huius Christi erat Spiritus. Quare firma manet propositio nostra, ab illo nomine Iehouæ, qui apud Ioelẽ promisit suũ Spiritũ, non esse separari Christum. Atque hæc est responsio ad maiorem aduersariorum propositionem, qua dicunt illum solum esse verum Iehouam, qui promisit se effusurum suum Spiritum. Ad minorem verò; Atqui solus Pater misit hunc Spiritum, respondemus falsam esse: si ita intelligas solum Patrem, vt excludas Filium. Nam primò Christus non addit particulam solus; deinde pugnaret cũ vaticinio Ioëlis: denique Christus ipse dicit de hoc Spiritu, *Quum autem venerit Spiritus ille paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*, Ioh. 15. 26. Sic igitur intelligenda est locutio Christi; nempe quòd Pater miserit Spiritum sanctum per Filium. Sicut etiam omnia alia agit per Filium; & ita per Filium, vt Filius etiam agat & mittat cum Patre.

XIV. Locus 21. ex Ioh. 15. v. 1. *Ego sum vitis, vos palmites: & Pater meus agricola.* Hinc arguebant Ariani. Palmites quidem sunt eiusdem naturæ cum ipsa vite, sed vitis nõ est eiusdem naturæ cum Agricola. Ergo vitis etsi nobis ὁμοούσιος est, quia ille vitis, nos palmites: non tamen Patri est ὁμοούσιος; cùm Pater sit Agricola, Christus autẽ vitis. Sic Eunomius, vt recitat Basilius, cont. Euno. lib. 4. Item sic argumentabantur. Vitis inferior est Agricola: Ergo & Christus Patre.

Resp. Primò, ex meris parabolis nullum certum dogma elici potest, cùm omnia figuratè dicantur. Deinde Ambros. de fide ad Grat. lib. 4. c. 7. ait, non esse hæc ad diuinam Christi naturam transferẽda, quòd alioqui duplex fiat iniuria Filio, & duplex Patri. Prima iniuria in Filium hæc est, si ideò Christus concluditur esse minor Patre, & non illi ὁμοούσιος, quia vitis est, Pater autem Agricola: fuerit igitur etiã Paulo Apostolo minor, quia Paulus fuit Agricola, sicut docet, scribens ad Corinth. *Ego plantaui, &c.* 1. Cor. 3. 6. Altera: Ergo nos quoque eiusdem diuinæ naturæ sumus, cuius & ipse, quia sumus palmites ipsius vitis. Patri prima quæ fit iniuria hæc est, Ergo Paulus æqualis est Patri, est enim & ipse Agricola. Altera, Ergo Pater nihil est, seu parui est momenti, & supra ipsum alius est Deus qui potentior est. Sic enim ait Paulus: *Neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid est: sed qui incrementum dat, Deus.* 1. Cor. 3. 7.

XV. Locus 22. ex Iohan. 17. v. 1. *Glorifica Filium tuum.* Petit Christus à Patre glorificari.

Ergo minor est Patre, neque eandem gloriam habet, quam Pater.

Resp. Quidam volunt, Christum hîc ea tantùm parte, qua homo est, inuocasse Patrem, & petisse vt se glorificaret. Ideò Basil. contra Eunomium ait: Christum petisse se à Patre glorificari, non θεϊκῶς, sed ἀνθρωπίνως; hoc est, non quatenus Deus, sed quatenus homo est. Hunc permulti sequuntur, & nomine gloriæ intelligunt resurrectioné à mortuis, ascensionem in cœlum, & sessionem ad dexteram Patris. Ita facilis est responsio ad argumentum Arianorum: Christum ea parte qua petit glorificari minorem esse Patre. Petit autem ea duntaxat parte, qua homo est. Veruntamen idem Basilius docet, posse etiam θεϊκῶς, vt loquitur, accipi, quum Christus petit se glorificari. Sed tunc sic intelligendam esse petitionem Christi, nempe, vt petat non nouam sibi gloriam dari, sed tantùm vt ea fiat omnibus manifesta, qua ab æterno gloriosus erat apud patrem, hoc est, vt patefiat omnibus, hunc Iesum verum esse & naturalem Dei Filium, eóque verum Deum. Ideò dixit: *Ea gloria quam habui apud te, &c.* Et hæc confirmari videtur interpretatio, quia dicit: *Vt & Filius glorificet te.* Num igitur pater carebat gloria Deitatis, vt opus haberet eam à Filio accipere? Minimè. Sed glorificàre accipit pro gloriam patefacere: vt sit sensus: Patefacias, ô pater, meam gloriam, hoc est, Deitatem mundo, vt hinc tua quoque gloria per me glorificatum, & pro tuo vnigenito Filio veróq; Deo agnitum, magis ac magis illustretur. Quemadmodum si Radius Solis obductus nube dicat Soli, Glorifica me, hoc est, libera me hac nube, & patefacias meum natiuum splendorem, vt per me ita illustratum tua quoque lux quanta sit, hominibus magis ac magis appareat. Ex radij enim illustratione, ipsa quoque Solis lux splendidior apparet. Ita tantùm abest, vt ex hoc loco Deitas Christi euertatur, vt potiùs quàm maximé confitemur. Et fallacia fuerit in verbo glorificandi. Significat enim Christus, si hic loquitur vt Deus, se non petere vt nouam gloriam accipiat, sed vt æterna sua Deitas patefiat. Ego verò quum hoc caput explicarem, ostendi, Christum posteaquam primum Pontificis officium, quod est docere, perfecisset, hic fecisse alterum, quod est precari pro se & pro populo, facturum paulò pòst tertium, quod erat offerre sacrificium pro peccatis populi: precatum igitur hic esse, vt Pontificem & Mediatorem. Est autem pontifex ac Mediator non tantùm quà homo, sed etiam quà Filius Dei, Deus. Quum verò dixit, *glorifica me*: illo pronomine, *Me*, se totum intellexisse. Precatum igitur fuisse, vt se totum glorificaret, tam quà Filius Dei Deus, quàm etiam quà Filius hominis homo erat. Ac gloriam Christi, quam petebat, quà homo, fuisse sui corporis à mortuis resurrectionem, sui in cœlos ascensionem & triumphum, suíque ad dexteram patris sessionem, dominatúmque super omnia illustrem atque magnificum. Gloriam autem Christi, quà petebat se quatenus Filius Dei est naturalis glorificari, fuisse Deitatis, quæ hactenus vsque ad mortem carne mortali quasi velo tecta delituerat, plenam patefactionem atque illustrationem: ita vt ab omnibus per totum orbem agnoscatur pro tali, qualis erat & est: verus nimirum & proprius Filius Dei, Deus. Hanc autem precationem sic esse intelligendam, multis rationibus demonstraui. Hæc cùm ita se habeant, apparet ex hac Christi precatione nihil minùs effici, quàm Christum non esse verum Deum, sed contrarium potiùs liquidò demonstrari, nempe hunc esse æternum verúmque Deum, patri per omnia natura æqualem. Verum quidem est, respectu & humanæ naturæ & officij mediatoris inferiorem esse Filium patre, sed respectu æternæ suæ gloriæ, hoc est, Deitatis, omnino patri æqualem & patrem esse docemus. Ad argumentum igitur Arianorum: Christus petit à patre glorificari, patre igitur minor est: sic respondendum est dialecticè: verum est, at non simpliciter, sed quatenus petit glorificari. Petit autem quà homo, & quatenus Mediator ac pontifex, glorificari. Ratione igitur humanæ naturæ & officij Mediatoris inferiorem esse patre, sed non simpliciter tota eius natura, concedimus.

XVI. Loc.23.ex Ioh.17.vers.3. *Hæc est vita æterna,vt cognoscant te solum verum Deum,&c.* En,inquiunt, Christus apertè asserit,solum patrem suum verum esse Deum. Et docet salutem nostram in hoc consistere, non vt inquiramus, an alius sit Deus præter patrem: sed in hoc, vt agnoscamus solum patrem verum esse Deum & solum Iesum verum esse Christum.

Resp. Ostendimus aliàs illam exclusiuam, Solus,coniungendam esse non cum subiecto *Te*, sed cum prædicato, *verum esse Deum*: Sic enim habet græcè; αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε (ὄντα) τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, vt hic sit sensus: Hæc est vita æterna, vt homines agnoscant Te, (qui scilicet me misisti, & cuius Filium me esse perpetuò prædicaui (Te,inquam,esse illum solum (id est,vnicum)verũ Deũ, quem sc. prędicãt Scripturę:&extra quẽ non est alius. Certè Scripturę prædicant vnum tantùm esse verum Deum. Sed nisi quisnam iste sit cognoscatur: vitam æternam assequi nemo potest. Docet igitur Christus,hanc esse saluificam Dei cognitionem: nempe, si agnoscamus Patrem suum, hoc est, Iesu Christi; per quem Christum noster etiam factus est Pater: esse hũc,qui vnicus & solus est,Deum. Et Iesum huius μόνου καὶ ἀληθινοῦ θεοῦ Filium: & qui ab hoc Deo missus est ad dandam nobis vitam æternam,esse illum vnicum & verũ Christum,quem itidem Scripturæ promiserant. Quis autem hic non videat, etsi dicamus Patrem Christi esse illũ vnicum & verum Deum,quem Scripturæ prædicant; non hinc tamen consequi: Filium huius veri Dei à natura & essentia huius sui Patris excludi,& verum non esse Deum? Tãtùm.n.asseritur,Patrem Christi esse illum verum & vnicum Deum,extra quẽ(vt Scripturæ tradunt)non est Deus. Sed interim nõ negatur: Filium huius veri Dei esse cum Patre hunc verum & vnicũ Deum. Ratio est,quia particula exclusiua, μόνον, non coniungitur cũ subiecto. *Te*:sed cũ prædicato, *verum Deũ.* Ac proinde excluduntur quidem omnes alij Dij,& vnus tãtùm esse docetur verus Deus, sed ab hoc vero & vnico Deo non excluditur Filius, aut etiam Sp.sanctus. Iohannes certe non excludit Filium,cùm alibi dicat: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* 1.Io 5 20. Quare si quis ita argumentetur: Pater Christi est ille vnicus verus Deus, qui omnia condidit, & quem prædicant Scripturæ: Ergo Filius huius Patris non est vnà cũ Patre ille verus & vnicus Deus: perinde argumẽtabitur,atque si ego quoque ita ratiocinarer: Sol,à quo procedunt radij,est illa vera ac vnica lux,quæ mundum illuminat ac viuificat: & extra quam non est alia vera & viuifica lux. Ergo radij, qui ab hoc sole oriuntur, non sunt vnà cum Sole illa vera & viuifica lux. Quis non videat fallaciam huius consequentiæ? Imò cõtrà sequitur: si Sol est illa vera lux: ergo Solis radij sunt vnà cum Sole illa vera & vnica viuifica lux. Sic certè sequitur: si Pater Christi est verus & vnicus ille Deus; & Christus est vnicus & proprius huius Patris Filius,ad hoc in terram missus,vt per hunc, tanquam per suũ radium, Pater mundum illuminet & viuificet: Ergo Filius quoque vnà cum Patre est ille verus & vnicus Deus, extra quem non est alius. Locus igitur hic,si ita legatur,vt ostendi esse legendum, tantum abest, vt Christum à vera Patris deitate & essentia excludat:vt potiùs confirmet eum esse eiusdem cum Patre essentiæ & deitatis. Quare hîc est fallacia, quæ dicitur diuisionis, & compositionis. Particulam enim, μόνον, diuidunt à prædicato, & componunt cum subiecto: cùm contrarium fieri debeat. Sed etiamsi receptam sequamur versionem. nempe,vt dictio, μόνον, cum pronomine, *Te*,coniungatur: ac legamus, & cognoscant te solũ esse verũ Deum; nihil tamen effeceris contra veram Christi deitatẽ, quia hac voce, solus, non semper excluduntur omnes simpliciter ab eo, quod de aliquo prædicatur. Illi enim includũtur,qui ad eũ quo de agitur, in eadem re,quę prędicatur, pertinent. Solus Iulius Cæsar debellauit Gallias: subintelligitur cum suo exercitu. Non excluduntur igitur duces & milites,qui ad Cæsarem pertinebant:ab ea, quæ de Cæsare prędicatur, debellatione. Item si dicas, solus Christus est Mũdi seruator: non excluditur Pater, qui semper est in Filio & operatur in Filio; neque Spiritus sanctus,qui est Spiritus Christi, & per quem Christus operatur in cordibus electorum,& ambo sunt cum Christo,eiusdem οὐσίας. Excluduntur igitur duntaxat omnes creaturæ,quia hæ non sunt cũ Christo eiusdem οὐσίας, aut virtutis in operãda salute nostra; eóq; nec σωτῆρες sunt σωτηρίας. *Nemo bonus*, inquit Christus,sc. simpliciter,vere & per se, *nisi solus Deus* Luc.18.18. Ab hac igitur bonitate excluditur illud tantùm,quod nõ est Deus. Quare si de Patre dictum intelligas, nec Filius, nec Sp.sanctus excludi possunt:quia vnus sunt cum Patre Deus. Qui(Deus) extendit cœlos solus, vt est apud Iobum; 9.8.hoc est,solus Deus extendit cœlos. Etiamsi hoc dictum de Patre interpreteris, Filium tamen excludere nequis: quia is vnus est cum Patre Deus: & per quem Deus Pater omnia operatur, Imò euincitur esse Deus, quia is quoque cum Patre cœlos extendit: vt docet Apostolus ad Heb.1.vers.10.dicens: *Opera manuum tuarum sunt cæli.* De Patre ait Apostolus. 1.Tim.6. vers.16. *Qui solus habet immortalitatem*:& tamẽ Christus etiã habet immortalitatẽ:& habitat lucẽ inaccessam. De Christo ait Petrus; *Non est aliud nomen sub cœlo,in quo oporteat nos saluos fieri;nempe nisi nomen Domini nostri Iesu Christi.* Act.4.12. Seruamur tamen in nomine Patris quoque, & Sp. sancti. Particula igitur exclusiua non excludit Patrem,aut Sp.sanctum. Apud Matth.cap.4.vers.10. scimus Christum dixisse; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*:& tamẽ seruimus etiã Christo,& illũ adoramus. Ita hîc solus Pater dicitur esse verusDeus. At etiã Filius alibi vocatur verusDeus. Particula igitur solus nõ excludit Filiũ. Quid igitur excludit? omnes creaturas,& quæ ad essentiã Patris nõ pertinent. Deinde vox,Deus,bifariã accipi solet; οὐσιωδῶς, καὶ ὑποστατικῶς. οὐσιωδῶς,quum ipsam totam essentiam diuinam Scriptura significat,sicut passim occurrũt exempla; *vt Dominum Deum tuum adorabis*,&c. ὑποστατικῶς & personaliter, quum ea voce certa significatur persona; vt quum ait Apostolus 2.Cor.1. vers.3. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*; nomen Deĩ hic Patrem tantùm indicat & significat Deum, ἀγέννητον. Ergo quũ accipitur οὐσιωδῶς; si addas particulam,solus,hac particula nulla diuina excluditur persona, quoniã omnes sunt ὁμοούσιοι. Quare etsi de vna tantùm persona aliquando prædicetur,vt hoc in loco de solo Patre;quia tamen prędicatur οὐσιωδῶς, idcircò,neque Filius,neque Spiritus sanctus excluduntur,propterea quòd ὁμοούσιοι sunt ipsi Patri. Quanquam etiam οὐσιωδῶς accepit hæc vox Deus; prædicatur de Patre principaliter,& κατ' ἐξοχὴν. nõ sic autem de Filio & Spiritu S. Tunc igitur si addatur particula, solus, Filius & Spiritus sanctus excluduntur; quia neuter illorum est principaliter Deus;sed solus Pater. Si verò ὑποστατικῶς accipias;nẽpe aut expressa,aut subintellecta cuiusq; proprietate; quæ sunt ἀγεννησία, γέννησις, ἐκπόρευσις: tunc particula,*solus*,reliquæ excludũtur personæ. Et verũ fuerit dicere,solus Pater est Deus;nempe ἀγέννητος. Solus Filius est Deus;nimirum γεννητός. Solus Spiritus sanctus est Deus:scilicet ἐκπορευτός. Ergo iuxta has varias harum duarum vocum, Dei, & solius, explicationes varie locum hunc interpretari possumus. Quę tamen sit vera & genuina interpretatio,dictum est priori loco.

XVII. Loc.24.ex Ioh.20.17. Christus ait Apostolis: *Ascendo ad Patrem meum,& Patrem vestrum: Deum meum,& Deum vestrum.* Hinc argumentantur Ariani.

Eodem modo Deus est Pater & Deus Christi; quo etiam est noster Pater & Deus. Sine vllo enim discrimine Christum Deum vocat Patrem suum,& Patrem nostrum:Deum suum,& Deum nostrum.

Atqui Deus ideò est Pater noster:non quod nos è sua genuerit substantia; sed tantùm quòd adoptârit in filios per gratiam;& suo Spiritu regenerârit.

Ergò neque Christi ideò est Pater, quòd eum genuerit è sua substantia,sed tantùm quia gratia adoptionis & plenitudine Spiritus, qui in illum tanquam in primogenitum largissimè effudit:eum peculiariter sibi delegit, & assumsit in Filium. Deinde si Deus est Christi, sicut & noster: vt igitur nos non sumus Deus:ita nec Christus.

R. Negatur maior. Ad rationem autem, qua illam conantur confirmare,facilis est responsio. Etsi non apertum faciat hoc Christus discrimen, illud tamen indicat, dùm non ait: Patrem nostrum,sed, *Patrem meum,& Patrem vestrum.* Alibi verò apertè explicatur: longè alia ratione Christũ esse Filiũ Dei,quã nos simus;nimirum quòd ille,& quã λόγος,sit proprius,eoq; de propria Patris substãtia Filius;&quã homo,sit etiam natus Dei Filius;tũ quia conceptus de Spiritu sancto, qui est virtus Altissimi;tum quia vnione personali caro,hoc est,humana natura,vnita est τῷ λόγῳ,naturali Dei Filio. Nos verò sumus facti filij Dei,tantũ gratia adoptionis & regenerationis. Quare tãta cũ sit dissimilitudo in nostrã & Christi filiatione:nihil concludit argumentum:est enim à non verè cõparatis,seu à dissimilibus. Ad alterũ,quòd Christus suum Patrem suum vocet Deũ:hoc non intelligitur simpliciter & absolutè. Respectu enim diuinæ in Christo naturæ:Pater eius non dicitur ipsius Deus:sed humanæ naturæ respectu & ratione etiam officij Mediatoris. Bifariam enim Deus dicitur esse alicuius Deus. Primum creatione & gubernatione. Hac de causa dicitur omnium Deus in quo viuimus, mouemur & sumus. Deinde confœderatione. Hoc modo dicitur speciatim Deus populi Iudaici,& Ecclesię: *Ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te.* Gen.17 7. Vtroq; modò Pater Christi Deus etiam Christi dictus est, tum quia natura humana Christi à Patre creata est,sed per Filium,tum quia Christus cum primis in fœdere erat cum Abrahamo inito, & cum

alijs

aliis Patribus confirmaro. Est enim Christus verum Abrahæ semen, idque κατ' ἐξοχήν. Cæterum non sine causa non dixit Deum nostrum, sed primò, *Deum meum*, postea, *Deum vestrum*. Docet enim, sicut non eodem modo Filius est Dei Patris, quo & nos sumus: quia ille per naturam, nos per gratiam: sic etiam non eodem planè modo, Deum Patrem suũ esse Deum, quo noster est Deus, sed præstantiori ratione, tam quoad creationem, quàm quoad confœderationem. Nam primò nos creauit sine opera nostra: deinde ordine naturali ex semine parentum. At humanam Christi naturam ita ipse Pater creauit, vt per Filium ipsum creârit, & quidem vi Spiritus sancti, perfectissimam omnium creaturarum. Deinde, quod ad fœdus attinet, sumus in fœdere Dei, nõ propter nos, sed propter alium, nempe propter Christum. Christus verò ita est in fœdere, vt caput sit omnium confœderatorum hominum, proinde Mediator noui Testamenti dicitur. Heb. 9 15 Hac de causa, vt Mediator & Põtifex pro omnibus supplicat huic Deo, & Patri suo, & nostro. Et ad illum etiam ascendit, tanquam Mediator, vt ad Deum suum, & ad Deum nostrum. Ex hoc igitur loco nihil contra veram Christi deitatem concludi potest. Sed hoc tantùm elicitur: Christum minorem esse Patre, quà Filius est, & minorem esse Deo, quà homo & Mediator est. Vtrunque autem damus, eo, quo aliàs etiam explicatum est, modo. Sed minimè sequitur, minorem etiam esse simpliciter deitate. Itaque fallacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Deus enim Pater, non est Deus Christi, simpliciter: sed tantum respectu humanæ naturæ, & officij Mediatoris.

XVIII. Locus 25. ex Act. 2. 24. & Rom. 8. v. 11. *Deus*, id est, solus Pater, *resuscitauit eum à mortuis.*

Christus igitur non est omnipotens Deus.

R. Negatur interpretatio dicti Apostolici. Non enim solus Pater eum excitauit, sed etiã Filius seipsum, propria voluntate & virtute. *Soluite templum*, ait Christus, *hoc & ego tribus diebus, &c.* Et: *Potestatem habeo ponendi animam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Io. 2. 19. & 10. 18. Si igitur intelligendæ sunt istæ & aliæ similes locutiones, nempe, quòd Pater suscitauit Christi carnem, humanam scil. naturam: sed per alteram ipsiusmet Filij naturam & essentiam: quæ vna & eadem est cum virtute & essentia Patris. Ita virtus, qua suscitatus est, vtrique attribuitur. Patri quidem, tanquam illi à quo omnia: Filio autem, tanquam illi per quem omnia. Atque huc spectat illud 2. Corinth. 13. v. 4. *Crucifixus fuit ex infirmitate*, humanæ scil. naturæ: *viuit tamen ex virtute Dei*: nẽpe non tam Patris, quàm sua. Si autem viuit ex virtute Dei, vt hic ait Apostolus. Et virtus hæc non tam Patris, quàm etiam ipsius est Filij: vt Christus ipse ait: *Potestatem habeo, &c.* Io. 10. 18. Christus igitur est Deus. Huc etiam accommodari potest illud, *Mortuus quidem carne*, id est, ex infirmitate carnis; *viuificatus autem Spiritu*, hoc est, virtute suæ Deitatis. 1. Pet. 3. 18. Fallacia igitur est non causæ vt causæ. Causa enim resurrectionis Christi efficiens non solus fuit Pater, sed etiam ipsemet Filius; ea nimirum virtute & natura qua mortuus non erat, nec mori poterat: nempe diuina.

## CAPVT XI.

### Refutatio sophismatum, quæ sumunt Antichristi ex Epistolis Pauli ad Rom. & Cor. Tractatio quæstionum, quomodo Christus possit Deus simul & Mediator esse, & quomodo regnum Patri traditurus, illisque subiiciendus sit.

LOCVS 26. ex Rom. 5. v. 10. *Recõciliati sumus Deo, per mortem Filij eius.* Hoc & aliis similibus dictis de reconciliatione cum Deo facta per Christum, abutuntur ingrati in Christum Ariani, ad euertendam ipsius Christi Deitatem. Sic enim in summa argumentantur.

Ille tantùm est Deus, cui sumus reconciliati per sanguinem Christi. Hæc est propositio ex verbis Apostoli.

Sumus autẽ reconciliati ipsi duntaxat Patri, non autem Christo. Apostolus. n. nusquam ait nos recõciliatos esse Filio, seu Christo, sed vbiq; Patri, seu Deo, per Filium eius Iesum Christum. Et certe magnum est discrimen inter illum, cui: & inter illũ, per quẽ sumus recõciliati. Ille Deus est, iste Mediator inter Deum, cui: & inter nos, qui sumus recõciliati.

Christus igitur non est Deus, sed solus Pater.

R. Ad maiorem. Certum est, Apostolum, quoties simili vtitur locutione, nomine Dei intelligere Patrem, propter correlatiuum Filij eius, quod subiungit. Christus enim non est Filius vel sui ipsius vel Spiritus S. sed tantum Dei Patris. Cæterùm ex huiuscemodi locis colligere, illum solum esse Deum, cui sumus per mortem Filij eius reconciliati: nimis vitiosum, & pugnat cum doctrina Apostoli: qui vbique tradit Filium quoque Deum esse. Quare negari po est maior: quatenus illa ex huiusmodi locis Apostoli ab aduersariis cõtra Apostoli doctrinam colligitur. Sed tamen reapse ego concedo, illum tantùm esse Deum, cui sumus reconciliati per Christum. Nam reuera si alius quoque esset præter hũc, cui sumus reconciliati, Deus: aut duos cõstitueremus Deos: vnũ, cui sumus reconciliati: alterum, cui non sumus recõciliati. Aut si ambo vnus tantùm sunt Deus, vt sunt, duo cõtradictoria forent simul vera, nos reconciliatos esse Deo, & nõ esse reconciliatos: quia vni personæ essemus reconciliati, alteri non reconciliati. Et cum ambæ sint vnus Deus, essemus Deo vni reconciliati, & non reconciliati. Quæ omnia sunt absurdissima. Meritò igitur reipsa concedo, illum tantùm esse Deum, cui sumus reconciliati per Christum: & si quis sit cui non simus per Christum reconciliati, hunc dico non esse Deum. Non facilè autem hoc dedero, si addas particulam, *eius* nempe per sanguinem Christi, Filij eius. Tunc enim nomen Dei, ad solã Patris personam restringeretur, & falsa tũc esset maior propositio. Deinde ἀμφιβολία est in iis verbis, Ille tãtùm est Deus. Si enim, ille, personaliter accipiatur, falsa est propositio: si essentialiter, vera est. Atq; hęc ad maiorem. Sed minor simpliciter falsa est: nempe, soli duntaxat Patri nos esse reconciliatos. Sũt enim propriè infinita testimonia in Scripturis, quibus docemur, ipsi etiam Filio nos esse recõciliatos: vt iàm taceã de Spiritu sancto. Ille Iehoua, cui sumus reconciliati, sic ait apud Iesa. 43. vers. 25. *Ego, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* An non Filius etiam delet nostras iniquitates, & remittit nobis peccata? Imò quid aliud est reconciliatio, quàm remissio peccatorũ? Ideò vtrũq; cõiungit Apostolus, dicens 2. C. 5. v. 19. *Mundum reconciliãs sibi, & non imputans illis peccatum ipsorum.* Christum autem remittere peccata, & ea per ipsum purgasse & condonasse extra cõtrouersiam est. Ac certum est, propter rationẽ paulò antè allatam; si non essemus reconciliati etiam Christo & Spiritui sancto, aut Christus & Spiritus sanctus non essent Deus: aut essemus vni & eidem Deo reconciliati, & partim non reconciliati, aut plures essent dij: & vni essemus reconciliati, aliis autem essemus reconciliati. Quare necesse est fateamur, nos reconciliatos esse non solùm Patri; sed etiam Filio, & Spiritui sancto. Prima igitur ratio aduersariorum facilè soluitur. Apostolus (inquiunt) & aliæ scripturæ nusquam ita loquuntur, vt dicant nos reconciliatos esse Filio, aut Spiritui S. sed semper Patri, seu Deo, per Christum Filium eius. Verum est, non hoc ità apertè & disertè scribunt: sed tamen aliis dicendi modis hoc in Scripturis traditur, vt iamiam demonstrauimus. Quòd verò solita sit Scriptura Patri hanc tribuere reconciliationem, non autem ita Filio aut Spiritui sancto, duplex est ratio. Prima: quia Pater sicut fons est totius deitatis, sic etiam omnium diuinorum consiliorum, operationum, & actionum bonæ voluntatis, electionis, amoris, iustificationis, totius deniq; salutis & vitæ. Qua de causa sit etiam, vt sit primus ordine in quem à nobis peccatum est: fons scilicet, in quẽ principaliter nostræ redundant iniquitates. Scriptura igitur, vt indicet fontẽ vnde fluxit hęc recõciliatio, & in quẽ principaliter est peccatũ, solita est dicere, nos reconciliatos esse Patri, non sic autem Filio, & Spiritui sancto. Altera ratio est, quoniã Scriptura indicare vult propria vniuscuiusque personæ officia. Etsi omnia opera Trinitatis ad extra (vt loquuntur Scholæ) sint indiuidua: tamen quædã etiam speciatim singulis personis attribuuntur, tanquã cuiusque propria. Patris igitur, tanquam fontis vnde omnis fluit gratia, proprium est, nos sibi reconciliare, & in gratiam recipere. Huc pertinent Scripturæ, quæ docent nos esse Patri reconciliatos. Filij fuit, tanquã Mediatoris, λύτρα reconciliationis & redemptionis persoluere, & nunc etiam pro eadem intercedere. Itaque huc spectant testimonia, quæ docent, reconciliationem factam esse per sanguinem Filij Dei, & eum pro nobis apud Patrem intercedere. Spiritus autem sancti proprium est, tanquam interni Doctoris & Paracleti, reconciliationem nobis persuadere, & in cordibus nostris eam obsignare: cuius rei testimonia passim in Scripturis occurrunt. His duabus de causis, etsi reuera reconciliati sumus tam Filio & Spiritui sancto, quàm Patri, solita tamen est Scriptura dicere, nos reconciliatos esse Patri: non sic autem vel de Filio, vel de Spiritu sancto loquitur. Altera ratio aduersariorum difficilior videtur ad diluendum: diluam tamen Iesu Christi beneficio. Ea hæc est:

Magnum est discrimen inter illum, cui, & inter illum, per quem sumus reconciliati. Ille enim, cui, Deus est: Ille verò per quem, Mediator.

R. Magnum certe est discrimen inter proprium cuiusque officium: non autem inter essentiam & Deitatem, quæ vna

est vtriusque. Quodnam sit proprium cuiusque officium antea dictum est. Si igitur Christus consideretur quatenus Mediator est: non is proprie nos recipit in gratiam, aut sibi reconciliat, sed Patri. Per hunc enim fit reconciliatio inter Patrem & nos. Si verò quatenus Deus est vnus, atque idem cum Patre: ipse etiam nos in gratiam recipit, & peccata condonat, voluntate Patris semper voluntatem Filij, non tempore, sed ordine, præcedente. Est enim Filij voluntas semper consentiens voluntati Patris. At, inquies, si Filius recipit nos in gratiam, vti & Pater, per aliquem Mediatorem recipiat, necesse est. Non enim fit reconciliatio nisi per Mediatorem. Quis iste fuerit (non enim est alius Mediator) nisi vnus & idem ipse Christus? Quasi verò non vtrunque officium præstare possit idem Christus, nempe & officium recipientis nos in gratiam Dei, & officium Mediatoris, per quem recipiamur tàm à se quàm à Patre in gratiam. Simili illustro. Esto Rex, cui sit Filius, & populus rebellet contra Regem, & ex consequenti contra Filium. Filius autem ex consilio & voluntate patris sui Regis sese interponat inter Patrem & populum, & ita pro populo satisfaciat Regi, vt Rex in gratiam eum recipiat, propter Filij satisfactionē. Annon tunc Filius, facta iā reconciliatione inter Patrem & populū (vt conformis fiat voluntati Patris (eundem populum ipse quoque in gratiam recepisse dicetur? Omninò. At per quem Mediatorem? per seipsum: hoc est, per eādem satisfactionem, propter quam Pater suo reconciliatus est populo. Idcircò quum inuocatur Filius, Dominus noster Iesus Christus, sic solitum est dici: per mortem & passionem tuam libera nos, & parce nobis Domine. Non est igitur absurdum dicere, Filium Iesum Christum vtrunque præstare officiū, & Dei in gratiam recipientis: & Mediatoris, propter cuius satisfactionē in gratiā, tam à Filio ipso, quàm à Patre recipiamur. At nunquid etiā spiritui S. reconciliati sumus per mortē Christi? Omninò. Nam & ipse nobis remittit peccata, vt aliàs ostendimus. At Scripturæ nusquam docent, Christum fuisse & esse Mediatorem inter nos & inter Sp. sanctum, sed tātùm inter nos & inter Patrem. Quomodo igitur dici potest, nos reconciliatos esse Spiritui S. per mortem Christi? Eodem sanè modo, quo dicimur etiam reconciliati esse Filio, propter mortem & satisfactionē eiusdē Filij. Certū est, Christum propriè & iuxta apertas scripturas nos reconciliasse Patri per suam mortē & sanguinē: quia reuera non fuit aut est propriè Mediator, nisi inter nos & Patrem. Sed placato Patre propter mortem Filij: sicut Filius, sic Spiritus S. non potuerunt non esse placati: idq; propter eandē Filij mortem. Sanguis igitur Mediatoris est, propter quē cum primis & principaliter Patri: deinde ipsi etiam Filio, quatenus Deus est, & Spiritui S. quatenus itidem Deus est, reconciliati sumus. Quare à Mediatoris officio, quod Paulus describit ad Rom. & alibi, inferri non potest, Christum non esse Deum, quasi non hic quoque simus reconciliati propter suum ipsius sanguinem: quia per hunc reconciliati sumus Deo Patri. Fallacia igitur est ex ignoratione elenchi. Non enim pugnant inter se, eundem Christum esse & Deum, qui recipiat in gratiam: & Mediatorem per quem recipiamur.

II. Locus 27. ex Rom. 8.34. *Christus etiam nunc in cœlis interpellat pro nobis*. Ergo minor Patre.

R. Quasi verò Christus pro nobis in cœlo interpellet, & agat aduocatū, quà Deus, & non potiùs quà homo, vt Ambrosius ait: aut, quod magis placet, quatenus Mediator est. Eatenus igitur minor est Patre, quatenus interpellat. Interpellat autē vt homo & Mediator, seu Pōtifex. Respectu igitur humanæ naturæ & officij Mediatoris minorē fatemur. Quare fallacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Neq; enim ex eo, quod orat Patrem sequitur, simpliciter minorem esse Patre. Nam etiam Deus per Apostolos orat nos, vt sibi reconciliemur. *Obsecramus pro Christo* (inquit 2. Cor. 5. v. 20. Apostolus) *tanquam Deo orante per nos*: neque tamen sequitur, Deū minorem esse nobis. Est igitur fallacia etiam consequentis. Deinde verò quòd Christus dicitur interpellare pro nobis: non significatur eum apud Patrē supplicem deprecari: sed vim sacrificij Christi esse efficacem apud Patrē: ita vt sit loco perpetuæ intercessionis: qua Patrē nobis reddat exorabilem, & quæ omne à nobis iudicium, & condemnationem auertat. Chrysostomus ait: Christum dici pro nobis interpellare, vt significetur quasi etiā nūc sit erga nos voluntate Christus: nempe, vt seruemur, & nullo modo condemnemur, non autem quòd propriè oret. Ita fallacia est ex ignoratione figuræ dictionis.

III. Loc. 28. ex 1. Cor. 8.5. *Nam etiamsi sunt qui dicantur dij: Nobis tamen vnus est Deus, Pater ille, à quo omnia, &c.* Hinc argumentantur bifariam. Primò: vnus tātùm est verus Deus, & hic est Pater. Hæc est Apostoli propositio. Filius autem non est Pater. Filius igitur non est Deus.

R. Quæ diximus ad locum 23. in explicatione illius dicti, Ioh. 17.3. *Vt cognoscant te solū verum Deum*, huc etiā pertinent. Dicam tamē aliquid præterea, clarioris explicationis gratia. Ad maiorē respondetur explicationem. *Vnus tantùm est Deus: nempe οὐσία.* Opponit. n. Apostolus creaturis omnibus, atq; in primis idolis per homines factis, æternam illam essentiam, à qua omnia sunt, pendent, & conseruantur: quæ in veteri Testamento Iehouæ nomine significabatur. Hanc solent Apostoli vocare Deum vnum ἀπολύτως. Ergo hîc capitur nomen Dei pro diuina essentia. Quum postea addit per Appositionem, Pater ille; primam nominat personam κατ' ἐξοχὴν, quod hic sit fons totius diuinæ essentiæ, in ipso Filio & Spiritus S. eóq; is principaliter Deus est. Non autem hūc vnum nominat Apostolus, quasi excludat Filium & Sp. sanctum. Sunt enim omnes hæc vna diuina essentia: quæ Dei nomine significatur. Proinde à nomine Dei excludi Filius non potest, nec Sp. sanctus. Alioqui quum etiam postea dicit, *Vnus est Dominus Iesus Christus*, possemus & nos concēdere: Negari à Paulo Patrem esse Dominum; quod impium est vel cogitare. Ideò rectè Ambrosius: sicut dicendo, Iesum vnum Dominum, non negauit Patrem esse Dominum: sic dicendo, Patrem vnum Deum, nō negauit Filium esse Deum. Proinde retinenda est regula Tertulliani: contr. Prax. nempe, vt si pariter nominandi sint Pater & Filius: secuti Apostolū, Patrem appellemus Deum; & Iesum Christum Dominum nominemus. Si autem solus Christus sit nominandus, non solùm Dominū, sed etiam Deum appellamus: vt idem facit Apostolus, dicens de Christo, *Qui est Deus super omnia benedictus in secula*. Rom. 9.5. *Nam & Radium Solis* (inquit) *seorsim Solem vocabo. Solē autem nominans, cuius est Radius, nō statim & Radiū Solē appellabo*. Et huius regulæ ratio est, quia (vt ipse Tertull. docet) quum Deum nominamus, aut nominari audimus: Primùm occurrit Pater, vt fons totius Deitatis. Ideò is principaliter dicitur & est Deus. Ad minorem: Filius non est Pater, respondemus; Filium non esse Patrem τῇ ὑποστάσει, seu persona; sed est idem quod Pater, οὐσίᾳ: At proinde idem cum Patre Deus. Neq; enim Pater ideo Deus est, quia Pater: sed quia æterna est essentia. Ita neque Filius Deus est, quia Filius: sed quia eadem est essentia, quæ & Pater. Est hoc argumentum simile huic: Multi sunt, qui dicuntur soles, vt picti: nobis tamen vnus est sol (scilicet verus) sydus illud à quo omnia illuminantur. Et vnus est Radius per quē illuminātur. Ergo Radius nō est sol. Fallacia est accidētis. Est. n. simile illi, quod inter pueros in Scholis vsurpatur.

Quod ego sum, tu non es:
Ego sum homo:
Ergo tu nō es homo. In maiore enim prædicatio est personalis, & accidētalis: in minori verò essentialis. Ideò fallacia dicitur accidentis. Ita istic quod Pater est, non est Filius: Atqui Pater est Deus: Filius igitur non est Deus. Quia puerile est argumentum, puerili opus fuit exemplo.

IV. Ex hoc eodem loco sic etiam argumentantur.

Apostolus de Patre dicit, *A quo sunt omnia*. De Filio autem, *Per quem omnia*.

Verus autem Deus est ille tantùm, à quo omnia. Hoc etiam significat omnipotentiam, quæ Dei est propria.

Christus igitur non est Deus: Sed solus Pater.

Resp. Ad maiorem. Etiam Filio datur sæpè, *A quo*. Rom. 1 7 1. Cor. 1.9. *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & à Domino nostro Iesu Christo*. Et contra datur Patri per quem. *Fidelis Deus per quem vocati estis, &c.* Non est igitur semper vera illa propositio. Sæpiùs tamen Patri datur à quo: propterea quòd non solum est principium vnde omnia creata: sed etiā fons totius deitatis, à quo Filius & Spiritus S. à Filio autem non est Pater. Filio verò datur, per quem. Quoniam per hūc, tanquam inseparabilem à se causam & ordine secundam, Pater omnia agit: & tanquam per Mediatorem homines sibi reconciliat. Minor etiam non est omninò & simpliciter vera: Nempe illum tantùm esse verum Deum, à quo sunt omnia: nisi dictione, omnia, solas intelligas res creatas, aut Paulus intellexit. Nam idem Apostolus prædicat. Filium super omnia benedictum. Rom. 9.5. A Filio tamen non sunt omnia, quia ab ipso non est Pater. Deinde non in hunc finem Apostolus dat Patri: à quo; vt doceat hūc solum verum esse Deum; & Filio, per quem; quasi is non sit verus Deus. Sed docere voluit distinctionem personarum, & earundem ordinem. Quia primò est Pater, vt prima causa, à qua omnia; deinde Filius, vt συναίτιος per quem omnia; Imò & vnitatem essentiæ iudicare voluit; quia Pater non agit, nisi per Filiū; tanquam per ὁμοούσιον, καὶ ὁμοδύναμον, συναΐδιον καὶ συναίτιον. Propriè autem docere voluit id quod etiam Christum ipsum apud Iohan. 17.3. dicere videmus, nempe, Vnum tantùm esse Deum, quem Patrem κατ' ἐξοχὴν vocauit; ideò dixit, *A quo*: vnúmq; Mediatorem Iesum Christum; ideò ait, *Per quem*.

Postremo

Postremò Apostolus ad Rom. sic Deū describit: *A quo omnia, Per quem omnia, In quem omnia.* Ergo & Christus hac descriptione Dei continetur: quia is est per quem omnia. Fallacia igitur est non causæ vt causæ. Neque.n.causa est sufficiens, qua probet Christum non esse Deum, quia est ille per quem omnia, Rom.11.36. non autem à quo omnia. Sunt enim hæ proprietates quædam personarum. Ab iis autem non tenet argumentum aduersus Deitatem. Neque enim efficiunt vt aliquis sit Deus, sed id efficit diuina essentia.

V. Loc.29 ex 1.Cor.11.v.3. *Caput omnis viri est Christus: caput mu ieru vir: caput Christi Deus.*

Subiicit hic Apostolus viro mulierem, virum Christo, Christum Deo.

Christus igitur inferior Patre, & Deus non est.

Resp. Ambrosius, de fi. ad Grat. lib.4.c.2. respectu humanitatis Christum inferiorem esse patre docet. Proinde ait: Apostolū non dicere, caput Christi Pater, quia Filius quatenus Deus est & ipse, Patrique *ὁμοούσιος*, est etiam Patri æqualis: sed dixit, caput Christi Deus: quia Christus, quà homo est, habet Deū supra se, suique creatorem. Verum Apostolus hic loquitur de Christo, tāquam de Mediatore inter Deum Patrem & nos. Quatenus autem Mediator est, respectu officij, Christum subiectum esse Patri & patre inferiorem esse nunquam sumus inficiati. Sed non sequitur inferiorem esse Patre natura, seu diuersæ esse naturæ à Patre. Alioqui eodē modo concludemus, ipsam quoque mulierem non esse æqualem viro natura: quia vir caput mulieris. Quid verò si quis retorqueat hunc locum in Arianos, & dicat: omne caput, nō solùm naturale, verùm etiam politicum, semper solere esse eiusdem naturæ cum corpore, cuius est caput: atq; inde inferat: Si Deus caput est Christi, eiusdem eū esse cum Christo naturæ (non humanæ, quia Pater homo non est) cōque diuinam naturam esse in Christo, cum Patre cōmunem? Sic licebit & nobis argutari pro Christi Deitate: si liceat etiā Arianis iis abuti locis aduersus Christi Deitatē. Sed reuera nihil aliud voluit concludere Apostolus: nisi quòd, sicut Christus, quatenus mediator, subiectus est Patri: sic & vir Christo, & mulier viro subiecti esse debent. Ac proinde mulier, tanquam viro subiecta, subiectionis symbolum gestare, quod est capitis velamen. Fallacia igitur est non causæ vt causæ: Quia causa cur Apostolus vocārit Deū Patrem caput Christi, non fuit, vt ostenderet aut innueret Christū natura sua inferiorem esse patre, sicut nec idem voluit concludere de muliere, quum dixit, virum caput esse mulieris. Sed tantùm vt doceret, sicut Christus, quatenus Mediatoris officium sustinet, infra patrem Deum est: Sic etiam mulierem subiectam esse debere viro: & huius subiectionis symbolum, in Ecclesia præsertim super caput suum habere.

VI. Loc.30. ex 1.Corinth.15.v.24. *Deinde finis, quum tradiderit regnum Deo, & Patri.* Hinc duo Ariani argumenta sumebant, ad oppugnandam Christi Deitatem & æqualitatem cum Patre. Primūm:

Christus tradet regnum Patri:
Ergo minor Patre, quia maiori cedet. Item,
Non ampliùs regnabit, sed solus Pater:
Non igitur Deus. Deus enim in perpetuū regnat. Alterū:
Christus subiicietur Patri:
Ergo minor Patre. Quare Deus non est.

Resp. Nunc seorsū vtrumque argumentum examinemus, & quantam vim habeant videamus. Hoc faciliùs & dilucidiùs fiet, si priùs quisnam sit Apostoli in his verbis sensus breuiter intelligamus. Concluserat aliquot argumentis, resurrecturos omnes demortuos. Nunc occurrit obiectioni, qua etiam Sadducæi vtebantur aduersus Christum, Si mortui resurgent, cuius igitur erit vxor illa, quæ septem habuit maritos, eósque fratres? Quasi dicerent, Magna igitur fuerit confusio, dum quisque eam volet & repetet vt suam. Atqui talis confusio non erit in regno cœli. Non ergo futura est mortuorum resurrectio. Quid Christus ad argumentum respondit? *Erratis, non intelligentes scripturas, neque potentiam Dei &c.* Sēsus est. Non est futura talis cōfusio ex resurrectione mortuorum, qualem vos somniatis futuram, si mortui omnes resurgant. Non enim ampliùs opus erit coniugio: sed alia futura est cōditio nostrorum corporum & Mundi. Hoc perinde fuit atque si dixisset: Erit finis connubij: & status huius Mundi. Sic alij homines, qui ignorant Scripturas & potentiam Dei, non considerant, nec tenent qualis futura sit conditio eorum qui resurgent; & futuri seculi. Quum enim audiunt omnes resurrecturos, mox disputant inter se & obiiciunt. O qualis igitur confusio futura est? Quisque suam repetet domum, suos agros, suam vxorem. Alius contendet suam esse, alius negabit, & ita mox videtur oritura confusio. Hæc ideò cogitant tales homines, quia talem futurum Mundum imaginantur, qualis etiam nunc est. Paulus igitur respondet, dicens: *Deinde finis*, hoc est, Post resurrectionem finis erit. Cuius rei finis? Mundi huius. Sic Pet. *Omnium autem finis appropinquat.* 1. Pet.4.7. Erit igitur finis Mundi, non quoad substantiam, sed quoad qualitatem. Erit enim cœlum nouum, & terra noua. Sequitur, *quum tradiderit regnum, &c.* Docet Apostolus, quando futurus sit iste finis. *Quum*, inquit, *tradiderit regnum &c.* quasi dicat; Tum finis erit huius mundi, quoad qualitatem, futurus, quum Christus regnum à Patre acceptum Patri resignabit. Seruatur igitur mundus hic, & tam diu durabit in hoc statu, dum totum suum è manibus hostium regnum redimat Christus, & illud recuperatum tradat patri. Regnum enim Christi est Ecclesia: hoc est, totum corpus Electorum. Hoc regnum à Diabolo occupatum pater tradidit Filio suo, homini facto, & Imperatori constituto, recuperandum: à fæcibus peccatorum repurgandum; & ad pristinam formam in iustitia & sanctitate instaurandum. Facit iam hoc officium Christus in finem vsque mundi; per ministerium Ecclesiasticum, & per Spiritum sanctum. Atque ita hoc modo Christus iam regnat in Ecclesia. Tunc verò tradet patri. Sed quomodo tradet? nunquid ita, vt ipse non sit ampliùs regnaturus? Minimè vero. Hoc enim pugnat cum Scripturis, quæ tradunt regnum Christi futurum perpetuum. *Et regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis.* Luc.1 33. Dan.7.14. Regnum Christi vocatur regnum quod non corrumpetur. Regnabit igitur Christus in perpetuum vnà cum Patre in hoc regno.

At videtur non ampliùs regnaturus; quia ait Apostolus, *Tradet Patri.* Sed non valet hæc sequela: Tradet regnū Patri: Ergo ipse non ampliùs regnabit. Alioqui idem sequetur de Patre; Pater tradidit regnum Christo (vt liquet in Psalmis, apud Danielem, & alios Prophetas. Ps.2.6. Dan.7.14.) Ergo Pater iam non regnat in hoc regno.

Quod falsum est. Nam de Patre legitur: *Regnabit Dominus super eos in monte Sion: ex eo tempore vsque in seculum.* Mich.4.7. Et hoc regnum, in quo Christus iam regnat, vocatur regnum Patris. Sicut igitur Pater ita regnum hoc tradidit Filio Christo, vt tamen illud sibi etiam retinuerit: ita vicissim Filius tradet & consignabit Patri, vt interim tamen hoc regno sese non abdicet, sed regnaturus sit cum Patre. Quomodo igitur tradet Patri? Duo significat Apostolus hoc verbo: Primùm, Christum, qui iam vt Imperator in hac militante Ecclesia regnat, & qui dominatur in medio inimicorum suorum; posteaquam totum regnum hoc est, totum numerum & corpus electorum, debellatis hostibus omnibus recuperauit, & ad pristinam imaginem, in qua formatus fuerat primus homo, instaurauerit; regnum hoc ex hoc Mundo in domum Patris cœlestem introducturum; & à statu fidei ad manifestam Patris visionem ac fruitionem translaturum, vt simus ibi cum ipso in perpetua vita ac felicitate, atque ita Deus sit omnia in omnibus. Atque, vt breuiter dicam, docet: Christum effecturum, vt solus Deus, Pater nimirum, Filius ipse & Spiritus sanctus, in hoc pacato dominentur regno. Hoc primò significat, Tradere Patri regnum: hoc est, ad felicissimum statum, in quo est Pater, ex hac misera conditione transferre; & efficere vt huic soli Deo perfectissimè obediant, & apud hunc sint felicissimi. Christus ipse dixerat: Apostolos gaudere debere, quòd iret ad Patrem, Io. 14.28. hoc est, ad felicem statum vbi est Pater; *quia Pater maior me est*, hoc est, beatior, felicior quàm ipse sim in hoc Mundo. Hoc est quod antè dixerat eodem loco: *Iterum veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi sum ego & vos sitis*: nempe in domo Patris mei. De qua domo dixerat: *In domo Patris mei mansiones sunt permultæ.* Ex hoc autem non sequitur, Christum non regnaturum ampliùs: sed potiùs contrarium: Felicius eum toto suo populo regnaturum in cœlo apud Patrem, quàm regnārit in hoc Mundo; aut etiam nunc regnet. Deinde hoc verbo significat Apostolus, Christum resignaturum patri regnum, hoc est, eam prouinciam quam à patre acceperat: expugnandi scilicet hostes, & recuperandi regni, illúdque per Apostolos, per dona Spiritus sancti, per verbum & per Sacramenta, pérque disciplinam gubernandi depositurum, peracto iam bello, & recuperato regno. Atque hoc pacto verum est, Christum non ampliùs regnaturum: non quidem simpliciter, sed hoc modo, quoniam regnat in Ecclesia. Regnare enim capitur bifariam: Aliquando pro eminere in regno, summum locum tenere, dominari & frui regno. Hoc modo Christus perpetuò regnabit: & regnum hoc modo non resignabit patri; quasi non ampliùs ipse sit regnaturus. Aliquando est officia Regis, quæ ad regnum administrandum pertinent, exercere: vt est pugnare pro regno, tueri regnum, punire sontes, certis legibus omnes in officio retinere. Hoc certè modo Christus non semper regnabit: sed hanc prouinciam depo-

net in patris manum, quia vbi perfecti fuerimus in cœlo, non erit ampliùs opus iis Christi officiis, quibus nunc suam Ecclesiam in finem vsque tuetur, conseruat, regit. Quod igitur attinet ad hanc regnandi partem, Christus tunc resignabit regnum in manum patris. Verùm neque hinc sequitur: Christum non amplius simpliciter regnaturum, Regnabit enim cum patre, & quidem feliciùs quàm iam; sed non regnabit amplius, vt Imperator in exercitu, vt Pontifex in Ecclesia; sed vt Rex in regno suo iam pacato, cum Patre. Sic facere solebant etiam Dictatores Romani. Confecto enim prælio, & debellatis hostibus, sese abdicabant illa dignitate, & ad pristina redibant officia. Ita Filius Dei, antequam factus sit homo, & imperator ad recuperandum regnum à Diabolo occupatum: regnabat cum patre in cœlo. Postea factus imperator, expugnauit & expugnat hostes. His expugnatis, resignatóque hoc Imperatoris officio: redibit ad regnandum pacificè cum patre. Hic est sensus. Confirmant hunc sensum quæ sequuntur. *Quum aboleuerit*, inquit, *omnem principatum*. Exponit enim Apostolus, quomodo & quando regnum sit Patri traditurus Christus. Duo genera principatuum abolebit hostium, vt Sathanæ, peccati, mortis, Antichristi: hi enim omnes pugnant contra Ecclesiam. Ponet autem omnes inimicos sub pedes suos, vt subdit Apostolus. Deinde abolebit etiam potestates reliquas, tam politicas quàm Ecclesiasticas, per quas gubernat & regit Ecclesiam: quia non erunt ampliùs necessariæ hæ potestates. Deus enim tunc sine iis mediis per sese in omnibus & perfectissime & solus regnabit. *Nam oportet eum regnare* (nempe hoc modo, quo regnat) *donec, &c.* Hæc est ratio, cur tum demum tantùm reddet regnum Deo & Patri Christus: hoc est, deponet hanc, quam à Patre accepit, prouinciam, pugnandi scilicet: idque spiritualibus armis, & hac ratione, qua iam regnat in Ecclesia. Cur non hoc citiùs non fecit, vt quum resurrexit à mortuis? Respôdet Apostolus: *Quoniam oportet eum regnare* (nempe hoc modo) *in medio inimicorum suorũ, donec omnes inimicos ponat sub pedes suos.* Atqui hos inimicos non citiùs ponet omnes sub pedes suos, quàm deleta etiam morte mortui omnes resurgent. Ergo ante illud tempus non potest deponere arma, & hanc regnandi formã, itaq; regis armati officia resignare. Ideo ait: *oportet eum regnare, &c.* At nunquid igitur postquam posuerit omnes inimicos suos sub pedes suos, non regnabit ampliùs, quia dicit: *oportet eum regnare, donec &c?* Nõ regnabit ampliùs, nempe hoc modo quo iam regnat, vt antea declaratum est: sed alio modo regnabit: hoc est, pacato fruetur regno cum suo Patre. *Nouissimus hostis mors, &c.* Nouissimus dicitur: quia licet quando nos electi morimur, & migramus in cœlum, liberi simus ab omnibus aliis hostibus, à peccato, à Satana, à Mundo, à carne: tamen nondum sumus penitùs liberati à morte. Corpora enim nostra detinet in finem vsque Mundi captiua. Sed hæc etiam destruetur & abolebitur mors. *Nam omnia subiecit sub pedes eius &c.* Pater tum subiecit Christo omnia: quum omnem illi supra omnia, & supra omnes inimicos dedit potestatem. Filius sibi subiicit omnia, quum reipsa suam exercet auctoritatem, & expugnat hostes. *Quum autem subiecta fuerint illi omnia, &c.* Quomodo Christus subiicietur Patri? Eo modo, quo etiam tradet regnum: imò eatenus subiicietur, quatenus regnum tradet. Tradet autem regnum quatenus homo & Mediator: hoc est, resignabit officia Mediatoris. Eatenus igitur subiicietur, nempe palàm, Patri, cedens officio quo hactenus functus est. In quem autem finem? Vt sit Deus omnia in omnibus, hoc est vt Deus non ampliùs per vicarium, seu per Christum, tanquam per Mediatorem, regnet, corda paulatim purificando, flectendo, mentes illuminando, peccata tollendo. Est enim hæc imperfecta regnandi ratio. Sed vt solus & immediatè per sese, eoque perfectissimè in omnibus electis regnet, seu vt plenum & perfectum habeat in eis imperium ac regnum: Ita vt facies eius immediatè ab omnibus conspiciatur, is facie ad faciem videatur: & eius voluntas perfectissimè impleatur, deuicta iam malitia, & omni errore sublato, omnibúsque hostibus per Christum expugnatis. Deus enim tunc dicetur esse omnia in omnibus, quum vnus & solus per sese, sine alicuius contradictione, & sine medio regnabit, omniáque pro sua voluntate in omnibus electis perficiet. Sic ille etiam apud nos dicitur esse omnia domi suæ, qui sine famulis, sine ancillis, sine denique alicuius auxilio aut repugnãtia per sese omnia agit. Deus igitur erit omnia in omnibus, quia in omnibus electis perfectissimum per sese obtinebit imperium, ita vt nihil in iis futurum sit, quod non sit ceu Deus ipse. Hoc fieri nequit donec sumus in hac carne peccato obnoxia, donec Sathan regnat in Mundo, & nondum est penitùs Christi pedibus cum omnibus Antichristis omnibúsque impiis subiectus. Dum ij hostes, caro, peccatum, Sathan, Mundus manent: Deus regnat quidem in electis, sed per Christum Mediatorem, tanquam per vicarium: qui suo Spiritu nos regat, qui peccata aboleat. Ac proinde imperfectè regnat, quoniam sola eius voluntas nondũ perfectè à nobis impletur. Caro enim concupiscit adhuc aduersus Spiritũ, vt non quæcunque volumus, ea faciamus. Vbi verò expugnati fuerint per Christum omnes hostes: & ipse etiam suũ resignauerit officium, omniáque intermedia, quibus Deus nunc regnat in Ecclesia, fuerint sublata: tunc certè solus Deus, Pater, Filius, Spiritus S. in nobis regnabit, eóq; perfectiũ in nobis obtinebit imperium. Hæc est causa, cur Christus subactis hostibus omnibus sese quoq; cum tota Ecclesia subiiciet patri, vt scilicet non ampliùs Deus Pater per ipsum, tanquam per Mediatorem, regnet eo quo iam solet modo (hoc enim modo Deus non est omnia in omnibus.) Sed vt citra Mediatorem, immediatè, eóq; perfectissimè regnet. Hoc enim est, Deum esse omnia in omnibus; quia abolitis omnibus potestatibus aduersis, & sublatis omnibus etiam mediis per quæ nunc regnat, tunc solus immediatè regnabit. Atq; hinc apparet, quid sit Christum tradere regnum Deo, ac Patri; & ita sese illi subiicere. Est totam Ecclesiam redemptam, iustificatam, glorificatam tradere Patri: & resignato Mediatoris officio sese quoque, quà homo, cum tota Ecclesia, pleno & perfectissimo Dei, hoc est, diuinæ essentiæ imperio regendum in perpetuum subdere: & efficere vt voluntas Dei perfectissime in omnibus impleatur. Ex hac explicatione verborum Apostoli, in qua explicatione nihil est coactum, facilè apparet, quàm vana & futilis sit Antichristorum argumentatio. In vtroque enim argumento est paralogismus, qui ducitur ex ignoratione figuræ dictionis. Phrasim enim Pauli non intellexerunt, quum dixit de Christo: *Tradet regnum Deo, & Patri.* Item: *Filius subiicietur ei.* Vt igitur formaliter & dialecticè respondeamus, repetamus vtrumque argumentum.

VII. Primum. Christus tradet regnum Patri.

Ergo minor est Patre. Item;

Ergo non amplius regnabit, sed solus Pater.

Quare nec Deus est: quia Deus regnat in perpetuum.

Resp. Prima consequentia negatur: neque enim sequitur ex antecedenti. Alioqui etiam hæc sequetur:

Pater dedit regnum Christo, omnem potestatem, omne iudicium, imò omnia dedit in Christo:

Ergo Pater minor est Filio. Altera etiam consequentia non est firma. Alioqui etiam hæc firma fuerit:

Pater dedit regnum Christo:

Ergo Pater non ampliùs regnat in Ecclesia. Quare nec Deus est. Dei enim est, sine intercessione in æternum regnare. Damus quidem Christum non amplius regnaturum, vt Mediatorem, sed regnabit vt Deus cum patre. Ratio, cur hæ consequẽtiæ nullius sint pôderis, duplex est. Prima, quoniã neque Pater tradidit regnum Christo, ita vt se illo priuauerit: neq; Filius tradet patri, ita vt se illo abdicet. Sed sicut Pater ita dedit Filio, vt cum eo & per eum regnet: sic etiam Filius tradet patri, vt cum patre in perpetuum sit regnaturus. Deinde quoniam Christus non tradet, hoc est, nõ resignabit imperium ipsum, quod accepit à patre in perpetuũ, sed officia tãtum illa Regis, quæ accepit ad tempus, vti est pugnare pro Ecclesia, eam eripere è manibus hostium, hostes debellare, denique Ecclesiam regere ea ratione, qua regitur & regetur ad finem vsque Mundi. Bifariam enim dici potest aliquis regnum alteri tradere: aut quoad substantiam regni & imperij, nõ ampliùs ipse regnaturus, aut quoad certa officia, quæ suapte natura necessaria nõ sũt semper in regno vti est pugnare: hoc enim non est necessarium per se, vt quum hostes omnes sunt debellati, & nullus ampliùs est ab hostibus metus. Hoc altero sensu Apostolus propriè dixit, Christum traditurum regnum Deo, & Patri; hoc est, adductis iam in cœlum ad Patrem electis omnibus, officium Imperatoris & Mediatoris in manum Patris depositurum. Sed hoc sensu relicto, Ariani priorem amplexi sunt. Deinde tradere regnum quoad substantiam regni & imperij, fieri potest bifariã: aut ita; vt te ipsum illo abdices. Nõ sic Christus tradet regnum patri. Aut ita; vt illud etiam tibi retineas, & simul cum illo, cui tradidisti, regnes. Hoc modo vt Pater dedit Filio, sic Filius Patri tradet regnum: nempe iam è manibus hostium redemptum. Fallacia igitur est ἀμφιβολίας, in phrasi, Tradere regnum, seu ex ignoratione figuræ dictionis.

VIII. Alterum argumentum.

Christus subiicietur Patri.

Ergo minor est Patre: Quare non est Deus.

Resp. Fallacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Eatenus enim concedimus Christum esse Patre minorem, quatenus etiam subiicietur. Sed eatenus tantùm, quatenus homo est & Mediator, subiicietur: quia re-

signato officio non ampliùs vt Mediator regnabit; sed tantum, qua vnus est cum Patre & Spiritu S. Deus. Sed quæstio hic occurrit: cur Paulus dicat: *Tunc subiicietur?* Annon etiã cùm in hoc esset Mundo semper subiectus fuit Patri, quà homo? Quomodo igitur tunc primùm subiicietur? Diuersa ratione hic & nũc dicitur subiectus patri, & alia, tunc subiicietur. Hic semper fuit subiectus; quia, qua homo creatus à Patre, Patri semper fuit obsequens, & ab illius pepẽdit voluntate; eúmque pro suo agnouit Patre & Deo. Et nũc etiã subiectus est in cœlo: quia creatura est, imperio Dei subiecta. At tunc alia ratione cum tota Ecclesia subiicietur; nempe, quia deposito Imperatoris ac Mediatoris & Vicariatus diuini officio; Deus non ampliùs per hanc Christi humanitatem regnabit; sed per se super omnia, & super omnes. Nunc enim propter hoc Christi Mediatoris officium neque nos ei tanquam ciues sumus subiecti immediatè, sed tantum in Christo. Verum cum fuerimus adducti ad patrem, & Christus suum resignauerit officium: tũc & nos immediatè subiecti erimus Deo patri, Filio, & Spiritui sancto: imò humanitas etiam Christi erit prorsus subiecta, quia non amplius fungetur Imperatoris ac Mediatoris officio. Hinc sequitur alia subiectionis ratio; nempe; quia tam illustris fiet omnibus Maiestatis, quæ non solum in patre, sed etiam in Filio & Spiritu S. est, gloria, vt omnes palàm sint visuri, quã tum illa Deitatis gloria emineat, non tantùm suprà reliquas creaturas omnes, sed etiam suprà totam eam naturæ massam, quam Filius Dei assumpsit. Noctu sol regnat supra nos, sed per lunam: quatenus lumen (de quorundam sententia) ea à sole accipit. Ita manifestè nõ apparet, eam esse Soli subiectam. At simulac exoritur sol, statim luna etiã ipsa, deposito illuminandi officio; subiecta fit soli; non noua subiectione, sed declaratione prioris subiectionis hoc est, ita vt omnes cernãt, quanta sit solis nõ solùm supra reliquas stellas, sed etiam supra lunam eminentia & gloria. Sic etiam Apostoli verba intelligenda sunt. Nomine enim subiectionis significauit Apostolus, futuram tunc illustrem super omnia diuinæ Maiestatis, quæ in ipso quoque est Filio, gloriã. Quare apparet, totum hunc Apostoli locũ pugnare contra Arianos, tantum abest, vt illorum erroribus possit patrocinari.

## CAPVT XII.

### Confutatio sophismatum, quæ antichristi ex aliquot locis aliarum Pauli epistolarum detortis sumunt: & cauillorum quorundam, ab humana ratione, extra verbum Dei, inuentorum, aduersus Christi gloriam.

LOcus 31. ex Eph 4.24. *Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.*

Hic nouus homo (dicebant Ariani) est Christus, qui etiam cœlestis homo dicitur, cuius imaginem portare iubemur: 1. Cor. 15. 49.

Christus igitur creatus est.

Resp. Hilarius de Trin. ait, dictum hoc de Christo, quà homo est, esse intelligendũ. Hunc enim hominem esse creatum secundum Deum. Quomodo secundum Deum? Apostolus docet, dicens: *In iustitia & sanctitate.* Quoniam sicut Deus iustus est & Sanctus: sic etiam Christum, quà homo est, creauit in iustitia & sanctitate, & sine vllo peccato. Sed ex Antithesi Paulina apparet, nomen noui hominis qualitatẽ potius, quàm substantiam significare. Iubet enim primùm, vt exuamus veterem hominem, postea induamus nouum. Quid autem veteris hominis nomine significat Apostolus? corruptionem naturæ, quam scribens ad Rom. 6 peccatum vocauit, cum actibus suis. Ergo nomine noui hominis naturę regenerationem, qua sumus nouę creatura, intellexit. Quare paralogismus est accidentis. Cùm enim Apostolus loquatur de noua naturæ qualitate; illi Ariani de substantia naturæ Christi interpretantur.

II. Loc. 32. ex 2. Phil. 2. 9. *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Hinc arguunt nostri Antichristi.

Hoc nomen est nomen Iehouæ: hoc enim est nomen supra omne nomen. Hoc autem est datum Christo post resurrectionem.

Non erat igitur antea Deus natura, sed postea factus est gratia.

Respon. Primùm ὁμωνυμία est in dictione nominis. Hoc enim nomine, quod est supra omne nomen? Apostolus non intellexit nomen Dei, sed dignitatem. Quę nominis significatio frequens est in omnibus linguis, præsertim verò in scripturis. Significauit enim Apostolus, Christũ, quà homo est, exaltatum fuisse super omnia, & in supremo dignitatis gradu fuisse collocatum: ita vt illi omnes creaturæ, tam cœlestes, quàm terrestres & infernales subiectæ sint, & genua velint nolint, flectere cogantur. Nihil igitur valet locus iste aduersus Christi deitatem. Deinde etiam si darem, nomine hoc intelligendum esse nomen Iehouæ; tamen nihil adhuc euincerent. Diceremus enim datum esse, nempe non simpliciter, quasi verò tunc primùm hoc illi nomen conuenire cœperit: sed secundum quid, hoc est, apud omnes etiam gentes; quatenus tunc effectum est, vt is pro vero agnosci, eóque & coli Iehoua cœperit. Sicut ipse petierat *Glorifica filium tuum, &c.* Io. 17. 1. Et vt futurum prædixerat, dicens: *Ille* (Spiritus) *glorificabit me*, Iohann. 16. 14.

III. Antiqui verò Ariani sic argumentabantur:

Datum est Christo nomen hoc post resurrectionem;

Ergo post resurrectionem maior fuit, quàm antea: creatura igitur est, non Deus.

Resp. Εἰς τὴν ἀνθρωπότητα (ait Basil. contra Eunom. lib. 4.) καὶ οὐκ εἰς τὴν θεότητα ταῦτα τοῦ θεοῦ. Eatenus enim est exaltatus, quatenus fuerat humiliatus & mortuus. Est autem humiliatus & mortuus quà homo. Ergo etiam quà homo est super omnia exaltatus. Fallacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

IV. Loc. 33. Col. 1. 15 Christum vocat Apostolus Primogenitum omnis creaturæ.

Ergo, dicebant Ariani, ipse quoque est creatura: sed ante reliquas creaturas.

Resp. Non ait Apostolus (vt respondet Basil. contr. Eun. lib. 4) Christum esse πρωτόκτιστον sed πρωτότοκον. Hinc igitur potius colligimus, non esse creatum, sed genitum. Quare fallacia est ex ignoratione veræ significationis, vocabuli πρωτότοκος. Quomodo igitur vocatur πρωτότοκος πάσης κτίσεως? eo sensu, inquit, quo etiam dicitur primogenitus mortuorum. Quomodo primogenitus mortuorũ? *Quia causa fuit & est* (inquit Basilius) *vt omnes mortui resurgant ad vitam immortalem.* Est enim resurrectio à mortuis quasi noua quædam generatio. *Sic igitur etiam* (inquit) *dicitur* πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ὅτι πρῶτος, τῷ οἰκείῳ λόγῳ, εἰς τὸ εἶναι παρήγαγε τὴν κτίσιν. Proinde subdit Apostolus, reddens causam, cur eũ hoc nomine appellarit; *Quoniam per ipsum condita sunt vniuersa, in cælo & in terra.* Non tã igitur dicit Apostolus, quid in se sit Christus, quàm quid in aliis efficiat. Quare hinc potiùs eius Deitas confirmatur; quia creator est omnis creaturæ; quàm infirmatur, quia primogenitus omnis creaturæ appellatur. Hæc est summa responsionis Basilij.

V. Verùm quia noui Ariani acutiùs hunc vrgent locum; Idcircò nobis quoque clariùs & dilucidiùs respondendum est. Sed priùs explicandus est Apostoli locus. Ergo notandum est, sicut πρῶτος potest aliquis dici aut tempore, aut dignitate, ita etiam Christum bifariam dici posse πρωτότοκον πάσης κτίσεως. Primò tempore, quòd genitus sit πρὸ πάσης κτίσεως, hoc est, ab æterno, & ante omne tempus. Et sic accipit Ambrosius & Basilius. Sic Nazianzenus; πρωτότοκος πάσης κτίσεως: hoc est, quem Pater genuit antequam quicquam creauisset. Si autem ante omnem creaturam genitus est: ex cuius nam substantia genitus est? Generatio enim fit ex substantia generãtis: sicut creatio ex nihilo potentia tantùm, & iussu verbóque creantis. Nulla verò alia erat substantia ante omnem creaturam: nisi Dei. Hinc ergo efficitur: Christum, quà λόγος est, non esse ex nihilo creatum, sed e substantia Patris Dei genitum. Et hanc interpretationem & sensum confirmant Apostoli verba, quæ sequuntur. *Nam*, inquit, *per eum omnia sunt condita: estque ipse ante omnia.* Vbi etiam illud, *est*, considerat Basilius. Non enim dixit, *& ipse factus est ante omnia*: sed *est ante omnia.* Deinde dici potest primogenitus omnis creaturæ dignitate: nempe quòd dominus sit omnium creaturarum. Hæc significatio à iure primogenituræ sumitur. Hoc enim erat ius primogenituræ apud Hebræos, sicut etiam apud gentes, vt qui primogenitus esset, succederet Patri, & reliquorum fratrum fieret Dominus. Et hoc sensu vocatur Christus primogenitus inter multos fratres, Roman. 8. 29. Atque hoc etiam de Christo vere dicitur secundum vtramque naturam: propterea quòd dominus est omnium creaturarum: tum iure perfectionis, est enim perfectissimus omnium, & quà Deus, & quà homo, & ideò etiam vocauit eum Apostolus imaginem Dei: tum iure creationis & conseruationis, omnia enim per ipsum & condita sunt, & conseruantur. Ideò Paulus subdit, *Nam per ipsum omnia, &c.* tum denique iure redemptionis; & hac de causa Christus Dominus est peculiaris ipsius Ecclesiæ, tam eorum qui sunt in cœlis

quàm eorum qui sunt in terris, proinde subiecit Apostolus: *Estque caput corporis Ecclesiæ*: iure, inquam, redemptionis, nō solum animorum à peccato & Satana, morteq; æterna: sed etiā corporū à morte, & è sepulchris. Ideò subdit Apostolus, *Qui est principium & primogenitus mortuorum.* Iure igitur omnium istarum rerum Christus, tam quà Deus, quàm etiam quà homo (si excipias ius creationis: non. n. res creauit, quà homo) Dominus est, eòq; verè primogenitus omnis creaturæ, tam viuentium quàm mortuorum. Vnde etiam Dominus viuorū & mortuorū dicitur. Rom. 14. 9. Ideò subdit Apostolus: *vt sit ipse in omnibus* πρωτεύων, *primas tenens.* Hac dictione πρωτεύων, explicauit, cur eum πρωτότοκον πάσης κτίσεως vocârit, & πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν. Vtroque igitur modo verè Christus est & dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Hæc est loci Apostolici explicatio. Nūc breuiter videamus quid dicant aduersarij.

VI. Argumentum: Eundem Christum Apostolus vocat primogenitum omnis creaturæ, & primogenitum mortuorum.

Est autem primogenitus mortuorum: quia inter mortuos primus à mortuis resurrexit ad vitam immortalem: & deinde per ipsum resurgent reliqui omnes.

Ergo etiam primogenitus omnis creaturæ, quia primus inter creaturas creatus est: & per hunc creatum reliqua postea omnia creata sunt.

R. Ad maiorem. Diuersa est Apostoli locutio. Vocat primò Christū, πρωτότοκον πάσης κτίσεως; deinde πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν. Ex prima non potest inferri creatum fuisse ante omnem creaturam, vt antè ostensum est: sed tantùm fuisse antè omnem creaturam genitū. Ex altera verò omninò sequitur, si primus resurrexit ex mortuis ad vitam immortalē: fuisse igitur mortuū inter mortuos. Ita ad minorem facilis & aperta fit responsio. Non est eadem nec similis causa, cur vocetur primogenitus omnis creaturæ, & primogenitus ex mortuis: quia neque idem est sensus. Sed instant:

Qui primus est in aliquo ordine, is eius ordinis esse censetur. Quid tum?

Atqui Christus primus est in ordine creaturarū: Ergo, &c. Si de Christo loqueris, λόγος est, negamus. Et de quo disputatur; illud assumis. Ideò petitio est principij. Si verò de Christo, quà homo est, verba facis; damus Christum esse in ordine creaturarum primum. Quomodo primùm? non tēpore, vt liquet: sed dignitate, vt declaratum est. Ex iis autem nihil contra æternam eius deitatem concludi potest. Sed adhuc instant: Cur, si, qui in ordine mortuorū primus dicitur, inter mortuos esse nuncupatur: non etiā qui primus creaturarum perhibetur, inter creaturas reputandus sit? Nō damus, Christum, quà λόγος est, primum creaturarum perhiberi. Neque hoc docet Apostolus: sed ait, ante omnem creaturā genitum fuisse. Causa verò, cur primogenitus ex mortuis cōnumeretur inter mortuos, non sic autem primogenitus omnis creaturæ inter creaturas, allata est superiùs.

At, inquiunt. Christus pro primogenito mortuorū vocatur primus ex resurrectione mortuorum, vt non tā generationis, quàm prioritatis hîc sit habenda ratio. Vult dicere is, qui sic instat (parco enim eius nomini.) Quū Christus dicitur primogenitus mortuorum; iuxta veterem translationem, nihil aliud significari, quàm primum esse, qui à mortuis resurrexit. Confirmat hanc propositionem hoc exemplo, quò appareat primogenitum appellari aliquem, quia primus in eo est ordine: *Pascentur primogeniti pauperum*: apud Ies. c. 14. v. 30. vbi primarij inter pauperes intelliguntur. Tunc infert: Ergo quemadmodum Maria dicitur peperisse primogenitum suum, hoc est, primum, ante quem nullum alium peperit: Matth. 1. 25. ita Deus primogenitum omnium creaturarum dicitur condidisse, ante quem nullum alium: sed per quem condiderit omnia. Hoc est illius argum.

R. Ad consequentiam. Ergo Deus dicitur primogenitum creaturarum condidisse, Tu ais, sed nihil probas. Nam vbi, quæso, hoc in Scripturis legitur? Scriptura dicit Deum genuisse Filium, nō condidisse. Sed tu hoc vis ex præmissis inferre; nempe: Ergo sicut primogenitus dicitur mortuorum, qui primus à mortuis resurrexit: Et sicut apud Ies. primogeniti pauperum dicuntur, qui primi sunt inter pauperes: Et sicut Maria dicitur peperisse primogenitum, quia primum hunc peperit, ante quem nullum: Ita enim Christus dicitur primogenitus omnis creaturæ, non quia propriè genitus sit ex Deo, sed quia conditus & creatus primus: ante quē nulla est alia res creata. An non hæc tua est argumentatio? Sed facilis est responsio, quam etiam pueri nôrunt: nempe ex illis præmissis exemplis minimè hanc sequi conclusionem, quam infers. Quod enim dicitur primogenitus mortuorum, quia primus resurrexit; optimè dicitur ex patre, & resurrectio nō propriè, sed metaphoricè dicitur generatio. Quod primogeniti etiam pauperum vocentur apud Iesaiam pro primis inter pauperes, id est, pro pauperrimis, rectè etiam dictum est, liquet enim ex contextu, figurate accipi nomen primogeniti. Exemplū verò Mariæ, quæ peperit primogenitum, nil ad rem tuam, tantùm enim concludit, adeo appellari primogenitum, quia ante ipsum nullum alium pepererat. Sed nomen geniti, in sua propria manet significatione: neque pugnat cum verbis Euangelistæ: quin is, quem peperit Maria primogenitum, fuerit antea, respectu alterius naturæ, genitus ex alio, hoc est, ex Deo Patre. Proinde nil concludis, si vis inferre, sic igitur etiā Deus dicitur primogenitum omnium creaturarum genuisse: hoc est, condidisse, ante quem nullum alium. Nomen enim primogeniti de Christo hîc propriè prædicatur; nō pro condito sumitur. Id quod confirmant loca, quæ conaris refutare, vt quod Filius est Dei. Pugnant enim Filium esse; & creatum esse, eiusdem respectu: sicut etiam, Genitum esse, & factum esse Filium Dei, propriè accepta. Item, quia per ipsum omnia sunt facta: non igitur ipse factus est. At excipit iste acutus disputator. Neque verò, inquit, quia per ipsum facta sunt omnia: ideò genitum esse oportet, non factum. Est enim in iis considerandus ordo: Vt Deus λόγον immediatè condiderit, per eum verò cætera omnia. Imò optimè sequitur, vt liquet ex Iohan. cap. 1. A creatione enim omnium per λόγον probat quod proposuerat: nempe λόγον primum esse æternum: deinde Filium Dei Patris: postremò Deum ipsum: *Quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Idem sequitur ex loco illo Apostoli ad Coloss. Probat enim Christum esse primogenitum omnis creaturæ, hoc est, genitum ante omnem creaturam (nam non dicit Apostolus, primogenitum omnium aliarum creaturarum, seu genitum ante omnem aliā creaturā: sed simpliciter primogenitū omnis creaturæ, hoc est, ante omnem aliam creaturam genitum:) *quia omnia per ipsum condita sunt, quæ in cælis, & quæ in terris.* Quòd verò ais, Considerandum hic esse ordinem, vt Deus primùm condiderit λόγον: deinde verò per eum alia omnia; nihil dicis. Apostolus enim non tam ordinem considerari vult, quàm discrimen inter Filij Dei naturam, atque essentiam; & inter aliarum omnium rerum naturas & essentias. Reliqua enim omnia esse creata solùm: Filium esse genitum, rerúmque omnium creatorem. Quod etiam subdis de hoc tuo tantùm ordine considerando, dicens: Ad hunc modum λόγος dicitur illuminare omnem hominem, venientem in hunc mundum; sed se tamen non illuminauit; sed illuminatus est immediatè à Deo; hoc nihil est. Verus autem hic est ordo; nempe ante λόγον neminem fuisse illuminatum; omnes verò per λόγον illuminari. Sed quod ais, ipsum fuisse illuminatum à Deo, quasi aliquando fuerit sine lumine; pugnat cum Scripturis, & cum ipso Ioh. qui vocat Filium verum lucem. Non igitur participara lux est. At sicut nunquam scriptura dicit λόγον fuisse viuificatum, sed vitam ipsam esse æternam: 1. Ioh. 5. 20. sic nunquam dicit, λόγον fuisse illuminatum, sed tantùm prædicat, ipsum esse veram lucem. Qualem verò lucem? Concilium Nicenum explicat dicens, *lumen de lumine.* Est igitur lux genita, de luce ingenita; vt radius ex sole. Et sic Apostolus ait, Christum splendorem esse gloriæ paternæ. Hebr. 1. 3. Quæ igitur est illa cæcitas, dicere ὁ λόγον fuisse à Deo illuminatum.

VII. Locus 34. ex 1. Timoth. 2. 5. *Vnus Deus, vnus & Mediator, homo Christus Iesus.*

Christus igitur non est Deus, sed tantùm Mediator, inter Deum & homines.

R. Quanquam ex iis, quæ capite superiore dicta fuerunt, satis abundè suppeditatur cuique ad hoc etiam sophisma responsio, ita vt necessaria non sit noua refutatio: tamē quia de principio hoc argumentum, à Mediatore ductum, initiū dedit huic controuersiæ: & deinceps aduersarij hoc potissimùm vsi sunt, ad blasphemiam istam simplicioribus persuadendum: idcircò non fuerit inutile quædam repetere, quò magis ac magis infirmioribus satisfiat. Negatur itaque consequentia: quasi verò pugnent inter se, aliquem esse Deū natura, & Mediatorem officio. Proinde paralogismus est ex ignoratione Elenchi.

At (inquies) certè pugnat. Si enim Christus est Mediator, vti est, iuxta Apostolum: & simul etiam Deus, vt vos dicitis: Idem igitur simul fuerit & intercessor, quia Mediator: & ille apud quē intercedat, quia Deus: eòq; intercessor apud se ipsū: atq; ita fuerit & intercessor & nō intercessor, quo quid pugnātius? Aut si vultis hoc euitare absurdū: cogemini duos statuere Deos, vnum qui intercedat: alterum apud quem intercedatur. Atqui hoc etiam impijssimum est vel cogitare.

Est enim

Est enim tantùm vnus Deus, vt hîc etiam ait Apostolus. Nō potest igitur Christus simul esse & Mediator officio, & Deus natura. Est autem Mediator, non igitur Deus.

Prior consequentia sequeretur ex antecedenti, eoque & argumentū concluderet; si quem dicimus vnum esse Deum, is vna tantùm etiam esset persona. Sed plures sunt personæ in illa vnica diuina essentia; quam essentiam vnum esse Deū prædicat Scriptura: & illarū personarum vnaquæque Deus est. Vt autem plures sint personæ, nullā implicat contradictionem, nullamve inducit absurditatem; si dicamus vnam apud alteram intercedere. Atqui sic docemus: nimirum Filium, qui Deus est, intercedere apud Patre, qui itidē Deus est: & quidem κατ' ἐξοχὴν Deus. Neque pugnā igitur, neque absurda docemus. Neque tamen hinc efficitur; nos duos essentialiter prædicare Deos. Optime enim inter se conueniunt: Vnum esse natura atque essentia, & plures esse personas, in vna eadémque natura & essentia: Vt multæ etiam essentiales sunt facultates in vna anima. Hoc igitur argumentum nihil concludit, quia in eo paralogismus est: qui dicitur ex ignoratione Elenchi; cùm ea tanquam pugnantia assumit, quę non sunt pugnantia. Clarius etiam explico, propter rudiores, quibus facilè imponi posset hoc sophismate. Argumentum aduersariorum hoc est:

Qui est Mediator: is non potest esse pars offensa, apud quam intercedat. Alioqui esset Mediator apud seipsum. Omnis enim Mediator intercedit pro parte quæ offendit; apud illam quæ est offensa.

Atqui pars à nobis offensa est Deus Israel, qui vnus est.

Christus igitur, qui Mediator est, non potest esse Deus ille Israel, qui à nobis est offensus.

R. Minor propositio non est simpliciter & semper vera nempe, vbi multæ sunt personæ. Quid enim prohibet, quin populus aliquis rebellet contra suum Regem, & ex consequenti etiam aduersus Regis filium: Interim tamen, licet ambo sint offensi, Pater nimirum & Filius, de communi Patris & Filij ipsius consensu ac voluntate deligatur Filius, qui Mediatorem agat inter Regem, & populum; quique populum Regi reconciliet? An non tunc Mediator fuerit pars offensa omninò. Nam & ipse fuit offensus cum Patre à suo populo. Interim tamen non poterit dici Mediator esse apud seipsum; quia apud personam Patris pro populo intercedat. Apparet igitur maiorem propositionem nō semper esse veram. Quum verò pars offensa vna duntaxat est persona; tunc certe non posset talis persona simul esse Mediator, qui intercedat; & pars offensa, apud quā intercedat, alioqui apud seipsam intercederet. Sed quando multæ sunt personæ offensæ, vt in exemplo allato apparet, tunc absurdum non esse, vnam ex illis personis esse & partem offensam, & Mediatorem apud aliam personam offensam. Ita verò se res habet in Deo. Tam Filius & Spiritus S. quàm etiā Pater, fuerunt à nobis offensi. Et isti tres sunt ille vnus Deus Israel, qui fuit à nobis offensus. Ex communi autem Patris, Filij, & Spiritus sancti, æternóque consilio & voluntate, pro immensa erga nos misericordia; delectus est Filius, qui munus Mediatoris obiret inter Deum Patrem, & inter nos; nósque Patri reconciliaret. Hoc enim placato, ipse quoque Filius & Spiritus sanctus futuri erant placati: quippe quorum vna est eademque voluntas. Filius suscepit prouinciam; & factus homo, suum perfecit munus apud personam Patris: qui Pater, κατ' ἐξοχὴν Deus est Israel. Atque hoc est, quod ait Apostolus: *Vnus est Deus*, Patrem intelligens, κατ' ἐξοχὴν: sed ita, vt ab illo non separet Filium aut Spiritum sanctum. *Vnus & Mediator*: hoc est, Christus, homo factus. Quorum est Mediator? *Dei & hominum*. Cuius Dei? illius, de quo antea: *Vnus est Deus*. Est autem Mediator proprie inter Patrem & inter nos. Nomine igitur Dei intellexit Patrem, sed talem Patrem, à quo nō separetur Filius, quo cū vnus est Deus. Hîc nihil est tricatum; sed omnia plana atque perspicua. Cohærent igitur hæc duo simul, Christum esse Mediatorem, & eundem esse partem offensam: eóque Deum Israelis. Et interim tamen non intercedere apud seipsum, sed apud solam Patris personā; propter vim tamen suæ intercessionis & satisfactionis se quoque, & Spiritum sanctum vnà cum Patre placari. Si hanc retineamus explicationem; facilis ad alias instantias fuerit responsio.

VIII. Alia igitur iam sequitur instantia.

Si Christus, inquiunt, est Deus Israel; non est Mediator inter Deum Israelis & homines. Mediator enim inferior est illo, apud quem est Mediator. Non est autem Deus Israelis inferior seipso.

Atqui Christus est Mediator Dei & hominum; ait Apostolus. Non est igitur Deus Israel.

R. Ὁμωνυμία est in nomine Dei Israelis. Quum enim dicimus, Christum esse Deum Israelis: ὁμοουσίως accipimus hoc nomen: nempe Christum eiusdē esse cum Patre essentiæ, & vnum cum Patre τῇ οὐσίᾳ Deum. Quum verò dicimus Mediatorem esse apud Deū Israelis: nomine hoc Patrem, qui κατ' ἐξοχὴν Deus est Israelis, significamus. Non est autē absurdum, personam Filij, qui οὐσίᾳ vnus est cum Patre Deus; esse Mediatorem apud Patrem, qui principaliter Deus est Israelis. Quare nō sequitur, Si Christus est Deus Israelis: eūdem esse non posse Mediatorem inter Deū Israelis, & inter nos. Proinde quod subiicis Mediatorem esse illo inferiorem, apud quem est Mediator; concedimus; sed officio, non natura. Quid enim obstat, quò minùs æqualis natura, apud æqualem (vt aliàs dictum est) pro aliis intercedat, & fiat Mediator? Quod igitur assumis, nō est Deus Israelis seipso inferior: verum est; quia neq; essentia diuina, quæ est Deus Israelis, est seipsa inferior: neque vlla persona est seipsa maior vel minor: imò neque vna inferior est vel maior altera: eiusdē naturæ respectu. Sed vnam respectu officij altera esse inferiorē, nihil diuinæ detrahit naturæ: hoc pacto dicimus, Filium officio Mediatoris inferiorem esse Patre. Is enim sese ad officium Mediatoris demisit, citra vllam naturæ suæ diuinæ alterationem: aut potentiæ & maiestatis, ad rem ipsam quod attinet, imminutionem.

IX. Instant præterea: Si Christus est Deus Israelis, non orat Deum pro nobis. Cùm enim vnus tantùm sit Deus Israelis, oraret seipsum.

Atqui orat Deum Israelis, & apud eum intercedit.

Non est igitur Deus.

Christus orat Patrem qui Deus est Israelis: proinde non rogat seipsū: quia alia est persona, quæ orat: alia quę oratur. Neque orat ipse, vt Deus: sed vt homo, & quatenus Mediator est, ac Pōtifex. Non negamus tamen, quin Christi intercessio apud Patrē, ad ipsam quoque Deitatem Christi pertineat. Nō quod ad ipsam adorationis & precationis actionē attinet (Deitas.n. non adorat, sed adoratur: neq; orat, sed oratur) verùm quatenus Christus per suā Deitatē vult, quòd per suā humanitatem & ex officio Mediatoris petit: nempe, vt propter suum sacrificium in gratiam Patris recipiamur: eatenus etiam dicimus ipsius intercessionem non solius esse humanæ naturæ, sed totius Christi. Ideò enim tanquam Mediator petit in carne à Patre, vt nos in gratiam recipiat & seruet: quia hoc idem vult, & semper iam inde ab æterno voluit & ipse: suę vtique Deitatis voluntate: En quo pacto Christus Mediator est, & officia Mediatoris efficit: non tantùm quà homo, sed etiam quà Deus est. Aliam adferūt etiā *Iteram*. Christus est Mediator, vt ait Apostolus: non potest igitur inuocari, eoque Deus non est. Omnis enim inuocatio fieri debet per Mediatorem. At per quem Mediatorem inuocari poterit à nobis Christus? Vnus enim tantùm Mediator est, homo Christus Iesus. Negamus sequelā hanc: Si Christus est Mediator: nō potest igitur inuocari. Non. n. inuocatur, vt Mediator, sed vt Deus. Et sic Stephanus inuocauit: *Domine Iesu, accipe Spiritum meum, &c.* Act. 7. 59. Et Apostoli Christo dicunt, *Adauge nobis fidem*, Luc. 17. 5. *Dominus noster Iesus Christus* (inquit Apostolus) *dirigat viam nostrā ad vos*. 1. Thes. 3. 11. *Dominus Iesus, & Pater Domini nostri consoletur corda vestra*. 2. Thes. 2. 17. Verba hæc non possunt verè dici, nisi de Deo. At, inquis, per quem Mediatorem inuocabimus Christū, cùm nullus alius sit Mediator? Et ego vicissim quæro: per quem Mediatorem Christus rogabat Patrem: & per quem offerebat sacrificium Patri? Et per quem alium Mediatorem Stephanus & alij pij inuocabant Christum? Quasi verò non possimus ipsum Christū, quatenus Deus est, & in ipso Patrem per ipsummet Christū, quatenus sese nobis offert, Mediatorem inuocare. Legimus Christum obtulisse seipsum Patri. Per quem verò Mediatorem obtulit hoc sacrificium? Per spiritum suum æternū, inquit Apostolus, Hebr. 9. 14. Quid ni igitur possimus Christum Deum per ipsummet Christum Mediatorem inuocare? An nō & ipse per vim sui sanguinis & satisfactionis nobis placatus est? Nihil igitur hoc planè impedit, quò minùs inuocari possit & debeat Christus; quia scilicet Mediator est, & præter ipsum alius nemo. Quid est enim inuocare Deum per Mediatorem? nil aliud quàm fiducia, in Mediatore & eius meritis collocata, Deum Patrem audacter accedere: & quando sumus iam per Christum reconciliati, & Filij Dei effecti, sine hæsitatione quæcunque sunt necessaria ab hoc nostro Patre cœlesti petere. Annon eodem modo accedere possumus ad Christū ipsum? Quare ex eo, quòd Christus est Mediator, nullum fieri argumentum potest, quò vera ipsius deitas tolli queat. Sed potiùs contrà inde magis ac magis illa confirmatur, vt aliàs ostendimus.

XI. Locus 35. ex 1. Timoth. 6. 16. De Patre ait, *Qui solus habitat lucem inaccessam*.

Solus igitur Pater Deus.

Resp. Hunc etiam locum obiiciebant Ariani Patribus, Ambrosius de fide ad Grat. libro.3.c.2. præter alios in summa respondet: A nomine Dei minimè excludi Filium & Spiritum S. hunc autem Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus S. solum habitare lucē inaccessā. Solida & firma est respōsio: & quæ ad multa similia valet loca atque sophismata.

XII. Locus 36. ex Hebr. 2.9. Ait Christum inferiorem Angelis fuisse factum.

Non igitur Deus est.

Resp. Ad omnia hæc & similia loca, quæ sunt de passione & humiliatione Christi, facilis est respōsio: omnia de Christo intelligēda esse, quatenus homo est. Et Apostolus ibi explicat, cur dicatur inferior factus Angelis, *propter mortis perpessionem*, inquit, *vt beneficio Dei pro omnib. mortem gustaret.* Huc spectant omnia argumenta, quæ Ariani à proprietatib. humanæ naturæ in Christo ducebant: ad oppugnandā eius Deitatem. In iis omnibus paralogismus est, qui dicitur à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Hi sunt præcipui loci, quibus abutebantur Ariani, & è quibus, perperā intellectis atque detortis, argumenta colligebant, aduersus veram & æternam Christi Deitatem.

XII. Adferunt deinde Symbolum Apostolicum, vbi dicimus, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, &c. Et in Iesum Christum, &c.*

Non igitur tenemur credere & confiteri, Filium esse Deum, sed tantùm Dominum nostrum.

Resp. Primùm sic legendum permulti docent, *Credo in Deum.* Postea enim per personas, quasi per partes explicari, quis sit iste Deus, in quē credimus: Pater nimirum, Filius, Spiritus S. Ita fallacia est cōpositionis. Deinde etiamsi velis vocē, Deū cū Patre coniungere, nil tamen effeceris. Pater. n. κατ' ἐξοχὴν & principaliter Deus est & dicitur; quia fons est totius Deitatis, & à quo sunt Filius & Spiritus S. Hac de causa quū nominandi sunt omnes simul: aut Pater & Filius: nomen Dei, Patri attribuitur: nomē autē Domini, Filio, iuxta regulā Tertulliani, quam in scripturis ipsis veram esse cernimus. Sed non propterea seiungūtur à nomine Dei, Filius, & Spiritus sanctus: vt alias ostendimus. Alioquin quū etiam postea de Filio dicimus, *Et in Iesum Christū Dominū nostrum:* vicissim diceremus, solum Filium nostrum esse Dominum; non autem Patrē. Quis verò hoc ferat? Hanc verò respōsionē verā esse inde liquet, quòd de Patre dicimus omnipotētē, Creatorē cœli & terræ; & tamen è Scripturis ostēsum est, etiam omnipotentem, & creatorem esse cœli & terræ. Cur igitur Patri hoc datur in Symbolo, non autē Filio? quia Pater fons est sicut deitatis, sic omnipotētiæ, operúmque creationis & aliorum omnium. Pater enim omnia creauit, sed per Filium. Ergo eadem de causa dicimus, nomen Dei in Symbolo esse Patri attributum, non autem Filio: quia scilicet Pater fons est Deitatis, non autē Filius. Quare fallacia hic admittitur, quæ non causa vt causa dicitur. Causa enim, cur hoc Dei nomen in Symbolo detur Patri, non autem Filio, non fuit, vt excluderent Apostoli Filium à Deitate Patris: sed ostenderent Patrem esse fontem Deitatis, & principium personarum. Quomodo enim Apostoli à Deitate excludant Filium in Symbolo: quem passim in suis Scriptis vocant Deum, & Deum verum?

Adferuntur præterea argumenta à Dei natura. Recitabo vnum aut alterum. Primum:

Natura Dei est, vt sit ἄναρχος καὶ ἀναίτιος.

Filius autem principium habet, & causam sui, nempe Patrem. Est enim à Patre, vt à principio & causa.

R. Est aperta ὁμωνυμία in iis vocibus. In maiori accipiuntur οὐσιωδῶς, hoc est, ratione essentiæ. Est enim hoc propriū illius diuinæ essentiæ, vt sit sine principio & causa: alioqui non esset Deus. Hac autem significatione tam Filius & Spiritus sanctus, quàm Pater sunt ἄναρχοι καὶ ἀναίτιοι. Est enim vna omniū οὐσία, quæ per se ἄναρχος καὶ ἀναίτιος est. In minore ὑποστατικῶς capiuntur, hoc modo; solus Pater est ἄναρχος, καὶ ἀναίτιος. Sed hæc personalis proprietas nihil efficit aduersus Deitatem Christi.

Huc spectat etiam quod aiunt.

Proprium Dei est esse αὐτόθεον.

Solus Pater est αὐτόθεος. Est enim ipse à nullo: non sic autem Filius & Spiritus sanctus, Ergo, &c.

Resp. Eodem modo, quo suprà, respondemus. Hoc nomē accipi posse οὐσιωδῶς, & ὑποστατικῶς. Christus ratione essentiæ αὐτόθεος est. Idem enim sunt diuina essentia, & Deus. Essentia autem à nullo est, sed per seipsam, & ex seipsa. Sed ratione personæ, & ὑποστατικῶς Christus à Patre est. Accipiēdo enim à Patre essentiam, quæ per se αὐτόθεος est, genitus est Dei Patris Filius. Et iuxta hunc sensum dixerunt Patres: *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.*

Atque de Sophismatis, aduersus veram æternamque Christi deitatem, hæc sunt, quæ præterire non potuimus. Iam videnda sunt ea, quæ aduersus doctrinam, de vera Spiritus sancti Deitate, obiiciunt Macedoniani, omnésque πνευματομάχοι.

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO,

## PARTIS POSTERIORIS,

## Liber Quartus.

*Refutatio Exceptionum & Sophismatum, quæ contra veram, de Spiritus sancti Deitate, doctrinam fieri solent.*

### CAPVT I.

Qua ratione refellendæ sint hæreticorum fallaciæ aduersus doctrinam de Spiritu sancto vero Deo. Refutatio exceptionum, quas adfert spiritus Ochinianus, ad nostra aliquot argumenta.

SI quis ea benè teneat, quæ aduersus tum exceptiones cōtra loca Scripturarum de Christo, tum sophismata & loca cōtra diuinam Christi naturā detorta, diximus: is nō opus habebit longa refutatione eorum, quæ aduersus verā Spiritus S. Deitatem ab Hæreticis scribūtur. Quæ enim allata sunt, ad vindicandam ab Antichristorū cauillis atque calumniis doctrinā de Christo vero Deo: eadem etiā sermoni refutādis omnibus, quæ contra Deitatem Spiritus S. fieri solent, argumētis. Ac primùm quidem quod attinet ad exceptiones: quinque sunt potissimùm loci, è quibus argumenta, pro vera æternáque tam Spiritus sancti, quàm etiam Filij Deitate cōfirmanda depromsimus. Alia. n. ducta sunt ab honore & cultu: qui soli debetur Deo. Alia ab attributis Dei: quæ de ipso quoque Filio & Spiritu sancto in Scripturis prædicantur. Alia ab operibus, tam creationis & gubernationis Mundi, quàm quæ ad Ecclesiæ salutem pertinent. Quædam sumta à proprietatibus personarum: vt, quod Filius sit genitus ex Deo Patre: & Spiritus S. sit Spiritus Patris & Filij, ab vtroq; procedens. Postremi generis sunt illa, quæ sumuntur ab iis Scripturarum locis, in quibus tā Filius, quàm Spiritus sanctus aperto Dei nomine appellantur. Si quis igitur teneat refutationē exceptionū, quę fiunt aduersus ista loca, de quibus diximus; & præsertim aduersus illa quatuor priora, quatenus iis confirmata à nobis fuit vera æternáq; Christi Deitas: Is etiam habebit in promtu refutationem earum exceptionum, quæ fieri solent aduersus argumenta ex iisdē locis desumta, pro confirmatione doctrinæ de Spiritu sancto, vero & æterno Deo. Cùm enim sint eadem planè argumēta pro vno, quæ & pro altero: eædem etiā sint exceptiones necesse est. Ac proindè nec aliis responsionib. defendi possunt loca pro Spiritu S. adducta: quàm quibus etiam propugnata sunt testimonia, quę ad confirmandam Christi deitatem allata à nobis fuerunt. Hæc cùm ita se habeant, non est necesse, omnia, quæ aduersus Spiritus sancti deitatem excipiuntur: ex omniū libris colligere & refutare. Hoc. n. foret nihil aliud quàm actum agere: præsertim verò, cùm tam satis abunde suprà fuerit à nobis demonstratū Spiritum sanctum verum esse rem seu personam, in Deo, hoc est, in æterna illa diuina essentia, quam Scripturæ Iehouam & Deum vocāt, ὑφεστηκυῖαν. Hac enim confirmata doctrina, nempe Spiritū sanctum verum esse ὑφιστάμενον: satis etiam omnib. sophismatis liberata fuerit omnis, de eiusdē Spiritus sancti Deitate, doctrina.

doctrinæ. Accedit etiam, quòd nõ tam multa ab aduersariis adferuntur contra Spiritum sanctum; quàm contra Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum. His rationibus adducor, vt censeam, non solùm nõ esse necessarium, sed neque etiam operæ pretium; vt singula quæ ab hæreticis contra loca, à piis doctoribus pro Spiritu sancto adducta, scribuntur, refutemus. Superest igitur, vt ne nihil prorsus dixisse videamur, pauca quædam, præsertim quę à Spiritu Ochiniano contra loca de Spiritu sancto excipiuntur, refellamus.

II. Præter alia argumenta, quibus confirmauimus Spiritum sanctum verum esse Deum, illud etiam non fuit minimum, quod inde deduximus; quia fideles vocantur templum Spiritus sancti, cùm iidem appellentur etiam templum Dei. 1. Cor. 6. 19. & 3. 16.

Primò Spiritus ille Ochinianus tres adfert significationes Spiritus. Prima: significari hoc nomine ipsum Deum, qui est Spiritus & sanctus, atque ita est Spiritus sanctus. Io. 4. 24. & 17. 18. Nomine autem Dei intelligit semper Patrem. Altera: significari hac voce Dei fauorem, & virtutem, per quam operatur, præsertim in electis. Et hanc virtutem, esse ipsum Deum; quia Deus est simplicissimus. Tertia: dona Dei nobis cõcessa hoc eodem nomine notari. Deinde, iuxta primam nominis significationem; ait se fateri Spiritum sanctum, hoc est, ipsum Deum (Patrem autem intelligit) esse Deum. Iuxta secundam etiam ait, ipsam Dei virtutem, per quam Deus operatur in sanctis, esse Deũ. Sed negat esse tertium (vt vocat) suppositum, hoc est, personam, à Patre & Filio distinctam. Tertio loco ad dictum Apostoli respondet, sanctos appellari templum Spiritus sancti; non quòd in eis habitet & operetur duntaxat tertia persona (nõ posse enim tertiam personã in aliquo habitare & operari; quin reliquæ etiam in eo habitent & operentur.) Sed ideò locari & esse templa Spiritus sancti, hoc est, Dei; quia Deus in iis sua virtute operatur, inq; eis suo fauore, & gratia, & donis habitat. Ita ex hoc loco non posse euinci, Spiritum sanctum tertiam esse personam, eámque Deum.

Resp. Primùm quod ait, nomine Spiritus sancti significari Deum (hoc est, Patrem) falsum est. Quoniã scripturæ loco hoc vnquam probare poterit? At vocatur Spiritus, & sanctus: ergo Spiritus sanctus. Verum quis nõ videat fallaciam compositionis? Seorsim quidem Deus Pater vocatur Spiritus, & seorsim sanctus: sed nunquam coniunctè Spiritus sanctus. Quod verò ait de virtute, per quam operatur Deus pater, eam esse Deũ, quia Deus est simplicissimus: non simpliciter damnamus. Sed notandum est, virtutis Dei nomine aliquando significari ipsam Dei essentiam, quatenus ea operatur Deus. Hac enim vt sapiens est, sic etiam operatur omnia. Atque hoc sensu accipit Spiritus Ochinianus nomẽ virtutis Dei. Verùm hîc nego, in Scripturis vnquam nomine Spiritus sancti hanc virtutem; hoc est, ipsam diuinam essentiam, quæ communis est omnium personarum, significari. Et contendo, semper indicari aut personam, quam Christus vocat Spiritum sanctum: aut eius dona: vt sæpe in Actis. Aliquando verò nomine virtutis Dei significatur iste, quem è Scripturis vocamus Spiritum sanctum: tertiam scilicet personã in Deo: de qua Angelus, *Spiritus sanctus* (inquit) *superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. 35. Hoc inficiatur Spiritus Ochinianus: sed satis superque antea probatum est, Spiritum sanctum verũ esse ὑφιστάμενον distinctum à persona Patris. Locus ille Ioh. non potest eludi, *Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo; ille vos docebit, &c.* Io. 14. 26. Quæ ibi adscribit Christus Spiritui sancto ea nõ possunt competere, nisi in personam seu rem per se subsistẽtem, voluntate præditam. Esse autem distinctum à Patre, ille idem locus euincit; quia alius est mittens, alius missus: & alius qui procedit; alius à quo procedit. Quod igitur ad locum Apostoli attinet, nõ potest Spiritus Ochinianus, nisi impudenter, inficiari; quin Spiritus S. hoc est, tertia hæc persona; quæ etiam Spiritus Dei, & virtus Dei appellatur: habitet in sanctis hominibus: & quin illi sint huius templum. Qui enim in iis habitat, iudicio & voluntate præditus est, & loquitur: *Spiritus Patris vestri* (inquit Christus) *qui loquitur in vobis.* Matt. 10. 20. Spiritus autẽ sanctus appellatur ipse Spiritus Dei, & Spiritus Christi. Spiritus igitur sanctus, hoc est, tertia persona habitat in Sanctis. Quòd verò ait Spiritus Ochinianus, nõ posse tertiã personam habitare in Sanctis: quin ibi habitent etiam reliquæ: dictum est bene. Nam etiã Christus dixit, *Ego, & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Io. 14. 23. Hoc verò ideò fit, quoniam omnes sunt vna & eadem essentia. Sed quid hoc ad rem? Quasi verò dici non possit Spiritus S. habitare in sanctis: quia in iis habitat Pater & Filius. Imò cõtrà, quia Pater & Filius habitant in Sanctis: ideò etiam Spiritus S. in eis habitat: & per hunc operantur illi in Sanctis, vt Scripturæ loquũtur, & hactenus tota Christi Ecclesia consueuit loqui. Ergo cùm proprium sit solius Dei, ita habitare in Sanctis, vt sint illius templum: & manifestum sit Spiritum sanctum, qui est persona, in iis habitare, & illos esse eius templum: efficitur, Spiritum sanctum tertiam personam, verum esse Deum. Atque ita firmum manet nostrum argumentum.

III. Ex 1. Cor. 2. 11. vbi dicit Apostolus, Spiritum Dei (qui scilicet in Deo est) nouisse quæ Dei sunt, collegimus, Spiritum sanctum verum esse Deum, quia in Deo: & quia per se nouit, quæ Dei sunt: & ea aliis reuelat. Excipit Spiritus Ochinianus nomine Spiritus ibi non intelligi Spiritum, qui sit tertium ὑφιστάμενον: eóque inde etiam concludi non posse, illum esse Deum.

Respon. Ad hanc exceptionem responsum abundè à nobis fuit, quum refutaremus aduersariorum exceptiones aduersus argumenta, pro persona Spiritus sancti. Non est igitur opus, vt illam refutationem repetamus. Summa est: Ex verbis Apostolis euinci: primùm, eundem esse Spiritum, qui scrutatur profunda Dei, quique nouit quæ sunt Dei: & eum, per quem Deus sua reuelat mysteria fidelibus. Ait enim: *Nobis autem Deus reuelauit per Spiritum suum.* Et mox: *Spiritus enim* (per quem scilicet Deus Pater reuelat) *omnia scrutatur, etiam profundissima Dei.* Deinde liquet ex eodem Apostolo: Hunc Spiritum esse substantiam viuentem, intelligentem & diuinam: quia huic tribuitur actio, quæ nõ potest cadere nisi in substantiam viuentem, & intelligentem. Corruit igitur exceptio Ochini. Cùm verò hæc ita habeat: & Spiritus Dei ideò nouerit omnia quæ sunt Dei, quia in ipso est: sicut etiam Spiritus hominis, id est, anima, ideò nouit quæ sunt hominis, quia in ipso est homine: Ergo sicut anima hominis ad substantiam hominis ita pertinet, vt sit homo: sic etiam Spiritus sanctus ita de substantia est Dei: vt sit Deus.

IIII. Inde etiam euicimus, Spiritum sanctum esse Deum, quòd per eum regeneramur. Hoc enim est Dei proprium. Excipiunt quidam, nos regenerari è Spiritu sancto, hoc est, virtute, & ἐνεργείᾳ Dei. Hanc autem non esse personam, eóque nec Deum.

Respon. Hanc etiam exceptionem refutauimus. Ostendimus enim apertissimis rationibus, nos renasci ex Spiritu sancto, tanquam à causa efficiente. Spiritum enim sanctum in regeneratione nostri non esse materiam: ex qua fiat regeneratio. Neque formam, qua constet regeneratio. (Hæc enim est qualitas per Spiritum sanctum creata.) neque esse puram actionem Dei. Non enim dicimur renasci ex actione, sed actione. Neque esse instrumentum: per quod fiat regeneratio: vt est aqua & verbum. Sed causam efficientem regenerationis. Verum igitur esse Deum.

V. Probatur etiam, Spiritum sanctum esse Deum, quia in illum iubemur credere, & credit tota Ecclesia. Excipit Spiritus Ochinianus, in symbolo Apostolorum non reperiri, *Credo in Spiritum sanctum.*

Resp. Si multa sint exẽplaria, quæ non habent in particulam, *in*, apud veteres tamen auctores, qui illud symbolum sunt interpretati, reperitur. Et antiquissimi patres docent hanc fuisse fidem Apostolorum, quæ est in ipsum quoque Spiritum sanctum. Cyprianus in symbolo Apostolorum affirmat sic legi, *in Spiritum sanctum*, sicut & in Patrem ac Filium. Augustinus de Fide, & Symbolo legit eodem modo: *Credo in Spiritum sanctum.* Tertull. de Trinitate eãdem habet lectionem. Irenæus lib. 1. sic scribit: Ecclesia per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata: & ab Apostolis & & à discipulis eorum accepit fidem, quę est in vnum Deum Patrem, & in vnum Iesum Christum: & in Spiritũ S. &c. In Concilij Niceni symbolo, & aliorum deinceps conciliorum symbolis hæc eadem habetur particula. Hæc igitur est fallacia: quæ vocatur Impudentia.

Excipit deinde, etiamsi legatur multis in locis: *Credo in Spiritum sanctum*: posse tamen sic intelligi: *Credo in Spiritum sanctum*: hoc est, saluos nos fieri virtute Dei, quæ Spiritus sanctus appellatur. Sed responsum est antea, Virtutem Dei, quæ vocatur Spiritus sanctus, rem esse ὑφιστάμενον: non accidens aliquod. Deinde locutio hæc, credere in, minimè potest in rem non subsistentem competere. Nullum enim exemplum in Scripturis reperiri potest, quo ostendatur, Rectè credi posse in rem non subsistentem, nec viuentem, nec intelligentem.

Excipit prætereà Ochinus: *Nec non* (inquit) *possum dicere: nos credere in Spiritum sanctum, hoc est, saluos nos fieri eius lumine, donis, beneficio.* Sed phrasis Scripturę non fert hanc interpretationem. Credere enim in aliquem: est fiduciam salutis in illo collocare. Non possumus autem collocare

fiduciam in donis, in lumine, & beneficio Spiritus sancti: sed in solis personis: vt in persona Spiritus sancti, Patris, Filij. Fallacia igitur est ex ignoratione figuræ dictionis.

VI. Inde etiam confirmata est doctrina de Deitate Spiritus sancti; quòd Christus insufflauit in Apostolos Spiritū sanctum, dicens, *Quorum remiseritis, &c.* Io. 20. 21. Non repeto argumēti explicationem, breuitatis causa. Excipit Ochinianus ille malignus Spiritus: & primò nos falli, si credamus personam Spiritus sancti intrasse in Apostolos, quod immēsa sit. Neque etiam fuisse in Apostolis hypostatica vnione. Deinde, etiamsi fuisset in Apostolis persona Spiritus sancti; eam tamen non potuisse peccata ignoscere; quòd vna persona in creaturis sine cæteris personis dari non possit. Hunc igitur esse sensum Christi: *Accipite Spiritum S. hoc est, lumen, gratiam, potestatem prædicandi Euangelij. Et hoc simul scitote: posse vos testificari, qui per fidem id admiserint eis ignosci peccata: & rursus eadem non ignosci, si non crediderint.* Sic ille.

Resp. Ad singula respondeo. Fallitur ipse, qui non credit Spiritum sanctum sua essentia fuisse in Apostolis; & esse in fidelibus omnibus. Cùm Scripturæ vbique hoc prædicent; quemadmodum suo loco fusè ostendimus. Sed in ipsis inclusus non est. Implet enim cœlum & terram Deus. Quę verò est illa Spiritus huius mali ratiocinatio: Spiritus sanctus est immensus, ergo non est in vllo homine sua essentia? Imò contrà, quia immensus est, ideò vbique est: maximè in omnibus fidelibus, speciali quodam, sed incomprehēsibili modo. Nam hęc eadem est causa, propter quam probatur Christum esse vbique sua Deitate: quia immensæ est essentiæ. An non etiam Pater dicitur esse vbique, quia immensus est? Cæterùm notandum est. Nos nō dicere, Spiritum sanctum sua essentia conclusum esse in sanctis. Cùm enim immensus sit: includi in nemine potest. Neque etiā esse in aliquo, vnione hypostatica: vt λόγος est in carne. Sed esse vbique, etiā in Sanctis, sicut & Pater, & Filius. Ad secundum, nempe, etiāsi fuisset in Apostolis, eum tamen non potuisse condonare peccata; quia vna persona sine cæteris operari non potest in creaturis: miror huius acuti Spiritus stupiditatem. Quæ enim est hæc ratiocinatio:

Vna persona diuina non potest sine cæteris operari in creaturis.

Ergo Spiritus sanctus in Apostolis non potuit remittere peccata? Debuisset hoc inferre: Ergo Spiritus non potuit remittere peccata sine Patre & sine Filio: id quod toto corde credimus & confitemur. Imò retorquenda est hæc argumentatio:

Si vna persona in creaturis non potest operari sine cæteris: ergo non poterat Pater & Filius remittere peccata, quin etiam Spiritus sanctus remitteret.

Atqui Pater & Filius in Apostolis remittebant peccata.

Ergo etiam Spiritus sanctus simul cum eis peccata remittebat. Hæc vera est & necessaria ex isto antecedenti consequentia: quæ & aliis Scripturæ locis confirmatur. *Sed abluti estis* (ait Apostolus 1. Cor. 6. 11.) *sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri.* Quid est autem aliud iustificare, quàm peccata remittere? Cùm autem hoc sit opus solius Dei; quid ni ex illo Iohānis loco concludam cum tota Ecclesia, Spiritum sanctum esse Deum? Io. 20. 22. Ad Ochinianum verborum Christi interpretationem quod attinet, vbi testes tantùm & præcones facit Apostolos remissionis peccatorum; hoc non improbo: modò tales testes & præcones fuisse fateatur & ipse, in quibus ille sanctus habitaret Spiritus, qui per hos remitteret peccata: ita vt ipsi quoque tanquam ministri, dici possint (vt Scholæ loquuntur) ministerialiter remisisse. Quare quòd nomine Spiritus Apostolis dati nihil aliud interpretetur, & intelligendum esse doceat, quàm lumen, quàm gratiā, quàm potestatem prædicandi Euangelij, friuola est interpretatio, vt antea ostensum à nobis fuit.

VII. Ex loco etiam Act. 5. 4. demonstrauimus, Spiritum sanctum esse verum Deum; quippe qui hoc nomine à Petro appelletur. Sic enim dixit Ananiæ, eum mentitum esse Spiritui sancto: quia mentitus esset non hominibus, sed Deo.

Excipit Spiritus Ochinianus, Petri verba sic esse intelligenda: Ananiam ideò dici mentitum esse Spiritui sancto, & Deo; quia mentitus fuerat Petro, & ex consequenti, Deo, qui ore Petri loquebatur: ac proinde etiam Spiritui sancto, id est, virtuti; per quam Deus loquebatur in Petro. Hinc igitur non consequi, Spiritum sanctum esse Deum, quòd Spiritus hic nihil aliud significet, quàm ἐνέργειαν Dei in Petro: cui Petro mentitus fuerat Ananias.

Resp. Interpretatio hæc non potest simpliciter admitti; sed tantùm ex parte. Nam quod quidem ait, Ananiam mentitum esse Petro; damus: quanquam in contextu apertè nō exprimitur. Quod etiam subdit, eóque & Deo, qui Petri ore loquebatur; non improbamus. Quod etiam sequitur, Ac proinde & Spiritui sancto, per quem Deus loquebatur, etiam verum est. Per hūc enim loquebatur Pater. Sed quòd nomine Spiritus sancti intelligit virtutem Dei, Apostolis donatam, non autem personam: Atque inde concludit, Spiritum sanctum, vt nos docemus, tertiam personam, non esse Deum: hoc demum neque concedimus, neque concedi potest. Nam primò ait, Ananiam mētitum esse Spiritui sancto, & hunc tentasse. Oportet igitur Spiritum sanctum substantiam esse intelligentem. Quis enim vnquam legit, mendacium dici, aut aliquem mentiri posse rei non subsistenti? Deinde interpretans quid fuerit hoc ipsius Ananiæ mentiri, ait: *Vt interuerteres ex pretio illius prædij.* Docet igitur, Spiritum sanctum talem esse, & cui Ananias atque eius vxor promiserint, se totum hoc prædium relicturos Ecclesiæ: & quem postea defraudârint, partem pretij agri promissam interuertendo, & ad se trāsferendo. Nulli autem rei, quæ persona non sit, intellectu & voluntate prædita; promitti aliquid potest, ac proinde nemo etiam defraudari, nisi persona sit intelligens. Postremò quum vult exaggerare, quantum fuerit hoc peccatum, nempe mentitum esse Spiritui sancto, ait: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quid hoc sibi aliud vult, quàm, Ne putes, ô Anania, quia dixi te mentitum esse in Spiritum sanctum; ideò me sic loquutum, quòd mentitus sis mihi, in quo sint dona Spiritus sancti: & quasi is Spiritus, qui est in me, nihil aliud sit, quàm donum aliquod Dei creatum. Falleris si hoc cogitas. Sic enim non esses mentitus nisi creaturæ: ac proinde non tam graue esset tuū mendacium. Nunc autem non es mentitus hominibus: sed Deo. Ergo quòd dixit te mentitum esse Spiritui sancto, nihil aliud est, quàm te mentitum esse Deo. Quis hîc non videat Apostolum explicasse, quid sit Spiritus ille sanctus? cui dixerat Ananiam fuisse mentitum: nimirum illum non esse hominē, neque creaturam vllam, sed Deum? In summa Petrus explicat, non quid sit mētitum esse sibi; neque enim antea dixerat, illum Ananiam mentitum esse sibi Petro: sed quid sit mentitum esse Spiritui sancto. Ergo quum ait: *Non es mentitus hominibus, sed Deo,* indicare voluit, quàm magna fuerit istius hominis in Spiritum sanctum offensa; nempe maxima: quia non in homines, neque in dona Dei hominibus donata, peccârit; sed in Deum ipsum.

VIII. Ex illis quoque, quæ de Spiritu sancto tradidit Christus apud Iohan. demonstrauimus, Spiritum sanctū & verā esse personā, & verum Deum. Io. 16. 13. &c. Ait enim de ipso Christus: *Ille Spiritus παράκλητος, cōsolator, & aduocatus docebit vos omnia. Suggeret quæcunque dixi vobis: testabitur de me: Ille me glorificabit, quia de meo accipiet,* & cætera eiusmodi. Non possunt autem ista effecta attribui, nisi veræ personæ. Deinde quia hæc omnia erat operaturus Spiritus iste sanctus, interna in animis Apostolorum actione. Solius autē Dei est, agere efficaciter in animis. Idcirco, quia neque hæc perfici poterant nisi à Deo, euicimus Spiritum sanctum tum veram esse personam, tum verum Deum, vt omittam argumentum inde ductum, quod Spiritus sanctus procedit à Patre, & à Filio.

Aduersus hoc argumentum ex iis locis deductum, excipit Spiritus Ochinianus, & ait: Primò quum dicitur Spiritus iste docturus & suggesturus omnia, quæ Christus docuisset: intelligendum esse, Patrem Deum hæc omnia facturum suo Spiritu, hoc est, fauore, virtute, potentia. Ita vt attribuatur Spiritui, hoc est, fauori & potentiæ Dei; id, quod facturus erat Deus suo Spiritu. Sicut etiam dicimus, vitia à virtutibus esse superata, id est, homines vitiosos ab hominibus virtute præditis. Et huc etiam trahit illud, *Non enim estis vos qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis,* Matth. 10. 20. hoc est, Pater ipse suo Spiritu, id est, sua virtute.

Resp. Sed hæc interpretatio nullomodo admitti potest. Nam apertissimam distinctionem fecit ibi Christus inter Patrem & Spiritum sanctum hunc παράκλητον, dicens: *Quum venerit ille Spiritus παράκλητος, quem mittet Pater in nomine meo.* Alius igitur est mittens Pater, & alius Spiritus missus. Itē ait: *Spiritus qui à Patre procedit.* Alius est igitur is, à quo: & alius is, qui procedit. Hunc autem Spiritum non esse virtutem, seu fauorem, vel potentiam Patris non subsistentem, sed veram personam, euincunt omnia, quæ illi tribuit Christus Spiritui sancto: vt quòd veniet, quod futurus sit testis, & alia quæ ibi dicuntur. Non potest igitur admitti interpretatio Spiritus Ochiniani, quòd Pater hęc omnia acturus esset suo Spiritu, id est, sua virtute: nisi nomine virtutis & Spiritus intelligatur verum ὑφιστάμενον, veraque persona à Patre & Filio distincta. Damus enim, nihil agere Spiritum

sanctum

sanctum in nobis, quod non agat Pater: sicut neque agit quicquam Pater sine Filio, & sine Spiritu sancto. Sed sicut Pater vera est persona, sic etiam idem de Spiritu sancto concludimus. Ac quod dixi, eò magis confirmatur, quòd Christus hunc Spiritum vocat παράκλητον, non autem παράκλησιν. Est igitur res subsistens, & intelligens. Et vocat alium παράκλητον. alium scilicet à se Christo, eóque à Patre. Persona igitur est distincta. Quare non est ἐνέργεια Patris, id est, Pater ἐνεργητικὸς, neq; ἐνέργεια quæ sit accidens. Item ait: *De meo accipiet:* Non potest igitur hoc nomine Spiritus intelligi Pater, qui agat sua virtute. Pater enim nihil accipit à Filio. Item: *Non loquetur à seipso, sed quæcunque audiet, loquetur.* Pater autem semper loquitur à seipso, & nihil audit, accipit, discit à quoquā. At, inquit Spiritus Ochinianus, si nomine Spiritus sancti intelligeretur tertia persona, non posset sola sine cæteris vel docere vel suggerere. Aut si sola posset, faceret per seipsam, & non opus haberet, vt ex alio audiret vel disceret. Iam diximus non solam personam Spiritus sancti in Sanctis agere: sed huius actiones communes esse Patris, & Filij: vti etiam vna est omnium essentia. Quòd verò dicitur accepturus à Filio: & auditurus quæ loquatur, non significat illum ignorare quidpiam, & quasi discipulum aliquid noui discere: sed nihil allaturum, diuersum ab eo quod docuit Christus. Sicut etiam de se idē dixerat Christus: se nihil loqui à seipso, sed tātùm quæ audiuerat à Patre. Io.8.28. Significare enim voluit, se non attulisse, nisi cœlestem Dei Patris doctrinam. Quare hæc omnia apertè docent: Spiritum sanctum veram esse, & distinctam à Patre & à Filio personam. Et cùm sit Spiritus Dei Patris, quia à Patre dicitur procedere: verum esse Deum consequitur.

IX. Aliam igitur adfert exceptionem, & ait, nomine Spiritus intelligendam esse animam Christi iuxta illud, *In manus tuas commendo Spiritum meum*, Luc.23.46. Et, *Inclinato capite emisit Spiritum*, hoc est, animā. Io.19.30. Animam igitur Christi, quæ est creatura, dari ab eo suis electis. Animam verò sua interiore potentia & virtute, largiri rerum ad salutem necessariarum cognitionem: & quę anteà à Patre audiuerat, suggerere interiori sermone.

Egregiam verò Interpretationem. Non inficiamur, quin aliquando nomine Spiritus intelligatur anima Christi: sicut in locis illis, paulò antè adductis, apparet intelligendum esse. Sed in tribus illis capitibus, de quibus est disceptatio, nullo modo nomine Spiritus intelligi potest anima Christi. Non enim simpliciter Spiritus appellatur, sed Spiritus παράκλητος. Hoc autem nomine in scripturis nunquam anima Christi, sed solus Spiritus sanctus fuit appellatus. Deinde rem planè aliam à se Christus pollicetur: quum ait: *alium παράκλητον dabit vobis.* Anima verò Christi nō est alia à Christo. Tertiò promittit, de cœlo alium παράκλητον venturum: postquam ipse ascendisset in cœlum. At anima Christi ascendit in cœlum, nec descendit, aut descensura est ad finem vsque Mundi. Quartò promittit Spiritum, qui veniat ad, & in Apostolos, & in illis maneat, doceat, arguat. At anima Christi non fuit in Apostolis, neque in singulis esse potuit, cùm sit creatura, eóque finita. Postremò neque etiam à corpore Christi separari amplius potest eius anima: alioqui iterum moreretur Dominus noster Iesus Christus. Quid enim est mors aliud, quàm animæ à corpore separatio? Christus autem iam non moritur. Quomodo igitur nomine Spiritus παράκλητος intelligi potest anima Christi? Cùm igitur tam luculenter appareat vanitas istarum Spiritus Ochiniani exceptionum, consequitur firmum manere argumentum, quo ex iis tribus capitibus confirmata fuit à nobis vera æternáque Spiritus sancti Deitas. Hæc ferè sunt argumenta, quæ conatus est malignus ille Spiritus refellere: sed vt videre est, non potuit.

X. Duo alia refutauit loca: sed id meritò. Fuerunt enim, à nescio quibus sophistis, extra proprium & genuinum sensum detorta. Vnum argumentum est: Ideò Spiritum sanctum verè esse Deum, quia Spiritus veritatis appellatur. Io.16.13. Sed hoc argumentum firmum non est. Nam etiam fidos, & qui veritatem prædicant, Pastores, Spiritus veritatis appellat Iohan. sicut contrà falsos Doctores, Spiritus mendacij vocat. 1.Io.4.6. Alterum etiam magis est ineptum. Inde enim conantur probare, Spiritum sanctum esse de essentia Filij diuina, eóque verum Deum: quia Christus dixit, *Ille Spiritus de meo accipiet.* Io.16.14. Quasi verò dicere voluerit Christus, Spiritum sanctum accepturum de sua essentia. Sed hoc modo consequeretur, Spiritum sanctum tum temporis nondum fuisse Deum: quia non dixit Christus in præterito, accepit: vel in præsenti, accipit, sed in futuro, *accipiet.* Quàm igitur sit iste locus detortus, nemo non videt. Scimus autem hunc esse genuinum verborum Christi sensum: Spiritum sanctum nil nouæ doctrinæ allaturum, sed eam confirmaturum, & in animis Apostolorum aliorúmq; piorum obsignaturum, quam anteà tradiderat Christus. Deinde etiam, quicquid in nos transfusurus erat Spiritus sanctus, siue ad doctrinam pertinens, siue ad remissionis peccatorum consecutionem, siue ad vitæ sanctificationem & renouationem, totum hoc Spiritum S. à Christo accepturum fuisse, & ita Christum glorificaturum: id quod & facit. Abluit enim nos Spiritus sanctus à peccatis, sed Christi sanguine: mortificat in nobis peccatum, sed vi mortis Christi: excitat ad nouam vitam, sed virtute resurrectionis Christi: donat nos sapientia, iustitia, fortitudine, & aliis innumeris donis & diuitiis, sed hos thesauros accipit à Christo. Sunt enim in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Col.2.3. In Christo est vita, salus, omnia denique. Spiritus autem sanctus accipit ex Christo hos thesauros: & eos nobis dispensat: puta carnem Christi, & nos cibat: iustitiam Christi, & nos iustificat, atq; ita Christum nobis communicat. Dum igitur Spiritus sanctus sua vult efficacitate facere nos horum thesaurorum participes, communicat nobis Christum, ac proinde dicitur accipere de iis, quæ sunt Christi. Atque in hoc consistit gloria Christi, quia Spiritus sanctus dicitur illū glorificare. Meritò igitur Spiritus Och. argumentum illud vt ineptum, ne quid grauius dicam, refutauit, quo, nescio qui, probare conantur, Spiritum sanctum esse Deum: quia ait Christus, de meo accipiet: hoc est, de mea, vt ipsi volunt, essentia.

## CAPVT II.

### Refutatio aliarum quarūdam exceptionum, quæ aduersus alia fiunt argumenta: sumpta à proprietate personæ Spiritus sancti, & à forma Baptismi.

ALIA alij oppugnant argumenta. Non referam omnia: quia, vt ante dixi, facilis suppeditabitur responsio illis, qui ea, quæ diximus aduersus exceptiones contra loca, pro Christi Deitate adducta, probè retinuerint. Vnum tantùm adhuc, aut alterum proferam.

Inde quoque probari solet, Spiritum sanctum esse Deum, quia appellatur, & est Spiritus Dei, nempe Patris, & Filij. Excipiunt quidam: Imò inde sequitur non esse Deum; quia non vocatur Spiritus Deus, sed Spiritus Dei: sicut etiam Angeli Dei, verbum Dei.

Respon. Principiò falsum est, Spiritum sanctum non vocari Deum. Imò & Iehouam & Deum vocari in scripturis abundè suo ostendimus loco. Deinde neque eo modo scriptura vocat hunc Spiritum, Spiritum Dei, quo Angelos appellat Spiritus, & Angelos Dei: vel Hierosolymam, ciuitatem Dei. Hæc enim omnia extra essentiam Dei sunt, hoc est, non sunt de Dei essentia, sed facta à Deo. Spiritum autem sanctum Spiritum Dei scriptura appellat, quia de essentia est Dei. Procedit enim à Patre & à Filio. Quo etiam modo animam vocamus animam hominis: quia de essentia est hominis, & ad essentiam pertinet. Et nos appellamur filij hominum: quia de substantia hominum sumus. Vt igitur optimè sequitur, sumus filij hominum, ergo homines: ita necessariò sequitur, Spiritus sanctus est Spiritus Dei, nempe de substantia Dei, ergo est Deus. Quare fallacia est æquiuocationis. Alio enim sensu Angeli vocantur Spiritus Dei: & alio, Spiritus sanctus Spiritus Dei dicitur. Illi secundum quid, quia facti à Deo: & propter officium, quia nuncij Dei sunt. Hic autem simpliciter, & ἐνυποστάτως, Spiritus Dei dicitur: quia de essentia est Dei: sicut Filius hominis de essentia est hominis: & Spiritus hominis, hoc est, anima, ad essentiam hominis pertinet, & pars est hominis essentialis. Ita paralogismus etiam est accidentis, quia est à proprietate personæ, seu à modo subsistendi, ad ipsam essentiam. Dicitur enim Spiritus Dei, quia à Deo est: verum dicitur etiam Spiritus Deus, quia eiusdem essentiæ est cum Deo Patre & cum Filio. Imò hinc apertè euincitur ὁμοουσία Patris & Filij: quia Spiritus sanctus, licet Spiritus sit tam Filij quàm Patris, nunquam tamen dicitur Spiritus Deorum, sed Dei, vnius scilicet.

II. A forma etiam Baptismi, qui est in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti: probare solent Patres, & nos quoque confirmauimus, Spiritum sanctum esse Deum: tum quia ibi inuocatur Sp. sanctus non minùs quàm Pater & Filius, vt recipiat in gratiam illum qui baptizatur: tū quia ad huius non minùs, quàm Patris & Filij cultum adstringitur

baptizatus hoc fœderis signo. Hoc enim significat baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Tum denique, quia significatur hac formula, Spiritum Sanctum non minus quā Patrem & Filium esse illum Iehouam, qui hoc modò noui fœderis symbolo suum sibi obstringit populum, & in gratiā recipit. Est enim Baptismus signum noui fœderis, quod Iehoua per Prophetas promiserat.

Excipit quidem in hæc verba: *Respondeo, ex vnitate affectus concludi non posse vnitatem causarum.* Confirmat hoc exēplo vno ex Ies. 37. v. 35. Vbi dicit Dominus: *Seruabo ciuitatem istam propter me, & propter Dauid seruum meum. An igitur Dauid & Deus vnus sunt. Minimè. Ita ex eo, quòd Baptismus iubetur fieri in nomē Patris, Filij, & Spiritus sancti, minimè sequitur hos vnum esse. Quòd si dicas, illius promissionis* (nempe apud Isaiam) *hunc sensum esse: Protegam ciuitatem & meapte causa & propter fidem famulo meo datam: non equidem inficiabor hunc sensum esse verborum Dei. Sed & perinde concludenda erit alia interpretatio verborum Christi, quàm illa, quæ vnitatem essentiæ trium statuit. Hæc nimirum, Baptizare in nomine Patris: qui auctor est vestræ reconciliationis: & Filij, cuius merito hæc conciliatio facta est: & Spiritus sancti, qui est arrhabo huius conciliationis. Quæ igitur vnitas horum trium, seu in Christi Baptismo, seu in eius transfiguratione apparuit, quia vnum testantur omnes: eadem, & non minor in nostro Baptismo concludenda est.* Hæc omnia ille. Sublata autem hac vnitate essentiæ, quam prædicamus, inter Patrem, Filiū, & Spiritum S. tolletur etiam vera Deitas, tā Filij quàm Spiritus sancti. Non potui ergo omittere, quin ad locum hunc respondeam, pro tuenda sicut Filij, sic etiam Spiritus sancti deitate. Vt verò melius & dilucidiùs appareat fallacia huius argumenti, atque ita etiam melius percipiatur nostra respōsio, redigam argumentum hoc in formam. Tale igitur est argumentum:

Illi ineptè imperitéque agunt, qui ex vnitate effectus cōcludunt vnitatem causarum. Ex vnitate enim effectus non potest colligi vnitas causarum. Hoc probatur ex Iesaia.

Atqui vos hoc facitis: ex vnitate enim effectus Baptismi, qui effectus est receptio in gratiam ac regeneratio, quæ fit à tribus causis, Patre, Filio, Spiritu sancto; id quod apparet, quia baptizamur in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vos concluditis vnitatem harum trium causarum, hoc est, hos tres vnius esse essentiæ, eoque vnum Deum. Ergo, &c.

Respon. Ad maiorem. Non est vera in omnibus, & semper. Primùm quidem intelligendum est dictum hoc de causis efficientibus. Nam in causis finalibus non ita vera est propositio. Imò si multi ad vnum concurrant effectum, vt ad bellum, concludi potest, vnum esse omnium finem, nēpe victoriam. Quod ad propositionis suæ confirmationem adducit ex Iesa. nihil ad rem facit. Ibi enim loquitur Deus de causis finalibus suæ promissionis. Deinde intelligenda est in rebus creatis. Quia enim ad vnum effectum vnus sæpenumerò non potest per se idoneus esse: idcircò multi alij ad idem concurrunt. Ita certè ex vnitate effectus, non potest concludi vnitas causarum efficientium. Sed in Deo, qui est per se omnipotens, alia est ratio: quum scilicet per se operatur, sine creaturarum ministerio. Quia enim effectus ille non potest proficisci, nisi ab vna omnipotente essentia (est enim vna natura) idcircò ab vnitate effectus optimè etiam concluditur vnitas causæ efficientis. Ita ab vno & eodem motu perpetuo, eoque constanti ipsius cœli, Philosophi concluserunt vnum esse primum mouēs, nempe Deum. Annon hîc ab vnitate effectus cōclusa est vnitas causæ? Sic ab vno fœdere optimè concluditur, vnum esse Deum, tam Gentium, quàm Iudæorum. Et sic à signo etiam fœderis vno, nempe Baptismo, idem euincitur. Et ab vna collecta ex omnibus mundi partibus Ecclesia optimè infertur, vnum esse tantùm huius totius Ecclesiæ Deum. Nō est igitur simpliciter, & in omnibus vera propositio illa Ex vnitate effectus, non posse colligi vnitatem causæ. Deinde ad minorem respondemus: Nos non constituere Patrem, Filium, & Spiritum sanctum tanquam tres causas nostræ reconciliationis & regenerationis, sed vnā tantùm causam efficientem. Quæ enim operatur Pater, eadem operatur Filius & Spiritus S. & quidem *ὁμοίως* Ioh. 5. 19. Agit enim Pater per Filiū, in Spiritu sancto: proinde dicimus vnum esse, qui nos in gratiā recipit, recōciliat, regenerat, adoptat in Filios. Deinde falsum etiam est, nos ex vnitate tantum effectus, cōcludere vnitatem causarum, hoc est, essentialem vnitatem horum trium, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Concludimus enim hanc vnitatem ex aliis quoque (vt ita loquar) vnitatibus: vt ex vnitate actionis, & ex vnitate cultus. Nam ab vnitate indiuisæ operationis seu actionis in Baptismo, cōcludimus vnitatem causæ. Vt, quia tam filius, & Spiritus sanctus, quàm Pater, recipiunt nos in gratiam quū baptizamur, & omnes simul nos regenerant: id quod significatur, quum dicimur baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti: idcircò cōcludimus vnum esse Deum, Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Et sic Christus docebat se æqualem esse Patri, nēpe natura, eoque vnum cum Patre: ab vna & eadē actione Patris & sua. Quia quęcunque operatur Pater, eadem & Filius *ὁμοίως* operatur. Iohan. 5. 19. & 10. 29. &c. Sic ab eadem non tam potētia, quā potenti actione, qua tam ipse quàm Pater suas seruat oues, vt nemo eas possit de manu sua, sicut neque de manu Patris, eripere, conclusit, se & Patrem vnum esse. Alia ratione concludimus à forma Baptismi, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum, quàm ab vnitate effectus, nempe ab vnitate cultus fiduciæ & obedientię, quā tam profitemur, tam in Filium & Spiritum sanctum, quàm in patrem. Nam hoc etiam significatur, quum baptizamur in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti, hoc est, in horum fidem & cultum. Hic autem cultus vni debetur Deo. Eandem etiam vnitatem alia concludimus ratione, nempe, quia vnus est tantum Iehoua, qui se nos fœdere in suam amicitiam recepturum per Prophetas pollicitus est. Hic autem in baptismate, quod est symbolum fœderis, recipimur in gratiam fœdere, non solùm à Patre, sed etiam à Filio & Spiritu sancto. Non minus igitur Filium & Spiritum sanctum, quā Patrem concludimus esse Deum: & simul omnes vnum Deum. Præterea ab vna & eadem omnium auctoritate & mandato, eoque essentię vnitatem euincimus. Quum enim iubemur baptizari in nomē Patris, Filij, & Spiritus sancti: docemur hoc facere mandato & autoritate tam Filij, & Spiritus sancti, quàm Patris. Nam hoc etiam significatur illis verbis. Ex pari autem & eadem prorsus omnium auctoritate, optime etiam colligitur eadem omnium Deitas atque maiestas. Fallacia igitur est non causæ, vt causæ. Non enim ex hac tantùm causa concludimus vnitatem essentię Patris, Filij, & Spiritus sancti, quia vnum est omnium opus istud, quod fit in Baptismo: nempe, reconciliatio regeneratioque: sed quia est vna omnium actio, omnium auctoritas, vnus omnium cultus, quem ibi protestamur: denique ex multis causis, non ex vna tantùm hoc concludimus. Quare ad illud, quod ait: Hanc concedendam esse verborum Christi interpretationem, *Baptizo in nomine Patris, qui scilicet auctor est, &c.* concedimus, sed hac lege, vt ipse quoque vicissim duo nobis concedat, quæ denegare non potest. Patrem quidem esse auctorem primarium reconciliationis, quia fons est, vt totius Deitatis, sic etiam omnis gratiæ in quam recipimur: sed non eum solum. Agnoscimus enim etiam Filium non solum illum esse, cuius tāquam Mediatoris merito facta est reconciliatio: verùm etiam illum, qui quatenus Deus, reconciliationis auctor est. Item agnoscimus & confitemur idē de spiritu sancto. Quicquid enim decreuit, voluit, egit, & agit Pater, idem etiam cum Patre decreuit, voluit, egit & agit Filius, & idem etiam Spiritus sanctus, vt aperte docent Scripturæ. Elegit nos Pater, elegit & Filius, Iohann. 15. vers. 16. *Ego vos elegi.* Creauit nos Pater, creauit & Filius. *Omnia enim per ipsum facta sunt.* Seruat nos Pater, seruat & Filius. Atque ita de reliquis, iuxta regulam illam, Iohan. 5. vers. 19. *Quæcunque operatur Pater, eadem & Filius operatur.* Quare fallacia est hic non causæ, vt causæ. Neque enim hæc sola est causa, cur baptizemur in nomen Filij, quia ipsius merito facta est reconciliatio. Neque hæc sola est causa, cur baptizemur in nomen Spiritus sancti, quia per hunc tanquam per arrhabonem, reconciliatio obsignatur. Sed inprimis quia vterque cum Patre, tanquam vnus & verus Deus, auctor est nostræ salutis & reconciliationis: hoc est, quia vterque cum Patre nos recipit in gratiam, condonat peccata, regenerat. Idcircò etiam tam Filio & Spiritui sancto, quàm Patri, nos fidem obstringimus, & nomen damus nostrum. Atque hinc sequitur alterum, quod vt concedat necesse est: Suam scilicet verborum Christi de forma baptismi interpretationem, mancam esse. Non enim explicat vim verborum Christi, quid sit baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti: sed tantùm assignat quasdam causas, non omnes, neque præcipuas, propter quas baptizamur in nomen Patris, & in nomen Filij, & in nomen Spiritus sancti. Ac fatemur quidem, ex ista arida interpretatione non constitui illorum trium vnitatem. Sed hoc etiam contendimus, ex genuina omnium verborum Christi de forma Baptismi interpretatione, eam vnitatem optimè concludi, quemadmodum antea explicatum, & demonstratum à nobis fuit. Quare quod ad extremum concludit: Non aliam vnitatem horum trium concludi in Baptismo, quàm quæ etiam apparuit in Baptismo Christi, &c. nempe vnitatem

vnitatem testimonij: verum certè concludit, nempe ex sua arida interpretatione. At ex plena verborum Christi & formulæ Baptismi explicatione, alia profectò vnitas inter Patrem, Filium, ac Spiritũ sanctũ euincitur, quàm vnitas testimonij: nempe vnitas voluntatis & electionis: vnitas auctoritatis & potentiæ: vnitas actionis & operis: vnitas gratiæ & promissionis: vnitas denique essentiæ & Deitatis. Apparet igitur firmissimum esse argumentum, quo ex forma Baptismi concludimus, non solùm Patrem, sed etiam Filium & Spiritum sanctum verum esse, vnumque Deum.

Hactenus ad exceptiones aduersus nostra argumenta. Nunc videamus, quænam contra deitatem Spiritus sancti afferant sophismata.

---

## CAPVT III.

### Verę interpretationi restituuntur quædam Scripturarum loca: quibus, aduersus Spiritus sancti Deitatem, abutuntur πνευματομάχοι.

PRINCIPIO quædam scripturæ sanctæ loca turpiter & iniquè contorquent ac deprauant.

Locus I. ex Amos 4. vers. 13. ad finem capitis sic Græcè legitur: *Dominus ait*, ἰδοὺ ἐγὼ στερεῶν βροντὴν, καὶ κτίζων πνεῦμα, &c. *Ecce ego firmans tonitrum, & creans Spiritum, & annuncians hominibus Christum eius.*

Iehoua (inquiebat Eunomius) creat Spiritum:

Spiritus igitur est creatura.

R. Basilius aduersus Eunomium, lib. 3. in hunc respondet modum: Apud Amosum nomen Spiritus nõ significare Spiritum sanctum, sed ventum. Et hoc verum est. Est igitur ὁμωνυμία in voce Spiritus. Deinde ait: Dominum nõ dixisse, qui creaui, sed, *qui creo*. Si de Spiritu sancto loquutus fuisset: dixisset, qui creaui. Erat enim (de sententia Eunomij) iã creatus Spiritus sanctus. Sed ait, *Creo*. Ventus enim iste quotidie gignitur & perit. Et fit instar fluminis, fluente aëre. Ideò dicitur Deus creare Spiritum, id est, ventum.

II. Locus secundus ex Mat. 11. v. 27. *Nemo* (per se) *nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quisquam nouit, nisi Filius.*

Ergo Spiritus sanctus per se non nouit Patrem, aut Filium: quare Deus non est. Deus enim omnia per se nouit.

Resp. Particula exclusiua, *nisi*, hoc loco minimè à notitia Patris & Filij Spiritum sanctum excludit: sed tantùm creaturas omnes, hoc est, quicquid de Patris & Filij essentia non est. Est autem Spiritus sanctus de essentia Patris & Filij. Deinde ab Apostolo tribuitur Spiritui sancto perfectissima Dei Patris cognitio: quippe qui in ipso est Patre, 1. Cor. 2. 11. Ac si licet ita argumentari à particulis exclusiuis: In illo loco Pauli à notitia Deis Patris excludetur Filius, quia ait Apostolus: *Nemo nouit quæ sũt Dei, nisi Spiritus Dei.* Imò à notitia sui ipsius excludetur Pater, quia nemo nouit Patrem, nisi Filius. Et Filius à cognitione sui, quia nemo nouit Filium nisi Pater. Fallacia igitur est ex ignoratione figuræ dictionis, & phraseon Scripturæ. Neque enim Scriptura particulis istis exclusiuis solet omnia simpliciter excludere: sed illa tantũ, quorum caussa instituta est oratio, & quæ cum altera parte comparantur. Vt in loco illo Apostoli, 1. ad Cor. 2. 10. Mortalium omnium caussa institutus est sermo hic de sapientia Euangelij in ministerio abscondita. Eam scilicet absconditam esse omnibus hominibus: ita vt sine Spiritu Dei percipere illam nequeant. Si autẽ Spiritus reuelet eam, posse percipi. Solus enim spiritus nouit, quæ sunt Dei. Quis hic apertè non videat, hac dictione, *Nemo*, non excludi Filium, (de hoc enim non est ibi sermo, & cum hoc Spiritu non confertur Filius) sed homines duntaxat. De iis enim ibi loquitur: & ij soli cum Spiritu comparantur. Ita etiam quum dixit Christus: *Nemo nouit Patrem, &c.* Matt. 11. 27. de hominibus propriè loquebatur, quorum caussa in mundum venerat: vt illis Patrem, Patrisque voluntatem reuelaret. Hoc esse illis necessarium docet: *Quia nemo* (scilicet horum hominum) *nouit Patrem, &c. & cui voluerit Filius reuelare.* Non venit autem Christus, vt doceret Spiritum sanctum: proinde minimè à notitia Dei excluditur. Est igitur semper spectandum, quanam de re ibi agatur, & quænam inter se conferantur. Quare certum est, Quotiescunque in Scripturis aliqua diuinæ illius essentiæ persona creaturis fictitiisve diis opponitur, ac ab iis illa seiungitur: tunc reliquas Deitatis personas minimè secludi ab ea re, qua persona illa à creaturis distinguitur: siue ea res sit scientia, siue deitas, siue aliud quidpiam ad essentiam Dei pertinens: vt aliàs multis exemplis declaratum est. Vt apud Ies. 44. 6. opponitur Deus Iehoua fictitiis diis, & omnibus creaturis: Quum igitur ait: *Præter me non est Deus*: non excludit à deitate sua nisi creaturas: non autem Filium, vel Spiritum sanctum.

III. Loc. 3. ex Iohan. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*: ergo etiam Spiritus sanctus.

Quare non est Deus.

Resp. Est fallacia diuisionis. Diuidunt enim hanc particulam ab insequentibus verbis, cum quibus est coniungenda. Iohan. enim ait, *Omnia per ipsum facta sunt: Et sine ipso factũ est nihil, quod factum est.* Ergo illa voce, *omnia*, ea tantùm intellexit, quæ facta sũt. Propositio enim Apostoli est, omnia, quæ facta sunt à Patre, per ipsum λόγον facta esse: ac proinde λόγον & æternum esse, & semper apud Patrem: verumque cũ Patre Deum. Probent igitur, Spiritum sanctum esse factum, tum dabimus factum esse per λόγον. Certè Apostolus vbi breuem catalogum creaturarum omnium contexuit, visibilium & inuisibilium, Spiritum sanctum inter eas non connumerat, Col. 1. 16.

IV. Locus 4. ex Iohan. 7. 39. *Spiritus sanctus non erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Non igitur erat adhuc Spiritus: quare Deus non est.

Resp. Ὁμωνυμία est in voce Spiritus sancti. De donis Spiritus sancti loquitur Iohannes: non autem de persona. Personam fuisse antea docet Petrus, qui ait, Spiritum Christi fuisse in Prophetis. Et in Baptismo Christi apparuit in specie columbę. Neque ait Iohannes simpliciter, Spiritus nondum erat, sed, *nondum erat datus*.

V. Loc. 5. ex Ioh. 15. 26. & 14. 26. De Spiritu sancto ait Christus, *Quem ego mittam vobis à Patre meo*: Et, *Quem mittet Pater in nomine meo.*

Minor igitur Filio & Patre, quia ab illis missus.

Item: si mittitur: à loco igitur in locum mittitur, ac proinde finitus est, eoque creatura.

R. Negatur vtraque illatio. Prior pendet ex propositione generali, quæ non semper vera est: nempe, omnis qui mittitur, minor est eo, à quo mittitur. Dicimus enim (vt aliàs etiam ostendimus de Christo) æqualem sæpè mitti ab æquali. Altera etiam illatio infirma est. Etsi enim mittitur, locum tamen non mutat: cùm immensus sit, complens orbem. Sicut etiam de Filio alibi dictum est. Mitti enim dicuntur, quum voluntate Dei Patris nouo quodã modo sese patefaciunt. Fallacia igitur est ex ignoratione figurę dictionis.

VI. Locus 6. ex Iohan. 16. 13. de Spiritu sancto ait Christus: *Non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur*, non est igitur Deus. Deus enim loquitur ex seipso, & non opus habet instructione.

Resp. Negatur illatio. Et idem paralogismus admittitur: ex ignoratione scilicet figuræ dictionis. Non enim aut Spiritus, aut Filius aliquid audire dicuntur, quasi indigeant, vt ab aliquo discant, & accipiant in mandatis quid debeant loqui: Sed iis locutionibus consensio tantùm voluntatis & doctrinæ cum voluntate & doctrina Patris significatur. Ac si concedatur eos audiuisse, hoc est, accepisse, Filium à Patre, & Spiritum sanctum à Filio, quæcunque attulerunt: & locuti sunt in mundo; Dicimus eos hæc omnia accepisse per æternam regenerationem atque processionem.

VII. Loc. 7. ex Rom. 8. v. 26. *Spiritus sanctus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Non est igitur Deus.

Resp. Fallacia est ex ignoratione figuræ dictionis, & phraseon Scripturæ. Sæpe enim Scriptura, quod nos facimus excitati à Deo, illud ita tribuit Deo, vt dicat Deum illud facere. Vt, quia Deus effecerat, vt Abrahamus ex animi promptitudine ad mactandum filium sibi donata agnouerit, se vero Dei timore, fide & reuerentia donatum esse; Deus dicit, se nunc agnouisse quòd se timeat; quia scilicet effecerat, vt Abrahamus seipsum nouerit, Ge. 22. 12. Sic Spiritus sanctus dicitur interpellare, & orare pro nobis gemitibus, &c. quia ipse excitat nos, & efficit vt oremus. Hoc explicat Apostolus ipse. Dixerat enim, *Quid oremus nescimus*, &c. Mox: *Ipse autem Spiritus postulat pro nobis*, &c. Quid hoc autem aliud est; quàm ipse Spiritus docet nos quid oremus? Item antea, *Spiritum accepistis adoptionis, in quo* (id est, per quem) *clamamus, Abba Pater.*

VIII. Loc. 8. ex Matth. 28. 19. In nomine Patris, Filij & Spiritus sancti. Spiritus sanctus tertius est à Patre & Filio, ordine & dignitate. In tertio enim loco solet collocari. Ergo etiam natura ab illis differt. Quare non est ὁμοούσιος Patri; sed creatura.

R. Respõdet huic argumẽto Basilius aduersus Eunom. li. 3.

in hanc sententiam. Non conceditur totũ antecedens. Spiritũ enim sanctum esse tertium dignitate, non damus, pares enim & ęquales sũt omnes, sicut Deitate, sic & dignitate. Sed etiam si daretur, tamẽ non sequeretur illatio: ergo non est Deus. Inter Angelos enim sunt alij primi, alij secũdi, ordine & dignitate. Num inde sequitur, Non eiusdem esse naturæ.

IX. Locus 9. ex Iohã. 15. 26. Spiritus sãctus à Patre procedit. Procedit igitur aut vt creaturæ, aut vt ingenitus, aut vt genitus Deus. Atqui non vt Deus ingenitus, quia solus Pater ingenitus est: neque vt Deus genitus, quia talis est solus Filius: ergo vt creatura. Quare Deus non est.

Resp. Basil. cont. Eunom. l. 3. summatim ita respondet. Scimus e scripturis, Spiritum sanctum non esse creaturam, sed supra creaturas. Scimus esse à patre, & verò etiã à Filio. An verò sit per generationem, an alio modo, ignoramus: quia scriptura nõ explicat, nisi quòd procedit à Patre. Neque verò hoc mirũ videri debet, quòd multa de Deo à nobis hoc seculo intelligi nequeant, cùm neque ea, quæ in corpore fiũt humano, omnia intelligamus. Vt, an oculus videat extra mittendo lumen, an verò intrò recipiendo formas. Sed ego sic respondeo ὁμωνυμίας esse in voce, ingenitus. Quatenus enim opponitur genito, Spiritus sanctus est ingenitus: non enim est ab alio per generationem. Quatenus verò significat non esse ab alio simpliciter: epitheton hoc propriũ est Patris. Spiritus igitur sanctus nõ est ingenitus, vt Pater; neque genitus, vt Filius. Sed hinc non sequitur eũ esse creaturam. Est enim tertius modus subsistendi in Deo, nẽpe per ἐκπόρευσιν qui in Scripturis nulli attribuitur creaturæ. Sunt hæc veterum hæreticorum argumenta, aduersus Deitatem Spiritus sancti.

---

## CAPVT IV.

### Quale sit hoc mysterium Trinitatis & quomodo tractandum. Confutatio quorũdam sophismatum, quæ Mediator ex Erasmo in medium adfert.

Reperi deinde quædam alia apud alios, qui nostro hoc tempore hisce de rebus scripserũt. Ac primùm quidem Mediator de seipso ait: Mecum certe ita sentio agi, vt quo magis scrutor hæc mysteria, de quibus in hoc libro egi, eò plura mihi obuertentur, quæ animum meum reddant ancipitem. Ecce enim de Spiritu sancto cogitationes quædam aliæ, &c.

Ingenue fatetur id, quod res est, nempe quò magis scrutamur (nostro scilicet ingenio, non contenti verbo Dei) mysteria hæc, de Deo vno & tribus personis: eò plura nobis obuersari, quæ animos nostros reddant ancipites. Deberemus igitur omnes contenti esse verbo Dei, & simpliciter, quæ ibi proponuntur, credere, atque amplecti: etiamsi quomodo res istæ se habeant, non possimus nostro assequi ingenio: memores præcepti Domini ad Israelitas, quum daturus esset legem: nimirum vt quisque se contineret intra suos terminos: & ne ascenderent in montem, ne forte perirent, dum tuba caneret. Exod. 19. 12. Id quod Apostolus interpretatus est, quum sic scriptum reliquit: *Enimverò per gratiam, quæ mihi data est, edico cuiuis versanti inter vos, ne sapiat supra quàm oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem.* Ro. 12. 3. Sobrietas est, quum acquiescimus in verbo Dei: & illa mediocri, & ex parte, qua nos dignatur Dominus, cognitione: nihil vltra verbum Dei inuestigamus. Illud quoque reuocandum est in memoriã, quod Dominus dixit Mosi curiose quærenti, & petenti sibi faciem Domini ostẽdi. *Nõ videbit me* (inquit Deus) *homo, & viuet.* Exo. 33. 18. Docet enim iis verbis, Nobis non esse consultũ, vt mysteria de Dei essentia & Maiestate, quæ tecta esse nobis vult in hoc seculo, curiose extra verbum Dei perscrutemur. Sed satis esse, si Deum à posterioribus agnoscamus, ab effectis nimirũ, & ex verbis ipsius, eoque ex parte, non in totum. Id quod etiam symbolo quodam indicauit Mosi: nempe quum iussit Mosem manere in spelunca petræ, seu in foramine rupis: dum ipsius Iehouæ gloria illac transiret. Hoc enim perinde fuit, atque si quis inclusus esset in crypta aliqua obscura, in quam penetrare lux solis non posset, nisi per angustum foramen. Talis certe est nostra cõditio, dum sumus in hac carne. Totam illam cœlestem lucem percipere non possumus: sed eam duntaxat exiguam partem & radiolum, qui nobis in verbo Dei offertur. Cauendum igitur nobis est, ne nostros egrediamur fines, (ij autem sunt Scripturæ sanctę) & conscendamus mõtem cœlestis Maiestatis illius, facie ad faciem videndæ causa, Alioqui non solùm occurrent, quę nostrum turbent animum: sed ignis iræ Dei nos penitus cõsumet. Exempla sunt nobis ante oculos permulta eorum, qui propter transgressionem huius mãdati grauissimas dederunt pœnas. Excæcantur enim inprimis: deinde in fœdissimos labuntur errores; vsque adeo, vt quum hinc migrandum est: aut Deum penitus ignorent, aut adhuc intra se disputent de Deo. Ita verò fit, vt à tenebris his præsentibus in tenebras detrudantur exteriores. De nemine tamẽ est, dum viuit, desperandum. Hic igitur Mediator ex Erasmo quædam proponit argumenta propter quæ dicit se adhuc esse ancipitem.

II. Primum argumentum ex Matt. 9. Iubemur inuocare & adorare Patrem, nunquam autem Spiritum sanctum. Et Christus Patrem solum semper adorauit & inuocauit. Spiritum autem sanctum promisit quidem sæpe, rogauit verò nunquam.

Solus igitur Pater est Deus ille vnus, qui solus est adorandus, de quo: *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Deut. 6. 13. Quare Spiritus sanctus non est Deus.

R. Ad primum antecedentis membrum, de præcepto inuocandi patrem, in refutationibus sophismatum, ex locis noui Testamenti sumptorum, aduersus Christi Deitatem, responsum est. Quod verò Christus inuocari solam Patris personam, & Spiritum sanctum promiserit, nũquam autem inuocarit: ingenue id fatemur: sed negamus illationẽ, Christũ igitur indicasse suo exemplo, solam Patris personã, non autem ipsum etiam Spiritum sanctum esse inuocandũ, eoque Deum non esse. Fallacia enim est non causæ vt causæ. Causa namque cur nõ hunc, sed solum Patrẽ inuocàrit semper Christus, non fuit vt significaret, Spiritũ sanctum à Deitate excludi: sed quia orabat & inuocabat vt Mediator. Mediator autẽ proprie non fuit Christus inter nos & Spiritum sanctum: sed inter nos & Patrem. Quanquã, vt anteà explicatum abunde fuit, non solùm Pater, sed etiam Filius ipse & Spiritus sanctus ~~nos re~~ceperunt in gratiam: placato & recõciliato Patre, quippe quorum vna est & eadem voluntas atque actio. Cæterùm ad Patrem cum primis refertur reconciliatio: tanquam ad fontem, vt Deitatis, sic etiam omnis gratiæ & bonæ erga nos voluntatis.

III. Argumentum 2. ex 1. Timoth. 5. 21. *Obtestor te in conspectu Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & electorum Angelorum, &c.* Nominat hic Apostolus Patrem, Christum, Filium, Angelos etiam electos, & nullam facit mentionem Spiritus sancti. Cur potiùs obtestatus est Timotheum in conspectu Angelorum, quàm in conspectu Spiritus sancti: præsertim facta iam mentione Patris & Filij; Non debuisset hìc præteriri, si Deus est. Item quando salutat & precatur gratiam, cur semper ait: *Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & à Domino Iesu Christo*: nunquam autem dicit, & à Spiritu sancto? Item Christus ait, *Quum autem venerit Filius hominis in sua gloria, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Luc. 9. 26. Neque hìc Christus secum & cum Patre commemorat Spiritum sanctum, sed neque etiam cum Angelis, non est igitur Deus. Et alibi, *Non sum solus: sed vnà mecum adest, qui me misit, Pater.* Io 8. 16. Item: *Testimonium ego ipse dico: & dicet etiam is, qui me misit, Pater.* Cur etiam hìc non nominatur Spiritus sanctus? Alibi etiam Christus ait: *Qui vicerit, eius nomen coram Patre meo confitebor, & coram Angelis eius.* Apoc. 3. 5. Cur hic etiam omittitur Spiritus sanctus? Hæc ego (inquit Mediator) legi admirabundus, nec quid sibi velint prorsus scio.

Respon. Primùm: negatur, ex omnibus istis assumtis cõsequi illationem hanc, nimirum; Ergo Spiritus sanctus non est Deus. Pendet enim illa ex propositione vniuersali, quæ admitti non potest: nempe, si Spiritus sanctus esset verus cum Patre & Filio Deus: vbicunque nominatur Pater & Filius, ipse quoque Spiritus sanctus nominaretur. Atqui hoc non fit: ergo, &c. Quis non videat maiorem propositionem admitti non posse, & esse ἀσυμέχεν? Quasi verò præscribenda fuerit hæc regula Spiritui sancto, quum scripturas dictauit Prophetis & Apostolis. Deinde sunt certæ causæ, vt ostendam postea, cur in locis suprà citatis non fuit facta Spiritus sancti mentio. Deinde ad minorem. Etsi non semper, sæpè tamen cum Patre & cum Filio coniungitur Spiritus sanctus: præsertim vbi Spiritus sancti Deitas erat asserenda, & Filij: Vt in forma Baptismi, Matt. 28. 19. Et quum Christus loquitur de blasphemia, non tam in Patrem & Filium quàm etiam in Spiritum sanctum. Et Apostolus 2. Cor. 13. ver. 13. ait: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei, & cõmunicatio Spiritus sancti.* Ac si Paulus nõ ait, Gratia vobis à Patre, & Filio, & Spiritu S. hoc facit Io. quũ

ait in

ait in Apoc.1.v.4. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est &c. & à septem Spiritibus*: hoc est à Spiritu sancto, qui propter dona multiplicia spiritualia, nomine septem Spirituum appellatur: Magnis etiam viris locum hunc ita interpretantibus. Quanquam non ignoro, ab aliis quoque piis & doctis viris aliter exponi. Sed modò sarta tecta seruetur charitas & vera pietas, licet cuique suam in medium adferre interpretationem, vt ipse etiam Apostolus docet, 1.Cor.14.27.&c. Quare non est, quod hic Mediator nostram reiiciat explicationem, tanquam cum verbis Apostoli non consentaneam: Et dicat, nomine septem Spirituum, intelligi non posse Spiritum sanctum, sed tantùm Angelos. Quid enim si ego vicissim dicam, & verò etiam demonstrem, non posse intelligi Angelos? Neque enim precari possumus alicui gratiam & pacem ab vllis creaturis: vt apud omnes pios extra controuersiam est: solus enim Deus dat gratiam & pacem talem, qualem precabantur Ecclesiis Apostoli. Adde, quòd in ea Iohannis precatione nomen septem Spirituum statim post nomē τοῦ θεοῦ hoc est, Dei, subiicitur: & nomini Christi præponitur: quòd nefarium omninò esse videretur, si illo Spirituum nomine Angeli creati intelligantur. Quid enim causæ fuit Iohanni, cur inter Deum Patrem & inter Deum Filium Iesum Christum medios collocaret Angelos: & ex æquo tam ab his, quàm ab illis precaretur gratiam & pacem Ecclesiis? Nusquam tale exemplum, aut permissio similis in sacris literis reperitur: vt liceat gratiam precari à Spiritibus creatis: præsertim verò eo ordine & modo, quo hic: nempe à creaturis, inter Deum Patrem & inter Filium interiectis: quo significetur, non minùs propriè & per se gratiam ab Angelis proficisci: quàm etiam à Patre & à Filio. Absurdum verò hoc tollitur: si de Spiritu sancto interpreteris. Nam quòd præponatur Christo Spiritus sanctus, hoc nihil habet absurdi aut noui. Nam etiam Spiritus sanctus Deus est: & paris dignitatis cum Filio. Alibi etiam non semel Christus præponitur Patri: vt ad Gal.1. vers.1. 2. Corinth. 13. vers.3. 2.The.2.vers.16. Ephes.5.v.5. Atque hanc credo causam esse cur non semper illo ordine ponantur hæ diuinæ personæ, quo in forma Baptismi habentur: nimirum, vt licet inter eas sit ordinis & originis ratio: vnam tamen maiorem esse altera maiestate & gloria putaremus. Sed de Angelis Christo præpositis neque exemplum habemus vllum: neque cur id fieri possit vel debeat vlla assignari potest ratio iusta ac bona. Nam Christus etiam quatenus Mediator est in carne, præficitur Angelis ab Apostolo, & præstantior est illis. Heb.1.4. Quòd verò dicuntur stare vel esse in conspectu throni ipsius Dei: hoe nihil impedit, si dextre, hoc est, ἀνθρωποπαθῶς sicut debet intelligatur, quemadmodum etiā per ἀνθρωποπάθειαν necesse est, vt accipiatur illud quod de Patre: sedere scilicet eum in throno: & Christus alibi dicitur sedere ad dextram Patris: & esse in sinu Patris. Hebr. 10. 12. Ioh.1. 18 Significatum enim fuit illa phrasi figurata officium Spiritus sancti proprium, maxime post ascensum Christi in cœlum: nempe illius esse, vt à Patre & Filio etiam mittatur in corda electorum, ad eos illuminandos, regenerandos, sanctificandos, regendos: sicut Christus docuit apud Iohannem non semel, & iterum. Io.14.15.16. Vt igitur hoc proprium Spiritus sancti officium innueret Iohannes, descripsit hunc multiformium donorum & gratiarum Spiritum, tanquam præstò Patri existentem, & in eius conspectu stantem: paratum ire quocunque ille iusserit. Si hunc locum ita interpreteris: nihil absurdi, nihil iniqui dixeris: & ex analogia fidei fuerit interpretatio. Quid ni igitur ex hoc etiam Iohannis loco colligere meritò possimus: Spiritum sanctum in Scripturis inuocatum fuisse: & Christū docuisse vt inuocetur? Hunc enim Apocalypseos librum scripsit Iohann. Ecclesiis, docente & dictante Christo è cœlis. Verùm enimuerò, an non illa quoque Apostoli precatio, à Filio, Patre, & Spiritu sancto, quam habet in fine posterioris ad Corinth. continet inuocationem Spiritus sancti? 2. Cor.13.13. Ibi certè tres isti simul nominantur. Idem fit etiam 1.Iohann.5.7.& alibi sæpissimè. Notandum verò est, vbi fit mentio tantùm Patris & Filij (vt redeat, vnde digressa est oratio nostra) ibi sæpè quidem intelligi nomine Patris, personam Patris: nomine autem Christi, personam Filij: sed ita tamen, vt nunquam excludatur Spiritus sanctus, qui Spiritus est vtriusque, & ab vtroque procedens. Sæpissimè verò nomine Patris non tam persona Patris, quàm ipsa simpliciter diuina essentia & Iehoua sinificatur: nomine autem Christi Filius ipse, quatenus officio Mediatoris fungebatur, & Pontifex erat: quemadmodum in exemplis iamiam videbimus. Quum igitur recitatis illis sacrarum literarum locis ex Erasmo, in quibus ita nominatur Pater, Christus & Angeli, vt interim nulla fiat Spiritus sancti mentio, subiicit Mediator, se hæc admirabundum legisse: nec quid sibi velint, se prorsus scire. Ego magis miror hāc hominis admirationē: cū alibi sæpissime legat, tres simul, nulla facta Angelorū mētione, nominari, vt iam ante ostendimus. Cæterū ad loca quod attinet, ab ipso citata, in quibus mentio nulla fit Spiritus sancti, ea triplicis sunt generis. Quædam sunt Christi verba, de sui testimonio, vt Iohan.8. Hic non fuit opus mētione Spiritus sancti: sed illius tantū, nempe Patris, à quo, tāquā Filius, Angelus Patris, & cōstitutus Mediator, fuerat in mundū missus: idque, vt opus erat, fecit hūc in finē, nimirū vt Patris attestatione appareret, se fidum esse Patris legatum. Quædam de die sunt vniuersalis iudicij: vt quem citat Mediator ex Lucæ nono, & quem ex prima ad Timotheum quinto, & ex Apocalyps. tertio. In iis locis nomine Patris indicatur Iehoua: nomine autem Christi, Christus ipse: quatenus visibilis futurus est totius mundi iudex: quia Filius hominis est. Non fuit igitur necessaria Spiritus sancti expressa mentio. Quòd si contendas, Patris nomine solam Patris personam intelligendam esse: tum, dico causam, cur hisce in locis nomen Spiritus sancti prætermissum sit, hanc esse, quia scilicet iudicium illud visibile visibiliter à solo fiet Christo: adstantibus illi Angelis. Ad Patrem verò quod attinet, etsi ille non apparebit, visibili aliqua præditus forma, quia tamē ipse, vt omnium actionum, sic etiam omnis iudicii fons est, & scriptura aperte illi attribuit iudicium: idcircò huius quoque facta est mētio in locis illis, vbi de patefactione rerum omnium in iudicio vniuersali sermo est institutus. Est igitur fallacia non causæ, vt causæ. Causa enim cur in iis locis non facta sit Spiritus sancti mentio, non est, quòd Christus aut Apostoli exclusum velint Spiritum sanctum à Deitate: sed partim quia non apparebit ipse visibili aliqua specie ad iudicandum, vt Filius, & Angeli: partim quia non est principium iudicij, vt Pater: nec vllibi vnquam prædicatur iudicaturus Mundum, sicut Pater. Quædam sunt de salutatione & precationibus vt, *Gratia vobis, & pax, à Deo Patre. & à Iesu Christo*: nunquam autem Spiritus sancti meminit. Verum cur hic non fiat ipsius mentio, causa hæc est, quia in Patris nomine Spiritus sanctus continetur. Precatur enim Apostolus gratiā, non tam à persona Patris, quàm à Deo, Patre quidē imprimis, secundariò autem à Filio & Spiritu sācto: Christi autem fit mentio, quatenus Mediator est. Deinde hanc gratiam & pacem, alibi non semel precati sunt Apostoli, ab ipso etiam Spiritu sancto. Exempla allata sunt ex 2. Cor. vltimo: & ex Apoca.1. Ponenda est igitur illa admiratio: & fatendum ingenuè, argumenta illa contra Spiritum sanctum vana & puerilia esse.

IIII. Argumentum 3. Spiritus sanctus in Scripturis nunquàm aperte nominatur Deus.

Resp. Hoc esse falsissimum suprà à nobis demonstratum est: tum ex veteri, tum ex nouo Testamento. Et ex Act.5. idem euincimus paulò antè. Quod si excipias, At hoc nō est aperte dicere: sed ex ratiocinatione colligere: respondeo: Quasi verò demonstratio non æque aperta sit: atque est simplex (vt dialecticis vtar verbis) enunciatio. Apertè certè Christus dixit futuram resurrectionem mortuorum: quum eam ex verbis Domini, *Ego sū Deus Abrahæ, &c.* necessaria consecutione demonstrauit. Mat.23.32. Cùm idē & quidem clariùs de Spiritus sancti deitate ex apertis scripturis concludatur, cur non liceat nobis dicere, Spiritum sanctū in scripturis Deum apertè nominari?

V. Arg.4. D. Hilarius nusquam in libris, quos scripsit de Trinitate duodecim, Spiritum sanctum adorandum esse dixit, sed promerendum: nusquam ei nomen Dei tribuit: nec aliud ausus est de Spiritu sancto pronunciare, nisi quòd est Dei Spiritus.

Resp. Etiamsi Hilarius nusquam appellauit Spiritum sanctum Deum, non inde tamen efficitur, Hilarium non agnouisse illum pro Deo. Nusquam enim negauit, Spiritū sanctū esse Deum. Disertè autē negat illum esse creaturā, de Tri. li. vltimo, ad finem. Et in libro de Synodis, defensione 12. eum esse vnum cum Patre & Filio prædicat. Agnouit igitur Spiritum sanctum esse creatorem, eoque vnū cum Patre Deū. Ac de fide Hilarij nemo vnquam dubitauit. Fides verò nostra non pendet ex doctrina Hilarij, sed verbo Dei nititur.

VI. Argumentum 5 Ait etiam ex Erasmo, Spiritum sanctum nunquam fuisse à veteri Ecclesia inuocatum.

Resp. Hoc est falsum, quemadmodum videre est in multis ad Spiritum sanctum precibus, quæ sunt vetustissimæ. Sed quorsum hæc, cum tota antiquitas Spiritum sanctum verum esse Deum & crediderit & confessa sit?

## CAPVT V.

### Refelluntur alia quædam sophismata, ex aliquot Scripturæ locis deprauatis sumta.

Refutatis quæ ex Erasmo adferuntur: quædam alia, ab aliis diaboli organis excogitata, referenda, & refellenda sunt: quanquam ferè omnia inepta sunt sophismata.

Arg.6.ex Ies. 11. vers. 2. *Requiescet super eum spiritus sapientiæ,&c.* hoc est, donum sapientiæ: donum autem non est Deus.

Quare Spiritus sanctus Deus non est.

Resp. ὁμωνυμία est. Concedimus donum sapientiæ non esse Deum. Sed donorum auctorem & distributorem Spiritum sanctum contendimus verum esse Deum. Apostolus certè discrimen ostendit inter dona Spiritus sancti,& inter ipsum donorum distributorem Spiritum sanctum: hunc autem vocat Dominum,& Deum, 1.Cor.12.17. Argumentari autem à donis ad donorum auctorem,& quia illa non sunt Deus, inferre, neque hunc esse Deum; qualis est argumentatio? Perinde est atque si dicas: Creaturæ non sunt Deus: ergo creaturarum auctor non est Deus.

II. Argumentum 7. ex 1. Corinth. 8. 6. *Nobis vnus est Deus, Pater ille, ex quo omnia: & Dominus Iesus Christus, per quem omnia*: De Spiritu autem sancto nulla mentio. Innuit igitur Apostolus, Spiritum sanctum connumerari inter hæc omnia. Omnia autem sunt facta per Filium. Ergo Spiritus sanctus creatura est. Idem inferunt ex illo Iohan. loco: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum &c.* Io.17 3.

Hic nulla fit Spiritus sancti mentio.

Ergo huius cognitio non est ad salutem necessaria.

Respon. A nomine Patris & vnius Dei non excluditur Spiritus sanctus: iuxta regulam suprà positam. In iis enim locis non comparantur inter se personæ. Sed Pater cum creaturis omnibus,& præsertim cum diis gētium. Est igitur paralogismus consequentis. Alioqui sic etiam nobis licebit argumentari, ex 2. Corinth. vlt. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, &c.* Non adscribitur hæc Patri, aut spiritui sancto: ergo ab hac gratia excluditur Pater,& Spiritus sanctus. Item alibi gratia tribuitur Spiritui sancto, nulla facta mentione Patris, aut Filij: *Accipietis gratiam Spiritus sancti.* Act.2.38. Ergo ne ab hac excludetur Filius? *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum.* Rom.5.5. Num ideò excludetur ab hoc opere Pater & Filius? minimè verò. Quæ enim operatur Spiritus sanctus: operatur etiam Pater & Filius. Imò Pater per Filium & Spiritum sanctum.

III. Argumentum 8. ex Rom. 9. vers. 5. De Christo ait Apostolus, *Qui est Deus benedictus supra omnia &c.* Ibi nulla mentio Spiritus sancti. Continetur igitur inter illa omnia, super quæ Christus est benedictus. Quare non est Spiritus sanctus æqualis & ὁμούσιος Filio.

Resp. Non sequitur illatio. Quum enim sermo est de diuinitate Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti, nunquam nominari potest vnus, quin etiam alij duo intelligantur. Ambros. de Spiritu S.lib.1.c.3. Alioqui ex eodem hoc Apostoli loco licebit inferre, ergo Patre etiam maior & superior est Filius & supra Patrem est. Filius enim est Deus, super omnia benedictus. In illa igitur voce, *Omnia* non comprehenditur Pater, aut Spiritus sanctus, sed creaturæ duntaxat omnes. Quæ enim sint illa omnia super quæ est Christus, docet Apostolus. *Quia per ipsum (Christum) condita sunt omnia, in cælis & in terra.* Col.1 16. Super omnia igitur est Christus, quę nimirum per ipsum sunt condita: non autem super Patrem aut Spiritum sanctum. Nam statim subiicit Apostolus, *Estque ante omnia.* Num igitur Christus ante Patrem vel Spiritum sanctum? minimè verò. Sed est ante omnia, illa scilicet, quæ per ipsum facta sunt.

IIII. Arg.9. ex Ioh.3 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.* Tantum igitur virtutis habet aqua, quantum Spiritus: ac proinde Spiritus sanctus non est Deus.

Resp. Primò hic est fallacia ὁμωνυμίας in nomine aquę. Hic enim non pro elemēto aquæ, sed pro Spiritu sancto, vt mox explicat, accipitur. Neque enim ibi disserit Christus de symbolo Baptismi, sed de regeneratione. Hæc autem fit per Spiritum sanctum, non per aquam. Aqua symbolum est tātum regenerationis. Deinde ait, *Non potest ingredi in regnum cælorum.* Quàm plurimi autem ingrediuntur sine Baptismo aquæ, vt qui non potuerunt talem Baptismum suscipere. De aqua igitur Baptismi non loquitur, sed tantùm de Spiritu sancto: qui aqua sæpe in Scripturis appellatur: & quidem apud Ioh.vt, *Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent ex ventre eius. Hoc autem dixit de Spiritu, quem &c.* Io.7.28. Quare hic non datur vis regenerandi aquæ, sed soli Spiritui sancto. Hinc igitur efficitur potius, illum esse Deum. Deinde etiam si nomine aquæ accipias aquam Baptismi, non sequitur tamen eandem hic dari vim aquæ: quæ etiam Spiritui sancto. Dicimur enim renasci ex aqua, tanquam symbolo & elemēto regenerationis Ex Spiritu autem sancto, tanquam ex causa efficiente. Et aqua perfunditur corpus: Spiritu autem sancto regeneratur anima. Et (vt inquit Ambr.li.1. de Spiritu S. cap.6.) In illo aquarum sepelimur elemēto, vt renouati per Spiritum resurgamus. In aqua enim imago mortis: in Spiritu pignus vitæ. Proinde concludit Ambr. Si qua igitur in aqua gratia: non ex natura aquæ, sed ex præsentia est Spiritus sancti. Quare fallacia est consequentis: Non enim sequitur. Renascimur ex aqua & ex Spiritu sancto: Ergo aqua eiusdem virtutis est, cuius & Spiritus sanctus.

V. Argumentum 10. ex Luc.1.35. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Locum igitur mutauit: ac proinde circumscripta est creatura.

Respon. Negatur consecutio. Alioqui idem concludetur de Patre & de Filio, quia Christus ait, *Si quis diligit me. Ego & Pater ad eum veniemus, &c.* Iohan.14 23. Aduentus iste Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti, corporalis & physicus non est: sed spiritualis, per nouam gratiam, qua in nobis operantur. Proinde non sequitur, illos esse circumscriptos, eoque creaturas.

Hæc sunt, quæ pro asserenda Spiritus sancti Deitate aduersus hæreticos, dicenda fuerunt. Restat iam vt Tritheitarum, reliquorumque omnium, qui ὁμουσίαν oppugnant, deliria videamus.

# DE VNO VERO DEO, ÆTERNO PATRE, FILIO, ET SPIRITV SANCTO,

## PARTIS POSTERIORIS,

## Liber Quintus.

*Exceptionum atque Sophismatum, quæ aduersus orthodoxam de Patris, Filij & Spiritus S. ὁμουσίᾳ fidem adferri consueuerunt, refutatio.*

### CAPVT I.

Superiorum repetitio, & cum sequentibus connexio. Causæ erroris Tritheitarum. Refutatio exceptionum aduersus tria priora argumenta.

In priore huius Tractationis parte tradita, explicata & cōfirmata fuit tota orthodoxa de hoc sacrosancto vnius Dei Patris, Filij, & Spiritus sācti mysterio, doctrina. In hac altera manus cum hæreticis permultis, idque haud (vt confido) infeliciter conseruimus. Ac primum retulimus gladios Sabellianorum, Samosatenianorum, & Seruetianorum, in diuinas personas districtos: hoc est, eorum exceptiones & sophismata, contra pluralitatem distinctionémque personarum, Patris, Filij, & Spiritus sancti, allata. Secūdò, exceptiones & sophismata Arianorum, & Eunomianorum, aduersus veram æternámque Christi Deitaté. Tertiò, ipsa etiam Macedonianorum, omniúmque πνευματομάχων tela, quæ illi aduersus Deitatē Spiritus sancti iaculantur, depulsa à nobis fuerunt. Ita

hactenus

hactenus asserta est ab omnibus cauillis doctrina de pluralitate & distinctione personarum: deque vera & æterna tum Christi, tum Spiritus sancti Deitate. Sed nondum est confecta pugna. Supersunt enim adhuc Tritheitæ expugnandi. Nunc igitur reliquum est, vt doctrinam περὶ τῆς ὁμοουσίας à sophismatis Tritheitarum nouorum, eorúmque imperitorum hæreticorum, vindicemus: atque ita confirmemus, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, etsi horum quisque verus est Deus, non tamen tres essentia & numero Deos esse, sed vnum duntaxat, eundémq; Iehouam. Isti enim vt nobiscum fatentur Patrem verum esse Deum: Filium verum esse Deũ: Spiritum sanctum verum esse Deum, & tres distinctas esse personas: ita longius progressi, à nobis in hoc dissident, quòd sentiunt, Patrem, Filium, Spiritum sanctum non vnum, sed tres esse numero Deos, essentiis inter se diuersos. Ita tamen, vt Patrem maiorem reliquis excelsioremque, & verè altissimum Deum, ipsúmque αὐτόθεον prædicent: Filium verò & Spiritum sanctum Deos esse inferiores, & minime αὐτοθέους, quippe qui suas ab alio essentias habeant. Quare quem scripturæ vnum prædicant Deum, hunc esse Patrem: non autem Patrem simul cum Filio, & Spiritu sancto.

II. Tria autem potissimùm sunt in causa, cur in tam fœdum & crassum errorem isti lapsi sint. Primùm quoniam voluerunt, & non potuerunt percipere, quonam modo Christus, etiam quà Deus est, sit Mediator inter Deum & homines, si non sit alius à patre Deus, sed idem planè cum Patre Iehoua. Deinde, quia conati sunt, sed non valuerunt assequi: quî fieri possit, vt Filius sit genitus ex Patris essẽtia, & à Patre sit distinctus: & interim tamen vna sit eadémque Patris & Filij essentia: & ea re, vterque vnus & idem Deus. Denique quia nequierunt cogitatione comprehendere: si Pater & Filius sunt vnus & idem Deus: quomodo igitur Filius carnem assumpserit, factúsque sit homo: quin etiam Pater cum Filio factus sit homo? Ista autem conciliare non potuerunt, propterea quod imaginati sunt, sed falsò, primum quidem, nomen personæ significare quiddam essentialiter ab alio non tam distinctum, quàm etiam disiũctum, seu separatum: quemadmodum etiam apud nos persona Petri quiddam est essentialiter à persona Pauli non solum distinctum, sed etiam disiunctum. Et hoc ideò sunt imaginati: quia etiam putarunt Filium genitum esse ex Patris substantia: modo non multum diuerso à modo, quo apud nos liberi e suis nascuntur parentibus: participatione scilicet alicuius partis substantiæ paternæ, non autem eandem & totam in se recipiendo: eadem tamen & tota in Patre ipso remanente. Istud verò commenti sunt, quia etiam somniarunt, Filium ita natum esse ex Patre, vt sit extra essentiam patris, quemadmodum & nostri liberi. Neque enim percipiunt, quomodo aliquid possit ex alio generari & eius esse Filius; vt tamen in illo, à quo generatur, permaneat. Idque propterea, quòd sentiunt omnem generationem fieri [illegible] ad extra, vt loquuntur Scholastici: nullam autem [illegible] ad intra. Idem dico de processione Spiritus sancti à Patre & à Filio. Atque hæc ideò fabricati sunt animo, quia essentiam diuinam sua finita mente contemplantes, non nisi finitam ante oculos sibi proponere potuerunt. Personas verò à se inuicem distinguere nequiuerunt: nisi etiam cuiusque essentiam ab alterius essentia separent. Hæ sunt præcipuæ causæ erroris Tritheitarum.

III. Sed quæ illi hactenus conciliare non potuerunt: ea nos, Dei beneficio, conciliabimus, vt spero, in ipsorum aduersus nos argumentorum refutatione. Verùm prius videndum est, quid aduersus nostra, pro ὁμοουσίᾳ Patris, Filij, & Spiritus sancti, argumenta & scripturarum testimonia excipiant: totúmque illud refellendum nobis est. Tum demum audiemus ipsorum cõtra sanam doctrinam sophismata: eáque, Deo fauente, breuiter & dilucidè, quàm putida & puerilia sint demonstrabimus. Percurremus autem primùm illa tum argumenta, tum scripturarum testimonia, quæ nos in nostra confirmatione attulimus. Deinde loca etiam alia sacrarum scripturarum, quibus alij quoque eandem ὁμοουσίαν confirmant, adferemus, & ab hæreticorum calumniis vindicabimus.

IIII. Primum nostrum argumentum, ductum ab vnitate essentiæ, ita firmum est, vt nihil habeant solidi Tritheitæ, quod aduersus illud excipiant: quippe qui dant, Filium & verum esse Iehouam: (id quod & de Spiritu sancto fatentur) & genitum esse ex substantia Patris. Hinc verò necessariò efficitur, totam & eandem Patris essentiam esse in Filio: quoniam illa impartibilis est, eóque multiplex fieri non potest. Id quod & de Spiritu sancto, qui ex vtriusque essentia (vt ipsi quoque sentiunt Tritheitæ) procedit, facile concluditur. Ita efficitur, non plures esse Iehouas, sed vnum. Tametsi verò nihil habent firmi quod excipiant: negatur nihilominus, ne nihil dixisse videatur. Negant enim Filium ex Patre nascendo, totam eius substantiam accepisse. Verùm, vt dixi, hoc nihil aliud est, quàm nugari: cùm non respondeant ad argumentum: sed tantum quæ volunt, dicant: quæ nolunt, negent. Argumentum autem nostrum hoc est in summa.

Si Filius genitus est ex Patris substantia, vt fatentur; habet igitur Patris substantiam. Omne enim quod generatur ex alterius substantia, illam accipiat necesse est: si non totam, saltem ex parte: vt in omni generatione liquidò appatet.

Si autem habet Patris substantiam: aut totam habet, aut partem. Non partem quia diuidi non potest. Deinde non esset verus Deus, Filius: sed imperfectus.

Quis itaque non videat necessariò consequi, totam à Filio haberi, & eandem?

Hic nihil habent quod respondeant: sed tantùm, vt dixi, garriunt, & nugantur. Aiunt enim:

Non ita habet in Deo hæc Filij generatio, vt vos describitis: sed Filius genitus ex Patris substantia, vt lumen de lumine, quemadmodum est in symbolo.

Atque luminis vnius & alterius non est eadem numero essentia.

Ergo nec Filij & Patris.

Respondeo ad maiorem. Etsi Filius genitus est è Patre, vt lumen de lumine: & vt radius e sole: discrimen tamen maximum est inter huius & illius generationem. Radij enim generatio e sole ad extra est, vt loquuntur Scholastici, per emissionem lucis extra solis substantiam: idque propterea quòd finitus est sol, solisque essentia, atque hinc fit, vt sint duo lumina, quanquam eadem est & indiuisa vtriusque lux. Cæterùm Filij generatio ita est Patris substantia: vt intra Patris essentiam fiat: non per emissionem vel extensionem Deitatis ad extra: sed per immanentem ineffabilémque actionem: quam generationem vocant sacræ literæ. Ratio est: quia Patris essentia infinita & immensa est. Proinde fieri nequit, vt duæ sint numero essentiæ, patris gignentis, & filij geniti. Essent enim duæ essentiæ infinitæ & immensæ, quod fieri nequit: & duo essent Dij infiniti & immensi, quod pugnat cum sacris literis. Simile igitur luminis admittimus; quia illo vtcunque adumbratur Filij generatio: quatenus scilicet fit sine corruptione: sed non simpliciter ita se habet Filij ex Patre generatio, vt radij ex sole: eam ob causam, quam paulò ante explicauimus. Ideò etsi Filius est Deus de Deo; non est tamen Deus extra Deum, sicut Radius est lumen extra lumen. Est enim Filius in patre, & pater in Filio, οὐσίᾳ.

V. Alius sic excipit: Filius genitus est è substantia Patris: hoc est, essentiatus à patre. Si verò interroges quid sit esse essentiatum? respondent essentiam ex essentia genitam esse. Quare duæ essentiæ sunt, non vna vtriusque. Sed ij dum volunt vitare Charybdim, incidunt in Scyllam. Si enim Filius genitus est è Patris substantia, vt fatentur: aut eandem accepit à patre essentiam aut diuersam. Num diuersam? At primò hoc pugnat cum eo quod concedunt, genitum esse è substanita patris. Deinde duo forent, & diuersi Dij, si duæ sint essentiæ diuinæ, diuersæ. Eandem igitur essentiam habeat necesse est. Si hoc: aut totam, aut partem. Non partem, quia impartibilis est. Totam igitur. Si totam, & eandem: æqualis itaque Patri Filius, idémque Deus. Quare manet firmissimum argumentum primum, quod ab vnitate essentiæ ductum est: ad confirmandum; Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnum tantùm esse Iehouam: non plures. Maneat itaque fixum in animis nostris argumentum illud primum. Est enim tam firmum & certum; vt licet aliud adferri posset: hoc tamen vnum satis superque sit, ad doctrinam sanam de vno Deo, tribus personis distincto; confirmandam.

VI. Alterum quoque argumentum nostrum, ductum ab vnione personarum, non minùs firmum est, cùm idem fere sit cum primo. Eadem enim omnium οὐσία, eáque immensa, causa est, cur personæ licèt distinctæ, non tamen sint à se inuicem disiunctæ: sed Pater in Filio, & Filius in Patre sit τῇ οὐσίᾳ, ac proinde omnes vnus sint Iehoua. Quid est enim Patrem esse in Filio, & Filium in Patre aliud, quàm inseparabili essentia, vel potiùs [illegible] τῆς οὐσίας, esse coniunctos: eóque vnum & eundem Deum? Ab vnione igitur distinctarum personarum Patris, Filij, & Spiritus sancti; quia illa esse non potest, nisi vna sit omnium essentia, optimè & necessariò consequitur, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum tantùm esse Iehouam. Proinde ad hoc etiam argumentum nihil alicuius ponderis video, quod possit excipi. Dicam tamen quid argutulus aliquis nebulo

obiicere auderet:nempe non consequi: si Pater est in Filio, & Filius in Patre, vnam igitur esse vtriusque essentiam: ac proinde ambos vnum esse Deum. Nam etiam anima est in corpore,non sequitur tamen,vnam & eandem esse corporis & animæ naturam atque essentiam.

Resp. Sed primùm magnum esse discrimen inter vtramque locutionem: deinde etiam inter res ipsas. De anima rectè dicitur,eam esse in corpore:sed non contrà,corpus esse in anima. Significatur ergo, substantiam spiritualem esse in corporali:non contrà. At de Filio & Patre:tam dicitur Filius esse in Patre,quàm Pater in Filio.Quomodo?certe persona Patris non est in persona Filij; & contrà. Non enim confusæ sunt illæ personæ & indistinctæ: cùm Filius factus sit homo, non item Pater, aut Spiritus. Non potest igitur aliud significari in hac locutione, quàm eandem esse vtriusque essentiam. Vt si dicam, facultas intelligens in facultate est sentiente: & contrà: Non potest sanè intelligi, vim intelligendi esse in δυνάμει sentiendi: quia hoc est falsum. Quid aliud igitur significatur hac locutione, quàm vtriusque eandem esse essentiam nempe Animam? dissimilis igitur admodum est locutio, superius adducta, ab argumento, quod tractamus de diuinis personis, quarum vna in altera esse dicitur,non simpliciter,sed τῇ οὐσίᾳ. Deinde res ipsæ sunt inter se valde dissidentes. Anima spiritualis est substantia: corpus, in quo illa est, substantia est corporea,vtraque finita. Possunt igitur substantiæ istæ inter se esse diuersæ: vt sunt. At de Patre & Filio non ita. Est enim vterque essentia spiritualis,æterna, perfectissima,immensa. Tales autem non possunt esse multæ,& vna in alia.Ergo quum ait Christus, *Ego in Patre:* Ioan.14.11. quid aliud significare voluit,quàm id quod alibi: *Ego & Pater vnum sumus*; Ioh.10.30.nempe & Patrem vnum esse essentia, quia vna vtriusque potentia.

VII. Eiusdem generis est tertium quoque argumentum, ab immensitate sumptum. Si enim Pater immensus est sua essentia: & Filius itidem immensus: & Spiritus sanctus immensus, vt docent sacræ literæ: vnam igitur esse omnium essentiam necesse est: neque enim plures immensæ essentiæ esse possunt. Quare omnes vnus sunt essentia Deus.

Aduersus etiam hoc argumentum non video quid solidi excipi possit.Quidam tamen ad antecedens respondent:Patrem quidem sua essentia esse infinitum & immensum: sed Filiū & Spiritum sanctum etsi virtutis sunt infinitæ,essentia tamen Spiritus esse finitos. Et locos scripturarum, quibus probamus vtrumque immensum esse, & infinitum, nihil de essentia,sed tantùm de virtute infinita, concludere contendunt. Quare vnum tantùm essentia immensum esse Deum, Patrem: Filium autem, & Spiritum non esse illum Deum, qui est Pater.

Resp.Sed quid hoc aliud est,quàm nugari? Assumit enim quod controuertitur:& rationes, quibus illorum refutamus sententiam:non diluunt. Nam quòd loca,pro immensitate essentiæ Filij & Spiritus sancti allata, de immensa virtute, non autem de essentia interpretantur,vanissimum est.Christus enim duas in se naturas indicans,verbo vtitur substantiuo;*Filius hominis,qui est in cælo,&c.* Io.3.13 Vt igitur Christus substantia & natura humana in terris erat: ita diuina erat non in terris tantùm,sed etiam in cœlo. Cùm enim loquatur ibi de ascensu in cœlum reali, in cœlum autem realiter ascendatur substantia,non virtute:ergo quum ait,se esse in cœlo,cùm tamen etiam esset in terris, satis luculenter docuit,se sua essentia diuina vbique esse.Quid etiam noui& mirandi dixisset, si se sua tantùm virtute esse etiam in cœlis dixisset,qui substantia esset in terris?Annon etiam reges sua potentia sunt vbique in suis regnis? Idem de locis,quibus Spiritus sanctus docetur vbique esse,& omnia implere,dico. Deinde,Si illo dicto Hier.23.v.24. *Cælum & terram Ego impleo,*euincitur, Patrem immensum esse essentia:idem de Filio Spiritúque sancto cōcludatur necesse est. Ibi enim loquitur Iehoua in Prophera Hieremia. Quis est autem qui loquebatur in Prophetis?Spiritus Christi. 1.Pet.1.11. Nec minus Filius & Spiritus sanctus sunt Iehoua, quàm Pater, vt suprà fusissimè est demonstratum. Quid verò ad illud,quod diximus,respondent:si Filius non est essentia immensus,non est verus Deus:neque enim verus Deus esse potest,qui essentiæ sit finitæ, propter dictum Hierem. & alia dicta Prophetarum:præter rationes Philosophorum. Pugnantia porrò docent isti belli & acuti homines: dum dicunt, Filium virtutis esse infinitæ & immensæ,essentiæ autem finitæ.Quid est enim virtus & potentia Dei aliud, quàm essentia? Sua enim essentia est potens, sua essentia sapiens. Quod nisi concedant, in aliud absurdum recidant necesse est: nempe Deum compositum esse ex accidentibus, & ex essentia. Ergo si & dant Filium esse Deum, cúmque verum, vt Scriptura tradit:& hæc velint vitare absurda: necesse est fateantur,Filium,sicut virtutis est infinitæ, ita essentiæ esse infinitæ & immensæ.Idem de Spiritu sancto. Quare firmum maneat argumentum oportet:si Pater,& Filius,& Spiritus sanctus sint immensi sua quisque essentia,& plures infinitę esse non possint essentiæ: vnam esse omnium essentiam,ac proinde omnes vnum duntaxat Deum.

## CAPVT II.

### Confutatio exceptionum,quæ fiunt aduersus loca veteris Testamenti, pro vnitate essentiæ superius allata.

QVARTVM argumentorum genus fuit,à locis Scripturarum veteris Testamenti, in quibus vnus tantùm prædicatur Deus & Iehoua: & quibus disertè plures negantur dij.Cùm autem & Pater sit Iehoua: & Filius Iehoua: & Spiritus sanctus Iehoua,vt Tritheitæ concedunt: euicimus, hos tres Elohim vnum esse Iehouam. Ad maiorem huius argumenti respondent:non esse verum,vnum tantùm Iehouam in Scripturis prædicari. Nam & Patrem prædicari, & esse Iehouam,& Filium Iehouam:plures ergo. Vnde in Gen. Iehoua à Iehoua.Gen.19.24.Et apud Zach.Iehoua dixit Iehouæ.Zach.2.9. Ad loca Scripturarum de vno Iehoua vnóque vero Deo,aiunt ea esse de solo Patre intelligenda,quòd hic ille sit summus & verus Iehoua à quo omnia: Filius etiā ipse,& Spiritus sanctus.Non posse autem vllo modo loca illa, quæ de vno Deo Israelis sunt, de Filio & Spiritu sancto intelligi,his de causis. Tum quia si nomine illius Dei Iehouæ,qui prædicatur vnus in Scripturis,intelligeretur non solus Pater,sed etiā Filius & Spiritus sanctus:ille Deus, Christi Pater esse non posset,esset enim Pater sui ipsius. Tū quia non posset inuocari,cùm careat Mediatore Christo:si nomine illius vnius Dei, qui inuocandus est, ipse quoque Filius intelligatur.Tum denique,quia implicat contradictionem, dicere,esse vnum,& plures.Hęc est prima illorum exceptio: & hanc summatim habent in disputatione Albensi,Actione primæ diei, ad primum Medij argumentum, cui exceptioni alias quoque subiiciunt.

Resp. Hic primùm diluendæ nobis sunt istæ tres rationes, quibus Antagonistæ contendunt, dicta de vno Deo in Scripturis, non posse de Filio & de Spiritu sancto intelligi: sed tantùm de Patre. Tum verò postea quam refutauero reliquas omnes, quas ad hoc nostrum argumentum afferunt exceptiones,magis ac magis veritas hæc apparebit: nempe ista loca,quæ de vno sunt Deo,minimè de solo Patre intelligi posse: sed de Filio etiam, & de Spiritu sancto omnino esse intelligenda. Atque hoc,dilutis aliis horum hominum exceptionibus,confirmabo.

II. Prima itaque ratio paralogismum habet, qui dicitur à dicto κατά τι,ad dictum ἁπλῶς:vel si mauis,ὁμωνυμίας. Vbi enim scripturæ prædicant, vnum duntaxat esse Deum Iehouam, ibi nomen Iehouæ capitur οὐσιωδῶς pro essentia tota diuina, non autem ὑποστατικῶς pro certa persona. Vt quum ait Moses, *Audi Israel,Iehoua Elohenu,Iehoua vnus est:* hoc est, *Iehoua dij nostri* (sic enim habet ad verbum) *Iehoua vnus est*: Deut.6 4.quis non videat nomen Iehouæ ad vnam Patris personam restringi non posse? Quorsum enim,obsecro,non contentus voce singulari Iehouæ,addit etiam plurale,*Elohenu*: & postea solum nomen Iehouæ repetens, ait, Iehouam esse vnum? Annon apertè docuit Moses,vno Iehouæ nomine plures nostros Elohim comprehendi? Qui autem sunt ij nostri Elohim, nisi illi, in quorum nomen Christus nos baptizari iussit? Cur nunquam dicit Moses,Elohim vnum esse: sicut semper scribit, Iehouam vnum esse, & præter hunc non esse alium: nisi vt constanter indicaret, vnum Iehouam, plures esse Elohim? Ij autem sunt, vt Christus explicauit, Pater,Filius, Spiritus S.Verè igitur dicimus,in eo Mosis dicto,& omnibus aliis similibus,non Patrem solùm, sed & Filium, & Spiritum S. contineri. Et id quidem meritò: cùm vna sit omnium essentia(est enim impartibilis)& singuli seorsim etiam Iehouæ nomine in sacris literis sæpe significentur, & disertè appellentur. At igitur (inquies)ille vnus Iehoua non est Pater Christi, contra assertionem ipsius Christi. Io.8.42. & alibi. Annon vides te iam nomen essentię,tribus personis commune,ad vnam Patris personam contrahere? Certum est,diuinam essentiam, quæ nomine Iehouæ significatur, non esse, nec dici posse Patrem Christi. Ac proinde,quatenus illo nomine Iehouæ

vnius

vnius ipsa vna significatur essentia: illum dico Iehouam non esse Patrem Christi. Cæterùm, quatenus in ea essentia Pater ipse in primis continetur: ac proinde quatenus nomine Iehouæ Pater κατ' ἐξοχὴν intelligitur: illum Iehouam Patrem esse Christi ingenue confitemur, & firma fide credimus. Atque hoc sensu intelliguntur dicta Christi, Apostolique Pauli, illum vnum Deum Israëlis (nempe personam primam, quæ κατ' ἐξοχὴν Iehoua & Deus Israelis vocatur) esse Patrem Christi. Quare vt verum est, si nomen Iehouæ simpliciter & ἀπολύτως accipiatur; illum Iehouam non esse Patrē Christi: ita falsum est, si secundum quid & personaliter, seu definite accipiatur pro prima persona: illum non esse Patrē Christi. Quid igitur hîc est pugnantiæ, si eundem Iehouam dicamus & Patrem esse Christi, & non esse? Cùm hoc dicatur, non simpliciter, sed secundum diuersos respectus. Quatenus enim nomine Iehouæ significatur persona prima, ille Iehoua est Pater Christi. Quatenus essentia, non est Pater Christi. Est horum hominum ratio similis huic. Luminare maius, de quo Genes. 1. vers. 16. est (ita loqui liceat) pater radij. Nomine igitur luminaris maioris non potest radius ipse simul cum sole intelligi. Non vides fallaciam? in Genesi enim nomine luminaris maioris non solùm corpus solare intelligitur: sed sol cum suis radiis. Quasi verò dicis, luminare maius Patrem esse radij vel radiorum: nomen luminaris maioris ad solum corpus solare restringis atque contrahis.

III. Ad alteram rationem, quæ hæc fuit: In nomine Iehouæ Israelis, qui vnus esse prædicatur, non potest comprehendi Filius, quoniam non posset inuocari: foret enim sine Mediatore iste Iehoua: facilis ex iis, quæ iam dicta sunt, fit responsio.

Si nomen Iehouæ contrahas & restringas ad Patrem, inuocamus eum semper per Filium Mediatorem. Si simpliciter pro diuina essentia, quæ est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: hunc tamen etiamnum Deum inuocamus per Mediatorem Filium Iesum Christum. Quid enim absurdi est, inuocare Christum, per eundem Christum, sed diuersis respectibus? Christum enim vt Deum inuocamus, per eundem verò Christum, tanquam Mediatorem, seu propter eius officium id facimus. Annon Stephanus inuocauit Christum? Act. 7. 59. Per quem obsecro Mediatorem: si sine Mediatore: potest igitur inuocari ille Deus, de quo Deuter. 6. 4. sine Mediatore: quatenus in illo nomine Iehouæ inuocatur etiam Filius, 1. Tim. 2. 5. Si per Mediatorem: ergo per ipsummet Christum, Christum inuocare possumus. Non est enim alius Mediator præter Christum, Iohan. 11. 41 Et Filius Iesus Christus annon inuocauit Patrem: & nunc etiam interpellat pro nobis? Ro. 8. 14. per quem obsecro Mediatorē? per seipsum pro nobis passum, & quatenus ἱλασμὸς est pro peccatis nostris. Neutra igitur ratio efficit, quin in nomine Iehouæ, qui vnus tantùm prædicatur, non solus Pater, sed & Filius, & Spiritus S. comprehendantur: ac proinde quin Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint ille vnus Iehoua.

V I. In tertia ratione, qua dicunt implicari contradictionē, si dicamus vnum esse & plures, paralogismus admittitur, ex ignoratione Elenchi. Si idem vno & eodem respectu diceremus esse vnum & plures, vtique implicaremus contradictionem. Sed dicimus vnum esse Deum, propter essentiam, quæ vna est omnium. Plures verò propter personas, quæ inter se sint distinctæ: quatenus Filius est à Patre: Spiritus S. ab vtroque. Quare etiam in illis locis, qui ab aduersariis ex Iesa. Deut. & Iobo citantur, veluti est ille, *Ego solus extendi cælos*: Iesa. 44. 24. nomine Dei & Iehouæ intelligitur tam Filius & Spiritus S. quàm Pater. Omnes enim simul, quatenus vna sunt essentia, eòque vnus Deus, sunt etiam vnus creator. Quanquam κατ' ἐξοχὴν Pater sicut Deus, sic etiam creator in primis dicitur. Proinde quum Iehoua dicit, *Præter me non est alius*, Iesa. 45. 6. in huiusmodi locis omnes quidem fictitij dij, & omnes creaturæ excluduntur, vt à nomine Dei, ita ab opere creationis: sed nulla excluditur persona, quæ est Deus. Filius enim quatenus Deus, nō est alius à Patre. Itidem & Spiritus sanctus. Ac proinde in huiusmodi locis explicandis admittitur paralogismus ἀμφιβολίας: quoniam in talibus dictis Iehouę nomen, Alius, non ad personas, sed ad essentiā, quæ est Deus referendum est: Non est alius (nimirum Deus) præter me, Deū Iehouam. Nam reuera non est alius Deus, aliúsve creator, quàm Deus Pater: Deus Filius: Deus Spiritus S. vnus deniq; Deus Iehoua. Ideò diligenter notanda sunt verba. Non enim Iehoua, qui loquitur, ait: *Non est alius Iehoua præter me Patrem*: sed, *præter me*, nempe Iehouam. Neque si Pater loquitur, ait, Non est alia persona, Iehoua, præter me, scilicet Patrem. Sed ait, *non est alius*, scilicet Iehoua. Fateamur autem Filium non esse alium Iehouā, præter, aut extra Patrem: sed vnum & eundem. Quare quòd Christus suum Patrem prędicat creatorem cœli & terræ: non inde sequitur, Christum negasse se esse creatorem cum Patre cœli & terræ: itidem & Spiritum sanctum. Etsi enim hoc prædicat de Patre, non tamen de seipso. Sicut neq; quum dicit Apostolus de Christo, Hebr. 1. 10. *Et tu, Dominè, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*: ideò hoc negat de Patre. Fallacia igitur est consequentis. Hæc ad primam exceptionem satis.

V. Ad minorē nostri syllogismi, vbi assumpsimus, Atqui non solus Pater est Deus Iehoua, quem prædicant Scripturæ: sed & Filius, &c. *Scriptura sancta* (inquit Franciscus Dauidis) *tribuit & Filio distinctè nomen Dei: sed nòn ideò, vt statuat Filium esse vnum cum Patre Deum: verùm vt ipsius vnigeniti prædices, cui datum sit illud nomen Iehouæ, quod est supra omne nomen*, Phil. 2. 9. *Et quòd sit ille, qui ab illo Deo* (Patre scilicet) *sit vnus Dominus, Deus fortis, Iehoua, iustitia nostra constitutus.* Ies. 9. 6. Ie. 23. 5. & 33. 16. Act. 2. 36.

Primò Fallacia admittitur non causæ vt causæ. Causa enim, cur Filio detur nomen Dei & Iehouæ, non tantùm, vt illum, quatenus est natus ex virgine, doceat esse vnigenitum, non alicuius viri, sed Dei (sic enim accipit Franciscus Dauidis nomen vnigeniti) aut esse illum, cui datum est, hoc est, donatum sit nomē Iehouæ: aut denique quod sit ille, qui à Deo Patre sit constitutus vnus Dominus, Deus fortis, &c. sed est in primis, vt doceat eum genitum esse e substantia Patris Dei: eòque eiusdem esse cum Patre substantiæ, Deum. Hoc inde liquet: primò, quia quas causas recenset aduersarius, propter eas nomen Dei & Iehouæ non competit in Christum: nisi posteaquam homo factus est. At verò Christus Iehoua appellatus est, & vt Iehoua loquebatur in veteri etiam Testamento, ante assumptam carnem, vt sæpè à nobis demonstratum est: Alia igitur est causa, cur vocetur Deus: quia scilicet essentia & natura talis est ante omnem æternitatem. Ac mihi velim responderi, quamobrem Apostolus ad Hebr. 7. v. 3. in exemplo Melchisedeci Christum vocet, vt ἀπάτωρ, ita etiam ἀμήτωρ? certe vt homo non est ἀμήτωρ: sed tantum ἀπάτωρ. Est igitur alterius naturæ, secundùm quam Filius est Dei, sine matre. Cur verò vnigenitus appellatur? modus certe conceptionis & generationis diuersus, non est sufficiens causa, cur quis debeat præ aliis, eiusdem tamen naturæ fratribus, vocari vnigenitus. Significat enim hæc vox, eum qui inter omnes solus è substantia Patris genitus est, vt si multi essent filij alicuius principis adoptiui, vnus verò ex principe genitus, hic vnigenitus diceretur. Vnigenitus est enim ille, qui vnicus est, ex eodem patre aut matre genitus: ac proinde qui non habet fratres, ex substantia eiusdem patris vel matris genitos. Et cùm Apostolus, Col. 1. 15. vocat Christum genitum ante omnem creaturam: certè aliam indicat causam, quàm Frāciscus Dauidis adferat, cur vocetur vnigenitus: quia scilicet solus ante mundum conditum genitus sit e substantia Dei Patris. Ac proinde quia eiusdem est cum Patre essentiæ: eo sensu, quo antea explicatum est: eòque & vnus cum Patre Deus. Deinde falsum est quod ait, Christum fuisse constitutum Deum, & Iehouam, & quæ adducit loca, in iis nulla huius rei fit mentio. In eo verò fœdè hallucinatur: cùm dictum Apostoli ad Philippenses 2 9. interpretatur de nomine Iehouæ. Quasi verò tunc primum cœperit Christus vocari Iehoua: posteaquam scilicet resurrexit à mortuis: nam etiam de Tritheitarum sententia hoc nomine fuit appellatus in veteri Testamento Filius Dei.

V I. Altera etiam exceptio adfertur ad minorem.

Etsi Christus prædicatur (inquiunt) Deus: non tamen prædicatur esse ille vnicus Deus, à quo omnia: sed tantùm ille, per quem omnia. Et non potest contrarium è Scripturis ostendi.

Atqui ille Deus Israël, de quo Deuter. 6. est Deus à quo omnia. Ergo, &c. Primò adsumunt, quod est in controuersia: nempe, illum tantùm esse vnicum Deum Israëlis, à quo ita sunt omnia, vt per eum non sint omnia. Nam etiam ille per quem, & ille in quem omnia, sunt ille idem Deus cum eo à quo omnia, Rom. 11. 36. Damus libenter Patri, vt fonti non solùm rerum omnium, sed etiam totius Deitatis in Filio, & in Spiritu sancto, particulam, A Quo. Sed particula, Per Quem, quæ datur Filio, non tollit, quin Filius quoque sit Deus Israël: quando ea particula datur etiam nonnunquam Patri, vt antè visum est. Deinde, à quo est gratia & pax, hoc est, bona omnia spiritualia & æterna: annon etiam meritò dici possunt ab eodem esse omnia temporalia & creata bona? 1. Cor. 9. Gal. 1. 1. Quoties autem precatur Apostolus pacem & gratiam, tam à Filio quàm à Patre? Simpliciter igitur cōuenit hæc particula, A Quo, ipsi Patri: quia ab ipso ita sunt omnia, vt etiam Filius sit ab ipso: sed secundum quid: hoc est, respectu omnium rerū creata-

rum (de iis autem loquitur Apostolus) competit etiam in Filium. Est enim Filius alterum principium æternum, à quo omnia: qui tamen Filius comparatione Patris, principiũ est, per quod. Quare quod subdit aduersarius, particula, Per quem iudicari, Christum non esse illum Iehouam Patrem, à quo omnia: quis neget, si omnium nomine etiam Filius comprehendatur? Neq; enim Filius est Iehoua Pater à quo etiam Filius est. Sed non sequitur: non esse simpliciter Iehouam: à quo omnia, nempe, creata: nam etiam à Filio sunt hæc omnia. Est igitur Iehoua, & quidem vnus, & idem cum Patre Christus.

VII. Subditur tertia exceptio.

Nunquam, inquiunt, legitur, Christum esse vnum Deum.

Deus autem Israël, de quo Deuter. 6. est, & prædicatur vnus Deus.

Locus igitur Deut. 6. non potest de Christo intelligi.

Quasi verò non cõcludatur, Christum esse vnum Deum: quum in singulari legitur, & prædicatur verus esse Deus, qui est supra omnia benedictus in secula, Rom. 9. 5. Imò esse vnum & eundem Deum cum Patre euincitur, quando nominatur Deus in singulari, & deinde eodem plane nomine, vnico, comprehenduntur personæ, iis verbis: *Nam ex eo, & per eum, & in ipsum omnia, ipsi gloria*, Rom. 1. 36. Quare primum Melij argumentum, non fuit refutatum in illa disputatione Albensi.

Hæc sunt, quæ habui dicere ad exceptionem aduersariorum: contra nostrum argumentum quartũ: quod capite tertio libri octaui fusissime explicatum fuit. Ita manet firma propositio: loca scripturarum de vnitate Dei, nõ ad Patrem solum esse restringenda: sed illis ipsum quoque Filium & Spiritum sanctum contineri.

VIII. Nunc magis ac magis contendo, loca de vno Deo non posse ad solam Patris personam restringi: sed omnino necesse esse, vt de ipso quoque Filio & Spiritu sancto intelligantur. Hoc enim multis testimoniis Scripturarum planum fecimus. Eorum verò nullum legitime refutatum est: vt iam de singulis breuiter videbitur. Primus enim locus fuit ex Genes. cap. 1. vbi creatio describitur, & vnus creator Mundi. Vnus enim duntaxat creator omnium, sicut demonstratum est. Neque verò solus Pater Christi, creator est cœli & terræ: sed etiam Filius & Spiritus sanctus: vt rationes e sacris literis allatæ euincunt. Itaque efficitur, hos tres Elohim vnum esse Iehouam. Ad hæc verò nihil plane obiiciunt, quod aliquid firmitudinis & neruorum habeat. Quæ enim excipiunt aduersus hunc locum, & argumentum, supra quàm vana sint ostendimus. Nec istæ tantũ, sed reliquæ etiam, aduersus alia sacrarum literarum loca, refutatæ sunt exceptiones: Acsi quæ nondum plenè sunt refutatæ, illæ faciles sunt ad refellendum. Qualis enim obsecro est illa, quam adferunt aduersus argumentum ex loco decimo, qui est Exod. 4. & Numer. 12. deductum? Euicimus enim Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum & eundem esse Iehouam, propterea quòd tam Filius & Spiritus sanctus, quàm Pater, sunt ille Iehoua, qui loquebatur in Mose & in Prophetis: vt abunde demonstratum est suo loco. Qui autem in Prophetis loquebatur, dicebat se solum esse Iehouam. Quid verò illi aduersus hoc argumentum? Quidam sic excipiunt: Quum Prophetæ tradunt vnum tantùm esse Iehouam: intelligunt summum & altissimum Deum αὐτόθεον. Solus autem Pater est summus ille, & altissimus αὐτόθεος Iehoua. Filius enim non est ille altissimus, sed filius Altissimi: & neque ipse, aut Spiritus sanctus est αὐτόθεος: sed Deus de Deo. Ex locis igitur, vbi Prophetæ docent vnum tantùm esse Iehouam, concludi non potest, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum simul vnum esse Deum.

R. Summa nostræ responsionis aduersus hanc exceptionẽ est: vanam & falsam esse hanc distinctionem de Iehoua, seu de Deo altissimo: & de iis veris quidem, sed altissimo inferioribus. Nam scriptura talem non tradit distinctionem: contrà verò docet, vnum tantùm esse Deum Iehouam, extra quem nullus est Iehoua. Non enim dicit, vnũ esse maximum & supremum, extra quem nullus magnus & supremus: sed simpliciter vnũ esse Iehouam, extra quem nullus simpliciter Iehoua: nempe verus. Imò quòd excipiunt, in illos ego retorqueo, hunc in modum, Ille est αὐτόθεος, qui essentiam habet principij & finis expertem. Atqui hanc habent Filius & Spiritus sanctus cum Patre communem (eandem enim à Patre communicatam habent.) Ergo non minùs αὐτόθεος est Filius & Spiritus sanctus, quàm Pater.

At (inquies) Filius est Deus de Deo: & ita etiam Spiritus sanctus.

Verum est, sed hoc sensu: Persona, quæ est Deus, de persona est, quæ Deus est: non autem essentia diuina de essentia est. Ita firmum manet argumẽtum quartum: imò omnia, quibus demonstrauimus, omnia vet. Test. de vno tantùm Deo testimonia non posse ad Patrem solum restringi: sed vt etiam ad Filium & Spiritum sanctum referantur pernecessarium esse. Venio itaque ad exceptiones, quæ contra argumenta è nouo Testamento collecta, pro ὁμοουσίᾳ Patris, Filij, & Spiritus sancti, fieri solent.

---

## CAPVT III.

### Exceptionum aduersus loca noui Testamenti à nobis allata, pro ὁμοουσίᾳ Patris, Filij, & Spiritus sancti, refutatio.

AD primum argumentum quod attulimus ex Marc. 12. versiculo 29. & 30. ductum ab amore, quo solus Deus est amandus, ex toto scilicet corde, totaque anima & viribus: cùm hoc etiam amore amandus sit Christus, & Spiritus sanctus, nullam legi exceptionem: quemadmodum argumentum quoque ipsum à nemine, quod sciam, fuit obseruatum. Neque quidpiam vidi aduersus secundum, ex Iohan. cap. primo, collatum cum loco Malach. 3. de homine, misso à Deo, ad quod responsum non fuerit antea.

Ad tertium argumentum ex Iohan. 5. ve. 18. ab æqualitate, quo ostendimus Christum æqualem esse Patri. Loca itaque de vno Deo non posse de solo Patre, tanquam supremo & altissimo Deo, intelligi. sed de Filio etiam æquali, excipit Mediator: æqualitatem quidem concedens: sed hanc non ad substantiæ seu essentiæ vnitatem, verum ad virtutis æqualitatem referri à Christo ipso, contendens, Io. 5. 19.

Resp. Sed is dat, Christum esse verum Deum, vt Tritheitæ concedunt: & eum hîc loci loquutum esse vt Filium Dei Patris naturalem: quod de æqualitate virtutis concludit ille, ego concludo de vnitate essentiæ, hunc in modum. In Deo, propter summam eius simplicitatem, aliud non est virtus, & aliud essentia: Si igitur eadem vtriusque virtus; eadem etiam vtriusque essentia. Deinde ait Mediator: Christum ibi asserere, eandem sibi esse cum Patre non solùm potestatem, sed etiam voluntatem: assumo: Atqui voluntas in Deo & potestas, idem sunt quod essentia. Eandem igitur concludit Christus sibi esse essentiam cum Patre. At affirmat, eam sibi esse à Patre communicatam. Ita quidem: sed ex Patre nascẽdo, ante mundi constitutionem. Et quam adfert Christus rationem, ea hoc, quod dico confirmat. Non enim ait, se similia opera facere, quæ Pater: sed eadem prorsus, & ὁμοίως. Et quæ vult Pater, eadem omnino & se velle. Eadẽ igitur vtriusque voluntas, eadem virtus: proinde eadem essentia. Alij negant inde euinci, Christum verè parem & æqualem Patri esse. Sed nos tum, quum hunc locum explicaremus, tum etiam in expositione loci ad Phil. 2. ver. 6. *Qui cùm in forma Dei esset*, &c. liquidò demonstrauimus, verè parem & æqualem esse Patri Filium. Proinde eiusdem esse naturæ cum patre, & ea re vnum eum patre Deum.

II. Quartum argum. ex Io. 10. 30. *Ego & Pater vnum sumus*: firmum manet. Quæcunqœ enim aduersus hunc locum excipi possent, in superioribus libris refutata sunt.

Aduersus quintum argumentum ex Ioh. 15. à Spiritu sancto, qui à Patre & Filio procedit, & qui vtriusque dicitur & est Spiritus, deductũ: nihil exceptum legi.

Ad sextum verò, ex Iohan. 17. de vno solo vero Deo: qui, teste Christo, est Pater: & teste Ioh. in Epist. est Christus: excipiunt quidam: alio sensu à Christo vocari Patrem illum verum & vnicum Deum: & alio à Iohanne, ipsum Filium. Hunc enim esse verum Deum, quia veram à Patre Deitatem acceperit: Patrem autem verum Deum alia etiam de causa, quia scilicet à seipso habet Deitatem: eóque hunc vocari non solùm ἀληθινὸν, sed etiam μόνον θεὸν.

Resp. Sed hoc non soluit argumentum ex verbis Christi deductũ. Statuit enim ille, vnum tantùm esse verum Deum. Etsi verò Pater à nullo est, Filius verò à Patre: essentia tamẽ, seu Deitas, qua (vt ita loquamur explicandi causa) Filius est Deus, tam à nullo est, quàm etiam illa, qua Pater Deus est: est enim vna & eadem vtriusque: licèt in Patre non communicata: in Filio communicata: id quod non impedit, quin eadem sit Deitas. Quare respectu Deitatis tã verus est Deus Filius, quouis sensu accipias nomen veri Dei; quàm etiam Pater. Pater ergo & Filius vnus & idem verus Deus.

Ad argumentum septimũ, petitum ex Rom. 3. 30. *Vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Non solùm autem Pater, sed & Filius est Deus, qui iustificat impium: Excipitur, vnum quidem esse Deum, qui iu-

stificat propriè,& per se:& hūc esse Patrem. Christum verò dici iustificare:quia per hunc Pater iustificat.

R. Sed hoc nihil est,nisi merum & macrū effugium. Nam Christus sicut est Deus per se, & propriè:ita etiam iustificat propriè & per se. Esse autem Deum propriè,& per se,patet, quia est ἀληθινὸς θεὸς,vt & Pater. Si igitur verum est,Deum, qui verus & vnus est, propriè & per se iustificare: sequitur, Christum cum Patre vnum esse Deum, quia per se, & propriè iustificat impium.

Ad octauum,ex Rom.11.36. vbi vnum eūdémque Deum, sic Apostolus describit, vt dicat eum esse à quo omnia, per quem omnia,& in quem omnia:non autem esse vnum Deū, à quo:alium,per quem:alium, in quem:sed vnum & eūdem à quo,& per quem &c. Excipiunt:hic solum Patrem his tribus describi particulis,à quo,per quem,in quem.

Sed hæc interpretatio nullo nititur fundamento: & nullo simili e scripturis loco probari potest. Nūquam enim solita est scriptura eidem Patri dare simul particulam, à quo, & per quem:Sæpissime autem, vt manifestum est,quum attribuit Patri particulam, A quo : dat Filio particulam,Per quem.

III. Præterea nonum, decimum,vndecimum,& duodecimum: partim quòd refutatæ sint exceptiones,quæ fieri solent : partim quod aduersus quædam nullam planè legi.

Sed 13.ex 1.Iohan.5.7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo,Pater,λόγος,& Spiritus sanctus,& hi tres vnum sunt*:prætermittendum non est. Excipiunt primùm quidem, nomine Patris intelligi Deum: nomine λόγου Scripturam sanctam: nomine Spiritus opera Christi.

Ista,inquiunt,testantur de Iesu.

Nihil igitur facit hic locus, pro vnitate essentiæ in tribus personis.

Resp. Ad hanc exceptionem satis abundè, quum locum hunc adferremus & explicaremus, responsum est. Summa est, τὸν λόγον, hoc est, Scripturam (vt ipsi interpretantur) & Spiritum, id est, opera, quæ Christus egit, testes esse in terra, non in cælo. Deinde discrimen hîc apertum fieri à Iohanne, inter πνεῦμα simpliciter, & inter πνεῦμα ἅγιον. Illud autem pro virtute, qua egit Christus miracula,accepit. Aliud ergo intelligit nomine Spiritus sancti. Neque solitus est Iohannes nomine τοῦ λόγου significare scripturam sanctam, sed ipsum Dei Filium: vt initio tum Euangelij, tum Epistolæ docet.

Excipiunt deinde : Si licet sic inferre:ij tres vnum sunt: hoc est,vnus Deus:ergo sic etiam ex iis,quę subdit de Spiritu,aqua & sanguine,quæ testificātur in terra,inferre licebit, Et ij tres vnum sunt,hoc est,vnus Deus. Vnum igitur sunt consensione testimonij,non vnitate essentiæ.

R. Magnum inter hæc est discrimen. Primùm in lectione, deinde in rebus:de Patre, λόγῳ, & Spiritu sancto ait Iohan. καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. De Spiritu autem,aqua & sanguine ait: καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. Deinde tres primi sunt,Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus. Vnum autem tantùm prædicat vbique Scriptura Deum, non est igitur coacta illatio: si, quia dicuntur vnum esse, concludamus,vnum esse essentia, cùm tres sint personis, eóque vnum Deum. Tres autem alteri, Spiritus, Aqua, & Sanguis tales sunt testes, vt eorum nullus sit Deus. Non licet igitur de iis illud inferre, quod de prioribus tribus testibus. At Iohannes non loquitur ibi de vnitate essentiæ, sed de vnitate seu consensione testimonij. Nil igitur ad rem illa vestra interpretatio. Imò multùm per omnem modum ad rem facit. Vnitatem enim essentiæ comprobat Ioh. vt inde appareat, ipsius etiam testimonij, vtpote vnius eiusdémque Dei,consensio. Neque hoc est Apostolis nouum.Nam ipse etiam Apostolus Paulus confirmaturus peccatum id esse,quod si nō ex conscientia, verbo Dei temperata,generale assumsit thesin,dicens; *Omne quod non est ex fide peccatum est* Rom.14.23. Inde enim sequitur, quod fit ex conscientia non bona,illud omne peccatum esse. Sic Ioh.scribit,hos tres vnum esse essentia,vt inde concludat,multò magis ergo vnum etiam esse testimonij consensione. Alij sic excipiunt. Vnum sunt, hoc est,vnius naturæ & voluntatis: veluti etiam omnes homines vnum sunt,hoc est,vnius eiusdémque naturæ. Sed nō sequitur,esse vnum τῇ οὐσίᾳ,hoc est, vnam & eādem numero essentiam, eóque vnum Deum. Verùm circumstantia loci hanc nostram interpretationem postulat. At enim mox de testimonio horum trium: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei*,nempe vnius,*maius est*. Cùm igitur testimonium illorum trium testium vnius Dei testimonium vocet,consentanea est nostra interpretatio:vnum sunt,hoc est, vna eadémque essentia, eóque vnus Deus: nempe sibi semper constans & verax.

## CAPVT IIII.

### Refutantur exceptiones,quæ fiunt aduersus alia testimonia,ab aliis pro ὁμουσίᾳ allata.

HActenus vendicata & stabilita sunt argumenta, quæ nos in medium attulimus, pro confirmanda vna eadémque Patris, Filij, ac Spiritus sancti essentia & Deitate. Nunc celeriter percurram alia etiam testimonia, quæ ab aliis ad eandem rem adferuntur. Ea verò collegit omnia Mediator; eo igitur ordine, quo ab ipso recitantur,illa explicabimus : Multa quidem recitat,quæ propriè ad confirmandam ὁμουσίας horum trium non pertinent, sed tantùm ad confirmationem Deitatis Christi: quia tamen hac constabilita, verè sequitur, Christum cum Patre vnum esse Deum: quandoquidem Scriptura vnum tantùm prædicat Deum, idcirco horum illa quoque percurrenda nobis sunt, aduersus quæ exceptiones nouæ & alicuius ponderis, ab isto acuto & docto homine adferuntur.

I. Omisso itaque primo,quod ille oppugnat argumento, ex ברא אל חים deducto:alterum,propter nouas ad illud exceptiones & interpretationes, permitti non potest, nec debet. Soliti sunt orthodoxi interpretes ex illis verbis,in Genes.cap.1.26. *Et dixit Elohim,Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: vnitatem essentiæ in pluribus personis colligere. Præsertim quia postea Moses ait,Hominem ad imagine Dei Iehouæ creatum formatúmque fuisse.Nam cap.2.7.sic legimus: *Formauerat igitur Iehoua hominem de limo terrę*.Vbi quos primo cap.vocauerat Elohim,eos in altero cap.vocat vnum Iehouam.Iehouę autem nomen non de solo Patre dicitur,sed de tribus personis,ex æquo. Rectè igitur ex hoc loco concluditur,plures esse personas,Elohim, & omnes vnam esse essentiam,Iehouam.

Excipiunt:Deum alloquutum esse Angelos:non quod vsurus esset illorum opera in creando homine, neque quod ad illorum imaginem creatus sit:sed vt significaret,Angelorum ministerio fore opus illi figmento.

Resp. Sed quis non videat, quàm insulsa sit interpretatio?Deus enim loquitur de præsenti creatione hominis,nō de futura opera Angelorum erga illud figmentum iam tum creatum. Deinde ad imaginem etiam illorum Elohim, id est,Angelorum,creatus esset homo. Sed esto(inquiunt)alloquatur Pater suum λόγον & suum Spiritum: concluditur quidem plures intelligi in verbo, *Faciamus*: & in nomine *Nostram*:sed non concludetur vnitas essentiæ. Imò concluditur pulchrè, tum ex verbo singulari, *Et dixit*, tum ex eo quod ait cap.2. *Et formauit Iehoua hominem de luto*:tum denique ex aliis locis veteris & noui Testamenti , in quibus Spiritus sanctus ait,hominem factum esse ad imaginem Dei, in singulari numero.

Excipiunt, clariori opus habere confirmatione dogma de tribus personis,quæ sint vnius essentiæ. In verbis enim Mosis mentionem fieri creationis: nihil verò ibi agi, vt ostendatur vna trium personarum essentia. Clariora quidem habemus testimonia, sed tamen neque hæc sunt veritatis amantibus obscura. Neque quia Moses loquitur de creatione,sequitur illum nil ibi egisse, aut scripsisse,quo ostenderet vnam essentiam trium personarum. Imò scopus fuit Mosi, demonstrare suo populo, quisnam esset verus Deus, à quo missus fuit ad eos ex Ægypto liberandos, quique sibi dedit legem: nempe ille qui omnia creauit, & qui vnus est Iehoua, multi verò Elohim. Hoc fecit initio Geneseos, & deinde hunc stylum perpetuò continuauit. Et sic introducit Deum hunc loquentem: *Ego sum Iehoua, Eloheca,qui te eduxi,&c.* Exod.20.2. Et sic ipse Moses: *Audi Israël Iehoua Elohenu,Iehoua* אחד.Deut.6.4. Ergo sicut Exod.20.de lege quidem in primis,quomodo fuerit data,disserit:interim tamen quis etiam & qualis sit Deus,qui eam dedit,describit: Sic Genes.1.agit quidem de creatione: interim indicat quis & qualis sit iste Deus,qui omnia creauit: plures scilicet Elohim,& vnus Iehoua : At cùm manifestum sit,Prophetas interpretes fuisse Mosis,& eos nouisse Patrem Iehouam,Filium Iehouam, Spiritum sanctum Iehouam,& omnes tantùm vnum esse Iehouam : manifestum est,eos hanc cognitionem ex ipsis Mosis libris didicisse, docente illos Spiritu sancto, & Scripturas Mosis illis aperiente. Quare Moses quoque idem nouerit priùs necesse est.

II. Omisso etiam tertio veniamus ad quartum,ex Ioh.ex 1.1. Qui λόγος est idem θεός, qui & Pater:vnitas ergo essentiæ rectè concluditur.

Excipiunt λόγον esse Deum per communicationem Deitatis:Patrem autem ex se: non esse igitur eundem cum Patre Deum.

Resp. Esse per communicationem Deitatis: sed eiusdem, & totius: ab æterno, & natura, in ipsa ineffabili æternáque generatione factam: ita vt tota, & eadē sit in Filio Deitas, quæ & in patre. Verè igitur ὁμοούσιος Patri. Qui enim est talis cum alio οὐσίας, est illi ὁμοούσιος, siue à se habeat, siue ab alio accepit. Item sic excipiunt. Articulus præpositiuus additus nomini Θεὸ, quum pro Patre capitur: vt πρὸς τὸν Θεὸν: ablatus autem, quum prædicatur de λόγῳ, vt καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος indicat alium Deum esse Patrem: & alium τὸν λόγον. & illum quidem isto maiorem. Non igitur hinc concluditur ὁμοουσία: sed contrarium potiùs. Verùm ad hanc exceptionem suprà abundè à nobis responsum fuit.

Sed instat: Ex hoc Iohānis loco potiùs colligi duos Deos: Vnum, qui erat apud: & alium, apud quem ille erat: tantum abest, vt hinc probetur ὁμοουσία.

Duas quidem personas, quarum quæque Deus sit, colligi necesse est. Sed minimè hinc efficitur, duos esse Deos: quia hoc pugnat cum Scripturis de vnitate Dei: illud autem conuenit cum eisdem de pluralitate personarum.

At vix est (inquit) qui hinc eliciat vnitatem essentiæ. Non elicitur quidem immediatè & per se, sed necessaria cōsecutione. Sic enim tam λόγος est Deus verus, quàm Pater: & Scripturæ vbique prædicant vnum tantum esse Deum: sequitur necessariò, esse vnitatem essentiæ inter vtrumque. Quare hanc confirmat Iohannes, quum iam Filium quàm Patrem vocat Deum.

Exceptiones ad quintum ex Rom. 9. 5. & ad sextum, ex 1. Ioh. 5. 20. superioribus libris refutatæ sunt. Quæ etiam aduersus septimum ex Iohan. 10. vers. 30 *Ego & Pater vnum sumus*: vna igitur οὐσία, obiici solent: ea quoque depulsā fuerūt, & explicata. Quum enim hunc locum interpretarer, ostendi ex ipso contextu, Christum loqui de eadem manu seu potētia, Patris & suæ: e qua oues non posse rapi docuit. Et argumenti, quo vtitur, rationem postulare, vt locus intelligatur de eadem, nempe sua & Patris essentia. Idem exigere vocem, vnum: esse enim Christum cum Patre perfectissimè. Perfectissima autem vnitatis ratio est ὁμοουσία. Paulò ante etiam diximus, si Pater & Filius, quorum vterque Deus est, sunt vnum consensione, esse etiam vnum essentia: quando in Deo propter suam simplicitatem nihil est, nisi essētia pura & simplex. Modi enim subsistendi diuersi, quibus constituuntur personæ, nihil addunt essentiæ. Proinde si vnum sunt voluntate & consensu pater & Filius: eos omnino vnum etiam esse essentia. Nec minùs diligenter responsum est ad illa, quæ aduersus locum ex 1. Iohannis 5. 7. *Et hi tres vnum sunt*: & quæ aduersus locum Matth. 28. 19. de baptismate in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti obiiciuntur.

III. Ad argumentum verò deductum ex Iohan. 14. 9. & 10 *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum: non credis quòd ego in Patre, & Pater in me est?* Sunt igitur vnius essentiæ: sic excipiunt: virum quendam doctissimum referre hæc verba non ad diuinam Christi essentiam: sed ad modum reuelationis.

Resp. Sed si diligenter viri illius interpretationem obserues: nil contrà facere perspicies. Docet enim, Christum locutum quidē esse de modo, quo patefactus ille est nobis, & in illo pater: per virtutem scilicet Deitatis, sese in Christo exerentem: sed non negat, quin inde eliciatur vnitas essentię: imò apertè fatetur, dicens: *Neque tamen perperam Patres, qui hinc testimonium sumunt, pro asserenda Christi diuinitate.* Et mox subdit quid sit Patrem esse in Christo, & Christum in Patre, dicens: *Pater in Christo esse dicitur, quia in eo habitat plena diuinitas, & virtutem suam exerit. Christus vicissim dicitur esse in Patre: quia diuina virtute se vnum cum illo esse ostendit* Hęc ille interpres doctissimus. Docet igitur Christū quidem loqui de modo patefactionis, & quomodo possit Pater videri, vt Philippus petebat: nempe in Persona Filij in carne manifestati. Sed interim etiam tradit rem ipsam: nempe in Christo plenam esse Deitatem. Quid autem hæc est nisi essentia diuina? Et Christum ait vi huius Deitatis, sese per miracula patefacientis, declarasse, se vnum esse cum Patre. Quid autem hoc aliud est, quàm Patrem & Filium eiusdem esse Deitatis, & eādem vtriusque esse essentiam? Excipiunt etiam. Ex verbis Christi, *Ego in Patre, & Pater in me*, concludi non posse vnitatem essentiæ: quòd alioqui Discipuli quoque essentiæ vnius forent cum Christo: propterea quòd eodem capite, vers. 20. sic Christus loquitur: *In illo die cognoscetis, quod ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Et iterum adducitur vir doctus in hunc locum, qui ait, Christum non simpliciter differere de sua æterna essentia: sed diuinam illam virtutem, quæ in se fuit patefacta, commendare. Quod ad doctissimi viri interpretationem attinet, idem respondeo, quod etiam antè respondi ad primam exceptione. Et verba illius sunt perspicua, vt nō opus habeant longa explicatione: sicut alibi declarauimus. Summa est, hæc verba non fauere Arianis, aduersus veram Christi Deitatem, sicut illi abutebātur. Christum enim non loqui hîc, quatenus λόγος est Patris, & in Patre, eóque de sua æterna essentia. Sed loqui quatenus manifestatus est in carne: eóque de virtute, quæ patefactum est per miracula, & alia opera, ipsum cum Patre vnum esse: & omnem bonorum plenitudinem à Patre in hūc hominem Iesum, Mediatorem esse effusam: quæ deinde in nos per Christum deriuantur. Hunc autem esse verborum Christi sensum: nempe, Vos discipuli in illa die, ex accepta Spiritus mei & vitæ cœlestis copia, cognoscetis (hoc est, reipsa sentiens) me esse in Patre: hoc est, Omnem bonorum plenitudinem in me esse depositam: Et vos in me, nempe sentietis esse insitos scilicet in me, ex participatione mei Spiritus & vitæ: Et me in vobis; nimirum esse, vt auctorem & causam vitæ in vobis cœlestis: veluti etiam radius est in sole, participatione lucis: sol in radio, vt causa lucis in radio. Sic nos in Christo, & Christus in nobis. Atque ita Christus vt homo & Mediator in Patre est: quia à Patre plenitudinem bonorum omnium; quæ in nos diffundit, accepit. At longè aliud est, Christum, quà λόγος est, esse in Patre, & Patrem in Filio: quam Solem in radio, & Radium in Sole. Nam hoc non fit nisi vnitate essentiæ: quia eadem essentia in Filio est, quæ & in Patre. Imò nisi hæc vnio Filij cum Patre essentialis præcedat, non potest altera, de qua proptie hîc loquitur, & quæ in plenitudine bonorum in Christo à Patre depositorum, & Ecclesiæ communicandorum, consistit, habere locum. Ergo necessaria illatione ex iis etiam verbis Christi: *Ego in Patre*, vnitas essentialis Filij cum Patre colligitur: quoniam ab hac pendet plenitudo bonorum cœlestium, in Christo Mediatore & distributore depositorum: qua fit, vt dicatur, etiam quà homo & Mediator, esse in Patre. Dissimilitudo certe legitima est inter ea quæ comparantur: hoc est, inter Christum & nos fideles: Christus Deus est: non est igitur mirum, quòd Christus dicatur esse in Patre, sicut Pater in Christo: sua scilicet essentia. Nos non ita. Ideò non possumus esse in Christo, nec Christus in nobis: nisi participatione Spiritus & vitæ Christi.

IIII. Alius sequitur locus in Sylua Mediatoris, qui omnino negligi non debet. Ex Philipp. 2. vers. 6. vbi Christus dicitur esse in forma Dei, & æqualis Deo, confirmant Patres vnitatem essentiæ Patris & Filij. Ac quidam sic argumentātur. Filius habet æqualitatē cum Deo Patre, nō raptu, vt ait Apostolus: ergo natura. Excipiunt. Nō sunt hæ duæ sufficiētes & solæ causæ habēdi aliquid, sæpe aut natura, aut raptu, potest enim aliquis habere aliquid, non natura, neque etiam raptu, sed beneficio. Vti nos Filij Dei sumus, non natura, neque raptu, sed Dei beneficio. Certè (inquit Mediator) Christus beneficio Patris fuit est Deus.

Resp. Sed hoc assumptum falsum est. Est enim Filius genitus ante Mundi constitutionem ex Patris essentia: Deus de Deo: non igitur beneficio, sed natura Deus est. Cur enim nos dicimur ab Apostolo natura filij iræ? Ephes. 2. 3. quia tales nascimur, in peccatis concepti. Christus igitur quia genitus est, non factus Filius Dei, Deus: non beneficio, sed natura Filius esse Dei, & Deus, euincitur. At Christus vocat Patrem Deum suum, Iohan. 20. 17. Et Apostolus hic non eum vocat Deum, sed qui in forma Dei erat. Quasi verò non sit in Christo alia, præter diuinam, natura, cuius respectu Patrem suum vocat Deum suum. Et quasi Apostolus alibi non vocet Christum, Deum super omnia benedictum, Roman. 9. 5. & magnum Deum: Tit. 2. 13. & Deum manifestatum in carne: 1 Timoth. 3. 16. & Dominum gloriæ, 1. Cor. 2. 8. Imò quid aliud dicere voluit Apostolus, quum dixit, Christum esse in forma Dei, Philippens. 2. vers. 6. quàm esse natura Deum, & in eadem gloria ac maiestate, in qua & Pater?

At Ambrosius nomine formæ Dei intellexit specimen & exemplum diuinitatis, seu diuinæ gloriæ: quòd nimirum dum in corpore humano obambularet, magna ediderit argumenta diuinitatis, miracula edendo. Ad hanc exceptionem responsum est, in refutationibus exceptionum aduersus loca noui Testamenti, vbi Christus vocatur Deus. Quare Ambrosij interpretatio, ad rem ipsam quod attinet, non pugnat cum Augustini interpretatione, vt falsò imaginatur Mediator. Quòd verò subdit: Arianos fatērè concessuros, Christum esse per essentiam Deum: sed hoc tantùm contendere, Patrem esse peculiari quodam modo Deum, quo non est Filius: nempe quòd Pater sit Deus à se: Filius autem Deus de Deo. Longè aliter tradunt de Arianis Pa-

nis Patres & Historiæ. Neque nos inficiamur, quin Pater quodam peculiari modo Deus vocetur nempe κατ' ἐξοχὴν, quia fons est totius Deitatis: & quia à nullo est, ab ipso autem sunt Filius, & spiritus sanctus. Neque etiam inficias imus, Filium, vt vitam, sic essentiam accepisse à Patre: sed eo, quo suprà dictum est, modo: eandem, totam, ab æterno nascendo. At verba Pauli hoc sonant. *Christus, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo:* hoc est, non rapuit, seu raptu non vsurpauit sibi æqualitatem cum Deo. Omnia enim referebat ad Patrem, & omnia illi accepta ferebat: & omnem ei gloriam, non sibi attribuebat. Totum hoc vt admittant, quid inde vis inferre? nunquid, Non igitur Christum æqualem esse Patri? non certe sequitur: sed admittis fallaciam non causæ vt causæ. Causa enim cur Christus non palam prædicaret se Deum esse, & æqualem Patri, & cur omnia ad Patrem solius esset referre, non fuit, quòd is non esset & sit reuera Deus, Patri æqualis, contrarium enim docet hic Apostolus, dicens: *Cùm esset in forma Dei.* Sed causa fuit; quia celanda erat eius gloria vsque ad mortem: sicut ipse Christus iusserat Apostolis, ne gloriam, quàm vidissent in transfiguratione, cuipiam reuelarent, nisi postea quàm vidissent à mortuis resurrexisse. Matth. 17. 9. Firmum igitur manet argumentum, ductum ex Philip. 2. pro vera Christi cum Patre æqualitate & ὁμουσίᾳ.

V. Argumentum quoque recitat Mediator ex Col. 2. 9. *In Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Est enim hoc apertum & firmum argumentum pro ὁμουσίᾳ.

Nam quid est plenitudo Deitatis, nisi plena & perfecta totaque Deitas? quid vero Deitas, nisi essentia diuina?

Essentia autem diuina vna tantùm est.

Christus igitur vnius & eiusdem est essentiæ cum Patre, si tota est in Christo.

Excipiunt: Non hanc esse Pauli sententiam, vt locum inhabitationis Deitatis indicet: quæ cum sit infinita; coniungi non possit cum aliqua re corporali, in vnitatem suppositi.

Resp. Neque nos dicimus, Paulum voluisse indicare locum vbi inhabitet diuinitas: quasi verò ignoremus, Deitatem nullo concludi loco: sed dicimus, Apostolum iis verbis docere, Christum verum esse Deum, verumque hominem: vt hic vnus debeat nobis sufficere, aduersus omnes religionis corruptelas, quas multi tempore Pauli conabantur inducere in Ecclesiam quasi Christus non sufficeret. Quod verò ait, Deitatem, infinita cùm sit, coniungi non posse cum vlla re corporali, in vnitatem suppositi: quid hoc aliud est, quam negare τὸν λόγον, quem Iohannes ait esse Deum, factum esse carnem: Iohan. 1. 14 & Deum manifestatum esse in carne, inficiari? 1. Tim. 3. 16. quis audet dicere fieri non posse, quod Spiritus sanctus ait, F. ctum iam esse?

At excipiunt; Apostolum hic potiùs describere officium Christi erga suos, quàm naturam.

Vtrumque describit Apostolus, sed primò naturam, & quid sit Christus: secundo officium, in versibus sequentibus. Erat enim primò necessum, vt quid sit Christus describeretur, antequam officium explicaretur: quoniam tale Christi officium, quale Apostolus describit, præstare nemo potest nisi qui Deus sit & homo. Et particula, πλήρωμα θεότητος, docet, Apostolum loqui de ipsa Christi Deitate. Addit enim causam, cur non debeamus permittere, vt seducamur per inanem Philosophiam; ita vt aliquid addatur Christo: nimirum quia Christus non homo tantùm, sed verus etiam Deus est, ac proinde, perfectissimus seruator: ita vt qui illum habet, nihil amplius possit desiderare. Sed adhuc excipiunt. *Quod si quis contendat amplius* (inquit Mediator) *Apostolum Christi essentialem diuinitatem concludere, attendat quid Paulus ibidem loquatur*, cap. 1. 19. *In ipso*, inquit, *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se. Voluntate igitur & complacentia Patris in Christo habitat, omnis plenitudo, omnesque thesauri sapientiæ & scientiæ sunt conditi.* Hæc ille.

Dissimilis est iste locus, cap. 1. à loco in cap. 2. In cap. 1. postea quam declarasset quis sit Christus quoad personam, nempe verus & æternus Dei Filius, per quē omnia condita sunt: accessit ad describendum eius munus atque officium: & ostendit, in hoc homine Christo, qui etiam Deus est, positā esse, voluntate Patris, omnem plenitudinem bonorum, vt ex ipso tanquam ex capite, ea bonorum copia fluat in Ecclesiam: hoc est, in totum corpus: Ideo primùm dixit, Christum caput esse Ecclesiæ, & primogenitum ex mortuis. Deinde mox subiecit; In eo plenitudinem omnem inhabitare. Plenitudinem quarumnam rerum? nempe vitæ, de qua ibi, & bonorum omnium.

Cap. 2. Idem facit: sed nomine plenitudinis Deitatis, aliud intellexit Apostolus, quàm copiam & abundantiam bonorum: nempe fontem ipsum omnium bonorum: Deitatem scilicet ipsam vere in Christo habitare corporaliter. Verum ad extremum subdit mediator: Sed fac corporalem inhabitationem hic esse coniunctionem substantialem diuinitatis cum Christi humanitate: An vero ex hoc consubstantialitas demonstrari potest? præsertim ei, qui Christum diuinitatem beneficio Dei obtinere contendat? Quid ni? Primò enim eui citur, Christum non obtinuisse suam Deitatem beneficio Patris: quoniam plena Deitas nulli creaturæ communicari potest: ita vt illa creatura fiat Deus. Est quidem beneficio Patris humanitas assumpta à Filio, & cum ipsius Deitate inseparabili vinculo coniuncta: verum propter hanc coniunctionem non dicimus humanam naturam factam esse Deum. Sic enim Iesus beneficio factus esset Deus. Sed Deitas in Christo homine Deus ipse est. Is autem est ὁ λόγος, qui quoniam in Iesu σωματικῶς personali scilicet & substantiali vnione inhabitat: idcirco fit, vt tota persona Iesu Christi verus Deus esse dicatur, & sit. Hoc est vnum. Secundo euincitur etiam eum esse Patri consubstantialem. Si enim tota diuina essentia, nomine plenitudinis Deitatis significata, est in Christo: & vna tantum est diuina essentia: annon efficitur, vnam & eandem esse Patris & filii essentiam? Aliæ quædam exceptiones aduersus hunc locum refutatæ sunt, in refutationibus exceptionum, aduersus loca pro Deitate Christi, ad locum octauum.

VI. Aliud etiam recitat Mediator argumentum, ex 1. Timoth. 3. 16. *Deus manifestatus est in carne.* Item Tit. 2. 13. *Expectantes aduentum gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi.* Concedunt (inquit) doctrinam hæc de Christo dici: sed tamen negant, eum à se Deum esse, esseque eundem essentialiter cum Patre.

Resp. Christum non esse à se Deum, bifariam intelligi potest. Aut quòd οὐσία, quam habet filius, non sit à se: hoc verò falsum est. Aut quod Filius, qui Deus est, nō sit à se: hoc confitemur: est enim à Patre Filius. Quid autem aliud est, quam sua οὐσία? Realiter, vt vocant, ei τὸ εἶναι aliud non est: sed tamē τῷ λόγῳ aliud est, vt exemplo animæ & facultatem eius sæpenumero explicatum est. Aliæ exceptiones contra hunc locū refutatæ sunt in refutationibus exceptionum, aduersus loca noui testamenti, pro Deitate Christi, ad locum nouum, & decimum.

Sequitur alius locus, nonumque argumentum, Soli Deo fides est adhibenda: *Maledictus qui confidit in homine.* Ierem. 17. 5 Sed qui confidunt Christo, non sunt execrabiles.

Excipiunt: In Christo fiduciam esse collocandam: verùm non tanquam in præcipuo auctore bonorum, sed tantum distributore beneficiorum Dei.

Fallacia est à non causa vt causa. Neque enim sufficiens causa est, cur in Christo collocanda sit fides, quia dispensator tantùm est beneficiorum Dei. Fides enim non potest in eo, qui non sit natura Deus, collocari: quia stat scriptura aperta: *Execrabilis omnis, qui confidit in homine.* Et hæc præcipua est pars cultus diuini. Hunc autem non vult Iehoua à se in vllum alium transferri. Ergo si fides in Christo collocanda est: non tam conuenit illum esse dispensatorem beneficiorum Dei: quàm oportet esse Deum, bonorum omnium auctorem.

At est quidem (inquiunt) auctor vitę, & vitam habet in se: verùm non à se, sed à Patre, à quo excitatus est à mortuis.

Quasi verò alia vita in Christo non sit, quàm illa, quam corpus à mortuis excitatum accepit. Quid hoc aliud est, quam negare Christum esse per se viuentem? Quòd verò etiam, quà λόγος est, vitam habeat à Patre, sicut & essentiam, millies est concessum; sed hoc non impedit, quin Deus sit per se viuens, & Patri per omnia æqualis, si tamen originis rationem excipias.

Ad loca igitur de fide, quæ citat: nempe, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*: Io. 12. 44. & alia id genus, quibus contendit demonstrare, Christum non esse pręcipuum auctorem bonorum, sed tantùm dispensatorem, facilis est responsio: Ea omnia de se loqui Christum, tanquā de Mediatore: & hoc voluisse concludere: sicut quæcunque dispensabat vt Mediator, acceperat à patre: sic omnia accepta esse ferenda Patri, vt fonti bonorum omnium. A proinde fide non esse nobis hærendū in sola Christi carne, sed penetrandum vsque to ipsam Deitatem, quam Patris nomine sæpè solebat indicare: adeoque in ipsam patris personam, totius Deitatis fontem, & à quo fuerat missus. Sic ideo iis, qui in se credebant, dicebat, *Qui credit in me, non credit in me,* (hominem) *sed in eū qui misit me*: vt duo iudicaret vnum

se verum esse Deum, in quem solum dirigenda sit fides: alioqui se talem fidem in hominem purum non probaturum. Deinde vt significaret, se & Patrem, à quo missus erat, vnum esse Deum, vnamque diuinam essentiam. Cur enim qui credit in Christum, non credit in solum Christum; sed & in Patrē, nisi quia ambo vnus sunt atque idem Deus? Et cur qui adorat Christum, non ipsum solum, sed & Patrem adorat? Et cur ipse ait, *Qui honorat Filium, honorat Patrem?* Io.5.23. Quia scilicet Pater & Filius vnus atque idem sunt Deus: in quem vnum est credendum: qui vnus est adorandus: qui denique vnus est honore diuino afficiendus. Tantum igitur abest, vt ex iis locis, quæ subiicit Mediator, possit infirmari ὁμοουσία Patris & Filij, vt potius mirum in modum confirmetur.

Ad exceptiones contra locum ex Ies.6. responsum est superioribus libris. Item ad eas, quæ fieri solent aduersus argumentum à creatione ductum.

VII. Subditur insuper argumentū, ex Isaiæ 42.8. vbi Iehoua ait; *Gloriam meam alteri non dabo.* Eadem est gloria Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vna igitur & eadem omnium οὐσία.

Excipiunt; Patrem nōn exhæredasse quidem Filiū ea gloria, quam apud illum habuit, antequam ponerentur fundamenta mundi: Io.17.5. tamen hoc etiam esse verum, Patrem scilicet nemini gloriam suam dedisse: ita vt eam cū ea plenitudine habeat, cum qua & ipse Pater habet. Quid autem sit, habere cum ea plenitudine, explicant in hæc verba. Pater enim ita à se habet, vt à nemine alio Filius vt vitam à Patre habet, ita & gloriam. Non sunt igitur vnius essentiæ.

Resp. Quatenus gloria significat maiestatem & essentiā diuinam apud Iesaiam, falsum est, quod aiunt, simpliciter, Patrem nemini dedisse gloriam suam cum ea plenitudine, cum qua & ipse Pater habet. Eandem enim & totam suam essentiam communicauit Filio in ęterna illius generatione: vt ipse etiam fatetur Mediator. Et Apostolus ait, *In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Col.2.9. Quòd vero subiiciunt rationis loco, quia scilicet Pater eam habeat à se, Filius à Patre: hoc impedimento esse non potest, quin Filius totam & eandem habeat gloriam ab æterno: quam & Pater: vt centies dictum est.

Ad exceptiones contra argumentum, ex Ies.41.4. & Apoc. 1.17. *Ego sum primus & nouissimus*: responsum est. Ad illud Mat.19.17. vbi Christus ait, *Solus Deus est bonus*: nēpe per se. At Christus etiam bonus est per se. Excipiunt: Pater vt solus est immortalis, à se nimirum: Filius autem non ita, sed à Patre, quia ab ipso accipit immortalitatē: ita solus est bonus, nempe à se: Filius autem bonus, à Patre: quia bonitatem à Patre accepit.

Resp. Hæc differentia: nempe esse à se, aut ab alio, non tollit quin aliqui sint eiusdem naturæ, & perinde vnus atque alter sit talis per se, licet non à se: sicut millies dictum est. Liberi enim nostri sunt per se homines; & eiusdem naturæ nobiscum: nec tamen à se tales sunt. Hoc autem nobis satis est, si defendamus Christum & bonum esse, & Deum per se, quamquam quicquid est aut habet, totum à Patre habeat.

Ad illud, ex 2. Paralip. 6.30. *Tu solus nosti corda filiorum hominum*: cùm idem de Filio etiam dicatur, Apoc.2.23. Excipiunt: etsi hoc det Filio scriptura, non esse tamen confundēdas personas. Sic enim complacuisse Patri, vt in Christo habitet omnis plenitudo Deitatis, omnis scientiæ, perfectionis, &c.

Resp. Quasi verò confundantur personæ, quum dicimus, Patrem, & Filium οὐσίᾳ vnum & eūdem esse Deum. Et quasi, quia placuit Patri, in Christo Mediatore omnem plenitudinem inhabitare suorum bonorum & gratiarum: idcircò Christus non sit per naturam, quà αὐτος est, scrutator cordium, & verus Iehoua. Ad summam: Omnia Dei attributa competunt in Christum per naturam, non per gratiam: vt ante ostensum est.

Ad illud, *Cælum & terram ego impleo, ait Dominus Deus*: Ier. 23.24. cùm de Christo etiam legatur, *Omnia in omnibus implet.* Eph.4.10. Excipiunt: Paulum Ephes.4. loqui de ministerio. *Christum scili et ascendisse in altū, altum, vt impleret omnia: hoc est, vt perficeret & instauraret omnia, quę in cælo sunt, & quæ in terris: usque exædificaret Ciuitatem cælestem, quæ est Ecclesia.* Hæc quidam. Quibus verbis videtur significare: si posset probari, Christum esse immensum sua essentia, sicut est Pater, inde effectum iri, Christum & Deum esse & vnius eiusdemque essentiæ cum Patre. Sed non posse concludi: quòd locus ad Ephesios ad immensitatem essentiæ Christi minimè pertineat.

R. Quam adfert interpretationem loci ad Ephes. probo. Sed aliis locis Scripturarum probauimus nos, Christum, quà αὐτος est, verè esse sua essentia immensum. Et ad exceptiones contra hanc immensitatem responsum est supra. Quare firmum manet argumentum ab immensitate, pro ὁμοουσίᾳ.

Præterea, quæ excipiunt ad argumentum, ductum ex Ies. 9.6. vbi filius Pater æternitatis appellatur. Item, quæ scribunt ad argumentum, ex prima Cor.1.24. vbi Christus Sapientia Patris vocatur. Quæ item adferuntur aduersus argumentum inde deductum, quòd quicquid habet Pater, idem etiam habeat Filius. Partim enim ad hæc responsum est: partim argumenta nostra non sunt, sed nescio quorum: eaque inepta ad ὁμοουσίαν probandam.

VIII. Adfertur à nostris locus etiā ex Mal.3.10. de domo Iehouæ, quàm Christus quoque ex Iesā. dicit esse suam domum: Ma.21.13. Ies.56.7. Imo & Iehoua ipse idē testificatur per Malachiam, dicens, *Veniet Dominator* (Messias) *ad templū suum*, Mal.3.1. Est igitur Christus Deus: & quidem ille Deus, qui dixit per Iesaiam suam esse domum. Quare cùm constet hunc esse Patrem: patet etiam, Filium vnum & eundem esse Deum cum Patre.

Excipiunt aduersarij. Non ideò templum Deo Iehouæ dicatum appellari Christo templum suum, neque à Malachia templū Christi, quia Christus vnus sit cū Patre Deus: sed quia Patris est legatus. Et hoc manifestum fieri ex Malachia ipso, qui Patrem omnipotētem Iehouam vocat; Christum verò legatum Patris, & nuncium fœderis. Hic manifestè discerni, mittentem Patrem, qui vocatur Iehoua à misso, qui vocatur nuncius & Angelus fœderis. Non enim dicere Iehouam, se venturum in templum suum: sed venturum Angelum fœderis.

R. Sicut cultus religionis totus non competit, nisi in eum, qui verus sit Deus Iehoua: Sic etiam templum non potest illi dicari, aut illius vere dici, qui non sit verus Iehoua. Quare non potuit verè Christus dicere, domum Dei domum esse suam, nisi sit Deus: hoc est certum. Ad locum verò Malachiæ quod attinet, manifestum est, ex Euangelistis: Quum ait Iehoua, *Ecce ego mitto legatum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Marc.1.2. Eum esse Christum, & loqui de suo præcursore Iohanne. Quum verò idem dicit; *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & legatus fœderis, quem vos optatis*: Aio, vt liquidò apparet, Christum de se ipso loqui in tertia persona: Hebræis quoque sic interpretantibus. Quare Christum esse Iehouam exercituum. At cur legatus fœderis appellatur, si est Iehoua? Propter officium: nempe, non tam quòd tanquam Propheta Patris erat Euangelium annunciaturus: quàm quòd, tanquam Mediator & Pontifex, erat nouum fœdus suo sanguine confirmaturus & obsignaturus. Ex iis vero apparet, Templum illud Iehouæ dicatum, Templum etiam Christi fuisse appellatum: non tam quia Christus legatus sit fœderis & Patris: quàm quòd verus est Iehoua. Est autem vnus tantùm Iehoua. Est igitur Filius cum Patre idem Iehoua.

IX. Aliud quoque adfertur ex Ioh. 14.23. *Ego & Pater ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus.* Assumunt nostri: Atque hoc facere nequit is, qui non sit Deus: nempe, vt verè in omnibus illis, à quibus diligitur, inhabitet, & mansionem faciat. Neque simul in eodem habitarent fideli Pater & Filius, nisi essent vnus atque idem Deus. Excipiunt aduersarij, ex magno quodam Theologo, mansionem Patris & Christi apud Sanctos, esse certam vtriusque cognitionem, eamque perpetuam.

Resp. Non negat ille Theologus, quin Pater & Christus vere in Sanctis, à quibus amantur, per suum Spiritum inhabitent: cùm hoc passim tradant sacræ literæ: sed hanc inhabitationem ex præcipuo eius effectu, qui est viua vtriusque cognitio, & perpetuus tum bonitatis Patris, tum redemtionis per Filium factæ sensus, indicauit, seu descripsit. Sic alius interpres doctissimus idem generaliùs expressit dicēs: *Veniemus ad eum, qui me diligit*: hoc est, sentiet in se residere gratiam Dei, & magis magisque indies Dei donis augebitur. Sed alius diligentissimus sacrarum literarum examinator, minus recedens à verbis Christi, quomodo is vnà cum Patre veniat ad suos, à quibus amatur, & apud eos maneat, explicat: Christum scilicet & Patrem communi suo Spiritu venire ad eos, à quibus diligatur. Et iis verbis Christum significasse illam vnionem, quam amor conciliat inter amantem & amatum. Vt enim odium disiungit animos: ita amor conciliat & vnit. Et quidem multo præstantiori modo Patrem & Filium vniri fidelibus se amantibus, quàm nostros sibi inuicem animos. Fideles enim habere in se manentem Patrem, & Filium: quò & illud pertinet Iohannis, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Io. 4.16. Non inepte igitur concludunt multi: Christum & ve-

rum

tum esse Deum, & vnum & eundem esse Deum, cum Patre, & cum Spiritu sancto:ex eo,quòd is & Pater, per Spiritum suum in cordibus piorum verè inhabitat:cuius inhabitationis atque mansionis certum est testimonium, viua Patris & Christi cognitio, progressusque in hac cognitione, & aliis Spiritus sancti donis.

X. Ad argumentum 29.inde deductum, quod tam Filius αὐτόθεος est:quam etiam Pater,quia etsi Filius sit à Patre,Pater verò à se ipso,hoc tamen nihil adfert impedimenti,quin Filius perinde sit per se Deus, atque Pater:cùm à se,vel ab alio esse,aliam naturæ speciem non constituat.Excipit Mediator, dicens:Imò qui à se est,& qui ab alio est, vnius numero essentiæ esse non possunt.

R. Pugnant quæ hic dicit Mediator, cum iis, quæ alibi scribit:vbi ait, argumentationem illam esse indissolubilem, qua vnitas essentiæ Patris & Filij inde concluditur:quia Filius nascēdo ex Patre,eandem & totam Patris essentiam accepit.Si hæc vera sunt,vt sunt, quomodo igitur ait : Qui à se est,& qui ab alio est, eos vnius numero essentiæ esse non posse? Damus hoc in rebus creatis vtpote finitis, & in quibus aliud est, esse, & aliud essentia. At vbi essentia idem est quod esse,eaque immensa & simplicissima:ibi vnam & eandem omninò esse necesse est,tum illius qui à seipso, tum illius qui ab alio est.Quę verò subiicit de iis, qui sunt vnum speciètenus,& se ait nescire,an hoc dici possit in diuinis:nihil ad rem.

Sed rursus excipit : *Pater Filium suum vocat seruum* Ies. 24.1. *Est igitur inferior Patre. Et certè Filius dicit,Patrem maiorem se esse*,Io.14.28. Hæc ille. Vult inferre,Christum igitur non esse Deum : multò minùs vnum eundemque cum Patre Deum.

Quasi verò non centies sit responsum, & tale responsum nunquam refutatum fuerit:nempe , Filium vocari à Patre *seruum suum*,propter officiū Mediatoris, & humanæ naturæ *respectu*,non autem diuinæ: Et eodem etiam sensu Patrem à filio appellatum fuisse maiorem.

Aliud etiam nostrorum est argumentum:nempe,Si Filius est Dei beneficio Deus,non natura : igitur nobis licebit ei iuxta Pauli verbum dicere.1.Cor.4 7.Quid Christe, habes quod non accepisti? Si omnia accepisti:igitur nō licebit tibi gloriari. Christus quoque poterit respondere:*Gratia Dei sum id quod sum.* Sunt autem hęc absurda & impia. Non est igitur beneficio Deus,sed natura.Excipiūt hæc non esse absurda.Christum enim omnia referre ad Patrem,& dicere,vitam sibi datam esse à Patre.

R.Sed quę adferunt,ea non efficiunt,quin absurdum sit & impium,dicere, Christo quoque posse dici : Quid habes, ô Christe, quod non accepisti?Christus enim ,qua λόγος,nihil habet aut accepit ex gratia : sed omnia habet natura.Accepit vitam & omnia à Patre,sed ab omni ęternitate,nascēdo, eoque natura:nō autem postquam natus est, eoque per gratiam. Ac quòd omnia semper sultus sit referre ad Patrem; hoc non tollit , quin quicquid est & habet Christus, quà Deus,habeat & sit natura. Solam enim originis ratione ostendit : & vbi sit principium & fons bonorum omnium totiusque Deitatis,monstrat : nempe in Patre.Fallacia igitur est non causæ vt causæ.

XI. Sequitur aliud argumentum.Solum Iehouam fuisse Israelis ducem , testatur Moses in suo cantico, Deut.32.13. Hunc autem apertè Christum nominat Apostolus. Itaque non duos,sed vnum numero Iehouam, qui solus Dux fuisse dicatur,fateamur necesse est:quamuis alia sit Patris,alia magni ipsius Angeli persona. Excipiunt:non esse nouum, vt quod Patri, idem quoque Filio tribuatur:vtpote per quem Patri visum sit administrare omnia.Vt enim creauit nos per Filium,seruauit nos per Filium, iudicabit nos per Filium:ita etiam eduxit ex Ægypto Israelitas per Filium. Est enim Christo regnum traditum à Patre , vt suo arbitrio cuncta gubernet. Non quòd Pater interim sit otiosus:sed Christus nobis ponitur ob oculos,tanquam conspicua Dei inuisibilis imago.

Fallacia non causæ vt causæ. Causa enim cur quæ attribuuntur Patri, attribuantur eadem etiam Filio, non tam ea est,quia Pater per Filium operatur;quàm quià Filius eadem operatur ὁμοίως quæ & Pater. Io.5.19. Ac proinde, vt intelligamus,Christum cum Patre vnum esse,atque eūdem creatorem,conseruatorem,operatorem , seruatorem , iudicem:denique Iehouam. Sed per Filium dicitur Pater operari,vt ordo personarum, origoque indicetur : & intelligamus,Patrem, sicut principium est totius deitatis , sic etiam esse principium omnium diuinarum actionum. Sed denuò excipiunt:si eadem esset Filij essentia, quæ Patris:certè Filius quoque diceretur creare, redimere , & alia facere per Patrem ; quod tamen à nemine dicitur. Negatur sequela. Etsi enim eadem est essentia Filij, quæ Patris:discrimen tamen hoc est inter Patrem & Filium:quòd Pater eam à se habet,Filius autem à Patre,Ratio autem,cur Pater dicatur per Filium agere omnia , est(vt paulo ante dixi) vt significetur ordo personarum, atque origo:& ita intelligamus , Patrem esse principium,vt Deitatis,in Filio,& Spiritu sancto, sic etiam actionum. Quare sicut rectè dicitur Pater operari omnia per Filium : sic dici non potest Filius operari per Patrem:quia Pater à Filio non est,sed Filius ex Patre.

XII. Est præterea aliud argumentum, quo etiam nos vsi sumus : nempe ex illis veteris Testamenti locis vbi de vno Iehoua aliqua prædicantur , & deinde eadem in nouo de Christo reperiuntur , & ab Apostolis ad Christum accōmodantur.Inde enim concluditur,non solum Christum esse Iehouam,sed esse cum Patre illum vnum Iehouam,de quo illa omnia prædicantur in veteri Testamento,vt apud Ies.45. 23.Deus Iehoua ait, *Mihi curuabitur omne genu.* Atqui ipse est Christus,teste Apostolo ad Rom.14.11.

Excipiunt primò: ad hoc argumentum esse responsum ab Ochino & Cassanouio: & omnia hæc testimonia sigillatim & accuratè fuisse confutata.

R. Cassonouij librum non legi. Ad Bernardinum verò Ochinum quod attinet,vidimus suprà, quàm accuratæ sint illius refutationes.

Excipiunt secundò : ex eo , quòd pluribus attribuitur aliquod vnum,non inde effici posse vnam esse illorum plurium essentiam. Et peccari hic à nostris in secunda figura syllogismorum : quòd ex vtraque propositione affirmata argumententur: vt,Pater est seruator; & Filius seruator. Pater igitur & Filius vnius sunt essentiæ. Item, Patri flectetur omne genu : Filio quoque. Sunt igitur idem Iehoua. Ex iis enim inferri non licere : aut Filium esse Patrem, aut eandem esse vtriusque essentiam. Et admitti paralogismum,qui non causa,vt causa dicitur. Non enim vnitatem essentiæ Patris cum Filio causam esse , quamobrem multa vtrique tribuantur : sed hanc esse causam , quia cùm Pater in se vitam habens, dederit etiam Filio , vt vitam habeat in semetipso, & vt esset Deus de Deo ; idcircò etiam dedisse eidem Filiò omnia alia , quæ habet ipse Pater. Simile adfert : Nonne Sol(inquit) est , qui & calefacit , & illuminat hunc orbem sublunarem? Nonne radij quoque solares & calefaciunt & illuminant? verumtamęn,quia radij à sole oriuntur: sequitur eos,vt essentiam,ita omnia à sole habere. Ad eundem modum(inquit)de λόγῳ dicendum esse videtur.Qui cùm sit Filius Dei naturalis & vnigenitus : iure suo & Deus est , & vita æterna,vt 1.Ioh.5.Quid igitur miri,si omnia ei tribuantur,quæ tribuūtur Patri?sed tamen dissimiliter. Pater enim à nemine habet nisi à seipso quicquid habet : Filius verò à Patre. Exemplis verò aliquot scripturarum confirmat: omnia attribuenda esse Patri, vt auctori omnium:ab illo autem ad Filium eadem profluere. Verùm inde colligi vtriusque consubstantialitatem non posse. Non enim hæc & Patri & Filio tribui ob essentiæ vnitatem: sed quia Pater per Filium cuncta regit & administrat.

R. Quod ait:Ex eo quod ex pluribus aliquod vnum attribuitur : non inde effici posse , vnam esse omnium essentiam. Propositio hæc similis est illi, quam alibi habet: Ab vnitate effectus , non posse colligi vnitatem causarum. Vt autem ad hanc responsum est : ita responsum esto ad istam alteram. Breuiter tamen hic etiam dico : propositionem hanc Mediatoris non esse simpliciter veram. Quum enim illud vnū , quod multis attribuitur est essentiale:& hoc illis multis attribuitur ex æquo, hoc est,per se,& non vni per se, alteri verò per accidens:tūc certè efficitur, omnes illos plures eiusdem naturæ. Vt si tam Petro quàm Paulo ex æquo attribuatur quod rideat,vel facultatem habeat ridendi: quis non inde videat consequi , vtrumque eiusdem naturæ, humanæ scilicet? Quamobrem ? Quia facultas ridendi proprietas est essentialis ipsius hominis : & non nisi in humanam potest competere naturam. Et ( vt in simili allato à Mediatore persistam. ) Si tam Radiis quàm soli attribuitur per se , quòd illuminent orbem sublunarem,& calefaciant omnia. Annon sequitur, tam radios quàm solem eiusdem esse naturæ : & vnam eandemque esse horum & illius lucem?Omninò. Ratio est : quia illuminare totum sublunarem orbem , & simul etiam calefacere , in solam lucem solarem competit. Ita etiam quum attributa Dei essentialia,& quæ non possunt competere nisi in Deum , tam Filio quàm Patri attribuuntur: vt est ,creare ex nihilo , esse immensum & omnia implere , esse primum & nouissimum Deum,esse eum,quem omnes debeant adorare,& alia id genus:Annō tunc sequitur, Filium & Patrē, eiusdem esse Deitatis,eoque essentiæ diuinæ? Quòd si excipias:non ex æquo hæc attribui Patri & Filio:sed Patri primò, quia ex se:Filio

autem secundariò, quia à Patre hæc habet. Responsio facilis est: attribui quidem primò Patri, deinde Filio respectu ordinis atque originis: & ideò, quia pater est principaliter Deus: sed hoc discrimen non constituere diuersam naturæ & essentiæ speciem. Ad id quod dicit, peccari à nostris in forma syllogistica, merum est effugium, si non est etiam calumnia. An non hic est bonus syllogismus?

Ille, qui dicit, seu, Quicunque vere dicit, Ego Iehoua, primus & nouissimus, cui flectetur omne genu: is verus est & vnicus Iehoua.

Atqui non solum Pater, sed & Filius est ille, qui hæc dicit, & de quo hæc prædicantur: testibus Apostolis.

Ergo Pater & Filius sunt iste Iehoua vnus & verus, qui locutus est per Prophetas.

Quid in hoc syllogismo desiderari potest? quid inest paralogismi? Tertiò, quod dicit in huiusmodi argumentationibus poni id quod non est causa, pro causa: falsum est: imò hæc est causa, cur Apostoli eadem tribuant Christo, quæ Patri sunt attributa: nempe, quia nouerunt, & ita etiam prædicare aliis voluerunt, Christum esse verum, & quidem vnum & eundem cum Patre Iehouam. Cur enim (vt vnum adferam exemplum) Apostolus illud quod de Iehoua cecinerat Dauid, *Et tu, Iehoua, initio terram fundasti*, ad Christum accommodat? Hebr. 1. 10. Psal. 102. 26. Certè vt scopum suum confirmet: Christum esse talem Dei Filium, qui verus sit Deus, verúsque Iehoua. Non igitur nostri, quum hæc citant loca ad stabiliendam veram Christi Deitatem, eoque *ὁμουσίαν* cum Patre, admittunt paralogismum, qui dicitur non causa vt causa; quoniam eam etiam ob causam ab Apostolis ad Christum accommodantur, propter quã à nostris citantur. Ita optimè efficitur, & perspicuè apparet, vnitatem essentiæ Patris & Filij veram esse causam, cur quæ Patri essentialia, eadem etiam Filio attribuantur. Imò admitto quod ait Mediator: nempe, hanc esse causam, cur quæ Patri attribuantur in veteri Testamento, eadem etiam Christo attribuantur in nouo: nempe, quia Pater dedit Filio huic vitam & Deitatem, idcirco etiam voluisse, vt reliqua, quæ habet, eidem attribuerentur. Quid autem obsecro hoc aliud est, quàm ideo hæc attribui Christo, quæ & Patri, vt patefiat, huic Christo prius à Patre (in æterna scilicet generatione) traditam fuisse vitam, & vt esset Deus de Deo? Simile etiam Solis, & radiorum libenter amplector: nempe ideo attribui radiis, quod illuminent & calefaciant, sicut Sol, quia sicut oriuntur à Sole, & essentiam ab eo habent, sic etiam reliqua ab eo habent omnia. Ac quod concludit: eodem nimirum modo dicendum esse de *λόγῳ*: nempe, quòd cùm sit Filius Dei naturalis & vnigenitus, iure suo sit & Deus, & vita æterna: ac proinde meritò illi tribui, quæ & Patri: totum hoc facit ad rem nostram, nempe, non illi hæc tribui, quia legatus tantùm Patris est: neque quia instrumentum sit, per quod operatus sit Pater: sed quia verus est & naturalis Dei Filius: eoque verus Deus. Is autem non potest esse nisi vnus. Quod porrò subdit differentiæ causa, dicens: Sed tamen dissimiliter: nempe eadem attribuuntur Filio, quæ Patri: & explicationem adfert, dicens: Quia Pater à nemine, nisi à seipso habet, quicquid habet: Filius verò à Patre. Discrimen hoc vt iam dictum est non semel, non tollit, quin vna sit & eadem Patris & Filij Deitas: ac proinde dico, tam essentialiter ea attribui Filio, quàm Patri. Ad extremum verò, quod ait: Hæc Patri & Filio non attribui ob essentiæ vnitatem: sed quia Pater per Filium omnia regit & administrat, longè diuersum est ab eo, quod paulò antè dixit, nempe; idcircò hæc attribui Filio, quæ & Patri, quia Pater dedit illi, vt vitã habeat in seipso: & vt sit Deus de Deo: quasi dicat, Quia Deus est non minùs quàm Pater: quanquam Pater à se, & non ab alio; Filius autem à Patre. Hanc primam, vt legitimam causam, amplector: imò etiam alteram, quatenus pendet à prima. Ideò enim Pater omnia agit per Filiũ: & hac de causa attribui vult illi, quod & sibi: quia Filius eãdem habet à Patre essentiam & Deitatem, quam & Pater. Neque enim per Filium possent fieri hæc, quæ Pater dicitur agere per illum, nisi eandem haberet potentiam & essentiam, quam & Pater: sicut neque sol per radios illuminaret, nisi radij à sole haberent eandem lucem, quam & sol. Summa: Etiam de sententia Mediatoris, ex iis locis veteris Testamenti ad Christum accommodatis, efficitur, Christum verum esse Deum, quanquam Deum de Deo: quia quæ attribuuntur Patri, eadem etiam Filio attribuuntur. Hoc nobis est satis obtinuisse. Hinc verò sequitur Christum ita *ὁμοούσιον* esse Patri, vt sit vnus cum Patre Deus, quia vnus tantùm est verus Deus.

XIII. Sequitur aliud nostrorum argumentum apud Mediatorem; Christus suam cum Patre consubstantialitatem probat ex miraculis, quæ faciebat dicens Ioh. 14. v. 11. *Credite mihi, quod ego in Patre, & Pater in me. Sin minus, propter opera ipsa credite.*

Excipiunt primò. Etsi maxima edidit miracula Christus: tamen non eum inde fuisse vel ab Apostolis, vel ab aliis Iudæis agnitum pro Deo; sed tantùm aut pro Magistro, cum quo Deus esset: aut pro magno Propheta: aut ad summum pro Filio Dei, vt ipse se vocabat. Nouerunt enim omnes, ex miraculis deitatem non posse concludi.

R. Abũde suprà ad hanc, & ad alias aliquot aduersus hoc argumentum exceptiones respõsum est. Neque habeo quod addam, nisi vt respondeam ad alia quædam, quæ hîc obiicit Mediator. Cùm enim demonstrauerint nostri, ex miraculis nouisse Christum permultos, & ideo confessos fuisse, eum esse verum, magnũ, & super omnia Deum: sic excepêre aduersarij: Et si Christum multi prædicarunt Deum: Deum super omnia benedictum: Deum magnum: Deum verũ; nunquam tamen aut ipse Christus æqualitatem sibi cum Patre sumsisse legitur: multò minùs consubstantialitatem. Neminem etiam esse aut Euangelistarum aut Apostolorum, qui eius rei faciat mentionem.

Quod ad ipsum Christum attinet: quoties dixit, se Filium esse Dei proprium, & ex Patre natum: toties dico illũ prædicasse, se æqualem esse Patri natura diuina, & eiusdẽ cum Patre esse naturę atque essẽtiæ. Hoc enim necessariò sequitur, & indicatur: nempe, si aliquem dicas filium esse alicuius naturalem & proprium, eum esse eiusdem cum illo naturæ, cuius dicitur proprius esse Filius. Vt cùm liberos nostros è nobis genitos esse dicimus: simul etiam prædicamus, eos eiusdem nobiscum esse naturæ, & ea æquales esse nobis. Hoc optimè intellexerunt Iudæi. Quum enim multa vidissent & audiuissent, quæ Christus gessisset, & de se dixisset, indignè ferebant, quòd Deum suum dixisset Patrem, æqualem se faciens Deo, Io. 5. 18.

At hoc dixerunt (inquit Mediator) per calumniam.

Si per calumniam hoc dixissent: eam certe à se depulisset Christus, tanquam Blasphemiã in Deum: sed non fecit, imò potiùs confirmauit: vt liquet ex contextu. Huc etiam spectant testimonia Christi: Io. 10. 30 *Ego & Pater vnum sumus*: neque vnum sunt accidente, ergo *οὐσίᾳ*. Item Ioh. 14. v. 11. *Ego in Patre*: non persona, ergo *οὐσίᾳ*. Ad Apostolos quod attinet: quoties prædicarunt illum Deum esse super omnia benedictum: Deum magnum: Deum verum: & quoties locis veteris Testamenti, de Iehoua ad illum accommodatis, docuerunt, eum esse Iehouam: toties etiam illum prædicarunt æqualem Patri, & vnum cum Patre Deum. Norunt enim vna ex parte, & prædicarunt semper vnum tantùm esse Deum, & plures Deos esse non posse. Altera ex parte prædicarunt Patrem verum Deum. Quid igitur aliud credi à nobis voluerunt, quam Filium ita esse *ὁμοούσιον* Patri, vt vnus sit cum Patre Deus?

XIV. Sed ad hoc argumentum excipit Mediator ipse, & ait: (volo enim referre singula eius verba) *Hæc collectio ab omnibus ferè in hac disputatione vsurpatur. Cùm n. consubstantialitas in sacris Scripturis, verbis disertis nullibi expressa sit, locaque ex quibus elici solet, multis cauillis obnoxia sint: ad hanc collectionem, tanquam ad extremum subsidium, ab omnibus recurritur. Verùm mihi, qui non tantùm interpretis, sed etiam iudicis personam suscepi, diligentius in hanc collectionem inquirendum est.* Hæc ille.

Hactenus autem nil dixit, quod postulet à nobis responsionem. Postea subdit, huius collectionis, seu argumenti nostri vim in hoc syllogismo conspici posse:

Qui Deus est, est idem essentialiter cum Deo Patre.

Filius Dei Deus est. Ergo, &c.

Maiorem propositionem ait posse facilè refelli, verbis Psalmi, quæ à Christo recitantur, *Ego dixi, dij estis, &c.* Hactenus bene. Non enim simpliciter quicũque Deus dicitur, & est, nempe secundum quid, is idem est essentialiter cum Patre. Mox verò addit, *Quod si in maiore addas, natura: vt sit hæc propositio.*

*Qui Deus est natura, seu essentia, is vnus est cum Patre (Deus.*
*Christus est Deus natura. Ergo, &c.*

*Sumitur pro concesso id, quod probandum est. Non enim Filius Dei est natura Deus: sed participatione & communicatione Deitatis à Deo Patre.* Hæc ille.

Audis blasphemiam? nisi fortè illum duntaxat definiat esse Natura Deum, qui nulla ratione, sit ex alio, nec sit Deus de Deo. Sed tum falsum assumeret. Quare hîc respondendum nobis est. Dico igitur principiò, Christum Deum esse natura. Ille enim natura talis est, qualis nascitur. Annon ideò nos natura sumus homines, quia nascimur homines? Et natura Filij iræ, quia tales nascimur? Atqui Christus *λόγος* natus est Deus. Est enim genitus à substantia seu essentia Patris: vt iam abunde demonstratum est. Quare quod

etiam

etiam dicis, ô Mediator, Christum Deum esse participatione & communicatione deitatis: si nomine deitatis intelligis diuinam essentiam & hanc communicatam fatearis ab æterno in ipsa Filij generatione, eamque totam, & eandem quam Pater habet, amplectimur dictum. Quid verò hinc clarius sequitur, quàm Filium natura esse Deum, & Patri ὁμοούσιον? Quòd si intelligis nomine Deitatis donorum Dei plenitudinem, vt videris teipsum declarare: negamus, hoc duntaxat modo Christum esse Deum. Quod igitur ais, in propositione hac, Atqui Christus Deus est natura, assumi pro concesso id, quod est probandum: non est omninò verum. Cum Tritheitis enim disputamus. Hi autem (nisi nos fallant) admittunt, Christum λόγον genitum esse è substantia Patris, ante mundi constitutionem: ac proinde natura Deum etiam fateantur necesse est, vt & fateri videntur: Sed & si qui sint (vt Ariani omnes) qui non fateantur: fateri tamen coguntur, aut apertæ veritati resistere, vt omnes, qui in Spiritum sanctum peccare dicuntur. Ioann. 5. 20. Quomodo enim verus est Deus, si non est natura Deus? Et Apostolus Galatis exprobrat, quòd aliquando seruierint iis, qui natura non sunt dij. Gal. 4. 8. Vrget autem vt seruiant Christo, quem vbique prædicat Deum. Apostolus igitur non agnouit Christum pro tali Deo, qualem tu esse dicis; nempe non natura, sed participatione deitatis: hoc est, diuinorum donorum. Quòd si discrimen tantùm statuis hoc inter Patrem & Filium: quod Pater sit Deus à seipso, Filius autem communicatione eiusdem deitatis, & quidem totius, quam habet Pater: hoc, vt millies dictum est, non tollit, quin Christus sit verus & natura Deus. Verùm aliter sentire de Christo is homo videtur. Subdit enim: *Dices adhuc aliquis, Christum ad hunc modum* (nempe si sit Deus non natura, sed participatione Deitatis) *nihil præter homines pios, & eos qui sunt in magistratu habere: Quia & ipsi participatione donorum sibi concessorum dicuntur dij.* Hæc sibi obiicit Mediator. In quibus verbis apparet, quid suprà participatione deitatis intellexerit: donorum scilicet, non essentiæ participationem. Ideò sibi respondens subdit. *Responsio* (inquit) *facilis est. Est enim Christus infinitè excellentius Deus, quàm vlla creatura. Data est illi potestas omnis in cælo & in terra.* Matt 28. 18. *Donatum est illi nomen, quod est super omne nomen, in quo omne genu flectatur.* Phil. 2. 9. *Pater illi dedit omne iudicium,* Io. 5. 22. *Et aliis quidem Spiritus datus est ad mensuram, Christo non ad mensuram.* Io. 3. 34. *In ipso enim habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.* Col. 2 9. *Quamuis itaque Christus beneficio, non natura sit Deus. Apostolorum tamen perfectionem longissimè superauit, quorum mentem & animum aperuit suo Spiritu, quos intrinsecus illustrauit, inflammauit, regenerauit. Apostoli autem Christi erant ministri; & quidem Christo in eis loquente, vt inquit Paulus: An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur, Christi?* 2. Cor. 13. 3. *Ad hæc Apostoli baptizabãt aqua: Christus Spiritu sancto. Quod Ioh. Baptista testatur de se loquens,* Io. 1. 33. *Paulus reprehendens Corinthios, quod Baptismum suum iactarent; Nunquid* (inquit) *in Pauli nomine baptizati estis? nunquid Paulus pro vobis crucifixus est?* 1. Cor. 1. 13. *Hinc apparet, quantum Christus excellat omnibus Apostolis.* Hic est finis verborũ nostri Mediatoris. Si hæc scribit, quòd ita sentiat, apertè Arianus est. Christum enim puram facit creaturam. Si refert quid alij dicant, vel possint dicere: debuisset hoc ad finem saltem capitis significare, & se aliter sentire, protestari. Verum est librum non esse impressum: quæ causa est, cur nomini auctoris pepercerim: quia tamen descriptus in manu non paucorum peruenit: coactus sum, pro mea etiam virili parte, quæ refutanda erant refutare. De homine ipso spero meliora.

Cæterùm hactenus vidimus, quantum valeant Hæreticorum exceptiones, aduersus argumenta nostra & nostrorum, pro ὁμοουσίᾳ Patris, Filij, & Spiritus sancti. Proinde firmæ manent rationes, quibus demonstratum est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum ita esse ὁμοουσίους: vt non sint tres dii, sed vnus duntaxat essentia Deus.

Nunc aliquot ipsorum sophismata, contra hanc sanam orthodoxamque doctrinam, refutanda nobis sunt. Præcipua tantùm accipiam, ne nimis & inutiliter excrescat liber.

## CAPVT V.

### Responsio ad sophismata, quæ Tritheitæ ex aliquot Scripturarum locis malè intellectis adferunt, contra ὁμοουσίαν Patris, Filij & Spiritus sancti.

NOn minùs diligentes sunt Tritheitæ, in excogitandis sophismatis, ad euertendam (si Deo placeat) ὁμοουσίαν Patris, Filij, & Spiritus sancti: quàm fuerint in exceptionibus aduersus ea, quæ nos pro ὁμοουσίᾳ adferre solemus, inueniendis. Sed neque etiam minùs infeliciter ista cadent, quàm illæ ceciderunt: quippe quæ nihil habent firmitudinis. Quid enim aduersus veritatem firmum & stabile inueniri potest?

Adferunt autem primo loco testimonia sacrarum literarum, sed contorta. Deinde voces quasdam Ecclesiasticas, & Patrum auctoritates: sed perperam, & peruersè intellectas. Postremò humanas quasdam rationes, sed valde ineptas. Expediam me quàm citissime potero ex iis, quæ maioris momenti esse videntur. Reliqua sunt contemnenda.

Ac primùm quidem examinanda nobis sunt, quæ è scripturis adferunt testimonia, & deducunt argumenta.

I. Primum argumentum ducunt ex locis, in quibus legitur homo factus esse ad imaginem Elohim, & Iehoua, Genes. 1. 26. Legitur Elohim dixisse in plurali, tanquam multos alloquens: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Posteà verò ait Moses: *Et creauit* אלהים *hominem ad imaginem suam: ad imaginem Elohim creauit eum.* Vbique autem scriptura tradit, ad imaginem Dei Iehouæ creatum esse hominem. Sunt igitur multi dij Iehouæ.

Resp. Vitiosum est argumentum in forma. Si rectè componas Argumentum, facile apparebit eius fallacia. Argumentum tale est.

Illi, ad quorum imaginem creatus est homo, multi sunt: creatus est enim homo ad imaginem אלהים Et in plurali legitur dixisse אלהים, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.*

Atqui homo creatus est ad imaginem Dei Iehouæ: hoc passim docent scripturæ. Vtraque propositio vera est. Quid vero ex iis obsecro inferri potest? num, ergo multi sunt Dij Iehouæ? minimè: quia plus foret in conclusione, quàm in præmissis. Sed hoc optime infertur.

Ergo Deus Iehoua, ad cuius imaginem creatus est homo, est multi. Quomodo verò multi, si vnus & vnus Iehoua; & multi Elohim. Hoc autem quid aliud est, quàm vnum esse essentia (hoc enim significat Iehoua) & plures personis? hoc enim significat nomen Elohim, potentes, seu potentias, δυνάμεις. Vti etiam multæ sunt δυνάμεις animæ, & anima vna. Tantum igitur abest, vt hoc primum argumentum euertat nostram doctrinam, de vnitate essentiæ, & pluralitate personarum: vt eam potiùs stabiliat.

II. Secundum argumentum, à locis vbi duo videntur, aut plures nominari Iehouæ, inter se distincti, vt Gen. 19. 14. *Et pluit Iehoua super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, à Iehoua è cælis.* Iustinus etiam ex hoc loco probauit, præter patrem, Filium etiam esse Iehouam: in Dialogo cum Tryphone. Item Zachar. 2 9. Iehoua ait; *Et scietis quod Iehoua miserit me.* Est igitur ibi vnus Iehoua, missus: alter mittens. Et alia huiusmodi inueniuntur in scripturis.

Res. Primùm: Ex huiusmodi locis nil aliud potest cõcludi: nisi plures esse, qui vocentur nomine Iehouæ, & verè etiam sint Iehoua. Hoc verò damus; nam & pater mittens Iehoua est: & Filius missus Iehoua est. Sed non inde concludi vnquam poterit, esse igitur plures essentialiter Iehouas. Possunt enim esse, vt reuera sunt, plures personis, propter plures & diuersos subsistendi modos; vt non sit necesse inferre: Ergo plures sunt essentialiter seu essentiis. Alioqui quomodo cohærerent hi loci cum illo dicto, *Iehoua Elohenu, Iehoua vnus est*? Deut. 6. 4. Sed bene hoc modo conciliantur, si dicamus: Vnum esse Iehouam essentia, id quod propriè significat nomen Iehouæ: & plures esse personis, quæ indicantur nomine אלהים.

Secundò, ad locum Genes. Speciatim respondeo, ex doctissimi cuiusdam Interpretis sententia: non ibi duos Iehouas, sed repeti nomen eiusdem Iehouæ: vt significetur, Iehouam pluisse hunc ignem & sulphur immediatè per seipsum, extra ordinem naturæ. Quasi dicat, *Pluit Iehoua à Iehoua*: hoc est, à seipso à cœlis immediatè, non è nubibus; vt quum pluit ordinariè aquam. Videtur enim velle hac locutione innuere Moses; quum cœlum esset serenum, & nihil minus expectaretur quàm aliqua pluuia; derepentè pluisse de cœlo sereno ignem & sulphur: Ita nihil iste locus ad probandos plures Iehouas facit. Sunt tamen qui velint, ibi esse metonymiam, vt cœlum nomine eius, cuius sedes & domus esse dicitur, appelletur. Sicut quum dicimus, Venio à Consule: id est, à domo consulis. Pluit ergo Iehoua à Iehoua: hoc est, è cœlo. Quanquam si cui placet Iustini Martyris sententia in Dialogo cum Tryphone: nempe hinc elici Filium, qui pluit & Patrem, à quo pluit: nihil tamen, vt dictũ est, concluserit contra ὁμοουσίαν Patris & Filij: Imò magis cõfirmârit. Nam de Iehoua simpliciter ait Moses Deut 6. 4. Illum vnum esse. Non dicit, primus Iehoua, aut altissimus, aut magnus Iehoua: sed simpliciter, *Iehoua Elohenu, Iehoua vnus est.* Atqui Pater est Iehoua: & Filius Iehoua, Genes. 19.

Zach.2. Pater igitur & Filius, vnus tantùm sunt Iehoua, non duo Iehouæ. Sed bis nominatur, quasi duo sint: vt significentur distinctæ personæ: quarum tamen quæque Iehoua est, & omnes simul vnus Iehoua.

III. Tertium argumentum à locis scripturarum: in quibus vnus ille, qui prædicatur Deus, dicitur apertè esse Pater: Malach.2.10. *Vnus est Pater omnium*. Item Io.17.3. *Vt cognoscant te* (Pater) *esse solum illum verum Deum*, hoc est, Iehouam. Item 1. Corint.8.6. *Nobis autem vnus est Deus, qui est Pater à quo omnia*. Et Ephes.4.6. *Vnus Deus & Pater omniū*. Hos enim quatuor præcipuos locos vrgent aduersarij. Sic igitur argumentantur.

Ille vnus Deus, qui prædicatur in scripturis, est Pater tantùm: vt ex suprà citatis locis apparet.

Ergo cùm etiam Christus sit Deus, & Spiritus sanctus Deus; non pugnat cum scripturis, neque inter se, dicere: & vnum esse Deum, nempe Patrem: & plures: nempe præter Patrem etiam Filium, & Spiritum sanctum.

Resp. Ad hoc argum. sæpenumerò fuit à nobis responsum, & talia scripturæ loca explicata. Præsertim in refutationibus sophismatum, aduersus Deitatem Filij loco noui Testamenti 23. ex Iohan.17. Item loco 28. ex 1. Corinth.8. videantur quæ ibi sunt dicta. Præter illa tamen nolo grauari, etiam in præsentia breuiter ad argumentum respondere. Principio antecedens negatur. Ad loca verò scripturarum, quibus illud confirmare nituntur, respondemus: torqueri scripturas, & ὁμωνυμίας admitti. Pater enim aliquando simpliciter accipitur, pro toto (vt ita loquar) Deo, seu pro ipso Iehoua, tam Filio & Spiritu sancto, quàm Patre. Sæpissimè verò pro persona prima, quæ Pater Christi appellatur, & est. Iuxta priorem significationem accipitur Malach. 2. *Vnus est Pater omnium*: non dicit Pater Christi, sed, *Pater omnium*. Dicitur autem Pater omnium, quia omnium creator & gubernator est. Tam Filius autem est creator & Spiritus sanctus, quàm pater, vt ante ostensum est. Et sic sæpè apud Prophetas accipitur. Sic etiam ad Ephes.4. *Vnus Deus & Pater omniū, qui est super omnia*: suo scilicet absoluto summóque imperio. At etiam Filius super omnia. Io.3.31. *Et per omnia*: sua scilicet vniuersali prouidentia per omnia diffusus. Rom.9.5. At etiam Christus omnia agit Heb.1.3. *Et in omnibus vobis*: Coniunctione & inhabitatione, per suum Spiritum. Est autem in nobis etiam Filius cum Patre: Io.14.23. Ita apparet, hoc dictum Apostoli ad solam Patris personam non posse restringi.

At antea dixerat de Christo: *Vnus Dominus*.

Ibi loquutus est de Christo tanquam de Mediatore, & redemtore, qui factus est omnium Dominus: vnde apud Matt. *Data mihi est omnis potestas*. Math.28.18. In Act. *Et fecit illum Dominum*, Act.2.36. Hic autem versu sexto eum, vt Deum, complectitur sub nomine vnius Dei, & Patris: hoc est, creatoris, & conseruatoris, rectorísque omnium. Atque hoc diligenter notandum est in illis locis, in quibus primùm Deus nominatur, vel absolutè, vel etiam cum expresso nomine Patris: deinde verò additur nomen Domini, atque hoc datur Christo. Solét enim Apostoli sub nomine Dei & Patris, ipsum quoque Filium nonnunquam cõplecti. Nomine verò Domini, ipsum Christum, quatenus Mediator & seruator est, indicare. Sed circumstantiæ locorum hoc docebunt. Ita etiam locum ad Corinthios possumus interpretari: *Nobis autem vnus est Deus, qui est pater*. Idolis enim & falsis dijs multis opponit vnum & verum Deum. Vnum: quum ait: *Nobis vnus est Deus*. Verum: quum ait; *Qui est Pater*, hoc est, creator, *à quo omnia*: nempe etiam idola ipsa si spectes substantiam. Sic enim solet Deus sese describere vt verum Deum: nimirum à creatione omnium. Contrà verò deridere falsos Deos hoc nomine, quia sunt formati ab hominibus. Est autem manifestum, ipsum etiam Filium verum esse Deum, & creatorem omnium: eoque & Patrem. Quid igitur absurdi habet hæc interpretatio, si sub nomine Dei ipsum etiam Christum comprehendi ab Apostolo dicamus? Nam quod postea ait: *Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia*: Christum describit ab officio Mediatoris. Sic etiam hunc locum interpretati sunt Patres aliquot. Et hunc Dominum opponit omnibus aliis Mundi Dominis, & regibus ac seruatoribus: sicut suprà Deum nostrum omnibus aliorum diis. Certè constat, nomine Patris non semper intelligi in scripturis personam Patris, sed totum Deum ipsum Iehouam, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Sed etiamsi nollent aduersarij, hanc admittere significationem in locis suprà citatis; non vicerint tamen. Nam vt Patris nomine Patrē Christi intelligant semper: nunquam tamen obtinebunt, vt à Patris nomine secludatur Filius: sicut etiam à nomine Domini, quo nominatur Christus, non excluditur Pater: vt 1. Corinth.8. Damus enim, iuxta alteram significationem sæpissimè accipi nomen Patris pro Patre Christi: vt certè Ioh.17. intelligendus est, & alibi sæpissimè. In quibusdam autem locis Patrem Christi appellari vnum & solum Deum, facilè damus. Sed de intelligentia quæstio est. Aduersarij contendunt, ita vocari solum & vnum Deum, vt excludatur Filius, & Spiritus sanctus. Nos ita, vt nunquam ij excludantur: sed κατ' ἐξοχὴν tantùm sic appellari patrem contendimus, quia totius est Deitatis fons. Atque hac de causa Christum semper solitum fuisse, omnia ad patrem referre, & omnem illi gloriam dare. Examinentur nostræ & illorum rationes, & tunc patefiet, vtri melius interpretentur scripturas. Illi hac vna ducuntur ratione, ad sic interpretandas, vt interpretantur, scripturas: quia in iis locis pater vocatur solus, aut vnus Deus. Sed ad hanc facilis est responsio. Vnus enim & solus vocatur non alio sensu, quàm eo, quo etiam in veteri Testamento per Prophetas sese vocat vnum, & solum Deum: præter quem & extra quem non sit alius: quibus in locis Iehoua loquitur Iesa.44.6. & alibi. Quid est Iehoua? οὐσία. Siue igitur pater loquatur ibi, siue Filius: manifestum est, se vocare vnum extra quem non est alius: propter essentiam, quæ vna est. At sicut nec pater est extra Filij essentiam: ita nec Filius extra Patris, vna enim omnium est. Ac proinde Filius non est extra, & præter patrem: sed in patre: nimirum τῇ οὐσίᾳ. Neque est alius à patre Deus, sed idem. Ioha.14.11. Ergo neque in nouo Testamento, quum pater vocatur vnus & solus Deus, excludi ab hoc nomine potest aut debet ipse Filius. Et qui id facit, perperam interpretatur scripturas: quia non consentaneè cum aliis scripturis veteris Testamenti interpretatur. Nos verò præter hanc, quam iam dixi, aliis etiam cogimur rationibus, sic interpretari, quarum hęc non est postrema: Quod vnus tantùm est Deus verus, & Iehoua. Christus autem, vt scripturæ tradunt, verus est Deus & Iehoua. Ergo, quum Pater nominatur vnus & solus Deus: nō potest ita intelligi esse vnus & solus, vt excludatur Filius. Idem dico de Spiritu sancto. Ratio est: quia Pater sicut Deus dicitur, propter essentiam: sic etiam eiusdem essentia, quę vna est, vnus esse dicitur, & solus verus Deus: quia etiam sola eius essentia vera est diuina essentia.

Cùm igitur eadem sit & Filij: sequitur, non posse illum à nomine vnius veri Dei separari. Quare interpretatio nostra firma est & certa: quia consentanea est cum aliis scripturis, & cum analogia fidei. Hac explicatione respondetur ad omnia loca scripturarum, quæ citat Mediator alibi, & quæ citari possint aduersus hanc ὁμουσίαν, pro confirmando aduersariorum dogmate, solum Patrem esse illum vnum Deum, quem scripturæ prædicant. Adfert enim valdè multa loca sacrarum scripturarum, quibus conatur probare solum Patrem esse illum Deum, quem scripturæ vnicum proponunt: ac proinde Filium seorsum esse alium Deum: & ita Spiritum sanctum. Sed ad omnia illa vnica datur responsio: à Patre nunquam separari Filium, aut Spiritum sanctum. Patrem verò, si aliquādo solus vocatur Deus, sic vocari κατ' ἐξοχὴν: quia est principaliter Deus fonsque totius Deitatis. Item notandum est, in multis huiusmodi locis circumstantias addi, quibus indicatur, quomodo solus Pater dicatur Deus: nempe; solus ingenitus, & solus à quo verè omnia: quia Filius etiam, & Spiritus sanctus ab ipso sunt. Et ita nonnulli illum locum, qui est 1. Corinth. 8. *Vnus nobis Deus, qui est Pater à quo omnia*, (hoc est, nobis vnus tantùm est Deus, à quo omnia: & hic est Pater) *Et vnus Dominus, per quem omnia*, & hic est Christus, interpretantur. Quare sicut non excluditur Pater, quin sit Dominus per quem omnia: sic Filius non excluditur, quin sit Deus à quo omnia. His autem diuersis nominibus distinguūtur tantùm officia & personæ: non autem essentia. Quare, quod etiam Mediator contendit, post tot allata testimonia: Patrem solum esse αὐτόθεον, hoc sensu: quia ipse solus à seipso est, & nihil habet ab alio: Filius autem quicquid est & habet, totum habet à Patre, & est Deus de Deo: qua de causa omnia semper accepta fert Patri: totum hoc facilè damus. Sed vicissim ipse quoque fateatur, Christum etiam αὐτόθεον alio esse sensu: nempe quòd sit Deus per essentiam (sic enim loqui liceat explicandi causa) quæ essentia tametsi communicata est, omnis tamen principij expers sit: & tam sit à seipsa in Filio, quàm etiam est in Patre. Sic de vita. Filius enim quòd habeat vitam, habet à Patre. Io.5.29. Sed illa vita quia est eadem cum vita Patris, non est ab alio, sed à seipsa. Atque ita Christus est αὐτοζωὴ, & αὐτοζωή, sicut & Pater. Idem de essentia dico. Est itaque ipse quoque Filius hoc, quem explicaui, sensu, αὐτόθεος & ex consequenti, ratione huius essentiæ, quæ eadem est prorsus in Patre, & in Filio, Pater & Filius vnus tantùm sunt Deus.

Notan-

Notandæ etiam tres causæ, cur Christus omnia ad Patrem referre solitus erat. Primam adfert Mediator: ea fuit: quia vt Filius, Deus de Deo, omnia referebat ad fontem, vnde habet & est, quicquid habet & est. Secunda fuit: quia hoc postulabat officium Mediatoris. Ab eo enim missus fuit legatus ad nos. Tertia, quia homo. Omnia ergo ad Patrem, à quo omnia.

IIII. Quartum sophisma istud est. Christus Deus, Filius Dei passim appellatur. Deus igitur ex Deo genitus est. Vnde & Christus suum Patrem, suum etiam vocat Deum, Io. 20. 17. Ac proinde plures sunt dij.

Resp. Primam consequentiam admittimus: quatenus nomen Dei personaliter accipitur, vt Deus gignens sit Pater, & Deus genitus sit Filius. Sicut etiam Nicænum Conciliū vsurpauit, dicens: *Deum de Deo, genitum, non factum.* Neque enim Pater simpliciter est Deus, sed Deus gignens. Neque Filius simpliciter est Deus, sed Deus genitus. Deus autem simpliciter, est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, vnus atque idem Iehoua. Proinde alteram consequentiā negamus: nempe, plures igitur sunt Dij. Est enim argumentum à personis multis, ad essentias multas: quæ argumentatio vitiosa est. Et quatuor etiam constat terminis argumentum, propter variam significationem nominis Dei. Quum enim Christus dicitur Filius Dei item, Deus Deum genuit: nomē Dei non simpliciter Deum, sed Deum gignentem: & Deum genitum significat. Quum verò dicimus, multi sunt Dij: ibi Deum essentialiter capiunt aduersarij. Si igitur diceremus: Deus alium genuit Deum: sequeretur, plures esse Deos: quia essentialiter caperetur vocabulum Dei. Sed talem non damus locutionem.

V. Quintum sophisma ex Ioh. 17. 21. Christus ait Patri, de Apostolis, & fidelibus omnibus, *Rogo pro eis, vt omnes vnum sint, sicut & nos vnum sumus.*

Hinc liquet (inquiunt) non alia ratione Patrem & Filium esse vnum, quàm ea, qua & nos vnum sumus in Christo & in Patre.

Atqui nos non sumus vnum in Christo & in Patre, essentia: neque etiam inter nos: sed tantùm charitatis & Spiritus vinculo.

Proinde non aliter intelligenda sunt loca, quæ prædicant Filium & Patrem vnum esse, quàm ex hac præsenti regula, de vnitate amoris & consensionis.

Resp. Falsa est propositio. Particula enim καθὼς, qua vtitur Christus in hac precatione, non æqualitatis, sed similitudinis nota est, quando dicitur de Christo & de nobis. Neque enim nos sumus Deus, sicut Christus: sed creaturæ. Quanta autem distantia & dissimilitudo est inter Deum & creaturas? Quando verò de Christo dicitur & de Patre, æqualitatis est nota. Est enim vterque verus Deus. Quare nō eo planè modo Pater & Filius vnum sunt inter sese, quo nos sumus vnum cum illis. Sed præstantissimo modo, nempe essentia. Itaque sicut nos vnum sumus accidente, hoc est, gratia nobis donata, & vinculo Spiritus: ita illi vnum sunt essentia.

VI. Sextum argumentum ex Ioh. 5. 26. *Sicut Pater vitam habet in semetipso: sic dedit & Filio, vt vitam habeat in semetipso.* Non dicit, eandem vitam: sed *vitam*, nempe aliam numero, quanquam omninò similem, dedit Pater Filio, vt habeat in seipso: hoc est, à nemine pendētem, qualis est vita corporis, pendēs à vita animæ: sed in seipso, suapte natura & per se manētem, sicut etiam in Patre per se manet: qualis est animæ vita. Anima enim per se viuit. Duæ igitur sunt vitæ, non vna. Vna quidē, quam Pater habet in semetipso: altera verò, quam itidem habet Filius in semetipso, sed à Patre acceptam: alioqui non tàm haberet hanc in seipso, quàm in Patre, si non esset alia. Quid est autem vita hæc, nisi essentia per se viuens? In Deo enim non est aliud essentia, aliud vita, vt in nobis: propter perfectissimam illius simplicitatem. Duæ igitur sunt essentiæ: Patris vna: Filij altera.

Resp. Principiò respondere possem, hæc verba Christi extra proprium pertrahi sensum. Christus enim ibi loquitur de vita, nō qua propriè dicitur Pater, & ipse in se viuere: sed qua nos viuificat. Et quidem de seipso loqui Christum, non quà λόγος est apud Patrem: sed quà Deus est manifestatus in carne. Et hunc esse sensum, Patrem, cùm sit inuisibilis fons vitæ, ita vt ad eum nemini pateat aditus; vitam hanc, qua viuificandi sumus, posuisse in Filio, homine facto: vt qui ad eū accedunt, & fide eius verbis præstita in eum recumbunt, vitam ab ipso hauriant: sicut ipse Iohannes explicat, 1. Io. 5. 1. Quare de nulla re minùs hîc sermonem haberi, quàm de essentia diuina, per se viuente. Sed tamen ne videar nihil præterea habere quod respondeam: do aduersariis eā quam adferunt interpretationem, & in hunc respondeo modum. Primò quòd inferunt: Pater dedit Filio vitam: ergo aliam, non eandem quam ipse habet: Non sequitur. Etsi enim non apertè exprimit vocem, *eandem*, scilicet vitam: necessariò tamen subintelligenda est hæc vox. Ratio est: quia si non eādem dedit, sed aliam: vita esset creata & temporaria. Sola enim vita Dei increata est, & æterna. Non est autem Filius λόγος creatus, nec vita eius creata. Eandem igitur Pater dedit, quam & ipse habet. Id quòd etiam magis, ac magis confirmatur, si vitam accipias (vt simpliciter non improbamus) pro ipsa per se viuente essentia diuina. Non enim aliam, à Patris, essentiam accepit Filius, sed eandem, cùm hæc sola sit increata.

VII. A (inquies) ergo non tam habebit Filius in seipso vitam, quàm in Patre, si non sit alia, sed eadem vita. Non sequitur. Nam etiam lux, quam sol habet, & quam radius, eadem est in vtroque: & tamen tum sol, tum etiam radius eam habet in seipso: Et sua quisque ipsorum luce lucidus est, nō aliena. Deinde, quid tum, etiamsi dicamus, Filium vitam hāc habere & in seipso, & in patre? Hoc est enim quod Christus ait, Se esse in patre, & patrem in se: vnitate scilicet essentiæ. Io. 14. 11. Dicitur tamen propriè eam habere in seipso, quatenus ipse ea per se subsistit, & viuit. Atque ita quodam modo alia est, & alio modo non est alia: est alia, quia in alia est persona, non est alia, quia eadem plane est in patre & in Filio. Quare ex hoc loco concludi nullo modo potest vitam, eóque essentiam Filij, aliam esse numero à vita & ab essentia patris. Est enim vna, quia simplicissima, immensa, indiuisibilis. Imò contrarium ex hoc loco euincitur. Nam vna tantùm est res, quæ in semetipsa habeat vitam: seu vna tantùm est essentia, per se, & non ex alio viuens: & hæc est Deus. Omnes enim res aliæ viuētes vitam habent, non in seipsis, sed aliunde pendentem. Si igitur tam Filius quàm Pater vitam habet in seipso, quanquam à Patre acceptam: consequitur, Filium eandem esse essentiam, quæ & Pater. Reliqua quæ explicandi argumenti causa adiecta sunt, non improbo.

VIII. Argumentum septimum ex Ioh. 1. vers. 1. *In principio erat ὁ λόγος, & λόγος erat apud Deum:* hoc est, Patrem. Alius igitur ille λόγος, qui erat apud: & alius ille Deus, apud quem erat λόγος.

Resp. Alius persona: non autem alius essentia, & deitate. Nam ibidem ait Iohannes: *Et Deus erat ille sermo:* Imò eadem verba, *Erat apud Deum*, eandem docent vnitatem essentiæ. Non enim ita erat, & est apud Patrem Filius, vt sit ab eo separatus: sicut corpus est apud aliud corpus: & omnis res finita apud finitam. Sed ita est apud patrem, vt sit in patre, & in sinu patris. Quomodo? οὐσίᾳ, vsque adeò vt sit vnum cum Patre. Ioh. 14. 11. & 1. 18. & 10. 30.

## CAPVT VI.

### Refutatio sophismatum, quę aduersus sanam de ὁμοουσίᾳ doctrinam, ex humana ratione, & vocibus Ecclesiasticis adferunt Tritheitæ.

A Potentia generandi. Si Pater & Filius vnius & eiusdem essent οὐσίας, eóque vnus Deus: essent etiam vnius & æqualis potentiæ. Atqui non sunt. Pater enim potuit generare, & genuit Filium. Filius autem non potest generare. Non igitur eadem vtriusque potentia: quare nec οὐσία.

Resp. Propositio vera est. Assumptio negatur: probatio assumptionis nulla est. Assūptio enim est de potentia illa, quę idem est quod essentia, sine respectu ad certam personā: seu de potentia essentiali, non personali. Est enim Deus potens sua essentia. Probatio autem de potētia est personali: seu de potētia cum respectu ad personā: nempe γεννητικῇ quæ propria est Patris. Generare enim non est potentiæ simpliciter, sed potētiæ personalis: hoc est paternæ. Nam proprietas Patris est, posse generare & sua substantia Filium: sicut contrà proprietas Filij est, generari, & posse generari: quia illius est proprium sese communicare, huius verò omnia à Patre accipere. Proinde non sequitur, Filiū Deum esse minoris potentiæ, quàm pater sit. Nā quà Deus est, eadē est vtriusq; potētia, sed quà Filius est, propriū eius est, generari ex Patre: Patris verò, generare. Alioqui, si propterea dixeris Filium minoris esse potētiæ: nos quoq; cōcludemus, Patrem nō esse æqualis & eiusdē potentiæ cū Filio: quoniam Filius potuit generari: Pater autem minimè generari potest. Nō igitur ad essentialem potentiam, sed ad personalem, certæque personæ, hoc est, Patris propriam, refertur verbum generare. Quare vitiosum est argumentum, quum à proprio cuiusque personæ, ad essentiam omniū communem (est autem essentialis potētia

communis omnium essentia) argumẽtamur. Atque hinc apparet, cur dicamus, Patrem non generasse Filium, quà Deus est, sed quà Pater est: nempe, quia generare potentia & proprietas est personalis, non autem essentialis potentiæ. Alioqui ipse quoque Filius posset generare : imò genuisset seipsum. Fallacia est igitur quodammodo accidentis : quia quod est proprietatis personalis, assumitur pro essentiali potentia. Alij respondent ad argumentum alia ratione: sed eodem recidit illorum etiam responsio. Nostra, vt puto, clarior est. Ac sic in summa respondet Ambrosius de fide ad Grat. Lib. 4. c. 4. *Generatio*, inquit, *in paterna est proprietate, non in iure potestatis.*

II. Sed instant. At si Filius non hanc etiam à Patre accepit proprietatem, nempe, vt possit generare Filium: non accepit omnia, quę Pater habet. Accepit autem omnia. *Omnia quæ habet Pater, mea sũt.* Ioh. 16. 15. Verũ nihil dicunt. Filius enim accepit omnia, quæ poterant accipi: hoc est, quæcunque ad essentiam & Deitatem pertinent: ita vt vnus sit cum Patre Deus. Nam hæc sola potuerunt à Patre Filio communicari. At verò proprietates personales communicari non possunt: alioqui proprietates non essent. Sic neque generari potest Patri communicari.

At igitur (inquiunt) non est æqualis Patri Filius. Æqualis est natura, essentia, Deitate: non proprietate. Et huius respectu Basilius ait, Patrem maiorem esse Filio: nempe, quà Pater est & quà genuit Filium, principiúmque est & fons totius deitatis in Filio. Non enim sic est Filius. Sed hæc nihil impediunt, quò minùs æquales sint essentia , eóque vnus Deus. Alioqui, vt dictum est, etiam Pater diceretur minor Filio, quia generari non potest, & esse Filius. Fons etiam generat fluuium, non fluuius fontem. Et lux splendorem, non splendor lucem. Et sol radium, non radius solem. Et tamen omnes isti eiusdem sunt naturæ, & ea natura æquales. Proinde Theologorum regula quia verissima, notanda est, nempe: *Quæ naturam & essentiam diuinam simpliciter & absolutè consequuntur, ea omnia Pater Filio, cum essentiæ communicatione, communicauit.* Sed proprietatem suam, & quæ illam per se consequuntur, Pater non communicauit, quia communicari non possunt. Alioqui Pater fieret Filius, & Filius Pater.

III. Sophisma secundùm eiusmodi est. Quæ vnius sunt naturæ, ea non sunt vnum numero, sed multa : vt, Petrus & Paulus vnius sunt naturæ humanæ : ideò non vnus sunt homo, sed plures. Ergo si Pater & Filius vnius sunt naturæ diuinæ, duo sunt Dij, non vnus Deus.

Respon. Falsum est antecedens. Et Paralogismus est non causæ vt causæ. Non enim ideò Petrus & Paulus sunt duo homines, quia vnius sunt naturę. Imò hac ratione sunt vnus homo, natura scilicet: sed propter materiam plures sunt : & quia cùm sint finiti, vnus ab altero disiunctus est: & diuersis sunt in locis: diuersæ illorum voluntates: diuersæ operationes. *Ibi enim plures sunt* (ait D. Ambrosius) *vbi aut naturæ, aut voluntatum, aut operationum est differentia.* In Patre autem, & Filio, & Spiritu sancto, nulla est differentia οὐσίας, voluntatis, πράξεως. Clariùs dico: Ibi non est vnitas, vbi est diuersitas. Contrà, vbi nulla est diuersitas, ibi vnitas est summa. Exemplis declaro. Inter homines, quoad naturam, nulla est diuersitas : idcircò ratione naturæ, omnes homines sunt vnus homo: & sic testatur scriptura, quum sæpè nomine vnius hominis, omnes intelligit homines. Vt: *Quid est homo, quòd memor es eius? Psalm.* 8. 5. Item : *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.* Psalm. 55. 5. Quia verò quod ad alia attinet, inter nos magna est diuersitas : idcirco plures homines non sunt vnus homo. Ita inter quorum voluntates, & amores, nulla est diuersitas : ij dicuntur vnum esse, nempe non simpliciter, sed vnitate consensionis, voluntatis, amoris: vt de fidelibus legimus: *Erat illis anima vna, & cor vnum:* Actor. 4. 32. non simpliciter, & ἑνωθεῖς: sed in Deo: consensione scilicet, pietatis, voluntatis, amoris. Qualis enim est consensio, atque ἕνωσις, talis est ἑνότης: & qualis diuersitas, talis pluralitas. Atqui inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum nulla planè est diuersitas, nisi personalis, quatenus Pater generat, Filius à Patre generatur, Spiritus sanctus procedit ab vtroque. Hinc itaque efficitur, omnes hos tres vnum omninò esse, quoad omnia essentialia : nempe, quoad essentiam, potentiam, voluntatem, maiestatem, gloriam. Plures autem, respectu duntaxat personarum. Quare vnus sunt Deus essentia, & rebus omnibus essentialibus: plures autem personis duntaxat. Generalis enim & perfectissima vnitas, quæ scilicet omnia complectitur essentialia, in Deo tantùm est. Particulares autem & imperfectæ, quæ scilicet aliquarum sunt rerum, inter homines etiam & alias res creatas reperiuntur. Ita fit, vt solus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sint verè & essentialiter , & perfectè vnũm : hoc est, vnus Deus. Hæc in summa ex Ambros. de fide ad Grat. Lib. 5. cap. 2. Ideò concludit, in Deo esse ἑνότητα, vnitatem: non autem μονότητα, singularitatem. ἑνότης enim ad naturam seu essentiam. μονότης ad personam pertinet. Est enim vna οὐσία in Deo: non vna singularis persona.

IIII. Sophisma 3. tale est. Si Filius esset verè ὁμοούσιος Patri, eóque vnus tantùm cum Patre Deus: esset vtique, & semper fuisset ita inuisibilis, incõuertibilis, immutabilis, perfectus, semper idem, sicut & Pater. Quia enim eandem penitus habet naturam & essentiam : omnia etiam, quæ ad eandem pertinent essentiam, habeat necesse est. Atqui Filius non semper fuit ita inuisibilis, immutabilis, & semper idem, sicut Pater: Patet enim sẽper fuit inuisibilis, & est. Ideò ait, *Non videbit me homo, & viuet.* Exod. 33 20. Filius autem etiam ante incarnationem visibilem se præbuit. Apparuit enim Patribus, & cum illis familiariter versatus est. Pater etiã semper idem mansit. Filius non semper idem. Carnem enim assumsit, & factus est, quod non erat. Et alius natus est ex virgine, quàm quum in illam ingressus: Ingressus est Deus tantùm, natus inde Deus & homo. Imò suam deitatem deposuisse videtur ex illo Apostoli dicto, *Cùm in forma Dei esset, exinaniuit seipsum.* Phil. 2. 6. Non potest igitur ita ὁμοούσιος esse Patri: vt sit vnus cum Patre Deus.

Respond. Vt summatim respondeam ex Patribus, & præsertim ex Ambrosio : Negatur assumtio. Ad probationem respondetur distinctione. Distinguendum est inter naturam diuinam , qua Patri per omnia æqualis est Filius: & inter ea , quæ extrinsecus sibi assumsit. Ad naturam & essentiam quod attinet : perinde inuisibilis & immutabilis semper fuit, & est Filius: atque etiam Pater est. Quis enim vnquam essentiam Filij vidit? Quis mutatam esse dicet? Huc spectat illud Salom. Prouerb. 30. ver. 4. *Quod nomen Filij eius, si nosti?* Ad alterum quod attinet : principiò, in veteri Testamento varias assumsit creaturarum species, in illísque apparuit Patribus, ídque quia voluit. In quem verò finem? non vt suam essentiam redderet spectabilem , quæ inaspectabilis est, sed vt pro humano captu, qualis sit sua & Patris erga homines voluntas, beneuolentia, φιλανθρωπία significaret. At hoc modo ipse etiam Pater, si voluisset, potuisset sese conspiciendum præbere. Verum est: sed noluit ipse: voluit autem Filium hoc fecisse: quia non Pater, sed Filius Mediator iam erat: & futurus erat homo. Cęterũ illę variæ species & figuræ, quibus sese visibilem præbuit Filius: nõ euincunt Filium in sua natura fuisse visibilem, mutabilem ac conuertibilem , potuit enim illas assumere, & reuera assumsit, citra vllam suæ essentiæ mutationem: vt est ad Heb. ex Psal. Hebr. 1. 12. Psalm. 102. 28. *Mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es , & anni tui non deficient.* An non & nos sæpe noua assumimus vestimenta? num ideò sequitur non esse mutatos vel natura, vel persona, vel qualitate, quia mutauimus vestes? Aut ideò animam nostram esse visibilem, quia corpus sibi habet adiunctum, per quod suas exerit vires, & quasi se sensibilem præbet? Minimè verò. Imò etiam Angeli sępè in figuris humanis visi sunt Patribus : nunquam tamen aliquis dixit, aut facilè dixerit, eos fuisse & esse visibiles natura, substãtia, qualitatibus proprijs. Quantò minùs id dici potest aut debet, de omniũ Angelorum cõditore, Filio Dei Patris, Iesu Christo: qui vt hoc illi possint, Angelis præstitit? Qui sese spectabilẽ reddit in speculo, dum illud sibi ante oculos proponit, vt sui cõspiciatur imago, nũquid suam mutat substantiã? Minimè: imò neq; ea videtur, sed imago. Multò minùs id in Filio Dei imaginari debemus, quum apparuit in illis spectris seu speculis. Vt igitur non mutatur: imò neque videtur substantia vultus, qui resplendet in speculo, sed imago illius tantùm repræsentatur: Ita essentia Filij neque mutata, neque visa est : quum in humana forma, ceu in speculo quodam, sese quasi videndam & palpandam præbuit Patribus. Quod verò ad incarnationem attinet, per quam Deus manifestatus est in carne: assumsit quidem λόγος sibi humanam naturam ὑποστατικῶς, sed tamen neque illa carnis assumtio argumento esse potest , mutatam fuisse naturam & substantiam Filij, quà Deus est. Ratio est, quoniam quod erat, non dimisit: sed quod non erat, assumsit.

V. At factus igitur est alius: quia cùm tantùm esset Deus, factus est etiam homo.

Aliam quidem naturam assumsit, quam non habebat: sed neque alius, neque aliud factus est ab eo, quod erat: respectu scilicet subiecti. Nam nec persona mutata est, nec essentia: assumtione alterius naturæ. Ita mansit immutabilis, vt & Pater. Sicut enim diuinitas in carnem mutata non est: ita nec caro in deitatem conuersa.

Quòd verò Apostolus ait Philip. 2. 6. *Semetipsum exinaniuit:*

*tur.* Non sic intelligendum est, quasi suam deitatem aut aliquid suæ deitatis exuerit: sed quod seposito interim per quandam dispensationem, maiestatis suæ honore, & æqualitate cum Patre, humanam assumpserit carnem, vt eam pro peccatis nostris offerret Patri in odorem suauitatis. Simili, quod dico, illustro. Sol, quum nube tegitur: lux & claritas eius comprimuntur: non autem cæcatur, aut mutatur. Et lumen illud, quod toto orbe diffusum, claro splendore cuncta perfundit: paruo admodum nubis obstaculo includitur, non aufertur, aut in se imminuitur. Sic caro, quam assumpsit Christus, Filius Dei, Deus: deitatem in Filio non intercepit, neque mutauit: sed instar nubis vtcunque abscondit. Vnde & Apostolus ad Hebræos eam vocat velum. Hebr. 10. 20. Atque id etiam ob nostram fecit vtilitatem. Quia enim præ imbecillitate oculorum nostrorum, non poteramus Deum facie ad faciem intueri: idcirco hanc suam diuinam essentiam in Filio, velo carnis ita obduxit, vt per hanc carnem sese quodam modo aspectabilem, per sua scilicet effecta redideret: ita vt in facie Iesu Christi, Deum videre possimus. Deum, inquam, non essentiam ipsam, sed naturam: nempe, quam potens, quam bonus, quam misericors, quam *φιλάνθρωπος*. Atque hoc voluit dicere Christus, quum dixit, Iohan. 14. 9. *Qui videt me*, hoc est, qui spectat, qualis ego sim: *videt & Patrem*, hoc est, videt qualis sit Pater meus: prout sese in Scripturis depinxit: præsertim Exod. 34. vers. 6. Nihil vero gloriæ Deitatis Christi immutatum fuisse, ex hoc assumptio carnis velo, docuit ipse Christus, quum transfiguratus est, in monte sancto, Matth. 17. Tunc enim quia voluit, permisit gloriæ suæ splendorem, quasi lucem solis, discussa nube, Apostolis innotescere. Latebat igitur sub carnis velo, Deitas Christi non secus atque solis lux, sub nube: idque ob nostram salutem. Vt enim in solem ipsum intueri, oculósque defigere nequimus, nisi aliqua tectum nubecula: Ita faciem Dei, diuinámque essentiam, quæ lucem habitat inaccessam, 1. Tim. 6. 16. imo quæ lux est immensa, videre non poteramus, nec possumus: nisi in facie Iesu Christi, peplo carnis nostræ contectam. Quare vt propter nubem, qua obtegitur Sol, nil in sole immutatur: ita neque propter species humanas, sub quibus in veteri Testamento Patribus: neque propter carnem assumptam, in qua nobis manifestatus est Deus, Dei Filius: vlla in ipso facta est mutatio. Similis igitur per omnia semper mansit Filius Patri: ac proinde vere *ὁμοούσιος*.

VI. At hinc 4. fortius firmiúsque oritur argumentum: nempe ab incarnatione Filij: ad oppugnandam *ὁμοουσίαν*. Sophisma hoc vetus est Arianorum: à Scholasticis tractatum, & à nouis Arianis resumptum & amplificatum.

Si vna est & eadem Patris & Filij essentia (inquit Mediator) profecto incarnato Filio, incarnatus est & Pater.

Atqui non est incarnatus Pater. Ergo, &c.

Respond. Ad maiorem negatur illatio ex illa hypothesi. Et fallacia est, non causæ vt causæ. Vnitas enim essentiæ causa non est, nec esse potest, vt quod sibi assumit vna persona, altera etiam sibi assumat. Exemplis & similibus declaro. Spiritus sanctus assumpsit sibi speciem columbæ & in ea apparuit in baptismo Christi. Item assumpsit sibi formas linguarum ignearum: & in iis apparuit super Apostolos. Sequitur ne, si vna est Patris, Filij & Spiritus sancti essentia: ergo tam Pater, & Filius assumpserunt sibi illas species quàm Spiritus sanctus? Item sequitur ne hoc: si vna est omnium essentia: ergo tam Filius & Spiritus sanctus locuti sunt, & dixerunt: *Hic est Filius meus dilectus*: quàm Pater? Item hoc: Filius solus Patribus apparebat in variis formis: & Angelus Iehouæ vocabatur. Ergo si vna est trium essentia: tam Pater & Spiritus sanctus apparebant & erant Angelus Iehouæ, quàm Filius? Item: Missus est Filius e cœlo à Patre, & Spiritus sanctus missus à Patre, & à Filio: num igitur inferre licet: Si vna est omnium essentia: tam Patrem à Filio, & Spiritu sancto missum esse, quàm Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque missi fuerunt? Minime veró. Ergo vnitas essentiæ causa esse non potest: vt aut quod proprium est vnius personæ, aut quod sibi assumit vna persona: idem in alteram quoque competat.

VII. At (dices) allegare inconueniens, non est soluere argumentum. Nam istis omnibus vtimur pro argumentis ad probandum, non esse vnam omnium *οὐσίαν*. Similis igitur nostram responsionem illustramus. An non anima humana, non tantùm est essentia? Est. An non hæc vna essentia, vna est & eadem trium facultatum, nempe intelligentis, scientis, & vegetantis essentia? Maxime. An non etiam verum est, facultatem intelligentem, phantasmata à sensibus accipere, & ratiocinari? omnino. Sequiturne tamen, quia vna est omnium harum trium facultatum essentia, idcircò quòd facit facultas intelligens, idem etiam præstare facultatem vegetantem, & contra? nequaquam. An non etiam vna est omnium exteriorum sensuum in homine essentia, nempe anima? Et omnium *ὀργάνων*, vna quasi essentia, nempe corpus? est. Num ergo, quia oculi videndo colores, species colorum e corporibus coloratis intra se recipiunt: inde sequitur, idem facere reliquos sensus? minime veró. Ergo neque consequens est, si vna est Patris & Filij essentia, incarnato Filio, Patrem quoque incarnatum esse. Et liquidò apparet, rationem à nobis allatam esse certissimam: nempe, quia vnitas essentiæ non efficit, vt aut quod vnius personæ proprium est, aut quod vna persona sibi assumit: idem in alteram quoque competat.

At (inquies) non loquitur hîc de proprietatibus personalibus, sed de opere ad extra, vt vocant: vt est, assumere carnem. Opera autem Dei ad extra, communia sunt tribus personis, & indiuisa. Et ideò sunt communia & indiuisa, quia vna est omnium essentia. Optime ergo efficitur, si vna est omnium essentia, incarnato Filio, incarnatum esse & Patrem; atque ita, si passus est Filius; passum esse etiam & Patrem.

Propositio vera est de operibus, quæ mere sunt ad extra, hoc est, extra personas ipsas diuinas. Vt sunt res omnes creatæ, quatenus per se, non autem in aliqua persona diuina subsistunt. At incarnatio non fuit simpliciter, & eo quo dictum est modo, opus ad extra, sed tantùm ex parte, & *κατά τι*. In incarnatione enim duo consideranda sunt. Vnum quidem, ipsa animæ & corporis creatio in vtero Mariæ. Opus hoc ad hunc duntaxat modum consideratum, opus fuit mere ad extra: ac proinde commune Patris, Filij, & Spiritus sancti. Atque hoc modo opus hoc non propriè incarnatio, sed creatio fuit. Alterum est ipsa perfecta, consummatáque animæ, & corporis vnitio in persona & cū persona Filij. Et hæc propriè incarnatio fuit, & dicitur, quatenus scilicet hæc humanæ naturæ in vtero virginis à tribus personis creatæ assumptio, in ipsa Filij persona terminata fuit, atque perfecta. Solus enim *λόγος* est factus homo. Proinde incarnatio solius est Filij. Hoc est quod Scholastici dicunt inchoatiuè, & terminatiuè. Non quòd in Patre inchoata sit incarnatio, & in Filio terminata, sed quòd tam Pater, & Spiritus sanctus, inchoârunt hanc vnionem in Filio, quàm Filius ipse, sed in solo Filio sit terminata. Hæc igitur vnio hypostatica, seu copulatio creatæ animæ & corporis cum *λόγῳ*, hunc in modum considerata, non fuit opus mere ad extra, seu extra omnem personam, sed quodãmodo ad intra, quia anima illa & corpus, nunquam per se subsistierunt extra personam Filij, sed in eius semper persona. Ac proinde non fuit opus commune omnibus personis; sed proprium Filij. Fuit enim vnita anima & corpus Filio, non quatenus Filius essentia est diuina, vna & eadem cum essentia Patris, & Spiritus sancti, sed quatenus Filius persona est, à Patris, & Spiritus sancti personis distincta. Manet igitur firma nostra responsio: fallaciam esse non causæ: propterea quod vnitas essentiæ, sicut causa quidem est, vt creatio animæ & corporis Christi sit opus commune Patris, Filij, & Spiritus sancti: ita causa esse nō potest, vt eiusdem animæ & corporis assumptio communis sit Patri & Spiritui sancto. Quandoquidem ea fuerunt assumpta, & copulata Filio duntaxat: quatenus persona est, à Patre, & à Spiritu sancto distincta.

VIII. At (inquiunt) quæ de essentia diuina prædicantur: ea ex æquo de singulis personis prædicantur: propterea quòd vna est & eadem personarum omnium essentia. Vt: Quia de essentia prædicatur, quod sit æterna, immensa, omnipotens, per se bona & viuens: idcircò etiam nō tam Pater dicitur æternus, immensus, &c. quàm etiam Filius & Spiritus sanctus. Atqui incarnatio prædicatur de essentia diuina. Dicimus enim Deum, Iehouam, & essentiam diuinā incarnatam esse. Licet igitur dicere, Patrem incarnatum esse.

Maior sic intelligenda est. Quæ de essentia diuina prædicantur, nempe per se, & respectu diuinæ essentiæ: ea ex æquo de singulis personis prædicantur. Et talia sunt, quæ subduntur exempla. Sed negatur (vt ad Minorem respondeamus) hoc modo incarnationem de essentia diuina prædicari. Propter Filium enim incarnatum, non autem simpliciter & per se, dicitur etiam in genere, essentia diuina esse incarnata. Quare per se, Filius dicitur incarnatus: per aliud autem, seu alterius respectu, dicitur essentia incarnata. Idem de apparitione in columbæ specie: item de manifestatione in voce: *Hic est Filius meus dilectus*; dicendum est.

At instat Mediator, & ait: *Cùm eadem numero vtriusque*, Patris scilicet, & Filij *sit essentia*: *profecto Filij essentia incarnari nequit, nisi & Patris essentia incarnetur. Quòd si Patris*

*essentia eadem est cum Patris persona:* ( vt quidem vnam esse dicunt )*essentia Patris incarnata, personam Patris incarnari concedi oportet.*

Quo melius intelligatur sophisma, quod in iis latet verbis notandum est, hic duo contineri enthymemata. Primum tale est.

Eadem numero est Patris, & Filij essentia.

Ergo, si Filij essentia incarnata est: Patris etiam essentia incarnata sit, oportet.

Negatur consequentia. Etsi enim vna est, & eadem diuina essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti: tamē cum dicis, essentiam Filij, aut essentiam Patris: essentiam hanc omnibus communem, & eandem, ad certam contrahis personam: Ita vt, quum dicis, essentiam Patris, nil aliud intelligamus, intelligereve possimus, nisi Patrem ipsum: seu essentiam, quatenus est in Patre, non in Filio. Sicut etiam, licet vna & eadē sit essentia intelligentis, & sentientis facultatis: hoc est, vna anima: tamen quum dicis essentiam facultatis intelligentis, quid aliud dicis reapse, quàm facultatem ipsam intelligentem? Est autem manifestum e Scripturis, solum Filium esse incarnatum. Non igitur simpliciter concedi potest consequentia hæc:

Eadem numero est Patris, & Filij essentia.

Ergo si essentia Filij incarnata est: Patris etiam essentia incarnata sit, oportet.

Est enim perinde, ac si dicas: Filius incarnatus est: ergo & Pater. Quare? quia eadem est vtriusque essentia. Est hoc argumentum simile huic. Facultas animæ intelligens, eoque anima ipsa intellectiua, varia assumit phantasmata, & ea intra se voluendo ratiocinatur.

Ergo idem facit etiam sensitiua.

Quia eadem est vtriusque essentia, nempe anima. Vis adhuc melius videre fallaciam? Ex Enthymemate facias syllogismum: assumta generali propositione: in hunc modum.

Quicquid est anima humana, illud assumit phantasmata, & ratiocinatur.

Atqui pars sensitiua aut vegetatiua est anima humana. Ergo, &c.

Quis non videat maiorem esse falsam? Ita hic:

Quicquid est essentia diuina, illud est incarnatum.

Atqui non solum Filius: sed etiam Pater est essentia diuina. Ergo, &c.

Paralogismus igitur est ex ignoratione Elenchi: & propositio falsa est. Hinc facile apparet solutio ad alterum Enthymema. Est autem hoc.

Patris essentia eadem est, cum Patris persona.

Si igitur essentia Patris incarnata est: Patris etiam persona incarnata sit oportet:

Primò, Patris essentia non est idem, cum Patris persona simpliciter: Patris enim essentia est etiam eadem & tota in Filio: persona autem Patris, non est in persona Filij: nisi per essentiam. Non sunt igitur idem simpliciter Patris essentia, & persona: sed tantum reapse seu realiter, non autem τῷ λόγῳ, & definitione. Deinde essentia Patris incarnata est: non quatenus Patris est. & in Patre: sed quatenus in Filio est, per generationem communicata.

IX. Sed vrget adhuc hoc argumentum Mediator: & contendit ex incarnatione Filij, necessariò alterutrum consequi: nempe, aut etiam Patrem incarnatum, si vna sit Patris & Filij οὐσία: aut, si illud est absurdum: aliam igitur esse οὐσίαν in Filio, quæ sit incarnata: & aliam in Patre, quæ non sit incarnata. Filius enim incarnari non potuit, quin tota eius οὐσία sit incarnata. Si autem est eadem cum Patris οὐσία: Patris igitur etiam οὐσία, incarnata est. Quid est autem οὐσία Patris, quàm Pater ipse? Ac post recitatas multorum Scholasticorum, Thomæ, Durandi, Scoti, Ocami responsiones, ac distinctiones: Tandem probat dictum Aquinatis in 3. parte: quæstion. 3. articul. 4. ad Secundum: Nempe: *Tota natura diuina dicitur esse incarnata: non quia sit incarnata in omnibus personis: sed quia nihil deest de perfectione diuinæ naturæ, ipsi personæ incarnatæ.* His subiicit Mediator. *Quid autem explicatiùs dicere potuit?* Abutitur autem hac Thomæ responsione: tanquam nouo argumento, ad probandum duas esse numero essentias Patris, & Filij. Sic etiam interpretatur verba Thomæ: Quasi Christus non alio modo totam habeat οὐσίαν diuinam: quam etiam dicitur, totam assumpsisse humanam naturam. Audiamus Mediatorem. *Ita enim* (inquit) *mihi dicere de tota natura diuina videtur, quemadmodum si quis totam naturam humanam à Filio Dei assumptam diceret: non quòd sit assumpta omnium humanarum personarum: sed quòd nil deest de perfectione naturæ humanæ assumptæ. Si igitur natura diuina non in omnibus personis est incarnata: sed in solius Filij persona: aliam in Filio, aliam in Patre, & Spiritu sancto esse oportet. Quandoquidem incarnatio illius est: non istarum. Neque igitur essentia diuina, nec Deitas ipsa, eadem est Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Hæc Mediator. Sed facit iniuriam Aquinati, dum ita illius verba contorquet: quasi senserit Thomas, non alia ratione diuinam totam essentiam esse in Filio: atque etiam tota humana natura, in eodem esse dici potest: propter perfectionem humanæ naturæ assumtæ. Cōstanter enim & vbique docet Aquinas, totam & eandem non specie, sed numero essentiam diuinam, esse in Filio: quæ & in Patre. Id quod etiam in eodē articulo quarto supra citato aperte docet: quum ait, ex Enchiridio Augustini: *Trium personarum est vna essentia.* Quomodo intelligit esse vnam? Numerò. Ideò enim mouet hanc quæstionem: vtrum vna persona possit sine alia persona, naturam creatam assumere: propterea quòd sentiebat, vnam & eandem esse numero essentiam: non autem quemadmodum vna est omnium hominum essentia, specie scilicet, non numero. Hoc enim modo, non fuisset opus, hanc tractare quæstionem. Quis enim non intelligat, posse hominem vnum, sine alio aliquid sibi assumere? Item ait ex Damasceno, *Totam diuinam naturam in vna suarum hypostaseon, incarnatam esse. Totam* (inquit) *vnam igitur & eandem nouit essentiam diuinam, non specie sed numero: in tribus esse personis.* Tertiò ait apertè, hanc esse communem tribus personis. Quare quod ait Thomas in responsione ad Secundum, Nēpe hæc verba, quæ sequuntur, *Dicitur autem tota natura diuina incarnata: non quia sit incarnata in omnibus personis: sed quia nihil deest de perfectione diuinæ naturæ personæ incarnatæ:* Nihil aliud sibi vult Thomas, quàm ideò dici totam incarnatam, non quia essentia in singulis personis sit incarnata: sed quia in Filio, in quo est incarnata, sit tota, & plane eadem: & ita perfecta, atq; est in Patre, & in Spiritu sancto. Quod igitur infert Mediator: Aliam esse in Patre, & aliam in Filio, essentiam, certè ex verbis Thomæ colligi non potest. Si verò hoc inde infert, quia natura diuina dicitur incarnata in Filio, non autem in reliquis personis: hoc perinde fuerit, atque si dicas:

Anima ratiocinatur in facultate intelligente, non autem in sentiente & vegetante.

Ergo alia anima est in facultate intelligente: alia in sentiente: alia in vegetante. Item:

Lux in radiis, percellit & calefacit terram: non autem in corpore solari.

Alia igitur lux est in sole: & alia in radiis. Item:

Anima informat oculos ad videndum, non autem pedes, aut manus: Ergo alia anima est in oculis, alia in pedibus.

Nos igitur quæstionem hanc iis tribus resoluimus, & expedimus capitibus, & dicimus: Primùm quidem, sicut eadem anima est tota in toto corpore: & tota in singulis partibus: imò sicut est tota in facultate intelligente, sentiente, & vegetante simul, tanquam in quodam toto. (Anima enim nihil aliud est, quàm hæ facultates, & tota in singulis iis facultatibus, tanquam in suis partibus: Sic eandem diuinam essentiam, esse totam in omnibus simul personis: tanquam in quodam toto: & totam in singulis, tanquam in essentialibus quibusdam partibus. Deinde, Sicut tota anima, assumit phantasmata, & ratiocinatur: non in facultate sentiente: sed tantùm in facultate intelligente: ita totam diuinam essentiam incarnatam esse, non in Patre, aut in Spiritu sancto: sed tantùm in Filio. Hoc est quod dicit Thomas, & bene. Tertiò: Ac sicut non sequitur: Anima in ipsa tantùm facultate intelligente, assumptis phantasmatis ratiocinatur: non autem in sentiente, aut vegetante: ergo alia anima est in vna, & alia in alia facultate. Ita etiam non sequi: Diuina essentia, incarnata est in Filio, non in Patre, aut Spiritu sancto: Ergo alia essentia est in Filio, alia in Patre. Quasi verò, exempli causà, non possit anima nostra in facultate intelligente, variis ornari & vestiri scientiis ( id quod in aliis facultatibus non potest consequi: ) nisi diuersa sit in hac facultate essentia, & anima, ab essentia aliarum facultatum. Si item facultas sentiens in corpore tota afficiatur dolore: tota certè anima afficitur: non tamen in intelligente, sed in sentiente duntaxat. Horum omnium vna est & eadem ratio, quam aliàs etiam declaraui: nempe, Quoniam, etsi eadem & tota diuina essentia est in Filio, quæ & in Patre: non est tamen ὅλως, totaliter, seu omnibus modis in vna persona. Est enim in Patre ἀγεννήτως: in Filio γεννητῶς: in Spiritu sancto ἐκπορευτῶς: hoc est, eadem in singulis essentia est, sed diuersi sunt modi, quibus in singulis subsistit. Quibus diuersis subsistendi modis diuersæ constituuntur personæ. Hæc est causa, cur dicamus totam diuinam essentiam incarnatam esse: sed non ὅλως, totaliter: propterea quòd incarnata est, quatenus in Filio est: non quatenus

tenus in Patre, aut in Spiritu sancto. Sicut etiam exemplo animæ & suarum essentialium partium declaratum est. Eadem causa est, cur dicamus, Diuinam Christi essentiam, seu deitatem, vnitam esse cum humanitate totam: nec tamen sequi, Vbicunque sit Christi Deitas, ibi etiam esse humanitatem. Ratio est, quoniam ei si tota Deitas est inseparabiliter cum humanitate coniuncta: ac sicut loquitur Apostolus, Coloss. 2. 9. Omnis plenitudo Deitatis habitat in Christo homine corporaliter: non tamen ὅλως, hoc est, omnibus modis, in ipso finito habitat corpore, & anima. Nam etiam extra humanitatem tota est in cœlo & in terra.

X. Præcipua igitur fallacia in hoc argumento ab incarnatione ducto: fallacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Cùm enim dicimus, totam diuinam essentiam incarnatam esse: non hoc simpliciter; sed κατά τι, intelligimus: quatenus scilicet ea est in Filio, non in Patre, & in Spiritu sancto. Ac proinde etiam non sequitur, aliam esse essentiam in Filio, & aliam in Patre. Sicut etiam non alia Deitas est in corpore Christi, & alia extra corpus. Vna enim eademque planè est: non multæ aut diuersæ. Ac proinde non multi sunt Filij, & λόγοι τοῦ θεοῦ: sed vnus. Diuersi autem duntaxat sunt modi; quibus est in corpore: & quibus extra corpus in cœlo & in terra. Est enim in humana natura, vnione ὑποστατικῇ, & quasi modo finito: extra verò ipsam, non ita. Sic igitur vna & eadem est essentia diuina, in Patre, in Filio, & in Spiritu sancto: ac proinde non multi Iehouæ, sed vnus. Verùm modi sunt diuersi: quibus subsistit in Filio, in Patre, & Spiritu sancto. Ac proinde diuersæ sunt personæ, quarum vna est incarnata, aliæ non sunt: quanquam vna & eadem omnium essentia est.

Credo satis abundè & perspicuè fuisse à nobis hoc argumentum, ab incarnatione ductum, explicatum & refutatum. Explicatio autem hæc non tantùm necessaria fuit ad refutationem huius argumenti: sed etiam vtilissima fuerit ad aliorum quoque argumentorum refutationem: & ad doctrinæ sanæ confirmationem. Hoc addo iis quæ dicta sunt: Totum hoc argumentum, & omnes instantias, duci ab humanis rationibus; quæ pugnant cum verbo Dei: & à creaturis ad Creatorem: proinde nil concludere. Verbum enim Dei, vna ex parte, tradit, vnum tantùm esse Deum: & hunc Deum esse non solùm Patrem, sed & Filium, & Spiritum sanctum. Altera ex parte docet, solùm Filium factum esse hominem: & in carne passum esse. Est autem mandatum Dei, vt simpliciter audiamus eius verbum, & humanæ renunciemus prudentiæ. Ergo non est, cur iis humanis sophismatis, sinamus nos à veritate in Scripturis aperta, abduci. Nam neque intelligo, quo modo λόγος sit incarnatus: credo tamen. Ergo etiamsi non percipio, quomodo tota Filij οὐσία sit incarnata: nec tamen Pater, cùm sint vna οὐσία, incarnatus est: tamen quia Scripturæ id docent: idcirco firma fide credendum mihi est, & credere volo.

XI. Sequitur quintum argumentum apud eundem Mediatorem: quod etiam vnum est ex præcipuis. Argumentum est à pluralitate & diuersitate personarum: ad plures, & diuersas essentias. Si eadem numero (inquit) est essentia omnium personarum; quomodo illa vna existente, istæ sunt tres? An trium per se subsistentium est vna essentia seu existentia? An potiùs illis multiplicatis, hanc multiplicari oportet? Argumentum tale est.

Si eadem est, & vna numero essentia diuina; fieri nequit, vt personæ sint tres. Trium enim per se subsistentium, non potest esse eadem essentia seu existentia; Sed multiplicatis personis per se subsistentibus, multiplicari quoque illorum existentias, seu essentias, necesse est.

Atqui tres sunt personæ per se subsistētes; & à se inuicem distinctæ: ita vt vna sit incarnata, aliæ non.

Ergo vna omnium non potest esse essentia.

Respondeo; Maior falsa est; & ratio, quæ confirmatur, nulla est. Neque enim pugnant inter se, vnam esse essentiam & plures personas, cùm in ipsa etiam natura idem spectemus. An non infinitorum propè hominum vna est essentia, hoc est, humana natura? Non pugnant igitur esse multas personas, & vnam omnium οὐσίαν. At vna (inquies) hominem est οὐσία, specie; non autem numero. Ita sanè; & ratio est, quia οὐσία hæc, in quantitatiuis est, (vt loquuntur) subiectis, eóque in finitis est finita. Sed hæc ratio in Deo non est. Ibi enim οὐσία simplicissima, infinitissima, immensa. Ideò ibi nulla diuisio, sed tantùm distinctio esse potest. Quod igitur in creatis vnum est specie; id, in Deo creatore, vnum est numero; quia simplicissimum est, & immensum, nec partitioni obnoxium. Aliud exemplum. Nos homines generamus liberos; parte nostræ substantiæ, illis communicata. Sed demus per concessionem, vt Ego filium generem, illi eandem numero animam, quam & ego habeo, & idem numero corpus, quod mihi est, ita communicando, vt tamen eandem numero animam, & corpus mihi retineam. An non tunc vna numero esset & Patris & Filij essentia? Esset: si eadem numero anima, & corpus idem, vni atque alteri esset. Quomodo enim duæ numero essent, si vna numero? An non etiam duæ essent personæ distinctæ: Pater, & Filius? Vtique. Falsum igitur est quod ais: fieri non posse, vt vna manente essentia, plures sint personæ.

At (inquies) quod dicis, fieri nequit. Omninò enim duæ essent numero animæ, & duo corpora. Sed tu negas quod ego suppono. Ego dico, si fieri posset, vt ego eandem meam numero animam, & idem numero corpus, communicarem Filio: ita tamen vt vtrunque mihi etiam retinerem: omninò vna esset numero essentia, hoc est, Vna anima, vnum corpus: & tamen duæ personæ. Tu verò dicis: Fieri hoc non posse. Hoc concedo in nobis, & in omnibus rebus creatis: quia nos finiti sumus: & in materia. Sed quod apud nos impossibile est, apud Deum est possibile, quia nullam per se implicat contradictionem, Esse vnum, & plura, diuersis respectibus: vnum essentia: plura hypostaticis differentiis: eóque personis. Alia tamen adfero exempla. An non multi sunt Radij, & vna omnium lux, & essentia? An non multæ potentiæ essentiales animæ, & vna duntaxat numero anima? An non etiam multæ corporis partes: & tamen vna & eadem anima: quæ tota est, sicut in toto: sic etiam in singulis partibus? Nunquid quia tota est in singulis partibus: consequitur multiplicatis partibus, multiplicari animæ essentias, seu animas ipsas? Non pugnat igitur in natura, aliquid esse vnum, & plura, diuersis respectibus. Et quidem vnam esse essentiam & tres essentiales res, eandem esse essentiam: vt in anima, & partibus animæ liquidò apparet: multò minus illud in Deo, pugnare potest. Quale falsum est, quod assumit Mediator: trium per se subsistentium, non posse vnam numero, & eandem esse essentiam. Deinde notandum est, hunc hominem confundere existentiam cum essentia. Quum essentiam dicis: substantiam sine certo subsistendi modo, significas; quum verò existentiam; essentiam ad certum subsistendi modum contrahis. Ideóque essentiam, communem omnibus personis, & vnam tantùm esse, docent Patres. Subsistentiam verò seu ὑπόστασιν; propriam cuiusque, & incommunicabilem. Ideo tres etiam esse subsistentias, & verò etiam substantias, inde à Patres antiqui dixerunt; vnam autem essentiam. Male igitur facit; quòd confundit essentiam cum subsistentia.

XII. At persona (inquit) nihil aliud est realiter, quàm οὐσία; quomodo igitur multiplicatis personis, non multiplicantur οὐσίαι?

Quia simplicissima est, & immensa illa οὐσία; & nulli partitioni obnoxia; idcirco multiplicari non potest. Quia verò diuersis modis in eadem οὐσίᾳ subsistunt personæ (vt sæpè declaratum est) quæ reapse nil aliud sunt, quàm ipsa essentia; Et diuersæ sunt harum personarum proprietates; quibus & subsistēdi modis, & proprietatibus fit, vt verè inter se distinguantur, & numero sint plures; Idcircò diuina illa essentia, vt partitioni subiecta non est, propter simplicitatem & immensitatem; ita distinctionem habet, propter diuersos subsistendi modos, qui in ea statuuntur à verbo Dei. Hæc est causa, cur vna οὐσία, multiplicatis subsistendi modis, multiplicet personas; sed ipsa multiplicatis personis multiplicari non possit. Etsi enim persona, exempli causa, Pater, nihil aliud reipsa est, quàm essentia diuina, cum certo subsistendi modo; essentia tamen, quæ vna est, diuersas non constituit personas; sed diuersi subsistendi modi varias efficiunt personas. Ita fit, vt sicut vna persona, puta, Pater, realiter nihil aliud est, quàm vna essentia diuina; sic multæ, nihil aliud sint, quàm vna & eadem essentia. Si igitur multiplices personas, necessariò sequitur, multiplicari modos subsistendi; sed minimè sequitur, multiplicari essentias; quasi aut multæ sint infinitæ, & immensæ; aut eadem in multas secari queat. Perspicuum est animæ exemplum. Etsi enim ibi multiplicentur potentiæ essentiales; Anima tamen ipsa non multiplicatur, sed vna manet.

XIII. *At (inquit Mediator) scitum est illud Dialecticorum: Quæ sunt eadem vni tertio: ea inter sese eadem esse: Cùm igitur personæ diuinæ sint (ipsi) essentiæ, eadem: (vt quidem omnes perhibent, ne compositionem aliquam admittere cogantur) inter se quoque sint eadem necesse est. Aut igitur multiplicatis personis, essentia multiplicatur: aut essentiæ vnitate retenta, etiam personæ vnitatem retineri oportet.* Hæc ille.

Responsionem ipsemet ex Scholasticis adfert; nimirum

*Personarum vnitatem ex essentiæ vnitate, concludi aliam non posse, quàm essentialem. Ratio est, quoniam personæ, de quibus loquitur, non cum aliqua persona, respectu personæ sunt eædem: sed cum essentia.* Hæc ibi, & vere, propositio enim illa Dialecticorum, ita intelligitur: *Quæ sunt eadem vni tertio, ea inter sese sunt eadem*: nempe, ea re, quæ sunt eadem, cum tertio: seu, eatenus sunt eadem inter se quatenus sunt eadem vni tertio: vt Filius, & Spiritus sanctus, sunt idem cum patre: non simpliciter, sed τῇ οὐσίᾳ, ipsa essentia. Ergo etiam idem sunt inter se, non simpliciter. (τῇ οὐσίᾳ enim seu realiter, non sunt idem inter se, quia neque idem realiter sunt cum Patre: nam Filius, vt alius est à Spiritu sancto: sic etiam alius est à Patre) sed essentia idem sunt. Atque hæc est essentialis vnitas.

Sed excipit: *Verùm mihi* (inquit) *non tantum essentialis, sed realis, sed realis (vnitas) concludi posse videtur hoc modo: Qualis est identitas duorum cum tertio: talis est eorum inter se. Cum igitur personæ sint realiter eædem cum essentia: & inter se realiter eædem sint, oportet.*

Propositio non est simpliciter vera: sed secundùm quid: hoc est, quoad id, quo aliqua sunt idem cum tertio. Exemplum in hominibus, Patre & Filio: quatenus sunt ambo homines, idem sunt reapse cũ humanitate. Et ideò inter ipsos etiam identitas est realis, respectu humanitatis: sed quatenus vnus est Pater, alter Filius: non ita. Sic in anima. Identitas enim facultatum animæ cum anima, realis est: quia reapse facultates nil aliud sunt, quàm anima ipsa. Et anima nil aliud, quàm facultates ipsæ. Sed identitas inter ipsas facultates, realis esse non potest: quoniam facultas intelligens, non est facultas sentiens. Proprietatibus enim, eóque definitione inter se differunt. Sed essentialis est inter eas identitas: quia essentia earum, vna & eadem est, nempe anima. Idem de essentia, & tribus personis in Deo dicendum est. Quare neque ex ista regula de vnitate duorum, ex vnitate cum tertio: sequitur quod ait Mediator: nempe, aut cum vna essentia in diuinis, vnam esse personam: aut cum tribus personis, tres esse essentias. Oportuit Scholastio scholasticè respondere.

XIIII. Sextum Sophisma, ab ἀτοπίᾳ ad absurdum quasi deducens. Si eadem est Patris & Filij essentia: & ea re vterque vnus sunt Deus: Ergo Pater generando Filium, seipsum genuit. Atqui hoc est falsum, & impium dicere, ac sentire.

Resp. Si essentia genuisset essentiam: & eadem esset gignẽs essentia: & genita essentia: sequeretur, essentiam seipsam genuisse. Sed genuit pater, quà pater: & genuit Filium, quà Filius est. Filius autem non est idem, qui & Pater. Proinde non sequitur: si pater genuit Filium, genuit seipsum.

At Pater genuit Filium, suam & eandem communicando οὐσίαν. Quid est autem aliud Pater, quàm essentia: & Filius aliud quam eadem essentia?

Respondeo, Primùm quidem pater realiter, seu τῇ οὐσίᾳ, aliud est, quàm sua essentia: sic de Filio dico, sed aliud certe sunt τῷ λόγῳ, tam Filius, quàm pater. Vti antea quoque dictũ est, & explicatum simili animæ, & potentiarum eius essentialium. Neque enim facultas sentiendi simpliciter est anima (nihil enim differret à facultatibus alijs) sed est anima sentiens, non autem intelligens: & contrà. Idem de Patre & Filio dicendum. Eadem enim essentia diuina, varijs subsistendi modis distincta, distinctas constituit personas: ipsa vna & eadem semper manens. Idcircò Filius (si velis definire) non est simpliciter essentia: (nihil enim differret à patre, & Spiritu sancto: cum omnes sint eadem essentia.) Sed essentia est, à patre, per generationem ineffabilem, communicata: eoque proprio & certo subsistendi modo, qui generatio passiue appellatur, per se subsistens. Hinc secundò apparet, essentiam non esse genitam: sed huius communicatione genitum esse Filium. Vti etiam nos non generamus nostram substantiam, quam Filiis communicamus: sed hanc communicando, filios generamus. Hinc itaque apparet fallacia argumenti. Aliud enim est, Patrem propriam communicasse essentiam: & aliud, hanc communicando, Filium genuisse. Quare Pater Filium generando, non seipsum genuit: quanquam eandem penitus, & totam suam essentiam Filio communicârit.

XV. Hinc etiam sumitur responsio ad septimum argumentum. Si essentia Patris communicatur Filio, per generationem: Essentia igitur generatur. Ac proinde cùm alius sit gignens, & alius genitus; Alia igitur fuerit essentia gignens in Patre: & genita in Filio. Quare duo fuerint Dij: quia duæ essentiæ. Idem dico de Spiritu sancto.

Resp. Fallacia ex eo, quòd non faciunt discrimen inter communicari & gigni. Quod enim communicatur, id propriè non gignitur. Illud verò dicitur gigni: cui substantia gignentis communicatur, vt apparet in nobis, nostrisque liberis, sicut ante dictum & declaratum est. At Patres tamen aliquot vsi sunt hac locutione: Essentia genita est. Verum: sed aut essentiam pro persona vsurpârunt: aut vsi sunt verbo gignendi, pro communicari.

XVI. Sophisma octauum, & postremum huiusmodi est:

Si vna est omnium essentia, quæ & Deus est: & tres personæ, quarum quæque Deus est: Quatuor igitur sunt Dij, nedum tres.

At non sunt quatuor.

Commentum igitur est, vnam esse trium essentiam, eóque omnes vnum Deum.

Resp. Ad maiorem. Negatur quod ex vera infers hypothesi. Ratio est, quoniam non separamus personas ab essentia, & essentiam à personis: quasi verò persona aliquid sit, reipsa distinctum ab essentia. Sed vnam essentiam, dicimus, esse has tres personas, reipsa: & tres personas ipsam essentiam. Ac personas differre ab essentia τῷ λόγῳ tantùm: à se inuicem autem, τῇ οὐσίᾳ, καὶ τῷ λόγῳ, vt alias explicatum fuit simili potentiarũ animæ. Ita refutata sunt præcipua Triteitarum cauilla. Nunc refellenda sunt speciatim alia quædam, quæ ab aliis adferuntur, contra eandem doctrinam.

## CAPVT VII.

### Refelluntur ex professo quædam sophismata, quæ aduersus hanc de vno Deo doctrinam, adfert Mediator.

MEDIATOR in capite illo, cui titulus est: Sententiæ de personis diuersis, e... quæ essẽtiis diuersis: multas e scripturis profert sententias, quibus suum cõfirmet titulum. Sed ad has non est necesse respondere: partim, quia pleræque omnes in præcedentibus refutationibus explicatæ sunt: partim, quia facile est videre, illis non concludi aliud, nisi veram personarum distinctionem: & Patrem esse κατ' ἐξοχὴν Deum: e personarum autem pluralitate, paulò ante demonstratum est, non concludi pluralitatem essentiarum: partim denique, quia ad finem capitis in hæc concludit verba: *Huc vsque demonstratum est, Filium Dei totum id quod esset, quódque & haberet, & faceret, acceptum referre Deo Patri. Patrémque vocari & esse solum Deum, non quin Filius Deus sit sed quòd est Deus ex Deo. Pater enim ille æternus, infinita sua essentia, & diuinitate complectitur Filium, & spiritum sanctum quos produxit: illum generando: hunc ex se emittendo. Produxit, inquam, eos, & à se distinxit. Quando verò id, & quomodo fecerit, quis intellectus hoc intelligat? quæ lingua explicet? Quæ tamen homini scire fas est, ea sacris literis prodita sunt in quibus & nos acquiescere oportet.* Hæc omnia ille. Damus autem libenter hæc: primùm, Filium id quod est, & habet, totum referre acceptum Patri. Est enim totus à Patre, & omnia etiam habet à Patre. Secundò: Patrem solum esse Deum, nempe Deum Patrem, & Deum illum, qui à nullo est: sed fons est, & principium Deitatis, in ipso etiam Filio, & Spiritu sancto, quia scilicet hanc illis communicat. Tertiò: Filium esse Deum ex Deo: hoc est, personam, quæ Deus est, ex persona, quæ Deus est. Non autem quòd essentia Filij sit ex alia essentia. Est enim vna & eadẽ quòd essentia: sed in Filio communicata: in Patre autem minime. Vterque autem Deus est, per eandem essentiam: quia idem Iehoua. Quartò candide etiam illud interpretamur, quòd ait, Patrem infinita sua essentia, & diuinitate complecti Filium, & Spiritum sanctum: quatenus scilicet Pater in Filio est, & in Spiritu sancto, sua essentia, illis communicata: Et ipsi in patre, sua essentia à patre accepta. Quòd verò ait, quando hoc fecerit pater, nullum intellectum intelligere: non damus simpliciter. Intelligimus enim è scripturis: hoc patrem fecisse iam inde ab omni æternitate. Ab æterno enim genitus est Filius è patre: & Spiritus sanctus ab vtroque processit & procedit. Cæterùm quòd dicit de modo: neminem scire esse, qui eũ intelligat: ambabus amplectimur manibus. Ergo cùm huc omnia spectet, quæ in eo capite collegit: & nos ea admittamus, vt iam explicatum est: non est necesse ad singulas Scripturæ sententias respondere. Ad quædam tantum, quæ opus habent explicatione, breuiter mihi respondendum est.

Principiò, non admitto, quod ait, Filium nullibi se Deum appellare. In omnibus enim illis locis veteris Testamenti, quæ posteà ab Apostolis citantur de Christo, Filius se vocat Iehouam. Nam qui dat legem in monte, vocat se Iehouam, Exod. 20. 2. Hic autem fuit ille Christus, & Ange-

& Angelus Iehouæ Iehoua: Qui populum eduxit ex Ægypto:& tentatus fuit in deserto,1.*Cor.*10.9.Deinde quoties se vocat Filium Dei vnigenitum,& proprium:toties dico eum sese appellasse Deum.Sicut quoties se appellauit Filium hominis:toties se hominem appellasse dicendus est.Quod etiam ait,præter alia, illa verba, *Ego sum Deus,& nullus vltra Deus:Ies.*45.21. neque Filio,neque Spiritui sancto competere;quia ipsi habent originem:non damus.Loquitur enim ibi Iehoua,hoc est,essentia diuina, siue, in persona Patris,siue Filij,siue Spiritus sancti: nil refert.Hæc autem originem sui non habet,neque in Filio, neque in Spiritu sancto:sicut nec in Patre: & extra hanc essentiam nullus est Deus. Quid est autem Filius & Spiritus sanctus aliud, quàm ipsa essentia, sed certis subsistendi modis, ad has duas personas contracta? Vterque enim est Iehoua. Quòd verò ex illis Christi verbis,Hæc est vita æterna,vt cognoscat te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum: *Ioh.*17.3.& ex aliis similibus, quæ e scriptis Apostolicis congerit: ait, Christum ideò patrem vocasse Deum, se autem eius legatum: quia non agnosceebat se eundem esse Deum, qui est pater: Fallaciam non causæ, vt causæ, admittit. Voluit enim Christus iis dictis sese, & ratione personæ, & ratione officij à patre distinguere: non autem ratione essentiæ. Et idem etiam fecerunt Apostoli in illis dictis, quæ colligit Mediator. Ita verè concludimus, Christum non esse eundem Deum cum patre persona,& proprio officio: sed eundem esse Deum essentia. Hæc esto responsio ad omnia illa dicta. Libenter autem damus illa omnia,quæ dicit de patre: nempe,eum fontem esse omnis Deitatis,immortalitatis,vitæ. Quod autem ex Ambrosio citat,Filium habere à patre, vt sit Deus, explicatione opus habet. Si formaliter accipias: verum non est. Filius enim Deus est sua essentia, seu per suam essentiam, quæ eadem est cum patris essentia; non autem per patrem:Imò ipsa essentia; est ipse Deus. Si verò origine intelligas:damus. Hanc enim essentiam à Patre nascendo,accepit Filius. Ita intelligitur,Deus de Deo genitus. Ita respectu essentiæ, tam Filius est Deus, ex se & αὐτόθεος, quàm pater,respectu verò personæ, Deus est ex Deo: quia genitus ex patre. Solus autem pater hoc modo, Deus ex se, & αὐτόθεος.Sed hoc non tollit vnitatem essentiæ. Hæc si ibi obseruentur,nihil superest,quod aduersus veram faciat doctrinam, de vnitate essentiæ, in Patre, in Filio,& in Spiritu sancto.

I I. In capite alio, cui titulus est; Obiectionis de pluralitate Deorum, solutio:Primò,affert argumentum nostrorum,quod tale est. Si Pater est Deus:Filius Deus:& Spiritus sanctus Deus: hi autem tres vt personis, ita essentiis differunt:sequitur,vt plures Dij sint: contrà quàm,Moses & Prophetæ,ex Dei oraculis prodiderunt. Deinde verò respõdet, quum de vnitate Dei quæritur: semper Deum Patrem nominari, hoc est, semper intelligendum esse patrem ipsum solum.Et rationem subdit. *Quia*, inquit, *Pater omninò Deus dicitur, sine vlla exceptione. Nam non tantùm rerum creatarum Deus est: sed & Filij, & Spiritus sancti. Filius enim dicitur Filius Dei, & Spiritus sanctus Spiritus Dei. Pater autem nullius Dei dicitur esse Pater. Pater item non est genitus, nec procedens, quemadmodum Filius dicitur Deus à Patre genitus: Spiritus sanctus Deus à Patre per Filium procedens: sed sine vlla adiunctione dicitur,& est Deus.* Hæc ille. Deinde subdit testimonium Apostoli, ex 1.Corinth.8.6 dicens: *Itaque & Paulus obiectioni de pluralitate Deorum occurrens, sic inquit: Nam etsi sint qui dicantur dij: nobis tamen vnus est Deus: qui est Pater ille, &c.*

Conclusio huius hominis est:Etsi sicut multę sunt personæ,sic etiam multæ statuantur essentiæ:non consequi tamẽ, negari vnitatem Dei,quæ in Scripturis celebratur:*quoniam*, inquit, *ibi nulla alia Dei vnitas celebratur:nisi quæ est Patris.* Hunc autem vnum esse Deum, & non plures.

*Resp.* Primò falsum est assumtum nempe, loca de vno Deo, de solo patre esse intelligenda. Hoc aliàs quidem demonstrauimus: sed nunc etiam quàm falsum sit, magis ac magis confirmo hoc argumento.

Si ille,qui in scripturis prędicatur vnus Deus est solus Pater;sequitur Filium, & Spiritum S.connumerandos esse inter illos Deos alienos,de quibus in Lege:ac proinde non esse adorandos,non colendos,non in illos credendũ Exod.20. 3.Nam ille Deus vnus Iehoua,qui in scripturis loquitur,sic ait, *Ego sum Iehoua*, &c. *Non habetis deos alienos coram me.* Quibus verbis satis aperte ostendit, quicunque sunt & dicuntur Dij præter se,eos Deos esse alienos.

Ergo si iste, qui ibi loquitur, & per consequens, qui loquitur in Prophetis, quisque se vnum esse dicit, est solus pater:efficitur, Filium & Spiritum sanctum inter deos alienos esse connumerandos. Absit autem hoc à Christianis hominibus, vt sentiant,cùm sacræ literæ vocent Filium verum Deum, & ita etiam Spiritum sanctum. Quare falsum assumit Mediator.

Ad rationem. Ea nihil concludit, nisi patrem solùm esse sine origine, & Deum κατ' ἐξοχὴν, quia principium Deitatis est. Cur enim simpliciter & sine adiunctione dicitur Deus? quia originem ab alio non habet, & principium est Deitatis. Cur etiam non dicitur Deus alicuius Dei: Filius autem dicitur Filius Dei, & Spiritus sanctus Spiritus Dei? Eadem de causa. Si enim pater generasset essentiam, posset dici non solùm Deus,sed etiam pater Dei.Verum quia non essentiam genuit,sed Filium:ideò non dicitur Pater Dei,sed Pater Filij.Ad testimoniũ Apostoli:fallitur Mediator,quòd putat à nomine Dei excludi Filium: vt aliàs demonstratum est. Ac certum est ex verbis Apostoli, si à nomine Dei, qui nobis est vnus, excludatur Filius: Filium inter illos multos Deos,de quibus ante Apostulus dixit,& quos opposuit huic vni Deo,connumerandum esse. Quid autem hoc iniquius, quidve magis blasphemum? Ad id,quod pro confirmanda sua sententia adducit ex Ioh.10.v.34. responsum est à nobis suprà non semel. Postremò dico,non esse responsum ad argumentum nostrorum. Si enim essentiæ diuinæ sint multæ, aut illæ sunt per omnia æquales, aut aliqua ex parte inæquales.Si per omnia æquales, tres igitur Dij sunt æquales: & ideò non est,cur solum Patrem statuant illum esse Deum Iehouam perfectissimum,qui se descripsit Exod.34.Sed ipse etiam Filius, & ipse Spiritus sanctus erunt talis Iehoua. Si inæquales:inter alienos igitur Deos connumerandi sunt Filius, & Spiritus sanctus: quia non sunt ille vnus Altissimus Iehoua,qui dixit,*Ego sum Dominus Deus tuus,&c.Non habebis deos alienos coram me, Exo.*20.2. Vtrumque autem absurdum est & impium.Non sunt igitur tres essentiæ,vel æquales vel inæquales:sed vna duntaxat,semper eadem: Ac proinde vnus Deus Iehoua. Ad hoc argumentum nullam vidi, nec video responsionem.

I I I. Alibi idem fatetur, aliquam esse æqualitatem Filij cum Patre, propter locum ex Ioh.5.18.& 19. Sed eam ait ad æqualitatem essentiæ non referri,verùm ad æqualitatem tãtum virtutis:Quòd Christus ex suis operibus nil aliud afferat, nisi eandem sibi esse cum Patre & voluntatem, & potestatem: & hanc sibi communicatam à Patre sicut & vitam.

Resp. Sed errat. Christus quidem ex operibus eandem sibi esse cum patre potestatem, euincit:sed ex hac potestate innuit,etiam eandem sibi esse essentiam. Æqualis enim potestas cum patre nemini esse potest, nisi æqualis etiam ei sit οὐσία. Quomodo enim infinita potentia esse potest nisi in essentia infinita? nam neque etiam Deus potens est, nisi sua essentia. Proinde Christus dicebat, *Ego & Pater vnum sumus.Ioh.*10 30.Quomodo vnum? Perfectissimo modo. Quis perfectissimus est modus? Qui est per essentiam. Et: *Ego in Patre,& Pater in me.Ioh.*14.11. Quomodo? Essentia. Neque enim persona est in persona: cùm sint inter se distinctæ. Deinde paulò antè probauerat Hilarij sententiam, qui illud: *Sicut Pater vitam habet in semetipso:sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*:de essentia diuina interpretatur,quam à Patre communicatam esse Filio ait, vt sit ei propria, sicut & Patri. Quomodo igitur hîc negat, æqualitatem esse Filio cum Patre in essentia: sed tantùm in virtute esse contendit? Quòd verò hanc referat acceptam Patri, facile damus.

Secundo loco contendit ibidem Mediator: eminentiam esse Patri supra Filium,quia Christus ait,*Pater maior me est, Ioh.*14 28.

Resp.Sed suprà responsum est ad hunc locum,in refutationibus argumentorum contra Deitatem Christi.Neq; nos damnamus eius interpretationem:nempe,Christum iis verbis,indicasse,fontem & originem, à qua & ipse vitam & omnia habet,etiam quà Filius est,esse Patrem.Sed hęc Patris excellentia, quòd sit fons totius Deitatis & vitæ, non tollit æqualitatem essentiæ cum Filio.

Postremò examinat,qualis ἰσότης sit illa,quam Patres attribuerunt Filio cum Patre. Contendit autem non sic esse intelligendam,quasi vna omnium sit οὐσία. Vult enim,sicut distinctæ sunt personæ, sic distinctas esse οὐσίας: iis argumentis,quæ sequuntur.

I V. Pater mittit Filium. Duæ igitur essentiæ diuersę:vna mittiens,altera missa.

Resp. Negatur consequentia: Et paralogismus est ex ignorantia figuræ dictionis. Neque enim Pater dicitur mittere Filium,localiter & physicè, sicut Rex mittit Legatum. Hoc certè modo qui mittit, & qui mittitur, duæ sunt numero essentiæ: seu,duæ vt sint personæ,suis substantiis & essentiis diuersæ & distinctę,necesse est. Sed cũ & Pater sit im-

mensus, & Filius immensus: tunc dicitur Filius à Patre mitti, quum præeunte Patris voluntate, & eam subsequente voluntate Filij (ordine originis) per nouum effectum Filius patefit mundo: & per patefactionem Filij, Pater manifestatur. Idem dico de Spiritu sancto. Vt quum per carnis assumtionem patefactus est Filius: & per Filij patefactionem in carne manifestatus est Pater, 1. *Tim.* 3. 6. Non sequitur ergo, Pater mittit Filium: duæ igitur sunt οὐσίαι. Sed bene sequitur: ergo duæ sunt personæ: vna mittens, altera missa. Subdit aliud.

Filius incarnatus est, non Pater.

Non potuit autem incarnari, nisi res essentialis, seu essentia.

Duæ igitur essentiæ: vna quæ incarnata; altera, quæ operata est in incarnatione, sed incarnata non est.

Hoc refutatum est antea. Addit:

*Patris vox auditur: Hic est Filius meus dilectus. Hoc non attribuitur Filio aut Sp. sancto. Sp. sanctus in specie columbæ conspicitur. Ne hoc quidem de Patre, aut Filio dicitur. Quomodo igitur horum trium essentia, eadem numero est? nam si essentia vna est: mittitur essentia Patris: & essentia Sp. sancti: siquidē eadē est cum essentia Filij. Auditur vox essentiæ Filij, & essentiæ Spiritus sancti, de cœlis sonans. Conspicitur Patris essentia, & Filij essentia in specie columbæ. Quòd si hæc non sunt: annon hac distinctione operationum distinctæ eorū essentiæ ostenduntur?* Hęc ille.

Resp. Hæc omnia, nihil aliud cōcludunt, quàm distinctas esse personas, non autem essentias. Eadem enim essentia vt incarnata est, non in Patre est, sed in Filio: ita voce de cœlo patefacta est in Patre, non in Filio & assumtione columbæ patefacta est in Spiritu sancto, non in Patre. Annon eadem anima sese patefacit intelligendo, non in facultate sentiente, sed in intelligente? Item, Annon eadem sese exerit sentiendo, non in intelligente, sed in sentiente facultate: nec tamen multæ sunt animæ? Vt igitur à diuersis distinctisque operationibus animæ, in variis distinctisque facultatibus, non valet consecutio ad diuersas essentias seu animas: ita neque à distinctione apparitionum & operationum essentię diuinæ in distinctis personis, inferri potest distinctio essentiarum: sed tantùm personarum. Neque hinc sequitur, quaternitatem à nobis poni. Sicut neque sequitur in exemplo animæ, præter facultates tres animę essentiales, quartum statui: hoc est, animam ipsam quasi quoddam quartum, à suis facultatibus distinctum & separatum.

V. Pergit Mediator, & ait: *Sed & res ipsa arguit diuersitatem essentiæ. Nam quæ tria sunt, vnum esse non possunt. Si igitur personæ tres sunt, & quidem distinctæ: adde etiam, vt Scholastici docent, realiter distinctæ: annon etiam tria illorum Esse, realiter distincta sunt?*

Falsum est assumptum si diuersi respectus considerentur. Tres enim sunt animæ facultates, & quidem realiter distinctæ. Interim tamen eædem facultates vnica sunt essentia: quia anima vna, non tres. Potest igitur aliquid esse vnum, & plura, diuersis respectibus.

At aliud est esse Patris, aliud esse Filij. Ergo alia est essentia Filij, alia Patris. Essentia enim & Esse in Deo idem sunt: sola vocum variatione distincta.

In anima aliud est esse facultatis intelligētis, aliud esse facultatis sentientis. Illa enim non est hæc: & diuersa est illius & istius definitio. Non tamen sequitur: aliam esse essentiam intelligentis, & aliam sentiētis: eadem enim est anima. Multo minùs ergo id sequitur in Deo: vbi simplicissima & immensa est essentia. Hęc verò tribus subsistendi modis diuersis, tres constituit distinctas personas, quarum vna non est alia. Ac proinde dicuntur differre τῷ εἶναι, realiter. In singulis quidem personis propter summam simplicitatem idē sunt, esse, & essentia: In se tamen idem planè non sunt. Essentia enim vna est, communis omnibus: propter diuersos autem subsistendi modos, & proprietates, quibus eadem essentia diuersas constituit personas, τῷ εἶναι inter se differentes, tria sunt Esse distincta: vt exemplo facultatum animæ & animę ipsius, millies fuit explicatum. Fallitur ergo, quum ait, essentiam & esse, vocum tantùm variatione esse distincta, si intelligit, in se.

*Etiam essentia*, inquit, *quæ nata est, quæ equidem est Filij, cum essentia ingenita & innascibili, quæ est Patris, vna numero esse non potest.*

Primò errat, dum ait, essentiam esse genitam. Filius quidem genitus est, essentia per generationem communicata: non autem ipsa genita est, aut genita dici potest: nisi impropriè. Secundò verum quidem est, id quod est genitum, hoc est, Filium, cum eo qui ingenitus est, hoc est, Patre, idem numero esse non posse. Sunt enim duæ numero personæ: verùm quòd assumit, essentiam Filij & essentiam Patris non esse vnam numero, petit principium. Sed videamus rationem quam adfert.

*Profectò (inquit) si vna esset: vt Filius dicitur habere Patrem Deum, ita Pater diceretur habere Filium Deum, propter Deitatis vnitatem vtriusque. Quod tamen nec scriptura, nec vllus hominum vnquam dixit.*

Quasi verò, etsi verba hæc ita composita non leguntur: non sit tamen verum, Deum Patrem habere Filium, qui Deus est. Quòd verò frequens hæc sit locutio de Filio: nempe, quòd habeat Patrem Deum, huiusce rei allata est paulò ante ratio: nimirum, quia pater principaliter & κατ' ἐξοχὴν Deus est: fons & principium Deitatis. Eadem de caussa non legimus, Patrem Deum, habere Filium Deum: quia quum sermo est de vtroque; nomen Dei attribuitur Patri: non ita Filio, vt obseruauit Tertullianus. Quemadmodum etiam quum sermo est de solari corpore, & de radiis: nomen solis damus solari corpori, non radiis. Seorsim autem etiam radios appellamus Solem.

VI. *Ad hæc* (inquit) *vnitas essentiæ efficeret: vt Filius non Deus de Deo: sed potius idem Deus cum Patre diceretur.*

Vtrumque dicitur, & vtrumque verum est: sed diuersis respectibus, Deus de Deo: quia Filius, qui Deus est, ex Patre, qui Deus est, genitus est. Idem etiam dicitur Deus cum Patre, quia vna vtriusque οὐσία, ideo vterque vnus Iehoua. Hoc efficit vnitas essentiæ: illud distinctio personarum. *Iam*, inquit, *si persona Filij distinguitur à persona Patris, vt ne videatur idem esse generans & genitum, annon eadem ratione distinguitur essentia Filij ab essentia Patris, quod hæc principium illius, fons, & origo? Certè sicut idem non generat seipsum: ita idem non est principium, & principatum: nec idem est fons, & riuus: nec idem origo, & originatum.* Hæc omnia Mediatoris.

Ex falsis autem assumtionibus quid non falsi concluditur? Falsum est quod assumit: essentiam Patris principium esse essentiæ Filij: ac proinde falsum concludit, dicendo, essentiam Patris etiam esse ab essentia Filij. Si enim essentia Patris esset principium essentię Filij: esset etiam principium sui ipsius: & ita principium, & principatum: (vt vtar ipsius verbis) origo, & originatum: fons, & riuus. Eadem enim est essentia Patris, quæ & Filij, vt demonstratum est, quia immensa & infinita, ac simplicissima est. Sed in Filio per generationem, à Patre communicata: in Patre nō item. Lux etiam, quæ in sole, non est principium lucis, quæ est in radiis: (est enim vna & eadem) sed in radiis à sole communicata, in sole non item. Sol verò ipse principium & fons est totius lucis in ipsis radiis, ab ipso enim sunt radij. Neque etiam anima, quæ est in facultate intelligente, principium est & origo animæ, quæ in ipsa est sentiente aut vegetatrice, quasi sint tres animæ, cùm sit vna tantùm. Patrem igitur dicimus principium esse, fontem & originem: vnde eadem deitas in Filium, & in Spiritum sanctum quodammodo fluit, instar riui ex fonte. Non autem Patris essentiam principium esse alterius essentiæ. Quare his argumentis minimè probauit Mediator, non esse vnam trium essentiam, sed plures. Ac proinde non satis refutauit, quod contendebat: nempe, Filium non ideo à Patribus appellatum fuisse ὁμοούσιον Patri, quòd vna & eadem ipsi sit cum Patre essentia: Sed tantùm ideò, quòd sicut ὁμοούσιος est nobis, secūdùm humanitatem (non quòd eandem numero habeat, quam singuli homines, sed quòd eādem specie) ita non dissimili modo sit ὁμοούσιος Patri, secundùm diuinitatem. Sed quid hoc est aliud, quàm cum Arianis dicere, esse ὁμοιούσιον: & negare, verè esse ὁμοούσιον.

VII. Adfert igitur testimonium ex D. Maxentio. Is in sua de Christo catholica confessione sic scribit: *Sequentes in omnibus fidem sanctorum Patrum, confitemur, vnum eundémque Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum: perfectum eundem in diuinitate: perfectum eundem in humanitate: Deum verum, & hominem verum: eundem ex anima rationali & corpore: ὁμοούσιον Patri secundum diuinitatem: ὁμοούσιον nobis eundem secundum humanitatem per omnia similem nobis, absque peccato.* Hæc Maxentius: & sic alij etiam Patres nonnulli. *Quòd si ea vis est* (inquit Mediator) *homousij huius: plana est & expedita ratio eius. Omnes enim qui Christum agnoscunt, fatentur eum in carne venisse, vt loquitur Iohan. 1. 4. 2. eundémque verum Deum esse: Sed vt non eadem numero natura* (humana) *in eo, quæ est in alijs hominibus, ita non est necesse, eandem naturam diuinam numero in Christo esse, quæ est in Patre.* Hæc ille.

Resp. Primò, non eodem sensu intellexit Maxentius vocem ὁμοουσίου, quum dixit, Christum esse ὁμοούσιον Patri secundum diuinitatem: atque quum dixit eundem esse ὁμοούσιον nobis secundum humanitatem; quemadmodum intelligit & interpretatur Mediator. Eandem enim & totam naturam diuinam, quæ est in Patre, sensit & docuit esse in Filio; & hoc sensu esse Patri verè ὁμοούσιον. Ad eundem mo-

dem modum & reliqui Patres senserunt. Citabo locum vnum ex libro 1.Dial.cap 3. Catholicum sic respondentem Nestoriano,& explicantem,quomodo Christus consubstantialis sit virgini matri,introducit. *Consubstantialem* (inquit Catholicus) *Virgini Deum, verbum : non secundum diuinitatem, quæ illi vna eadémque cum Patre est : sed secundum carnem : qui non credit,alienus à fide est.* Audin' Mediator, quod ait Maxentius, vnam & eadem diuinitatem esse Christo cum Patre. Quid est autem diuinitas, nisi diuina essentia? Et quid est esse eandé & vnam Christo cum Patre,quam esse vnam numero, & eandem essentiam Patris & Filij? Non igitur sensit, eodem planè modo Christum esse ὁμοούσιον Patri, quo etiam ὁμοούσιος est nobis. Neque aliter Patres hanc dictionem interpretati sunt,vt liquet in eorum libris : Ambros.lib.de fide 3.cap.7.Theod. in fine dialog.3. August.de Trinit.lib 1.cap.4. quid Patres senserint recitat.Athanasius in Epist.de Decretis Nicen. Synodi. Hilarius de Synodis. Ac quæ fuerit interpretatio Patrum in Concilio Niceno, liquet ex Athanasij libris, & Symbolo, vbi dicit : *Non tres dij,sed vnus est Deus.* Deinde dico,rationem huius diuersæ significationis vocis ὁμοούσιος, apertam esse. Etsi enim dicitur ὁμοούσιος nobis : tota tamen natura humana, quæ in singulis est hominibus, in Christo non est, sed tantùm ita perfecta, vt ei nihil desit. Quid ita? quia natura hæc finita est, & in subiectis(vt ita cum Scholasticis loquar) quantitatiuis : ideo diuidua est. Sed diuina essentia infinita & immensa est. Proinde non potest esse nisi vna & eadem,in Patre & in Filio, nullo modo diuidua. Paralogismum igitur admittit Mediator ex ambiguitate, falsáque interpretatione vocis ὁμοούσιος quum prædicatur de Christo,quatenus Deus est.

VIII. Adducit præterea contra se Iustinum Martyrem, in lib. de recta Confessione, vbi disertè & personas distinguit,& vnam omnium essentiam esse docet. Sed hæc reiicit Mediator, quippe quæ, vt ipsi videtur,sumta sint ex Schola Platonis.Sed nulla firma ratione refutat.

*Quis* (inquit iste homo) *separat essentiam ab existentia?* Non separamus, sed distinguimus. Neque enim dicimus extra homines esse humanitatem : sed tamen aliud est humanitas,quæ est in omnibus hominibus:& aliud iste vel ille homo,seu huius & alterius hominis existentia.Eadem enim definitio competit humanæ naturæ, quæ est in Petro: atque illi,quæ est in Paulo: Sed certè non eadem definitio fuerit Petri atque Pauli. Multò verò minùs separamus diuinam essentiam à personis.Quid enim reapse seu realiter aliud est ipsa diuina essentia,quàm ipsæ personæ?Et quid personæ aliud,quàm essentia? Distinguendum tamen est inter essentiam, & singulas personas : cum essentia sit absolutum quiddam,persona autem relatiuum : Absoluti autem & relatiui non est eadem definitio & proprietas. Sicut etiam anima reapse nil aliud est, quàm suæ essentiales partes & cætera. Quis tamen non distinguat inter animam, & singulas facultates animæ? Neque enim facultas sentiendi simpliciter est anima,sed anima sentiens.Sic in Deo.Etsi enim,exempli causa,Pater idem est, quod sua οὐσία,τῷ εἶναι differt tamen τῷ λόγῳ,vt aliàs declaratum fuit. Exemplum Adami, quod adducit Iustinus,non ideò adducit,quòd per omnia quadret in Deum; sed tantùm, vt ostendat discrimen inter essentiã, quæ vna est in omnibus personis,& personas, seu ὑποστάσεις, quæ multæ sunt. Neque illud concedent docti : Adamum suam communicasse Abelo non solùm essentiam,sed etiam existentiam. Existentia enim cuiusque incommunicabilis est: quia cuiusque ita propria est, vt non possit alteri esse communis sicut essentia.

IX. Citat insuper Lactantij locum ex libri 4.cap.29. quasi ad suam, de multis essentiis, confirmandam sententiam faciat. Sed contrà dicimus, vnitatem potiùs essentiæ in duabus personis distinctis confirmari,illis Lactantij verbis. Legantur quæ ibi tradit Lactantius. Quæ enim adfert ex Erasmo, non pugnant cum vnitate essentiæ. Ad illum doctissimum Interpretem, quem citat, quod attinet : meritò ille damnat eos, qui dicunt, Patrem verè & propriè vnicum Deum esse : quasi verò Filius cum Patre impropriè & falsò sit vnicus Deus. Hæc verba de illo doctissimo Interprete subdit Mediator; *Etsi autem N. vnitatem essentiæ non excludat : verumtamen quomodo quod principium & fons est alicuius, idem sit cum eo, quod ab illo existit, iudicent sapientes.* Respondeo : Idem est,& non idem, Pater cum Filio. Idem οὐσίᾳ,non idem persona. Est autem principium, quatenus est Pater & persona. Eatenus igitur Pater non est idem cum Filio : quatenus huius ille est principium. Ita Pater non genuit seipsum : quia nec Pater genuit Patrem, nec essentia essentiam. Sed suam communicando essentiam, genuit Filium.Hæc responsio sufficiat ad illa omnia,quę de eadem re inculcat ibidem Mediator.Denique quæ citat ex Fontidonio,&ex Scholasticis,quibus concluditur,Filiũ,quicquid est & habet,totum illud à Patre accepisse,sed in æterna sui generatione:quoties dedimus?Sed quid hæc ad euertendam essentiæ vnitatem ? Eandem enim prorsus accepit Filius à Patre. Cæterùm quod probare videtur Gentilis locutionem, Patrem esse essentiatorem, & Filium essentiatum : aut non videt quid hæc sibi velint,aut magnam probat impietatem. Essentiatorem enim esse quid aliud est; quàm productorem essentię vel essentiarum?& essentiatum,quid aliud,quàm aut factam esse essentiam ex essentia ? aut essentiam ab aliquo productam accepisse?Quæ omnia impia sunt & blasphema. Non est enim essentiatus Filius ; sed eandem quam & Pater,& quam in æterna sui generatione accepit à Patre, non aliam,nec nouam,vel genitam vel productam accepit & habet essentiam. Hæc ad illa, quæ contra vnitatem essentiæ scripta reliquit Mediator, dicta sunto.

Ac quod paulo post ait,essentiam diuinam non esse conflatam ex tribus:sed à Patre communicatam Filio, & Spiritui sancto:quis nostrûm aliter docet? Neque enim dicimus esse conflatam ex tribus: sed vnam & eandem esse in tribus: in Patre, incommunicatam : in Filio,communicatam, per generationem : in Spiritu sancto communicatam, per emissionem seu spirationem.

X. In illo cap. cui titulus est, Conflictio contrariarum rationum:& ἀντικειμένων : breuiter repetit præcipuas vtriusque partis contrariæ rationes. Ac primùm, pro vnitate essentiæ, repetit illam rationem, à generatione Filij ex Patris substantia ductam:nempe,Quum λόγος Filius sit Patris:eum natum esse de Deo Patre, & Patrem suam cum eo essentiam communicasse oportet.Neque enim Filius esse potest alicuius,nisi nascatur de illo : neque sine communicatione essentiæ generatio vlla constare potest:nisi forte sit titulotenus, qualem in Deo affingi absurdum est. Iam quærendũ est : totámne suam essentiam communicârit Pater cum Filio,an partem eius?Non potest dici secundum:Dei enim essentiam partibilem facere impium & detestandum est. Tota igitur & perfecta Patris essentia in Filio residet. Nefas autem est dicere, eandem euanuisse à Patre : perfectè igitur & solidè ab vtroque retinetur,atque ideò communis est Patri & Filio.

Obiicit huic rationi,in hæc verba.*Radius totam essentiam suam à Sole habet, quam tamen Sol totam retinet, sine vlla diminutione. Eodem modo & Filius totam essentiam à Patre habet: sed & Pater nulla in re diminutam eam retinet. Neque verò in illa summa simplicitate alia generatio cogitanda est : quàm emanatio vnius ab alio.* Hæc omnia vera sunt,ac mox subdit: *Hæc similitudo si retinenda est, non videbitur absurdè dici, aliam essentiam Patris esse,quàm Filij : sicut alia est solis, alia radij : Id quod vel sola locorum diuersitas ostendit.Sol enim in vna parte orbis sui semper manet : radij sparguntur per totum orbem, & vsque in terram porriguntur. Si hæc similitudo non recipitur, inconfutabile,*inquit,*videbitur illud argumentum, quo vna essentia Patris & Filij esse statuitur:rectáque & firma erit sententia, vnam esse diuinam essentiam, tribus personis manentibus.* Hæc ille.

Nos igitur respondemus:similitudinem hanc Solis & radij partim admittendam esse,partim admitti non posse.Admittimus quod ad priorem partem attinet, qua probata est eadem essentia Filij,& Patris.Est enim consentanea veritati:&generationem Filij non malè quasi sub oculos ponit. Ad alteram partem quod attinet, retineri non potest.Nam præter quàm quod hîc etiam accipit essentiam Mediator pro existentia:ideò Sol in certo est loco, & radij in aliis locis: atq; ita illius essentia siue existentia alia est ab essentia radiorum : quia & Sol, & radij res sunt finitæ.At hæc ratio in Deo non habet locum. Est enim essentia Dei infinita & immensa,ita vt nullo modo demonstrari possit,& dici:Hęc, aut hic est essentia Patris:& hæc, aut hîc essentia Filij, quia immensa est, & eadem est vtriusque,vt demonstratum est. Radij enim sunt quodammodo extra Solem : Filius autem est in Patre,non extra.Ad hanc igitur partem quod attinet, similitudo hæc admitti non potest, quia maxima est dissimilitudo,inter naturam essentiæ diuinæ,& essentiæ creatæ. Quare manet irrefutabile argumentum, pro vnitate essentiæ diuinæ allatum. Quæ porrò contra vnitatem essentiæ repetit argumenta: Vnum,ab incarnatione Filij, eóque & à passione ductum : alterum, à differentia geniti & ingeniti: quia superiùs refutata nobis abundè fuerunt,non est cur actum agam.

Locum tantummodo Tertulliani,contra Praxeam, referam, & explicabo. Praxeas ex vnitate essentiæ vnam tantùm personam, quæ sit incarnata & passa, contendebat, sicut nunc contra Tritheitę faciunt.Responsio tamen Tertul-

liani tam contra istos, quàm contra illum facit. Sic igitur dicebat Praxeas: *Quomodo Filius passus est: si non compassus est Pater?* Respondet Tertullianus: *Separatur à Filio, non à Deo:* hoc est, Pater, quà Deus, non separatur quidem à Filio, quà itidem Deus est: (est enim vna vtriusque essentia.) Tamen quà Pater est, separatur (hoc est, distinguitur) à Filio, quà itidem Filius est. Sensus est: Quia Pater non factus est homo vt Filius: idcircò Filius passus est in carne, non autem Pater. Mox addit simile, quo suum breue responsum explicat, dicens: *Nam & fluuius si aliqua turbulentia contaminatur, quanquam vna substantia de fonte decurrat, nec secernatur à fonte: tamen fluuij iniuria* (hoc est, facta fluuio iniuria) *non pertinebat ad fontem:* (pro non pertinget.) *Et licet aqua fontis sitiuè patiatur in fluuio, dum non in fonte patitur, sed in fluuio: non fons patitur, sed fluuius, qui ex fonte est.* Sensus est. *Ac licet quis dicat, aquam etiam fontis quodammodo pati, si patiatur illa, quæ in fluuio est, quia eadem est aqua: tamen quia eadem aqua non patitur in fonte, sed in fluuio, idcircò non poterit dici fons pati, sed tantùm fluuius. Ita* (inquit) *& qui pati possit in Filio: quia non in Patre pateretur, sed in Filio, Pater passus videretur.* Sensus est, Ita si quis velit etiam dicere, Deum passum esse in Filio: quia tamen non in Patre, sed in Filio passus est (Scriptura enim vtitur hac locutione) idcircò non posset dici Pater passus, sed Filius tantùm. Vides quomodo Tertullianus statuit, dici quodammodo posse: Deum, hoc est, essentiam diuinam in Filio passam esse, sed non in Patre. Ac proinde etiam incarnatam esse in Filio, non in Patre. Argumentum igitur ab incarnatione ductũ, non tollit vnitatem essentiæ.

XI. Quare apparet quàm vana sit prothesis Valentini Gentilis: qua negabat; potuisse λόγον in vtero Virginis concipi, quin simul Pater incarnaretur, si nulla esset inter eos substantialis (hoc est, essentialis) distinctio.

Ex iis etiam, quæ dicta sunt, nemo non videt, inane esse argumentum, quo Mediator vtitur pro defensione alterius prothesews Valentini. Quidam enim orthodoxi fratres arguerant Valentinum, quòd Hypostasin confunderet cum essentia; & Christi Deitatem localiter restringeret in angustias materni vteri. Mediator eos perstringit, dicens, *Interea non expediunt nodum, quî fieri potuit, vt hypostasis incarnata, non simul incarnaretur essentia: Si quidem inter eas realis est identitas?* Quasi verò negent doctissimi illi viri, essentiam, quatenus in Filio est, esse incarnatam: & quasi hypostasis aliud sit, quàm ipsa essentia, ad certum subsistendi modum quasi contracta. Neque ideò aut summa simplicitas in Deo negatur: aut sequitur, diuersam esse essentiam Patris, à Filij essentia. Neque enim fingimus duas, quarum vna sit incarnata, altera non incarnata. Sed eandem dicimus incarnatam esse in Filio, non in Patre. O difficilem & indissolubilem nodũ Herculeum! Ita apparet, nullum apud hunc hominẽ, qui tamen firmiora collegit, extare argumentum contra vnitatẽ essentiæ in tribus personis diuinis, quod aliquid habeat ponderis. Ac proinde inuictam & firmam manere sententiam Orthodoxorum, vnam esse Dei essentiam in tribus personis: eóque omnes simul vnum tantum esse Deum.

## CAPVT VIII.

Confutatio sophismatum, quæ in Albensi disputatione fuerunt adducta. Regulæ, ad Patrum testimonia ab Hæreticorum calumniis vindicanda vtiles, & pernecessariæ.

IN disputatione Albensi vrgetur argumentum à Mediatore ductum. Si vna tãtùm est (inquiunt) essentia Patris, Filij, & Sp. sancti, eóque vnus tãtùm Deus: quomodo Filius poterit esse Mediator? & apud quemnam Deum erit pro nobis Mediator? Sed hoc, quo inprimis nituntur, argumentum, abundè simul, & perspicuè refutatum à nobis fuit.

Hoc etiam alterum vrgent tanquam insolubile argumentum. Petunt à nobis, vt ostendamus apertè vel locum vnum in scripturis, vbi sub vnius Dei nomine omnes tres personę, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, comprehendantur. Cõtendunt enim nullum posse reperiri. Ac proinde doctrinam hanc nostram carere fundamento.

Sed falluntur. Suprà enim, in confirmatione doctrinæ de vnitate essentiæ, permulta attulimus loca de vno Iehoua, apud Mosen & Prophetas; quæ Apostoli interpretati sunt non tam de Patre, quàm etiam de Filio, & de Spiritu sancto: Certum est vnum tantùm esse Iehouam, qui Prophetis apparuit: vt Iesaiæ capite sexto. Nemo inficiatur, quin is Pater fuerit. Hunc etiam fuisse Filium, testis est Iohan. 12. 41. Fuisse etiam Spiritum sanctum docet Apostolus, *Act.* 28. 25. Non posse autem hunc eludi locum, supra ostensum est. Ac quod ad me attinet, nunquam sinam mihi locos eripi, in quibus Moses vnum nominat Iehouam, & eundem numero plurali vocat Elohim. Quæ enim Christus disertè & apertè tradidit de Patre, Filio, & Spiritu sancto, ea Moses & Prophetæ non ignorârunt. Neque etiam dubito, quin hanc doctrinam & docuerint, & scriptam reliquerint: quanquam non ita apertè, vt Christus. Quando autem, aut vbi tam minùs obscurè, pro illorum temporum ratione, hanc doctrinam tradiderunt, quàm quando, & vbi Deum vocant Iehouam simul, & Elohim? Neque enim illa firma est interpretatio: Mosen impropriè vsum fuisse plurali pro singulari. Si enim hoc semel aut iterum fecisset, posset concedi, eum locutum esse impropriè. Sed hoc est frequentissimum apud Mosen, & Prophetas. Neque etiam illa altera Hebræorum excusatio quicquam valet, quum ait: Mosen voluisse multas Dei virtutes & potentias hoc plurali nomine significare. Neque enim hæ potentiæ & δυνάμεις in Deo accidentia esse possunt. Christus autem, quot, & qui sint isti Elohim, seu hę δυνάμεις, quas nos personas vocamus: disertè explicauit, cùm iussit nos baptizari in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Nemo melior Mosis & Prophetarum interpres inueniri excogitaríve potest, ipso Christo. Nullibi autem lego nominis Elohim explicationem, nisi vbi Christus primùm: & deinde Apostoli Deum vnum Iehouam iis tribus explicant nominibus, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ac scio Christum sicut perfectè Legem voluntatémque Iehouę explicauit, sic etiam quæ ad perfectam plenámq; eiusdem cognitionem pertinent, tradidisse: & quæ obscuriora erant hac de re apud Prophetas, ea explanasse. Explicationem igitur Elohim à Christo allatam esse credo, & quam recitaui eam esse non dubito. Proinde firmam eam retineo.

II. At ista (inquient) non sunt loca aperta: sed argumenta ex locis scripturarum acutè deducta.

Loca Mosis sunt aperta, de vno Iehoua, qui etiam plures sit Elohim. Sed contra contentiosos vtendum est argumentis, quibus talium locorum, pro vnitate essentiæ & pluralitate personarũ, efficacitas demonstretur. An nõ etiã Christus vsus est argumentis, ad probandã resurrectionem mortuorum, ex illo loco Mosis: *Ego sum Deus Abrahæ, Deus Isaac, &c. Matth.* 22. 32. *Exod.* 3. 6. Num ideò dicent Albenses disputatores, locum hunc, quem citat Christus, non esse apertum pro resurrectione mortuorum, quia argumentatione hanc doctrinam inde cõclusit: non autem apertè illa exprimitur? An non etiam probat, argumentatione ex Psalmo deducta: Messiam non vnius tantum esse naturæ, nempe humanæ, secundùm quam Filius est Dauidis: sed etiam alterius nobilioris & longè superioris, cuius respectu Filius non est Dauidis, sed eius Dominus? *Matt.* 22. 44. *Ps.* 110. 1. Nũ igitur locum hunc dicent Albenses non esse perspicuum, pro confirmanda in ipso Messia duplici natura? Infinita propè sunt huiusmodi exempla apud Euangelistas. Omitto innumera alia scripturarũ loca, quibus Apostoli argumentando concluserunt illa, quę alioqui prima fronte, & iuxta τὸ ῥητὸν, illis locis non exprimuntur. Legantur Acta, & Epistolæ. Quare puerile est effugium horum hominum, quo vtuntur, ne capiantur à veritate.

III. Contendunt præterea, non reperiri in scripturis nomẽ ὁμουσίας. Non esse autem in rebus tantis vtendum id genus nominibus, quibus Spiritus sanctus non sit vsus in sacris literis. Sed de hac re, déque hisce nominibus, multum in superioribus libris disputatum fuit. Ad summam: non contendemus de voce, modò dent rem ipsam: nempe vnum tantùm esse Iehouam: & non plures, vt scriptura docet. Deinde, Patrem esse Iehouam, Filium esse Iehouam, Spiritum sanctum esse Iehouam, vt abundè demonstratum est. Patrem igitur, & Filium, & Spiritum sanctum, non plures Iehouas, sed vnum duntaxat esse Iehouam: & tum eos amplectemur vt fratres.

IV. Adferunt deinde argumentum ab auctoritate Patrum. Esse enim permultos vetustissimos Patres, Ignatium, Iustinum, Tertullianum, Irenæum, Lactantium, & alios: quì primùm prædicant, vnum illum Deum, quem & scripturæ prædicant, esse Patrem: & deinde alium etiam esse Deum, præter Patrem, quem Filium Dei vocant scripturæ: Deum de Deo.

Resp. Quia ad testimonia, è Patribus ab aduersariis citata, responsum est ab aliis satis copiosè, ego in hac re non immorabor. Tradam tantùm Regulas quasdam breues, quibus vtendum est in explicandis Patrum scriptis, quæ hac de re extant: neque enim Patrum scripta cum sana pugnant

na de Trinitate. Obiiciendi sunt alij ex iisdem Patribus loci, in quibus diserte docent, non tam Patrem, quàm etiam Filium & Spiritum sanctum, verum esse Deum: & Deum quidem vnum, non plures: quanquam plures & distinctæ sint personæ. Est autem facile hanc doctrinam videre apud illos Patres, quos aduersus nos proferunt: Ignatium, Iustinum, Tertullianum, Irenæum, &c. Quemadmodum nos ostendimus, quum hanc postremam propositionem nostram, de vnitate essentiæ in tribus personis, confirmaremus. Conciliādi porrò sunt loci Patrum explicatione cum sacris literis consentanea. Vbicunque ergo videntur Patres vnum solum Patrem, Deum vocare, & solum creatorem: respondeatur, hoc illos facere iuxta consuetudinem scripturarum: κατ' ἐξοχὴν; Quòd Pater sit principaliter Deus, fons & principium totius deitatis: quia prima persona est, vnde Filius & Spiritus sanctus. Est enim Pater is, qui reuera omnia condidit, & conseruat, & agit: sed per Filium, & Spiritum sanctum. Nō autem, quòd velint Patres ab essentia Patris, vel Filium, vel Spiritum sanctum excludere: quin reuera vnus sint cum Patre Deus, vnus Creator, vnus Seruator.

Vbi verò duos prædicare videntur Deos Patrem & Filiū (quanquam nunquam apud Patres legi, duos vocari Deos: sed tantùm præter Patrem dicunt alium etiam se demonstraturos Deum. Horrent enim omnes Christiani, vt docet Tertullianus contra Praxeam, plures dicere Deos) vbi igitur Patres videntur Patrem & Filium duos facere Deos: sic Patrum dicta explicanda sunt: Patres nomine alterius Dei intellexisse alteram personam, quæ est Deus. Et ita reuera se res habet: sicut videre est apud Iustinum in Dialog. Præsertim si conferatur illa doctrina, quam tradit in aliis locis: vt in libro de Monarchia. In Apologiis ad Imperatorem: In li. de recta fide. In responsionibus ad Orthodoxos: vbi aperte scribit: Etsi sint tres personæ: vnum tamen duntaxat esse Deum. Idem videre est apud Tertullianum, lib. contra Praxeam, vbi etsi duos esse dixit, Patrem, qui vnxit, & Filium, qui vnctus est: quorum vtrumque scriptura vocat Deum: dicens, *Vnxit te, ô Deus, Fili, Deus tuus*, hoc est Pater: tamē postea se explicat Tertullianus, dicens: *Duos quidem definimus, Patrem, & Filium, & iam tres cum Spiritu sancto, secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum: duos tamen Deos & duos Dominos, nunquam ex ore nostro proferimus.* Item ibidem docet, si liceret Christianis plures dicere Deos: facile fore viam euadendi supplicia gentilium tyrannorum: qui ideò persequebantur Christianos, quòd vnum prædicarent Deū, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Item ad calcem libri locū illum Iesaiæ: *Ego Deus, & non est alius præter me*: ita exponit, vt dicat: à Patre non excludi Filium, sed negari à Patre alium esse Deum, præter se, qui cum Filio & Spiritu S. vnus sit Deus. Non dissimiles explicationes repetiuntur etiam apud alios Patres, quorum auctoritatibus abutuntur, sine vlla fronte aduersarij. Ad argumentum igitur quod attinet, ductum ab autoritatibus Patrum, hæc est generalis responsio, quam diximus.

## CAPVT IX.

### Responsio ad Ochini blasphemiam, qua dicit hanc doctrinam non esse ad salutem necessariam. Summa eorum quę hactenus confirmata, aduersus omnes Antichristos propugnari debent.

AD extremum, Spiritus Ochinianus, dialog. 19. contendit; doctrinam hanc de vnitate essentiæ & tribus personis, etiamsi vera esset, minimè tamen ad salutem esse necessariam.

Respond. In refutandis huius mali Spiritus rationibus, non teram tempus. Quæstiones enim inutiles & magis curiosas quàm salutares, vitādas esse nemo dubitat. Cęterùm, quàm non solum vtile sit, verùm etiam necessarium, vt quisque hanc de vno Deo, Patre, Filio, & Spiritu sancto, doctrinam, quatenus ea traditur in sacris literis, probè teneat: his perspicuum reddam rationibus.

Nihil tradidit Spiritus sanctus in sacris literis, aut ad fidem aut ad vitam pertinens, quod sit superuacaneum, aut nihil ad salutem faciens. Tradidit autem hanc doctrinam, vt suprà abundè est demonstratum. Quis verò cum mandatorum diuinorum contemtu seruari queat? Est autem primum mandatum Dei, vt se agnoscamus; idque pro tali, qualem se esse descripsit. Cur enim legem, hoc est, voluntatem suam explicaturus; principiò seipsum depingit: dicens, Ego Iehoua Eloheca: nisi quia volebat se pro tali à suo populo agnosci, qualem se esse descripsit? Huc spectat præceptum, passim in Prophetis Mosęque sparsum: *Cognosce Dominum.* At verò qualem se esse docuit in primo præcepto? Certè se vnum esse Iehouam, & plures Elohim: tuumque nostrum. Christus verò explicans quot, & qui sint isti Elohim, dixit esse tres, Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Et hos vnum tantùm esse Iehouam, vt abunde est ostensum. Qua conscientia igitur possumus negligere hoc mandatum, vt non curemus agnoscere Deum esse vnum pluribus, hoc est, in tribus personis? An non etiam Christus dixit, vitam æternam in hoc esse positam: vt cognoscamus Patrem, qui est vnus & verus Deus: & Iesum Christum, quem misit? *Io. 17. 3.* Quomodo autem quis cognoscere potest Patrem, nisi cognoscat eum habere Filium? Qualem verò? non certè titulotenus: sed verum, & è substantia Patris genitum, ac proinde qui essentiam Patris habeat: Non partem, quia impartibilis est: sed totam. Quomodo igitur potest quis dicere, se verè cognoscere Patrem, si non nouit eum talem habere Filium, qui eiusdem sit cum Patre essentiæ? Annon ait Ioh. *Qui negat Filium, is nec Patrem habet? 1. Io. 2. 23.* Certum est illum à vera Dei cognitione aberrare, qui non illum nouit esse talem, qualis describitur in Scripturis. Annon etiam hoc pertinet ad salutem, vt vnum tantùm Deum cognoscamus, & nullos alios præterea Deos habeamus, in conspectu veri & vnius Dei? Omninò. Sunt autē & Filius, & Spiritus sanctus nomine Iehouæ, & Dei, in scripturis appellati, & eos tanquam verum Deum colere iubemur. Si igitur eos non vnum esse cum Patre Deum agnoscamus, quomodo possumus vitare, quàm multi nobis sint dij alieni? & quin adoremus Deos alienos? Iubet etiam Pater, vt Filium honoremus, sicut & se; *Ioh. 5. 23.* Et qui non honorat Filium, illum etiam non honorare Patrem. Quomodo autem honoramus Filium, si eum æqualem esse Patri, & vnum cum Patre Deum non agnoscamus, & non confiteamur, quemadmodum in scripturis esse describitur? Certè Christus ipse dixit, *Qui me erubuerit, hoc est, non confessus fuerit* (talem scilicet qualis ego sum) *coram hominibus, erubescam & ego illum coram Patre meo. Luc. 9. 26.* Si igitur Christus verus est Deus cum Patre: quî fieri potest, vt hoc agnoscere & confiteri ad salutem necessarium non sit? Deniq; sine fide vnum Deum seruari nemo hominum potest: per fidem verò, in solum Christum, tanquam in verum Seruatorem, seruamur, vt omnes bene sentientes fatentur. Oportet igitur, aut per fidem in vnum Iesum Christum nō posse homines seruari: aut Christum cum Patre & suo Spiritu esse hunc vnum Deum, in quem qui credit, seruatur. Ac certum est, fidem in Christum haberi non posse, tanquam in Seruatorem: nisi illum verum esse Deum nouerimus: tum quia maledictus pronunciatur, qui confidit in homine: *Hier. 17. 5.* tum quia Seruator esse nequit, qui Deus non sit: vt passim docent Prophetæ & Apostoli. Est autem fides, quæ seruat, in vnum solum Deum reponenda: in plures enim Deos credere non licet. Quomodo igitur seruari possumus, nisi cognoscamus Filium, & eius Spiritum vnum esse cum Patre Deum illum, in quem pro salute nostra iubemur credere? Ac cur seruaturus gentes, iussit eas primùm in Baptismo obsignari, Patri, Filio, & Spiritui sancto, si cognitio vnius veri Dei, subsistentis in iis tribus Elohim, vnius & eiusdem Seruatoris, à quorum vno peculiariter dilectio erga nos, ab altero redemtio nostri, à tertio nostri regeneratio & gubernatio pēdet, ad salutem necessaria non est? Certè Christus sic pronunciauit, *Qui crediderit* (Euangelio: eóque in hunc Deum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quem prædicat Euangeliū, & in cuius nomen baptizari oportet) *seruabitur. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Mar. 16. 16.* Eat igitur malignus ille Spiritus, & meliùs discat, quid ad salutem necessarium sit, quàm hactenus didicerit: Si tamen fieri potest, vt amplius discat.

II. Ego certè non possum satis admirari, & suspicere iudicia Dei maxima, & adoranda potiùs, quàm inuestiganda: quum video viros; quos ille alioqui multis, & admirandis cœlestibúsque ornauerat donis, & illorum opera ad multorum salutem diu fuerat vsus: postmodùm ab eodem ita excæcari, vt primis etiam Fidei principiis abnegatis, fiant aperti in Deum blasphemi: & eò suas conuertant cogitationes, sermones, scripta, studia, vt ab ea veritate, quam antea homines summa docuerunt diligentia, eosdem auertant. An non hoc, tanquam primum religionis Christianæ principium, quisque Christo consecratus admittit: nimirum, seruari neminem posse [de adultis loquimur] qui non verè credat, & ingenue confiteatur quęcunque in symbolo Apostolico Christianis omnibus præscribuntur? An non verò ibi vnum tantùm Deum esse docemur: Qui est Pater, Filius eius vnigenitus, & Spiritus sanctus? Ex nomine enim Vnigeniti [vt alias omittamus rationes] euicimus iam millies,

Christum de substantia Patris esse genitum, eóque verum esse Deum, Patri ὁμούσιον: Ac proinde talem etiam esse Spiritum sanctum, qui ex Patre Filióque procedit: Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui loquutus est per Prophetas. Quisque ergo (vt Apostolus monet) qui stat, videat ne cadat, 1.*Cor.*10.12. Hoc autem effecerit, si Deum timuerit. Timebit autem, si contentus doctrina, in scripturis tradita, in symbolo ab Apostolis breuiter comprehensa, á tota Ecclesia firme retenta, á Patribus diligenter explicata, ac confirmata, in ea sese continuerit, neq; ad dexteram, neque ad sinistram declinando.

III. Hæc autem est in summa: In Deo, quem omnes, tam scripturæ quàm Mundi sapientes, vnum esse prædicant, tria esse ὑφιστάμενα, verè inter se distincta, veráque personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Quorum quemque ita verum esse Deum prædicamus, vt propter essentiam, quæ vna & eadem omnium est prorsus impartibilis, omnes simul pro vno tantùm Deo Iehoua agnoscamus, adoremus, inuocemus. Idque contra omnes huius veri Iehouæ, æterni Patris, æterni Filij, æterni vtriusque Spiritus S. hostes: Sabellios, Samosatenos, Ebiones, Cerinthos, Arios, Eunomios, Photinos, Macedonios, Seruetos, Blandratas, Ochinos, Gentiles, Socinos, omnésque alios Antichristos, diuinæ Maiestatis, ad ipsos quod attinet, euersores: Sacrarum literarum deprauatores: veræ pietatis profanatores: totius denique Reipub. Christianæ pestes: adeóque aduersus omnes κακοδαίμονας, & omnes inferorum portas, credimus & confitemur. Cui vni vero Deo Iehouæ, æterno Patri, æterno Filio, æterno Spiritui sancto: á quo, per quem, & in quem omnia: nobis semper colendo, & adorando: sit omnis honos & gloria, in sempiternum,

AMEN.

***

I. INDEX

# I. INDEX ANALYTICVS SIVE SYNOPTICVS, CAPITVM TOTIVS OPERIS DE TRIBVS ELOHIM.

## Liber I. prioris partis.

*Verum Deum* Iehouam, *vnum tantùm esse, & hunc esse tres* אלהים Elohim *verè inter se distinctos: proprium Christi Patrem, eius Filium, & vtriusque Spiritum: Ac Patrem verum esse Iehouam.*

### CAPVT I.



### LIB. II.

*Τὸν λόγον, Iesum Christum, ita Angelum esse Iehouæ, vt verus sit Iehoua: ex veteri Testamento.*



### LIB. III.

*Iesum Christum non esse nudum hominem, puràmve creaturam.*



### LIB. IV.

*Qui est prior de æterna Filij, ex Dei Patris substantia gubernatione.*



### LIB. V.

*Qui est posterior, de æterna filij, ex Dei Patris substantia, generatione.*



### LIB. VI.

*Τὸν λόγον Iesum Christum, qui ante omnia secula ex Dei Patris substantia fuit genitus, esse verum æternúmque Deum: ex iis N. T. locis, vbi disertè vocatur Deus.*



### LIB. VII.

*Spiritum Sanctum esse verum, æternúmque Deum Iehouam, à Patre & Filio procedentem.*

# INDEX



II. INDEX

# II. INDEX, LOCOS S. SCRIPTVRÆ VET. ET NOVI TESTAMENTI IN XIII. LIBRIS DE TRIBVS ELOHIM NONNVNQVAM BREVITER, ALIQVOTIES autem accuratè explicatos continens.

## *Ex libro Geneseos.*

### CAPVT V.

# III. INDEX, RERVM ET VOCVM OBSERVATIONE DIGNARVM IN XIII. LIBRIS DE TRIBVS ELOHIM OCCVRRENTIVM.

Gloria

IV. IN-

## IV. INDEX VARIORVM ACTORVM, PRÆSERTIM VETERVM THEOLOGORVM TESTIMONIA IN XIII. LIBRIS DE TRIBVS ELOHIM, AD ORthodoxæ doctrinæ confirmationem occurrentia, continens.



SCHOLASTICI & alij auctores.



## V. INDEX, QVÆSTIONVM ILLVSTRIVM IN XIII. LIBRIS DE TRIBVS ELOHIM.

FINIS.